Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — F
46

c-10-d
C. 2. d

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS
DE
SACRIS ECCLESIÆ ORDINATIONIBUS
SECUNDUM ANTIQUOS ET RECENTIORES
LATINOS, GRÆCOS, SYROS ET BABYLONIOS,
IN TRES PARTES DISTINCTUS.

CARMELITANI SCALZI
BUS
DI S. MARIA DELLA SCALA

IN QUO

DEMONSTRATUR ORIENTALIUM ORDINATIONES, Conciliis Generalibus, & Summis Pontificibus, ab initio Schiſmatis in hunc uſque diem fuiſſe probatas, & ab Adverſariis vindicatas: Plurimi Ordinationum libelli Rituales ex antiquiſſimis illorum populorum Sacramentariis eruti nunc primùm eduntur; Græci & Syri Latinitate donantur: Variæ Exercitationes Eccleſiaſticæ elaborantur, quibus quæſtiones omnes de Ordinis Sacramento in Scholis diſputari ſolitæ, ſecundum iſtos libellos & antiquos Patres probabiliter definiuntur: perpetua Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali in hoc Sacramento convenientia; & quando, quave occaſione & cauſa utraque Eccleſia, aut alterutra novum ritum addidit antiquo, luculenter docetur. Quinque inſuper antiquiſſimarum ſub Epiſcopali dignitatum, origines, varia incrementa & decrementa enarrantur.

HIS ACCEDUNT

STMEONIS THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPI LIBER DE Sacramento Ordinis, & ejus myſteriis; Auxilii de Ordinationibus Formoſi Papæ non iterandis libri duo; Cophticarum Ordinationum exemplar: omnia ex antiquis membranis exſcripta, & hactenus deſiderata. Denique Adnotationes, in verba, ritus, ornamenta Eccleſiaſtica, aliaque ejuſmodi obſcura, Latinis inuſitata, in Ritualibus Græcis & Syris occurrentia.

Authore JOANNE MORINO Bleſenſi, Congregationis Oratorii Domini noſtri JESU CHRISTI Presbytero.

Editio Nova, à mendis quæ in Editionem Pariſinam irrepſerant repurgata.

ANTVERPIÆ.
Venalia præſtant Exemplaria
AMSTELODAMI,
Apud STEPHANUM LUCAM,
In foſſa vulgò 't Rockin dicta.

M. DC. LXXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
ET REVERENDISSIMO PRINCIPI,
FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO,

JOANNES MORINUS Congregationis Oratorii
D. N. JESU-CHRISTI Presbyter.

QUæ res in Libri nuncupatione duæ plurimùm conſiderari ſolent, eæ mihi ambæ perſuaſerunt ut nomini tuo hunc nuncuparem; diuturna Eminentiæ tuæ in me benevolentia, & conſilium de hoc opere colligendo, atque edendo domi tuæ natum. Harum altera ut ſic agerem, hortata eſt; altera perſuaſit. Æquum enim eſt corollas de floribus in horto primùm exortis, quum calyculi erumpunt, & expandi geſtiunt, fundi Domino texere, illique appendere. Sed perpetua benevolentiæ tuæ teſtimonia, tum mihi tum aliis de me, cum ſe dedit occaſio, reddita, effecerunt, ut ingrati animi dicam meritò mihi impingi poſſe crederem, niſi in ipſo libri limine publicè teſtarer, quantum Eminentiæ tuæ debeam, quantaſque cum referendo non ſim, illi habeam gratias.

Magni inſuper mea intereſſe exiſtimavi notum poſteris facere, Eminentiam tuam amicitia ſua, familiaritate, Epiſtolis, & laudibus, me jam tot annis cohoneſtaſſe. Non ſum equidem adeo imperitus rerum

Digitized by Google

æſtimator, Eminentiſſime Cardinalis, ut purpuræ tuæ ſplendorem tantùm admirer, atque ideo me innotuiſſe tibi, & à te amari glorier. Tanta dignitas eſt tibi cum multis aliis communis, nec meritis ſemper, ſed ſorti nonnunquam, aut Principum commendationibus ambitiosè emendicatis, atque etiam per vim obtentis defertur.

Neque auguſtiſſimam illam & ſecundiſſimam fortunam ſuſpicio, quæ tibi annis viginti integris benigniſſimè aſpiravit. Fortunam enim conqueruntur Philoſophi omnes, cœcam, brutam, & inſanam eſſe, quæ ſui ſimiles plerumque amplecti amat, adulantibus titulis ornare, iis ſuaviter blandiri, omnigenûmque honorum, & deliciarum exoculata effuſione lenocinari. Rarò enim *ſors & virtus miſcentur in unum.*

Rhetor. ad Heren. l. 2.

Teipſum in eminentiſſima dignitate potiſſimùm ſuſpicio: Summam animi tui in tanta fortuna moderationem admiror; cum hominum maxima pars ſoleat fortunæ ſuæ magnitudinem inſaniſſimo honorum divitiarumque incremento, & audaci peccandi licentia metiri. Tu verò quum omnia poſſes, orbemque Chriſtianum ſub beatiſſimæ memoriæ Patruo tuo Urbano VIII. Pontifice maximo conſiliis tuis regeres, ſummæ fortunæ decus eſſe tibi perſuadebas, ſervire legibus non imperare; fortis animi eſſe, mediocria malle quàm nimia; Viris magnis omnibus in maxima fortuna minimam eſſe licentiam; Te aliis majorem tunc futurum, quum melior fores; contrà quàm vani & illiberalis ingenii homines, qui cum fortunæ ſubridentis libidini ſeſe dedidere, verſatilem naturæ humanæ conditionem etiam dediſcunt; immemores ſe perituros accepiſſe peritura; mare momento verti, & eodem die ubi luſerunt navigia, fluctibus obrui.

Qua igitur ratione adverſa fortuna animum tuum frangeret, qui ſecundam tam ſanctè & fortiter ſuſtinueras? *Nulla*, inquit S. Auguſtinus, *infelicitas frangit, quem*

Enarr. in Pſal. 83.

quem nulla felicitas corrumpit. Secunda hominum opinione te felicem fecerat, ſed adverſa, quæ te poſtmodùm graviſſimè inſecuta eſt, magnum probavit. Ita te exagitari paſſa eſt providentia divina, ne ſub continuæ felicitatis ſplendore, cui prona ſunt omnia, lateret & marceret virtus tua. Memini cum Roma pulſus Pariſios in aſylum confugiſſes, tecumque familiariter verſarer, fortuitoſque de variis rebus ſermones haberemus, me ſæpius admiratum heroïcam illam tuam in tot malis ferendis patientiam. Injuriarum aſſultu non magis commovebare, quàm ſi cor tibi fuiſſet adamantinum, aut exterum non te feriiſſent. Neminem incuſabas, de nemine conquerebaris, ſat vindictæ de omnibus ſumptum ratus, ſi omnibus ignoviſſes Nec dolorem corde premere, triſtia verò fronte ſerenare videbaris, ſed totum radicitus excuſſiſſe, affligentiumque amore & reverentia commutaſſe.

Recurſabat tum animo meo quàm acres doloris aculeos afflictis infigere ſoleat priſtinæ felicitatis recordatio. Cenſent enim hujus mundi Sapientes infortunii genus eſſe infeliciſſimum, aliquando fuiſſe felicem: Veterem inſuper ferendo injuriam, nec ulciſcendo, invitari & accerſi novam. Recurſabat iterum hanc fortunæ procellam ab iis in te excitam, quos omni bonorum & dignitatum genere cumulaveras; quos ut extolleres, omnes tuæ autoritatis & felicitatis nervos & machinas commoveras, ita ut videreris potiſſimùm felix fuiſſe, ut iſtos felices faceres, honoribus abundaſſe, ut iſtos honorares, & beares.

Adverſa fortuna omnibus artificiis uſa eſt, ut amarior, & infeſtior tibi incumberet. Sed quo fuit illa in te affligendo induſtrior, eo fuiſti in ea toleranda generoſior: Quo crudelius tela ſua infigebat, eo lætius excipiebas: Quo contumelioſius inſultabant inimici tui, eo conſtantius & tacebas, & iis parcebas.

Digitized by Google

Ad quid hæc adverſæ fortunæ ſtratagemata? Ut patientiæ verè chriſtianæ pulcherrima ſpecimina ederes; ut magnificentius de ipſa triumphares, & ea triumphata tuis caſibus glorioſior, ut tandem contigit, reſurgeres. Sic Balſamum inciſum liquorem nobis fundit ſuaviſſimum; ſic frumentorum ſemina gelu & nivibus operta & preſſa fœcundantur; Sic aquis diluvii Arca non obruebatur, ſed iis ſupernatans, fluctibus, & procellis in altum tollebatur.

Iſta, & innumera ejuſmodi quæ prætermitto, ſentiendo longè copioſiùs quàm ſcribendo, me multò magis in tui admirationem rapuerunt, quàm Purpuræ tuæ lumina; mihique honorificentiſſimum eſſe perſuaſerunt aliquod ingenii mei monumentum poſteritati relinquere, quo conſtaret me tanto Cardinali, virtutum omnium theſauro locupletiſſimo, literarum ſanctarum columini, Urbani VIII. ſummi Pontificis nepoti, familiariter notum fuiſſe; dumque orbem Chriſtianum ſapientiſſimis conſiliis ſuis regeret, Regum & Principum Legatis reſponſa daret, mei, laborumque meorum curam interpoſuiſſe.

Memores igitur diuturnæ tuæ erga nos benevolentiæ, & eorum quorum occaſione hoc opus aggreſſi ſumus, illius frontem radiis & fulgoribus nominis tui micare & vallari grato animo voluimus. Leviuſculum, fateor, munus: Sed humilitas noſtra præſtare magna non poteſt, nec iis eget Eminentia tua. Verumtamen ſi calculos ſubducens animum meum adjungas, ut de tua benignitate confido, juſtum pondus deprehendes.

AUTHO-

Digitized by Google

AUTHORIS

AD LECTOREM CATHOLICUM,

PRÆFATIO

IN QUA EXPONIT QUA OCCASIONE MOTUS TAM multos ordinationum libellos, omnium nationum, & omnium seculorum in variis Bibliothecis latitantes adeo studiosè conquisivit: Quo consilio conquisitos inter se, & cum Scholasticorum sententus comparavit; & Exercitationes ex hac comparatione prodeuntes cum ipsis rituglium libellis in lucem edidit.

CUM anno Salutis sexcentesimo tricesimo nono supra millesimum, Romam profectus essem, ab Eminentissimo & Religiosissimo Cardinale Francisco Barberino vocatus, paucis post adventum meum diebus voluit me cuidam Theologorum Congregationi adesse, in qua jussu Summi Pontificis Urbani VIII. Francisci Cardinalis patrui, Græcorum Euchologium recensebatur, singulæque ipsius periodi diligenter expendebantur, & ad fidei Catholicæ canonem & stateram examinabantur. Cum primùm huic Congregationi adscriptus sum, cœpta erat in Græcorum Ordinationes inquisitio. Varii Theologi varias judicii ferendi rationes inibant. Mihi non satis tutum videbatur ex solis Doctorum Scholasticorum dictatis de re tanti momenti pronuntiare. Experiebar enim eos nulla Græcorum morum scientia tinctos, nulla linguæ Græcæ cognitione aspersos, nunquam illis in mentem venisse ut inquirerent, quæ, quot, qualesve essent Græcæ ordinationes. Æquum non judicabam ad eorum sola axiomata, tanquam ad lapidem lydium, istas ordinationes exigere; quæ cum eis consentiunt, probare; quæ dissentiunt, eo ipso statim ut spuria improbare, & ab Ordinationum choro eliminare. Sanè quoties obversabantur animo, Ecclesiæ Orientalis imago, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, inferiorumque Ministrorum & Monachorum ordines; Ceremoniarum Liturgicarum, aliorumque ejusmodi constans & pertinax observatio, in variis populis, sermone, moribus, & habitatione quàm longissimè dissitis consimilis, & prope uniusmodi: Religio mihi erat ex solis eorum hominum decretis, qui ne levissima quidem earum rerum cognitione imbuti fuissent, de rebus tantis judicium ferre.

Diffidentia illa quam de Doctoribus Scholasticis hac in causa conceperam, mihi videbatur eorum placitis disertè comprobari; ita ut si aliter apud me statuissem, contra id quod dictis & exemplo suo docent, facturus viderer. Fere enim quotquot eorum, doctrina & ingenii acumine maximè celebrari solent, conveniunt, Ministri baptismo expressionem non esse absolutè necessariam: baptismum etiam valere forma deprecativa datum, eo quod sibi persuadeant Ecclesiam Orientalem baptizando eam formam usurpare. Quanquam autem hoc falsum sit; forma enim baptismi Orientalis, ut & latina, est indicativa: Attamen tanta est apud eos præsumpta Græcæ consuetudinis opinio, ut eam esse validi Sacramenti certum argumentum pronuntiare non dubitent, velut nos docent, cæteris innumeris brevitatis causa prætermissis, summi Theologorum apices, Thomas in 4. distinct. 3. art. 2. quæst. 2. resp. ad 1. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 2. sæpius, sed potissimum celeberrimus Franciscus Suarez, αὐτὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, tom. 3. in tertiam partem S. Thomæ disput. 21. sect. 1. & 2. Similiter igitur in causa quam agimus, Scholasticorum placita ad amussim sequitur, qui eam secundum sola eorum placita examinare & judicare refugit. Cum enim solos Ordinationum Latinarum ritus suo tempore vulgatos præ manibus & oculis habuerint, eorum plerique multa statuerunt, quæ si absolutè & universè concedantur, actum est de Græcis Ordinationi-

tionibus, inanes fructus pariunt, omni gratia Euangelica cassos; nulla materia, nulla forma instructæ sunt: Ordinationum potius umbras dices & somnia, quàm veram & solidam Sacramenti substantiam. Quemadmodum igitur cognoscentes axioma suum de baptismi forma, atque etiam de Ministri expressione in actu baptismi, non convenire Ecclesiæ Orientalis baptismo, illud ita correxerunt, & reformarunt, ut Ecclesiæ Orientali nullum ex eo incommodum inferretur. Sic dubitandum non est eos ita animatos fuisse, si postmodum illis Græcæ ordinationis ritus innotuissent, ut decreta sua correcturi fuissent, & provisuri, ne quod ex iis præjudicium Ecclesiæ Orientali crearetur. Quapropter illorum mentem assequitur, & placita amplectitur, qui de istis Ordinationibus judicaturus, axiomatis quæ de Latinis condiderunt, usquequaque non adhæret, ne iis mordicus inhærens, Orientis ordinationes vanas esse & inanes asserere cogatur, quod profiteri Scholasticorum maxima pars horruisset.

Mihi igitur hæc animo versanti videbatur aliam examinis viam ineundam esse, in quâ nullum subesset erroris periculum, sed veritatis inveniendæ certa fiducia. Duplex autem mihi tum occurrebat. Prior, inquirendum esse qua ratione Ecclesia Romana post exortum & divulgatum schisma, Græcos Sacerdotes & Episcopos schismati renuntiantes in sinu suo excepisset. Nam si eos exceptura, iterum in Diaconos, Sacerdotes, & Episcopos non ordinabat, procul omni errore & dubio Græcorum ordinationes approbavit, & confirmavit. Quis autem Catholicus, quidquid olim disputaverint Doctores Scholastici, hanc consequentiam improbabit? Antecedentis istius demonstratio occasionem dedit primæ operis nostri parti contexendæ. Tota enim in hoc demonstrando versatur: Summos Pontifices continuis post exortum schisma decretis & actionibus suis Græcas ordinationes probasse, & ab Adversariorum impugnationibus vindicasse.

Altera ineundi istius examinis via post priorem securissima mihi videbatur, comparatio rituum secundum quos Græci nunc & post divulgatum schisma sacras suas Ordinationes celebrant, cum iis ritibus quos ante exortum schisma observare solebant. Nam si utrique iidem sunt, nec est inter utrosque alicujus momenti variatio, procul omni dubio, sicut sufficientes & legitimi erant ritus quibus Græci ante schisma ordinabantur; ita sufficientes & legitimi erunt ritus quibus post schisma ordinantur. Difficultas erat nanciscì tantæ antiquitatis Euchologia, seu libellos sacrarum Ordinationum rituales. Superata tamen difficultas est, duoque præ cæteris mihi tradita sunt Euchologia, de quibus dubitari non poterat, quin ætatem illam antecederent. Alia etiam mihi suppeditata sunt, quæ ad eam ætatem proximè accedebant; alia denique quæ ab ea longius recedebant. Hæc lustro, sibi invicem comparo, antiquissimos cum recentioribus, utrosque cum mediis; nec inter hæc magni momenti discrimina deprehendo. Itaque apud me concludebam, si rituales antiqui legitimi erant, quod nemo sanæ mentis negare poterat, recentiores quoque esse legitimos: Utrosque esse æqua ratione aut admittendos, aut repudiandos; præsertim cum omnes veluti conspirent in earum rerum omissione in quibus totam istius Sacramenti substantiam Scholasticorum plerique reponunt.

Euchologia quoque illa utilitati publicæ alio modo profecerunt. Nam cum Parisios reversus de rebus ejusmodi familiariter cum R. Patre Jacobo Goartio Dominicani Ordinis Presbytero doctissimo sermones conferrem eum monui Romæ conservari antiquissima Euchologia, & quibus in Bibliothecis laterent, indicavi, ut Euchologii Græci vulgaris editionem quam meditabatur, & interpretationem latinam quam tum confecerat, ditare & illustrare posset: quod postea egregiè, & abundè præstitit.

Nacti quoque sumus penitissimi Orientis sacras Ordinationes, Syrorum videlicet Maronitarum qui Catholici sunt, & Libanum montem incolunt; Nestorianorum qui per Syriam, Babyloniam, Persidem, extremosque Indos dispersi Christianum nomen & Religionem profitentur: Et Jacobitarum quorum non modo in Syriæ plerisque locis magnus est numerus; sed etiam per Ægyptum & Æthiopiam, cis, ultraque Æquinoctialem circulum, Zonamque torridam latissimè diffunduntur. Qua ratione in istarum gentium rituales libellos inciderimus, præfationibus quas unicuique ritui præposuimus, à nobis explicatur: Ideo hæc adnotasse nunc sufficit. In iisdem autem præfationibus uniuscujusque gentis mores religiosos enarramus; quando & quoties cum Romana Ecclesia reconciliati sunt, quos Reges & Principes in India habuerunt, quando funditus apud eos principatus interiit, multaque ejusmodi, ex variarum historiarum lectione, & comparatione colligimus. Lectorem autem hic obiter monemus istorum Schismaticorum ordinationes ab Ecclesia Romana probatas esse, & quotidie probari. Nec hoc tantùm,

tùm, ſed univerſam Eccleſiam olim ab initio damnatæ hæreſis & ſchiſmatis idem præſtitiſſe, eorumque Clericos reſipiſcentes, & ad Eccleſiam redeuntes, poſt ſolam hæreſis ſuæ & ſchiſmatis abjurationem, & anathematizationem cum exercitio Ordinum quos à ſuis acceperant, in ſinum recepiſſe, & foviſſe.

Interea dum hanc collationem inſtituo, & Græcos iſtos Ordinationum rituales deſcribo, Pariſios, vix novem menſibus Romæ commoratus, revocor ab Eminentiſſimo Cardinale Richelio, qui tum ſolus Gallicæ Monarchiæ habenas conſilio ſuo moderabatur, unicuique pro animi libidine ὅπιθεν ἀγαθὸν κακόντε. Revocationis cauſas ignoro. Sed ei parere neceſſe eſt, etiam dura præſcribenti, cujus arbitrio altiſſima & aſperrima quæque ſubſidunt; quique non æſtimari juſtum & ſanctum quod ipſi lubet, indignabundus audit. In Galliam reverſus, Ordinationum ſacrarum non me cepit oblivio, animo ſæpe recurrunt, eumque pulſant. Videbam cum Ritualibus Græcorum antiquis & hodiernis convenire quæ S. Dionyſius de Ordinationibus tradit in libris de Hierarchia Eccleſiaſtica; quæ etiam S. Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis. Conſiderabam ambos præſertim convenire in omiſſione eorum omniam quæ ſola ſubſtantialia ſacris Ordinationibus adeo multi tradiderunt Scholaſtici. Idem experiebar fieri ab antiquis Patribus omnibus, tam Latinis, quàm Græcis, apud quos altiſſimum ſilentium omnium in quibus Scholaſtici plerique tradunt Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus ineſſe materias & formas. Quapropter animum ſubiit deſiderium inquirendi, An etiam antiquiſſimi Rituales Latini recentioribus hac in cauſa ſimiles eſſent. Rationibus enim jam explicatis ductus, ſuſpicabar multas ceremonias lapſu temporis Ritualibus additas fuiſſe, quibus Scholaſtici plerique, præteritis antiquis, materias & formas Sacramentales aſſignarunt. Suſpicionem meam augebat exemplar Ritualis antiqui quem ex Italia mecum aſportaveram, aliuſque Romæ editus in Gregoriano Sacramentario, in quibus multa ejuſmodi omittuntur, aut ad alias Ordinationes transferuntur.

Itaque varias Bibliothecas luſtro manuſcriptis divites, non modo Lutetiæ, quæ ejuſmodi Bibliothecis abundat, ſed etiam aliis in locis, prout occaſio, ſorſve ferebat. Inceſſebat etiam animum meum Ritualium Pœnitentialium cupido. Quotquot igitur occurrunt Pœnitentiæ aut Ordinationum bonæ notæ Rituales libelli exſcribo. Jam prope quadriennium effluxit cum opere pœnitentiali defunctus ſum, atque cum eo Pœnitentiales libellos lectu dignos publici juris feci. Sermone igitur de his prætermiſſo, dum innumeros codices huc & illuc verſo, & inſpicio, incidunt in manus meas nonnulli antiquiſſimi. In illis id quod ſuſpicabar, deprehendo, omiſſionem ſcilicet eorum omnium in quibus Scholaſticorum vulgus ſacrarum ordinationum materias & formas inhærere credit. Simillimæ ſunt iis quos nobis exhibet S. Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis; multiſque additamentis carent quæ in Dionyſianis, & omnibus Græcis ritualibus leguntur. Quapropter à dictatis Scholaſticorum magis quàm ipſi Græci recedunt. Si quis autem variorum ſeculorum rituales invicem comparaverit, non injucundè animadvertet, quo ſeculo unumquodque additamentum Ordinationibus acceſſerit. Hinc alio argumento probatur, quod jam ex ritu Græco demonſtravimus, non eſſe exigendas ad Scholaſticorum omnia decreta Græcorum ordinationes. Nam non ſolum ipſæ damnatione periclitarentur; ſed etiam Latinorum omnes antiquæ, cum non minus hæc decreta illæ evertant, quàm Græcæ.

At vice verſa, ſi omnes illæ ordinationes ſimul conjungantur, & diligenter examinentur, evidenter colligetur, quantum ad Sacramentum ordinis attinet, veritas iſtius axiomatis in ſcholis vulgatiſſimi, materias & formas Sacramentorum eſſe perpetuas, nec unquam mutandas. Ubique enim in Sacris, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus Ordinationibus, Latinis, Græcis, Syris, Ægyptiis, antiquis, hodiernis, mediis, conſpicies manus impoſitionem, & orationem unicuique gradui convenientem: In antiquiſſimis verò omnibus, præter hæc duo, nihil aliud occurret quod cum aliqua probabilitatis ſpecie rationem materiæ & formæ induere poſſit. Orientales primi novos ritus antiquis materiis & formulis addiderunt; ut qui Dionyſianos, quos Græci omnes Syrique ſequuntur, cum Clementis conſtitutionibus, & utraſque cum Latinis antiquis & recentioribus comparaverit, experietur. Addiderunt & Latini longè plures, ſed multo ſeriùs, & paulatim; longoque annorum decurſu.

Quare ad conciliandas cum Latinis Græcorum ordinationes, non opus eſt diſtinguere in Ordinationum cauſa, ut recentiores Theologi ſubtiliſſimè faciunt, Sacramenta in ea quorum materias & formas Chriſtus in ſpecie & in hypotheſi, & in ea quorum materias & formas in genere tantum & in theſi inſtituit, & deſignavit; ſingularem vero harum rerum deſignationem & applicationem Eccleſiæ commiſit: Seu in ea in quibus quod

formalis rationem tenet, Christus in particulari & nominatim edidit, & expressit; quod verò materialis & signi, in genere tantum imperavit, illius verò particularem designationem & demonstrationem Ecclesiæ prudenti Oeconomiæ instituendam reliquit, & commendavit. Nam si quis omnium populorum, & omnium seculorum ordinationes inter se conferat, & componat, statim animadvertet ab omnibus, & omni tempore eos omnes observatos esse ritus quorum & sacra Scriptura, & antiqui recentioresque Patres meminerunt. Quidni igitur in solis istis ritibus Apostolicis, perpetuis, & inviolatis, materiæ & formæ illius Sacramenti, ejusque partium commodè constituentur; cæteri verò ratione quorum Ecclesiæ variarum regionum à se invicem differunt, atque etiam una & eadem Ecclesia vario tempore à seipsa, sanctis & prudentibus variarum Ecclesiarum institutionibus tribuentur, non autem Sacramenti substantiæ & necessitati? Quocirca mihi ferio in hanc meditationem incumbenti, nulla mihi videtur amplius istius distinctionis hac de causa usurpandæ & excolendæ urgens occasio. Quod enim Latinam Ecclesiam cum Græca & Orientali in hoc Sacramento committere videbatur, cujus conciliandæ causa inventa est, somnium esse cui rerum antiquarum incuria, & ignoratio causam dedit, oculata experientia demonstratur.

Hæc est posterior examinis ratio ad quam exigendas esse judicabamus hodiernas Græcorum ordinationes, eaque constituit secundam operis nostri partem. Universa enim operis hujus secunda pars, nihil aliud est quam collectio variorum ordinationis rituum ex antiquis codicibus Latinis, Græcis, & Syris decerpta, & verbo tenus exscripta, ut ex ejus lectione & examine discat Lector quæ fuerint Ecclesiarum hac in causa antiquæ & recentiores traditiones, & auditis partibus causaque cognita, judicium ferat. Nihil in ea parte nostrum est, omnia antiqua, ex Archivis & seminiis Ecclesiarum petita. Addidimus his Symeonis Thessalonicensis Archiepiscopi libellum de Sacramento ordinis; eo quod Græcorum ritus non modo diligenter describit, verumetiam unusquisque ritus rationes elegantes, morales, & mysticas appositè tradit. Huic conjunximus Gabrielis Philadelphiensis Metropolitæ de sacris Græcorum ordinationibus libellulum, eo quod universam de hoc Sacramento doctrinam compendiosè admodum, & Scholasticorum more explicet, cui subjunximus brevem dignitatum Ecclesiasticarum Notitiam, seu catalogum ex antiquo codice exscriptum, magis ne periret, quàm quod necessarium esset. Quanquam nec hic tractatus haberi possit à scopo nostro alienus. Cum autem multa passim occurrant, vestium, ornamentorum, instrumentorum, dignitatum, rituumve vocabula, in Ritualibus tam Græcis, quàm Syris, quæ Latinis istorum morum insuetis negotium facessere possunt, ea ad finem unusquisque Ordinationis Græcæ vel Syræ non indiligenter explicamus.

Fini quoque Ordinationum Latinarum libellos duos Auxilii de Ordinationibus à Papa Formoso factis, nondum editos, diu tamen multumque à viris doctis desideratos adtexuimus, quibus lux maxima effunditur illustrissimæ quæstioni quæ ante septingentos fermè & quinquaginta annos in ecclesia Romana, magna animorum contentione in utramque partem agitata est, tam in thesi, quàm in hypothesi: An scilicet Ordinationes à Formoso Papa celebratæ validæ essent, an iterandæ. Plurimi enim, eas adeo improbarunt, ut iterarint: Alii, sed numero pauciores, eodem tempore probarunt, quorum unus erat Auxilius, cujus edimus in Formosi defensionem opuscula. Sed eodem tempore, atque etiam multis seculis ante & post illud tempus, generalius quæsitum est, atque *inter* disputatum, An ordinationes contra canonum præscripta factæ, essent validæ, an iterandæ. Plurimi eas iterarunt credentes non sufficere Ordinationem, ut rata sit & efficax, esse factam ab Episcopis Catholicis, & juxta ritules ab Ecclesia præscriptos, sed etiam fieri debere secundum canones Ordinatoribus & Ordinandis à Conciliis secundum tempora latos. Insidebat igitur eorum animo ea sententia quam modo explicavimus, quæque hodiernis Theologis est communissima; Ecclesiam scilicet quorundam Sacramentorum materias particulares decretis restringere aut ampliare posse, Spiritumque S. ita decretis istis sese attemperare, ut secundum ea vim suam exerat, aut comprimat: Et sic quæ Ecclesia ligaverit, alliget; quæ solverit, dissolvat.

Hæc quæstio sui obscuritate, & perplexis ambagibus, Ecclesiæ Doctores diutissimè distinuit, atque etiam vexavit. Tandemque quadringentis abhinc annis communi consensu, re maturius considerata, concluserunt, & definierunt canones ab Ecclesia secundum tempora & occasiones de his rebus conditos, Ordinationis substantiam & efficaciam non afficere, sed tantum executionem; ordines conferendi, aut collatos exercendi potentiam non auferre, sed tantùm legitimam authoritatem.

Duæ

PRÆFATIO.

Duæ iſtæ partes baſis ſunt & fundamentum cui potiſſimum innituntur Exercitationes, quæ operis noſtri tertiam & poſtremam partem conſtituunt. Sedulò enim examinatis his antiquis & recentioribus ſacrarum Ordinationum codicibus, & conſideratis ſummorum Pontificum continuis pro Ordinationibus Orientalium decretis, ea cum variis ſanctorum Patrum ſententiis, & utraque cum pleriſque Scholaſticorum Doctorum placitis contulimus. Cum autem in eo ſtudio nonnihil nos exercuiſſemus, videreturque nobis utriuſque ritus, Occidentalis & Orientalis, maximus in rebus ſubſtantialibus eſſe conſenſus, nec opus eſſe perplexis & impeditis Scholaſticorum diſtinctionibus ut alter in alterius gratiam rediret, ſed ſponte & αὐτομάτως nulliſque cum ambagibus ſeſe mutuò amplecterentur, tandem decrevimus Exercitationem noſtram ulterius protendere, & omnes quæſtiones quæ de Ordinationibus in Scholis agitari ſolent, ſecundum hæc principia, veluti ad Aurificis trutinam examinare, & expendere, ſtudiumque noſtrum in lucem edere; ut ſi Lectori Catholico luberet, eandem comparationem & Exercitationem inſtituere, eo nonnihil juvaretur.

Viſum eſt præterea ab inſtituto opere non fore alienum, ſi connecteremus ei Exercitationem de antiquis & primigeniis ſub Epiſcopo dignitatibus Eccleſiaſticis, nempe Archipresbyteris, Archidiaconis, Oeconomis, Defenſoribus, & Græcorum Chartophylace; & in ea veluti ad coronidem univerſo operi imponendam exponeremus quæ fuerint uniuſcujuſque dignitatis, tam ſecundum Latinos, quàm ſecundum Græcos, Origines, incrementa, & miniſteria; quanta fuerit authoritas, qua ratione variis ſeculis variata eſt, aucta, imminuta, & immutata.

Denique Lectorem in cujus manus hoc opus inciderit tituli meminerit, monemus: Exercitationes videlicet nos ſcribere, non deciſiones; adumbrationes delineare, non rei expreſſiones jactare; inſtructiones ad litigioſarum de ordinationibus quæſtionum dijudicationem ſuppeditare, nihil decretorio judicio ſtatuere. Sapientis cujuſdam vulgo fertur apophtegma, Exercitationem omnia poſſe. Verùm mediocritatis, & tenuitatis ingenii noſtri conſcii hoc nobis non arrogamus. Tanta cordi non ineſt confidentia. Quapropter ſi legenti offendiculum aliquod occurrat, illud aut removeat, aut benignè excuſet, deprecamur; de eo non ex verbis, ſed ex mente, & conſilio noſtro ſententiam ferens. Conſilium nobis fuit illi prodeſſe, non obeſſe; illum adjuvare, non in errorem inducere; Traditionem antiquam cum recentiore & hodierna conferre, & utramque ex mutuo lumine illuſtrare. Si forte caligine aliqua offuſa eſt, eam priſtino nitori & ſplendori reſtituere: Si aliquo ſitu obducta, eum detergere. In hoc conatu, ſiquando nos cæcutire & labi deprehendat, quod ſæpe nobis contigiſſe non inviti credimus, porrecta manu benigne nos erigat, averſos in rectam viam reducat. Nam, ut ſcribit S. Dionyſius ad Demophilum, διδάσκεσθαι δὲ τιμωρεῖσθαι χρὴ τοὺς ἀγνοοῦντας, ὥσπερ οὐ τοὺς τυφλοὺς δὲ κολάζομεν, ἀλλὰ καὶ χειραγωγοῦμεν. *Ignorantes docendi ſunt, non puniendi; quemadmodum cæcos non punimus; ſed manu ducimus.* Quidquid de Lectoris erga nos modeſtia contingat, hoc opus noſtrum, & quæcunque hactenus ſcripſimus, aut in poſterum Deo dante ſcripturi ſumus, Apoſtolicæ Sedi, corrigenda, expungenda, eradenda, aut penitus delenda toto affectu ſubjicimus. Animo enim fixum, & immotum ſedet, nihil unquam privatim aut publice ſcribere, quantum memoria & ſtudio recolere, aut mente prævidere potero, quod Eccleſia Romana olim improbaverit, aut aliquando improbatura ſit.

PERMISSIO R. P. GENERALIS.

FRANCISCUS BOURGOING Presbyter Præpositus Generalis Congregationis Oratorii JESU CHRISTI Domini Nostri, Juxta Regium diploma datum 14. Julii 1642. quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ejusdem Congregationis imprimant aut venales exponant citra nostram licentiam, Permittimus GASPARO METVRAS Parisiensi Bibliopolæ, ut librum qui inscribitur, *Commentarius de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus, secundum antiquos & recentiores Latinos, Græcos, Syros, & Babylonios*, Authore IOANNE MORINO, Congregationis Oratorii Domini Nostri Jesu Christi Presbytero, imprimere ac liberè divendere possit. Datum Parisiis pridie Non. Augusti 1655. FRANC. BOURGOING.

APPROBATIO OPERIS.

NOs subsignati Doctores Theologi Sacræ Facultatis Parisiensis legimus *Commentarium de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus* JOANNIS MORINI Congregationis Oratorii Presbyteri. Opus polymitum & ocellatum contextum erudita manu Theologi, Philologi, antiquarii, & Scholastici, & quem variæ lucubrationes dudum publico commendarunt. Majestatem totius operis & argumentum perpetuum prior in fronte libri pagina explicat, cæteræ exequuntur. Ritus Sacros & ceremonias veteris & novæ Romæ, & primarum sedium inter se confert & annotat, & in tanta rituum diversitate fidem eandem & illibatam. Hinc porro enatas quæstiones maximæ operæ, ex variante disciplina Religionis & praxi, cote subtili disputatricis Theologiæ agitat & explanat. Totum opus in maximum Ecclesiæ decus cessurum judicamus, testati nil in eo contineri quod fidei Catholicæ adversetur. Datum Parisiis die 18. Febr. an. 1655. CHASTELLAIN. CHAPELAS, Curatus S. Jacobi.

COMMENTARIUM de Sacris Ordinationibus Authore JOANNE MORINO Blesensi, ex Congregatione Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbytero legi non minore cum fructu quam voluptate. Opus est summæ plenum eruditionis, & studiosæ Ecclesiasticorum rituum perscrutationis, in quo non probabiliter tantum, quod unicum pollicitus erat, sed certius accurata doctrinæ & disquisitionis indagine multa persuadet quæ circa inaugurationem Ministrorum Sacrorum huc usque agitata sunt. Leget & quivis alius sine ullo erroris periculo. Ita censui Academiæ Parisiensis Doctor Theologus, Prid. Non. Aug. anno 1655. & subscripsi.

MARGARITUS GAUQUELIN.

LEMMATUM
UNIUSCUJUSQUE PARTIS HUJUS OPERIS
INDEX.

PARS PRIMA.

Enarrat cauſas ſchiſmatis Græcorum, ſimulque demonſtrat hoc ſchiſma non impediiſſe, quin Concilia generalia, ſummique Pontifices continuis à ſchiſmate in hunc uſque diem decretis Græcas ordinationes approbaverint, & ab Adverſariorum calumniis vindicaverint.

CAP. I. *Quo rerum quas author in toto opere tractaturus eſt, ordo & diſpoſitio explicantur; & talis ordinis & diſpoſitionis rationes redduntur.* pag. 1

CAP. II. *De cauſis & inſolentia ſchiſmatis inter Græcos & Latinos exorti. Licet Græci privatim, atque etiam Latini quidam, ſeſe metuo ut Hæreticos proſciderint, Græci tamen nullo decreto communi judicarunt Latinos iterum ordinandos, aut cum eorum ſacrificiis non eſſe communicandum. Pontifices nullo unquam tempore Græcorum ordinationes improbarunt.* 2

CAP. III. *Pontifices, Leo IX. Cæleſtinus III. Innocentius III. Concilium Lateran. IV. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius X. Concilium Lugdunenſe II. non modo Græcas ordinationes probarunt, ſed Græcos cum omnibus ritibus ſuis Eccleſiaſticis in Eccleſiam admiſerunt. Prohibuit Cæleſtinus rituum commixtionem, poſtea tamen tolerata eſt; iterumque prohibita. Græcorum in Latinos furor. Variæ controverſiæ inter Græcos & Latinos in Cypro ortæ ab Alexandro IV. componuntur. Imperatori Græco ſubditi quare Romæi dicti. Syri Græcum ritum ſequuntur. In Concilio Lugdunenſi tria præſertim capita inter Græcos & Latinos compoſitæ ſunt. Nunquam de ordinationibus controverſia.* 4

CAP. IV. *In Concilio Florentino annum integrum in doctrinam & ritus Græcorum, & in minima quæque inquiſitum, de Ordinatione tamen nulla lis mota. Bullæ Leonis X. & Clementis VII. quibus Græcorum Sacerdotium & ritus probantur, quidquid ad eorum firmam conſervationem deſiderari poteſt, conceditur. Græci in diœceſi Latinorum habitantes viſitationi Ordinariorum ſubditi. Clementis VIII. decretum de Epiſcopo Græco Romæ habendo qui Græco ritu ordinet. Græci Presbyteri in caſu neceſſitatis Latinos abſolvunt. Clemens VIII. Ruthenos Græcos cum ritibus ſuis in Eccleſiam admiſit, nec ullum eſt illis de ordinatione ſua factum negotium. Paulus V. turbantes Græcos in ritibus ſuis compeſcuit. Urbanus VIII. juſſit quoque Romæ Epiſcopum Græcum ſumptibus publicis ali, qui Italogræcos ritu Græco ordinaret.* 9

PARS SECUNDA.

ORDINATIONUM RITUALES, GRÆCOS, LATINOS, SYROS, Copticos, ex antiquis codicibus erutos, & in eos adnotata quædam; nonnulloſque Authores Antiquos hactenus ineditos complectitur.

Præfatio generalis in ſequens formularum ſacræ Ordinationis ſyſtema. 15

GRÆCORUM ORDINATIONES.

Sacræ Ordinationes ſecundum Clementis Romani Apoſtolorum diſcipuli traditionem. 17

Præfatio in ritus Ordinationum à S. Dionyſio traditos, cujus ſex ſunt capita, quibus de iſto Dionyſio & ejus operibus diſſeritur. 23

Ordinationum S. Dionyſii textus incipit. 43

Sacrarum Ordinationum ritus Græcus ex antiquiſſimo octingentorum annorum codice Barberino literis majoribus & uncialibus integrè ſcripto decerptus. 52

Ordinationum ritus Græcus ex antiquiſſimo ſeptingentorum prope annorum codice Monaſterii Cryptæ Ferratæ in Latio decerptus. 60

Ordinationum ritus Græcus ex codice Bibliothecæ regiæ ante annos trecentos ſcripto decerptus. 67

Ordinationum ritus ex antiquo codice Græco Bibliothecæ Clericorum regularium S. Andreæ Vallensis in urbe descriptus. 74
Ordinationum ritus Græcus ex duobus antiquis Bibliothecæ Vaticanæ manuscriptis. 78
Ex posteriore codice Vaticano. 82
Ordinationum ritus Græcus ex Euchologio manuscripto, sed recentiore. 85
Notulæ in quosdam codices præcedentes. 103
Symeonis Thessalonicensis Archiepiscopi liber de sacris Ordinationibus ex Bibliotheca Vaticana. 104
Præfatio in formulam Electionis Patriarchæ Constantinopolitani. 155
De Electione & Consecratione Patriarchæ, CP. ex Codino Curopalate. 158
Ritus Electionis Patriarchæ CP. à Turcarum Imperatore observatus. 161
Gabrielis Philadelphiæ Metropolitæ de Sacerdotii Sacramento libellus. 163
Explicatio officiorum sanctæ & magnæ Ecclesiæ ex Bibliotheca Archiepiscopi Tolosani. 168
Adnotationes in sacras Græcorum Ordinationes, quibus multæ ceremoniæ, vestes Sacerdotales, & dignitates Ecclesiasticæ Orientalium propriæ radicitus excutiuntur, & explicantur, textus Græcus plurimis locis emendatur, & restituitur, &c. 173

LATINORUM ORDINATIONES.

Præfatio in rituales Latinos sacrarum Ordinationum, qua Authoris scopus in Ritualium istorum inquisitione & editione explicatur. 209
Ritus Ordinationum ex Concilio Carthaginensi quarto depromptus. 210
Ritus Ordinationum ex antiquissimo & venerando undecim seculorum codice decerptus. 212
Ritus Ordinationum ex codice nongentorum annorum ætatem superante decerptus. 217
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Corbeiensi codice octingentorum annorum ætatem longè superante. 219
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ codice. 223
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Corbeiensis Monasterii codice. 226
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Rothomagensis Ecclesiæ annorum saltem octingentorum codice Anglicano. 230
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Rhemensis Ecclesiæ annorum octingentorum codice descriptus. 236
Ritus Ordinationum ex antiquissimo Senonensi codice decerptus. 239
Ritus Ordinationum ex manuscripto annorum prope septingentorum codice Bibliothecæ S. Germani in Suburbio Parisiensi. 243
Ritus Ordinationum ex antiquo octingentorum annorum codice Bibliothecæ Thuanæ. 252
Ritus Ordinationum ex codice annorum septingentorum Bibliothecæ Abbatis Constantini Caëtani. 257
Ritus antiquus Electionis, Examinis, & Ordinationis Episcopalis ex Bibliotheca Archiepiscopi Tolosani. 268
Ritus Ordinationum ex duobus codicibus Bellovacensibus, quorum unus est sexcentorum & quinquaginta annorum, alter paulò posterior. 269
Ritus Ordinationum ex codice annorum circiter quingentorum Bibliothecæ Victorinæ. p. 271
Excerpta quædam ex duobus codicibus ante annos quinquaginta supra quadringentos scriptis quæ ad sacras ordinationes spectant. 277
Electa quædam miscellanea sacras Ordinationes spectantia, de variis Pontificalibus, sive sanctorum officiorum Ordinibus, abhinc annos quadringentos scriptis decerpta. 280
Præfatio in duos Auxilii libellos de Ordinationibus à Formoso Papa factis. 282
Auxilii de Ordinationibus Formosi Papæ. Lib. I. 285
Auxilii de Ordinationibus Formosi Papæ. Lib. II. qui infensor, & defensor dicitur. 294

SYRORUM ORDINATIONES.

Præfatio in ritum Ordinationis Maroniticum in qua de origine gentis, ejus doctrina & moribus Ecclesiasticis, antiquis, & recentioribus, perfectaque cum Ecclesia Romana unione disseritur. p. 310
Ritus Ordinationum Syrorum Maronitarum ex antiquo Orientis codice descriptus. p. 314
Præfatio in ritum Ordinationis Nestorianum, in qua de istius hæresis dissemination per Syriam, Assyriam, Persidem, Indiam, Tartariam, de magno Rege Joanne Presbytero Nestoriano, regni illius amplitudine, extinctione, & reliquiis, de Armenis an sint Nestoriani, deque Nestorianorum & Armenorum cum Ecclesia Romana reconciliatione sæpius inita disseritur. p. 364
Ritus Ordinationum Syrorum Nestorianorum ex antiquissimis Orientis codicibus Bibliothecæ Vaticanæ exscripti. p. 370
Præfatio in ritum Ordinationum Jacobitarum, & Eutychianorum, in qua de Jacobo à quo nomen ducunt, de istius hæresis per Ægyptum & utramque Æthiopiam propagatione, de Rege Æthiopum, seu Abyssinorum, & Alexandrino Patriarcha cui subsunt Æthiopes. Quando & quare in Ægypto desiit secreta confessio, quæ apud Æthiopes maximè viget. De variis eorum cum Ecclesia Romana reconciliationibus. p. 402
Ritus Ordinationum Syrorum Jacobitarum, & Eu-

INDEX.

Eutychianorum, ex antiquiſſimis codicibus excerpti. p. 406

Indiarum Ritus Ordinationum Cophtorum, ſeu Ægyptiorum. p. 442

PARS TERTIA.

Varias Exercitationes continet in quibus quæcumque à Scholaſticis de Sacramento Ordinationis diſputari ſolent, ſecundum antiquos Patres, & Rituales omnium gentium probabiliter ſuadentur: Et antiqua Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali convenientia docetur; & quando, quave occaſione aliquid novum in antiquum ritum inductum eſt, adnotatur.

EXERCITATIO I.

De variis Conciliationibus Græcarum Ordinationum cum Latinis, deque Origine explicationis ſubſtantiæ Sacramentorum per materias & formas, Ordiniſque & χειροτονίας ſignificatis.

CAP. I. *Ex comparatione antiquorum Ritualium Latinorum cum Græcis non colligitur in materia Ordinum aliquid eſſe immutandum. Regula colligendi materias & formas ordinum, ex utriſque Ritualibus. Antiqui ſcholaſtici Græcarum ordinationum ignari. Decepti ſunt in forma baptiſmi Græci, verecundè tamen & modeſte de ea pronuntiarunt: Cognita Græcorum praxi eam probarunt, & ſecundum eam ſententiam ſuam temperarunt. Variæ Græcarum ordinationum cum Latinis conciliationes à recentioribus Scholaſticis inventæ recenſentur. Pauci quidam & obſcuri Scholaſtici Græcorum baptiſmum improbarunt. Vaſta admodum quorumdam conciliandi ratio explicatur: Aliæ enarrantur ex quibus idem planè conſequitur. Ritualia ordinum Græca & Latina inter ſe non pugnant, ſed pronuntiata ſcholaſtica cum Ritualibus Græcis. Pontificale Romanum hodiernum omnia continet quæ antiqua, ſed antiqua non omnia continent quæ hodiernum.* p. 3

CAP. II. *Varia* χειροτονίας *apud Græcos, & Ordinis apud Latinos ſignificatio diſcutitur. Quid propriè* χειροτονία *Græcis Chriſtianis. Hæc dictio vix in novo Teſtamento occurrit, in Ritualibus Græcis perpetua. Aliquando* χειροθεσία *idem. Ea noluit uti S. Dionyſius, ut nec aliis vulgaribus vocabulis. Rariſſimè electionem ſignificat. Ordo definitur, & ipſius poteſtas dividitur. Ordinum numerus varius. Ordines majores, minores, ſacri, non ſacri.* p. 10

CAP. III. *Qua occaſione & quando cœptum eſt Sacramenta explicare per materias & formas. Quas formas Magiſter, & Hugo à S. Victore, & alii intelligunt, quum eas in Sacramentis aſſerunt. Quam diſparem materiam ab hodierna enarrent. Quis primus diſertè hanc methodum in Sacramenta invexit. In Orientem tandem cum approbatione penetravit. Materiæ & formæ in Sacramentis, Metaphyſicæ & Logicæ intelligendæ ſunt, per analogiam ad Phyſicas ſic dictæ. Quid ſit materia & forma Phyſica, & quomodo concipiatur. Ante hanc Doctrinæ methodum qua ratione explicabatur ſubſtantia Sacramentorum.* p. 12

EXERCITATIO II.

De Epiſcopatus materia & forma ſecundum Græcos & Latinos.

CAP. I. *An Euangelii ſuper caput conſecrandi impoſitio ſit materia Epiſcopatus. Latini & Græci in materia Epiſcopatus conveniunt. Euangelium ponitur ſupra caput Epiſcopi juxta Græcos & Latinos. A traditione demonſtratur iſtam impoſitionem non eſſe Epiſcopatus materiam. Plurimi eum ritum omiſerunt. In impoſitione Euangelii triplex varietas obſervatur.* 15

CAP. II. *De forma Epiſcopatus diſſeritur: Non eſſe imperativam: Quando, & qua de cauſa additum ritui, Accipe Spiritum ſanctum: Nec contradicit Concilium Trid. Traditio Euangelii Epiſcopo facta poſt Ordinationem recens eſt.* 17

CAP. III. *Formam Epiſcopatus apud Græcos ab Arcudio, aliiſque aſſignatam, eſſe tantùm decreti de electione facti promulgationem. Eadem eſt mutato nomine in Presbytero & Diacono. In Epiſcopo variatur pro Conſecrantis dignitate. Mos Græcorum de rebus divinis loquentium, omnia ad Deum, nihil ad ſe referre. Quid propriè ſignificet* προχειρίζεσθαι. *Decretum iſtud in primo Ordinationis principio pronuntiatur. Poſt pronuntiationem ſemper vocatur ad finem uſque precum, Ordinandus. Idem decretum & ſolemnius, ab antiquis Latinis Ordinantibus ter pronuntiabatur. Hujus moris veſtigia nunc ſuperſunt.* 19

CAP. IV. *Idem decretum eſſe electivum ex S. Dionyſio & illius interpretibus Græcis probatur. Quid Dionyſio* ἀναγωγεύς, *& quando in Ordinatione fit. Ex Symeone Theſſalonicenſi objectio ſolvitur. Eadem ipſius in hac cauſa quæ Canoniſtarum ſententia. Quare in Subdiaconis & Lectoribus creandis non pronuntiatur*

tiatur hoc decretum. Non semper usos hoc decreto Græcos. Ad hoc decretum alluserunt Chrysostomus & Nazianzenus. Syri ut Græci, hoc decreto electivo utuntur, etiam in Subdiaconis Ordinandis, non in Lectoribus. 22

EXERCITATIO III.

De Episcopatus à Presbyteratu distinctione, Episcopi consecrandi necessitate, ejusque in Presbyteros & universos Clericos authoritate.

CAP. I. *De distinctione Episcopatus à Presbyteratu quatuor Scholasticorum sententiæ enarrantur. De Charactere Variæ Scholasticorum sententiæ. Multi eorum sentiunt à Patribus testimonium non habere. Ejus disertam mentionem non faciunt recentiores Patres, nedum antiquiores, sed postmodum duo Concilia generalia rem dubiam definierunt. Episcopatus nihil intrinsecum addit Presbyteratui, sed tantùm denominationem extrinsecam. Entitas moralis, & relationes, licet fundamento suo nihil reale addant, sunt plerumque efficacissimæ.* 25

CAP. II. *Quænam Scholasticarum sententiarum ad Patrum sententiam proximè accedat. Sententia sancti Hieronymi de differentia Episcopi à Presbytero erat in illo tempore in Ecclesia communis, & à posteris ad Scholasticos usque disertè & repetitis verbis ipsius asserta, & prædicata. Alexandriæ Presbyter electus Patriarcha, non consecrabatur. Qua alia actione inaugurabatur. Episcopi & Presbyteri una Ordinatio.* 29

CAP. III. *Tres sententiæ enarrantur de Primatu Episcoporum in Presbyteros. Episcopos jure divino esse Presbyteris superiores, nondum ut de fide ab Ecclesia definitum. Probatur tamen ex scriptura, ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis, & exemplis, atque ex antiqua Ordinatione Episcopi. Verba S. Hieronymi explicantur. Demonstratur non simul & semel, sed paulatim Apostolos præcepta divina quæ politiam spectabant, executos esse. Apostoli & 72. discipuli ante multiplicatum Euangelium soli munere Episcopali fungebantur. Progressus Euangelicæ prædicationis describitur. Probatur ante illud initium quod ponit S. Hieronymus ipso teste creatos ab Apostolis Episcopos. S. Hieronymus in æstu contentionis indulgere solet exaggerationibus Rhetoricis. Exaggerationis hoc in loco occasio.* 34

EXERCITATIO IV.

De Chorepiscopis, eorum Origine, Officiis, & duratione.

CAP. I. *De Chorepiscoporum nomine, origine, institutione, & progressu tam in Oriente, quàm Occidente. Epistolæ S. Damasi de Chorepiscopis spuriæ, una quoque S. Leoni tributa. Quando suppositæ fefellerunt multa Concilia Gallica. In Africa nulli commemorantur Chorepiscopi. In Gallia & Germania ab annis nongentis frequentes. Quæ fuerit Chorepiscopos instituendi occasio. Chorepiscoporum officia & munia latè describuntur.* 40

CAP. II. *Chorepiscopos de quibus canones & antiqua Ecclesiæ monumenta tam sæpe loquuntur, non fuisse Episcopos demonstratur. Chorepiscopis in præsentia vrbicorum Presbyterorum licet offerre. A duobus tantùm Episcopis ordinati non judicantur Episcopi, sed ordinantes & ordinatus puniuntur. Ab uno Episcopo, & eo cui subjectus est, canones jubent Chorepiscopum ordinari. Episcopi depositi, aut ab Hæresi conversi Chorepiscopatu misericorditer aliquando donantur. Presbyter ab uno Episcopo ordinari non potest in Episcopum, nisi in extrema necessitate. In Oriente Chorepiscopi peculiari ritu ordinabantur, non in Occidente.* 44

CAP. III. *Recensentur multi authores antiqui & recentiores, qui docuerunt simplicem Presbyterum delegatione Pontificis posse Diaconos & Presbyteros Ordinare. Longè plures id de Diaconatu concedunt. De 4. Minoribus & Subdiaconatu prope omnes. Istarum sententiarum fundamenta explicantur.* 48

CAP. IV. *Sententiam præcedentem multis S. Patrum Canonibus & dictis videri conformem. Demonstratur antiquos Canones & authores hanc authoritatem Chorepiscopis delegasse, modo id agerent consentiente loci Episcopo. In rebus Eccles. quæ fiunt extra Ordinem non est facile à pari aut simili argumentandum. Hujus rei ex Patribus ratio. Episcopi aliquando, sed rarò, Chorepiscopi vices agunt. Ideo canones de Chorepiscopis lati de iis per accidens intelliguntur. Balsamonis glossa ineptiæ redarguitur. Canon Ancyr. ambiguus examinatur, & emendatur.* 50

CAP. V. *Eadem Chorepiscoporum potestas aliis antiquorum testimoniis probatur. Variæ causæ recensentur ob quas Chorepiscopi contra Pontificum & Conciliorum de iis delendis decreta conservati sunt. Objectio ex S. Chrysostomo & Hieronymo dissolvitur. Chorepisco-*

pi aliquando ſub nomine Epiſcoporum intelliguntur. S. Hieronymi dictum prima fronte videtur temere & ignoranter prolatum, ut pote contra ſeipſum, Occidentis canones, & praxim. Diſcrimen enarratur poteſtatis propriæ & delegatæ. Chorepiſcopalis poteſtas non eſt abſolutè delegata. Doctores Canoniſtæ celebres aſſerunt Papam leges novas ferre poſſe quarum contemptus impediet Sacramenta characterem imprimere. 53

CAP. VI. *Quando, & qua occaſione Chorepiſcopi deſierunt in Oriente & Occidente. Sublato nomine & privilegiis Epiſcopalibus ſucceſſerunt iis in Occidente Archipresbyteri, ſive Archidiaconi, & Decani rurales; in Oriente Exarchi: Verùm in Patriarchatu Alexandrino Chorepiſcopi Epiſcopos extinxerunt.* 57

EXERCITATIO V.

De Sacrarum Ordinationum iteratione, variiſque difficultatibus, quæ aliquot ſeculis Eccleſiam hac in cauſa vexaverunt.

CAP. I. *Variæ antiquorum Scholaſticorum de iteratione Ordinationum ſententiæ enarrantur, Lombardi, Petri Pictavienſis, Hugonis à S. Victore, Roberti Pulli Cardinalis, Roberti de Flamesburg, Hugonis Canoniſtæ, Guilelmi Pariſienſis, S. Raymundi, &c. Quæſtio hæc nonnullis judicatur difficilis, inſolubilis. Lucius III. Papa cum conſenſu Cardinalium ordinationes Schiſmaticorum iterare promittit. Quandiu ea ſententiarum varietas in Eccleſia viguit.* 58

CAP. II. *Eadem difficultas, An Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, Degradatis, factæ eſſent iterandæ, Patres plurimùm anxios habuit. Urbanus II. in hoc dubio iterum ordinavit. Quædam Synodi idem fecerunt. Tempore Petri Damiani obſcura admodum inter Catholicos, & litigioſa quæſtio. Plurimi Simoniacè Ordinatos à Simoniaco iterum ordinabant. Ipſe tamen hoc negat faciendum. Leo IX. omnes Simoniacorum ordinationes irritas declaravit; poſtea decretum ad Simoniacè Ordinatos reſtrinxit. Gravius Nicolai II. decretum. Tantæ anxietatis cauſa inquiritur apud Damianum. Multi aſſerebant à Simoniaco ordinatum nihil à Laïco differre. Nonnullos à Simoniacis ordinatos Leo IX. iterum ordinavit. Aſſeruit Damianus non Hæreticorum baptiſmum, ſed ordinationem iterandam.* 62

CAP. III. *In quo agitur de Formoſi Papæ Ordinationibus publicè iteratis. De ſcriptis Auxilii Formoſo coætanei ineditis. Quibus de cauſis Formoſi Ordinationes iteratæ. Ipſius electio non omnino innocens. Ioannes IX. Formoſi Ordinationes ratas habet. Sergius verò III. iterum irritas & iterandas. Quæſtio erat inter eos de facto, non de jure.* 67

CAP. IV. *Ebbonis Archiepiſcopi Rhemenſis Ordinationes poſt depoſitionem factas ab Hincmaro eſſe iteratas: Concilium Sueſſionenſe iterationem approbaſſe. Nicolaus I. Concilium improbavit; ſed de facto an Ebbo legitimè reſtitutus fuiſſet, agebatur. Ea quæſtio quæ annis 27. Galliam afflixerat, ab Adriano II. ſopita, magis quàm ſoluta. Ordinationes à Depoſito factæ erant irritæ: ſed Depoſitus reconciliandus, non ordinandus.* 69

CAP. V. *Conſtantini Papæ Laïci contra canones electi, & ordinati conſecratio, depoſitio, & ab ipſo Ordinatorum reordinatio enarrantur.* 71

CAP. VI. *Photius Patriarcha depoſitus, judicatus eſt nec Epiſcopus eſſe, nec Presbyter, & ipſius Ordinationes repetitæ ſunt, Eccleſiæ & altaria reconſecrata. Ordinati à Photio cum verè ordinatis ſed depoſitis comparati: verba Patrum de utriſque examinantur. Chriſmationem Photii iterarunt Legati Pontificis; ita ipſe Ignatii. Photius Laïcus in eo nullum Sacerdotii veſtigium. Quare nunquam fuit Epiſcopus. Nicolai I. verba quibus deſcribit ejus ordinationem, perpenduntur. Status quæſtionis in controverſia Photii. Comparatio cum eo modo loquendi S. Auguſtini quo ſignificat ratum eſſe baptiſmum Hæreticorum, & non repetendum. Photius nunquam fuit Epiſcopus, nec ab eo ordinati. A depoſito ordinati nothi ſunt, non filii. Maximus Cynicus per Simoniam ordinatus, nec eſt, nec putari debet Epiſcopus; ita Photius.* 73

CAP. VII. *Varia teſtimonia eandem ordinationum iterationem probantia referuntur. Hæretici nomen quo ſenſu ſumatur can. Apoſt. 68. Illegitimè ordinatus declaratur nec eſſe, nec fuiſſe Epiſcopus. Locus Juſtini Martyris difficilis illuſtratur. Eccleſiæ ab Hæreticis conſecratæ iterum conſecrantur, ita ordinationes Clericorum Hæreticorum ſolent iterari. Solus baptiſmus apud Hæreticos ratus. Bonoſiaci aliquando vocati Photiniani. Ordinationes Hæreticorum inanes, &c. eſſe aſſerit Innocentius, aut nimius eſt exaggerator. Propter revocandos fratres licet Hæreticos ſuſcipere, ordines quos apud eos habent iterando. Manus impoſitio can. 8. Nicæno ſignificat ordinationem.* 76

CAP. VIII. *Quo tria axiomata explicantur, quæ in tanto opinionum conflictu neceſſario tenenda & credenda ſunt. Difficultas deſcribitur. Apoſtolica traditio eſt Ordinationem Catholicam legitimè factam nunquam eſſe repeten-*

tendam. Ab annis quadringentis concors sententia Hæreticorum, &c. Ordinationes secundum Ecclesiæ formam factas, quoad substantiam validas esse, & non iterandas. Viri docti sententia privata quanti facienda in Scholis. 80

CAP. IX. *Variis distinctionibus præcedentium difficultatum conciliatio tentatur. Ordinatio contra canones Ecclesiasticos facta judicatur irrita & nulla quandiu canones vigent; ut & matrimonium & Absolutio. Variis exemplis hoc axioma confirmatur, & illustratur. Pontificum inter se hac in causa dissensiones in facto non in jure fediſſe. Hos Canones Ecclesiam minuere, ampliare, abrogare posse. Id à simili confirmatur. Characteris virtus ab Ecclesia suspendi potest, ita ut si velit agere, nihil producat. Legitimè in Ecclesia ordinatus, si deponatur, aut Hæreticus postea factus resipiscat, iterum non ordinatur, sed tantùm reconciliatur. Quarta Scholastic. sententia difficultates omnes facile solvit. Possunt Pontifices agere, & dispensare ex probabili opinione. Opinionum varietas tandem ab Ecclesia definiri potest. Sacramentum dubium sive in jure, sive in facto reperitur. Canones antiquitus difficillimè solvebantur.* 82

CAP. X. *Qua ratione antiquitus recepti sunt Clerici tam apud Græcos quàm Latinos in Catholica ordinati, sed ad Hæreticos transfugæ, cum resipiscentes ad Ecclesiam revertebantur. Annis 350. nullum exemplum eos cum ordinibus suis receptos. Exemplis in contrarium respondetur. Qui primi ita recepti dicuntur, non fuerant ex animo Hæretici. Indulgentia paulatim ab ipsis Conciliis in Hæreticos numerosos postea exorientes prorogata est. Causæ prorogationis explicantur. Nonnullorum ordinatio judicari posset Hæretica, quæ tamen est Catholica.* 87

CAP. XI. *Qua ratione Clerici Hæretici extra Ecclesiam ordinati resipiscentes ad Ecclesiam admittebantur. Varietas admissionis ab Ecclesiæ decreto & dispensatione pendet. Dispensatio aliquando facta est nascente hæresi, aliquando longè post. Ecclesiæ consuetudine Privilegium uni hæresi factum non licet ad alias extendere. Nullæ formulæ admissionis apud Græcos ordinationum mentionem faciunt. Quod initio hæreseos jussum fuerat Clericos Hæreticos cum suis ordinibus recipere, Orientales postea mutarunt, & ordinationes iterarunt.* 90

CAP. XII. *Qua ratione Clerici Schismatici resipiscentes in Ecclesiam admittantur. Schismatici duplices, & de iis variè pronuntiandum. S. Basilii sententia difficilis, sed in ea maximè eminet Ecclesiæ autoritas in administratione Sacramentorum. Videtur insinuare effectum Sacramentalem retroagi. Sæpe Patres ajunt Deum Ecclesiæ Decretis extraordinariè cooperari. S. Basilius Hæreticos strictè sumit, Schismaticos largè. In can. 8. Nicæno manus impositio sumenda pro ordinatione: Ita quoque intellexerunt Theophilus Patriarcha, S. Basilius, & Innocentius I. Receptio Hæreticorum per manus impositionem Græcis insolita. Meletianos Clericos iterum ordinari voluit Concilium Nicænum. Quare eorum ordinationes licet in Ecclesia factæ pronuntiantur irritæ. Donatistis ab initio schismatis Ordinum indulgentia facta; licet à Schismaticis ordinati forent. Donatus damnatus quod rebaptizasset, & Ordinationem Catholicam iteràsset.* 92

EXERCITATIO VI.

De Episcoporum, & Presbyterorum unctione.

CAP. I. *Nec Presbyterorum, nec Episcoporum unctio apud Græcos unquam fuit in usu. Nullum hujus ritus apud eos vestigium, nec in autoribus, nec in Euchologiis. Si Græcus autor aliquis de unctione materiali quid videtur dixisse, facilè de spirituali explicatur.* 97

CAP. II. *Unctio Episcopalis antiquior est Presbyterali: utraque unctio in Gallia est antiquissima, eamque testantur antiquissimi Rituales. Si in Africa & Hispania recepta est, id serius contigit. Episcopalis unctio Romæ antiquior Leone primo. Unctio Presbyteri Romæ non erat in usu tempore Nicolai primi, nec antiqui rituales duo eam exhibent. Alibi tamen, tum, & antea viguisse ex antiquis monumentis demonstratur. Ex verbis Nicolai I. nihil contra unctionem Episcopalem colligi potest. Varietas olim magna fuit in unctione adhibita. Ex Anacleti Epistola Verticis Episcopalis unctio tantùm colligitur. Pacianus & Optatus qui unctionem probare videntur, explicantur.* 98.

EXERCITATIO VII.

De Presbyteratus materia & forma:

CAP. I. *Solam manuum impositionem Presbyteratus esse materiam. Sacerdotium characterem imprimere principium fidei. Quinque de Sacerdotii materia sententiæ enarrantur. In Presbyteri ordinatione triplex manus impositio, & quæ censenda Ordini substantialis. Traditionem instrumentorum Græci autores & rituales ignorarunt. Idem tribus exemplis demonstratur. Antiqui autores & rituales Latini eorum similiter non meminerunt. Ex Con-*

INDEX.

Conciliorum canonibus idem evincitur. Quando primùm instrumentorum additio ritui facta est. Varietas in ista traditione observata enarratur. 102

CAP. II. *Quæ manuum impositio sit Presbyteratui substantialis. Quando cœpit, & cum qua varietate manuum impositio, & ejus formula quæ hodie ritum sint. Nec antiqui rituales, nec antiqui autores, qui quingentos annos antecesserunt, illius meminerunt. Idem demonstratur ex nonnullis canonibus, & Concilio Tridentino. Objectioni ex antiquo monumento occurritur.* 106

CAP. III. *Confutatio illius opinionis quæ manuum impositionem interpretatur instrumentorum porrectionem ab Episcopo factam. Sententiæ istius absurditas explicatur. Quid Patribus manus impositio. Ceremonia ista à Judæis derivata, ad plures effectus usurpatur. Tria Sacramenta dicuntur manus impositio. Sed Ordines majores potissimum per manus impositionem dari innumeris testimoniis probatur* 109

CAP. IV. *De manus impositione qua secundum Judæos Rabbini creantur. Quomodo eam usurpent, & de ea philosophentur. Omnes eorum historici qui Hebraicè scripserunt, sunt recentissimi. Monstrosa Judæorum in gestis nationis suæ ignorantia. Nulla historiæ insulsitas & fatuitas tam horrida esse potest, quin statim ad eam probandam præsto non sit illis aliquod Scripturæ sacræ testimonium..* 111

CAP. V. *Presbyteratus formam nec inesse in verbis quæ proferentur in instrumentorum traditione, nec in verbis istis, Accipe Spiritum sanctum, &c. possent tamen ex Ecclesiæ præcepto formæ vicem tenere. Concilii Trident. canonem demonstratur non esse huic sententiæ contrarium. Ex S. Augustino & Amalario probatur antiquos dicere non solitos, Accipe Spiritum sanctum.* 117

CAP. VI. *Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem nunquam tulisse, ut ipsius Patriarcha sine Episcopis per solos Presbyteros regeret Patriarchatum suum; neque ipsum per Presbyteros aliquando consecratum fuisse, ut quidam Eutychius Patriarcha scripsisse ferunt. In paucissimis verbis multorum mendaciorum convincitur Eutychius ille. Prava textus Arabici interpretatio absurditatem auget. Ægypti variæ erant Provinciæ, sed Autoribus sacris & prophanis una dicebatur propriè Ægyptus. Ægyptus urbibus abundantissima ab uno Episcopo regi non potuit. Sanctus Athanasius ab urbe, Episcopi necessitatem colligit.* 119

EXERCITATIO VIII.

De Episcopis & Presbyteris multis simul sacrificantibus, & Eucharistia post Ordinationem Presbyteris data.

CAP. I. *Antiquitus Presbyteros multos, atque etiam Episcopos passim unam simul Missam concelebrare solitos demonstratur. Quaratione Presbyteri Latini cum ordinantur unam Missam simul & cum Episcopo celebrent, ex antiquis codicibus describitur. Referuntur Scholastici multi qui de hoc ritu variè disputant. Ritus ille apud Græcos Ordinarius, & qua ratione celebretur. Variis antiquorum Patrum, & Conciliorum Græcorum & Latinorum testimoniis probatur. Varii canones ad hanc consuetudinem alludunt. Quibus potissimum diebus hoc fiebat. Omnium Presbyterorum in Sanctuario sedes communis. Clarissimè hic ritus describitur in antiquis Ordinibus Officiorum Romanis. Hinc colligitur quid erat vera communio Ecclesiastica. Hujus antiqui ritus ignoratio Doctores multos in absurda præcipites egit.* 124

CAP. II. *De antiquo usu Hostiæ consecratæ Episcopis & Presbyteris post Ordinationem apud Latinos datæ, per 40. dies degustandæ & consumendæ. Quæ hujus ritus causa, quando cœpit, & desiit. De ritu Græcorum, qui sancti panis particulam Ordinato Presbytero tradunt, reddendam Pontifici tempore communionis. Hujus ritus ratio, varietas in illius exercitio. Quare ordinis materia esse non potest. Quando apud eos cœpit. Presbyter recens Ordinatus jubetur septem dies continuos celebrare.* 130

EXERCITATIO IX.

De Diaconatu, ejus materia, forma, & officiis.

CAP. I. *Quatuor de materia Diaconatus Theologorum sententiæ recensentur. Multis argumentis demonstratur Euangelii traditionem in ordinatione Diaconi esse recentem. Verba quibus traditur multis modis variasse. Indicatur tempus quo Romanus ordo scriptus fuit. Traditio stolæ Diacono in Occidente & Oriente antiquissima. In multis locis inferiores Ministri Euangelium legebant. Id Romæ aliquando fieri solebat. Primitus Euangelium in Missa non legebatur. Solemnis Euangelii lectio in Missa per Diaconum multis locis antiquissima. Quamobrem hoc factum. Nonnullis id fiebat per Archidiaconum.* 132

CAP. II. *De forma Diaconatus quadruplex sententia. Formam Diaconatus nullam aliam*

antiquitus fuiſſe præter Orationem. Quæ nunc in Pontificali imperativè enuntiatur, retentemeſſe. Non cohærere cum textura Orationis in cujus medio profertur. Orationes quæ in ordinationibus occurrunt, & præcipua Eccleſiæ officia à Pontificibus ante Conſtantini imperium compoſita. In quibuſdam Provinciis Presbyteri manum Diaconis cum Epiſcopo imponebant. 136

CAP. III. *De Diaconorum officiis. Diaconorum officia & munera à Levitis antiqui Patres repetere ſolent. Electio & ordinatio Diaconorum unde ſumptæ. Concilii Græcorum in Trullo ſententia improbatur. Quodnam principale Diaconi officium. Varia Diac. officia ex SS. Patribus enarrantur. Diaconi olim adminiſtrabant Euchariſtiam; poſtea hoc illis prohibitum in præſentia Presbyteri. Omnia exteriora negotia Epiſcopi per Diaconos gerere ſolebant. Ideo Diaconi dicti, aures, oculi, os, cor, & anima Epiſcopi. Cauſas Chriſtianorum cum Epiſcopis judicabant. In Concilio eorum officium. Paræciam aliquando regunt. Poſſunt eſſe Vicarii Metropolitarum. Ex tot prærogativis faſtus eorum ortus & repreſſus. Romæ & aliis locis in Occidente ſeptem tantùm ſolebant eſſe Diaconi. Antiquitus prædicatio Diaconis non permittebatur, licet Evangelium legerent. Poſtea conceſſa. Privatim & extra Eccleſiam Laicis, nedum inferioribus Clericis data occaſione Chriſtianam Religionem docere licet.* 138

EXERCITATIO X.

De Diaconiſſis, earum Ordinatione & miniſteriis ſecundum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ praxim.

CAP. I. *Ordinationi Diaconi benedictio Diaconiſſæ ſimillima. Quatuor genera mulierum enarrantur, quæ antiquitus ad caſtitatem tenebantur. Benedictio Virginis apud Latinos in tribus potiſſimum differt à benedictione Viduæ. Tertium mulierum genus apud Latinos tantùm deprehenditur. Rituales omnes antiqui Græcorum repræſentant ordinationem Diaconiſſæ. Iiſque conſentiunt Balſamon & Blaſtares. Quid μαφόριον.* 143

CAP. II. *De Diaconiſſarum ordinatione ſeu benedictione. Apoſtolus & antiquiſſimi Patres per Viduas univiras intelligunt Diaconas impoſitione manus ordinatas. Diaconiſſæ ex omni devotarum genere, & ex Laïcis eligi poterant. Diaconarum quænam ad 40 annum, quænam ad 60. ordinabantur. Diaconiſſæ ad Clerum pertinent, & ordinari dicuntur, & ut Clerici puniuntur. Frequentiſſimæ fuerunt apud Græcos. Diaconiſſas & earum ordinationem apud Latinos non infrequenter deprehendi. Quæ de Diaconiſſis dicta ſunt, autoritate Concilii Nicæni* 1. *demonſtrantur. Quid ἐξαζόμενος, quid σχῆμα in eo canone.* 145

CAP. III. *Ex antiquis Patribus varia & multiplicia recenſentur Diaconiſſarum miniſteria. Diaconiſſa Diacono erat ſubdita, non autem inferioribus Miniſtris. Quando deſierunt in Oriente, Quando in Occidente. Conciliatio multorum canonum Occidentalium qui videntur Diaconiſſas ante multa ſecula abrogaſſe. ſanctimoniales ante* 25. *annum ſecundum canones non conſecratur. Nullæ fuerunt apud Græcos mulieres πρεσβυτέδες, Presbyteræ, ſed πρεσβύδες, ſeniores.* 149

EXERCITATIO XI.

De variis quæſtionibus quæ ſecundum Latinos & Græcos communiter de Subdiaconatu & quatuor Minoribus Ordinibus diſputari poſſunt.

CAP. I. *Subdiaconatum & quatuor Minores Ordines demonſtratur non eſſe Sacramenta, eo quod antiqui autores dicunt eos non eſſe ſacros, & ab Eccleſia labente tempore eſſe inſtitutos. Deinde eo quod olim plures in quibuſdam Provinciis fuerunt, in aliis multò pauciores, nonnulli abrogati, alibi viguerunt: Nonnullorum in multis Provinciis nulla unquam memoria. Multi Scholaſtici aſſerunt Subdiaconatum non eſſe Sacramentum: Plurimi de quatuor Minoribus id negant. Non omnes Ordines inſtituti ſunt propter Miſſæ ſacrificium. Ordo Cuſtodiæ Martyrum, in quo conſiſtebat. Acolythorum apud Græcos nuſquam mentio.* 152

CAP. II. *Idem demonſtratur iis Antiquorum teſtimoniis quæ docent Diaconatum & Presbyteratum collatos omiſſis Subdiaconatu, & aliis minoribus, vel omnibus, vel aliquo, aut aliquibus eorum. Presbyteratus ad ſui collationem nullum ordinum antecedentium prærequirit, ſed ad exercitium requirit Diaconum. Acolythus aliquando pro Subdiacono ponitur. Saltus in Ordinibus antiquitus dupliciter committebatur. Confeſſoris Chriſti dignitas licet non eſſet Ordo, ſufficiens tamen erat ad Diaconatum præparatio.* 155

CAP. III. *Idem demonſtratur ex ſcopo Eccleſiæ in iis ordinibus inſtituendis, & hodierna, multorumque ſeculorum praxi. Ordines illi inſtituti, ne Tyrones, Neophyti, & imperiti Presbyterio fungerentur. A multis ſeculis offi-*

INDEX.

officia istorum Ordinum cum non ordinatis ordinaria praxi communicata sunt. Officia quorundam Ordinum ab ordinatis nunquam exercentur. Quid olim fuerit manipulus, & quare institutus. Ridiculè quæritur an Græci sint ad quatuor minores cogendi. Objectionibus respondetur. Principis qui potest impedire, tolerantia actus validitatem inducit. 158

CAP. IV. *Cum Scholastici affirmant, vel negant Subdiaconatum vel quatuor Minores esse Sacramenta, quæstionem esse potius de verbis quàm de rebus; multisque modis dici posse istos ordines juris esse divini. Unius sive totius triplicis explicatio. Antiqui Scholastici dixerunt ordinem esse totum potestativum, & inferiores Ordines esse analogicè Sacramenta. Qui ajunt totum esse universale necessariò tredecim Sacramenta facere. Quidam dicunt Sacramentalia characterem imprimere. Minores Ordines triplici ratione dicuntur juris divini, etsi non sint Sacramenta. Qua ratione jus gentium dicatur naturale.* 161

CAP. V. *Explicatur occasio varietatis antiquissimæ inter Græcos & Latinos in collatione Subdiaconatus & Minorum Ordinum. Apostoli qui majores Ordines instituerunt imitati sunt Judæos. In Minoribus Occidens imitatus Magistratuum Romanorum creationem. Qua ratione creabantur Magistratus Romani tam præsentes, quam absentes, tempore Cæsarum. Codicillis adjungebantur insignia Magistratui præferri solita. Conformitas creationis Magistratuum & collationis minorum Ordinum enarratur. Nonnullæ Ecclesiæ Occidentis minores Ordines & Subdiacon. sine instrumentorum porrectione conferebant.* 165

CAP. VI. *Antiquitus Subdiaconatum, & Minores Ordines apud Latinos non secus ac etiam nunc apud Græcos extra altare & Sanctuarium collatos fuisse. Ordines dividunt Græci in eos qui in Sanctuario, & extra Sanctuarium conferuntur. Quid Græcis Diaconicum, & porta speciosa. Ecclesiæ Græcæ brevis descriptio. Accusatus Chrysostomus quod extra altare ordinaret Presbyteros & Diaconos. Cum Diaconi & Presbyteri ordinantur, prosternuntur: Prosterni non debent Subdiaconi. Quando majores ordines, & quando minores ordines conferri debent. Quando Subdiaconatus cum Majoribus Ordinibus conferri cœpit.* 167

CAP. VII. *Explicatur triplex differentia porrectionis instrumentorum quæ fit à Græcis in quorundam Ordinum collatione, & ejus quæ fit à Latinis. Illa porrectio non semper à Græcis facta est. Imitati sunt missionem in possessionem rei venditæ aut donatæ jure Romano institutam.* 170

EXERCITATIO XII.

De Subdiaconatus materia, forma, officiis, & ei adnexis castitate, & vasorum sacrorum contactu, tam secundum Græcos quàm Latinos.

CAP. I. *De materia & forma Subdiaconatus secundum Græcos & Latinos. Multi materiam istam, & consequenter formam plurimùm extendunt. Eorum quæ in Pontificali præcipiuntur, nihil omittendum. Quidam falso principia freti multa necessaria ab ea præscindunt. Traditio Libri in Ordinatione Subdiaconi recens est Ecclesiæ institutio. Vix antecedit quadringentos annos. Verba formæ Subdiaconatus exhortatoria. Apud Græcos nihil aliud præter manuum impositionem & orationem assignari potest.* 172

CAP. II. *De Subdiaconorum officiis & muneribus secundum Latinos. Subdiaconi Sanctuarium ingrediuntur ut præbeant Diaconis quæ necessaria sunt altari. Nulla Lectio ad eos pertinet ex ordinatione sua. Rectè Nathinæis comparantur. Doctoris cujusdam Hallucinatio. Quid propriè ἠφόδιαι. è Levitis multi Cantores erant & Janitores. Nathinæi non erant Gabaonitæ. Unde Nathinæi sic dicti. Vasorum sacrorum vacuorum contactus Subdiaconis semper concessus; sed apud Græcos in magno Missæ introitu non licebat illis ea deferre. Quibusdam in locis idem contactus Acolythis concessus.* 174

CAP. III. *Christianos omnes ex antiqua & vulgata consuetudine corpus Christi tangere, secum portare, domum & peregrè ferre, & quando libebat, comedere solitos. Qua ratione hoc conciliari potest cum ea consuetudine quæ solis Subdiaconis vasa sacra tangere permisit. Id hoc tempore sibi tribuunt Monachi Græci. Qua ratione in Oriente manus componebant ad corpus Christi suscipiendum. Presbyteri & Diaconi nunc eodem modo sancta dona suscipiunt. Inferioribus Clericis & Laïcis genuflexis corpus Christi sanguine mixtum cochlearii in os infunditur. In Occidente mulieres illud linteo quem Dominicalem vocabant olim susceperunt: Consuetudo illa corporis Dominici privatim reservandi quomodo, & quando in Occidente prohibita est.* 177

CAP. IV. *De Subdiaconorum officiis secundum Græcos. Subdiaconi nomen Græcis & Latinis fere Homonymum. Græcus Subdiaconus maximè convenit cum Acolytho Latinorum. Subdiaconi portas Ecclesiæ observant: ex antiquissima consuetudine Diaconi. Quomodo hoc Subdiaconi officium ab Ostiariorum officio, ubi sunt Ostiarii distinguatur. Antiquissima Ecclesiarum divisio, & portarum si-*

tus enarratur. Edictum illud, Quicunque fideles, &c. *qua ratione Diaconis & Subdiaconis tribuatur. Nunc soli Subdiaconi hoc enuntiant.* 180

CAP. V. *Subdiaconatum longo tempore post cælibatum illi adnexum, majoribus ordinibus fuisse adscriptum. Demonstratur quo tempore prohibitum fuit Subdiaconis uxores ducere, aut ductis uti. Sensim consuetudine invalescente Subdiaconatus minoribus Ordinibus exemptus est, & majoribus adscriptus; sed apud Græcos locum retinet.* 181

EXERCITATIO XIII.

De Minoribus Ordinibus secundum Latinos.

CAP. UNIC. *Lapsu temporis materiæ & formæ Ordinum ab Ecclesia ampliata. Materiæ accessio facta non formæ. Contra regulas in Rituali præscriptas non valet ratio. Acolythatus materiæ & formæ, & applicantium varietas multiplex enarratur. Quorundam istorum ordinum officia ab ordinatis non amplius exercentur aliorum officia cum Laïcis communicantur. Antiqua disciplina describitur, in qua istorum ordinum vigebat necessitas. Octavo & nono seculo instaurata illa disciplina, & illius necessitas. Collapsa illa disciplina quæ ratione cum fœnore compensata est.* 184

EXERCITATIO XIV.

De Minoribus Ordinibus secundum Græcos, eorum materia, forma, collatione, & officiis.

CAP. I. *Demonstratur ab annis mille supra centum, nullam fuisse apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam. Imò hoc silentium extendi posse ad tempora Apostolis vicina.* 188

CAP. II. *Objectiones ex antiquorum Patrum testimoniis allatæ, dissolvuntur. Tria genera Clericorum, alii sunt in gradu, alii in ministerio; & dupliciter, vel cum manus impositione, vel sine ea. Quid esse in canone, vel ex canone. Quid* ἀρχοντικια, *Quid* διακονιαι. *Præcipua* ἀρχοντικια, *sive dignitates Diaconis delatæ, nonnullæ Presbyteris.* ἀρχοντικια μεγαλα, ἡ μικρα. *Pura ministeria quæ, & quomodo collata. Dignitates quomodo collatæ. Dignitates apud Græcos in imminensum creverunt. A primordiis Ecclesiæ cæpit illud incrementum. Janitoribus quibusdam dignitas tributa. Quid monampulum, & dibampulum. Patriarchæ CP. ignis prælatus.* 192

CAP. III. *Explicatur ex Symeone Thessalon. discrimen perfectæ & Sacramentalis Ordinationis ab imperfecta, & non Sacramentali, qua Ecclesiæ dignitates instituí solent. Tres differentiæ inter utramque enarrantur. Reduci possunt ad differentiam Scholasticam inter Sacramentum & Sacramentalia. Antiquorum Patrum inter hæc distinctiones cum Symeone consentiunt. Objectionis solutio. Varietas in imperfecta ordinatione explicatur.* 195

CAP. IV. *Quænam est tertia promotionis species à Zonara & Balsamone memorata, quæ fit per* σφραγιδα *sigillum. Quamobrem Lectorum & Cantorum propria. Multis testimoniis probatur* σφραγιδα & σφραγιζεσθαι *absolutè sumi, pro signo crucis, & cruce se signare. Tonsura Lectoris, vel Cantoris dicitur absolutè* σφραγις, & σφραγις πλατειδος, *dicitur etiam* σφραγις σταυροειδης, *sigillum cruciforme. Explicantur tria sigilla solemnia in Ordinatione Episcopi fieri solita. Explicantur quoque duo* μηνυματα, μικρον ἡ μεγα, *duæ renuntiationes Electionis Episcopi, parva & magna. Codinus* σφραγιδα *sumit* απο μηνυματος. *Quid* μηνυματα *Jurisconsultis.* 196

CAP. V. *Explicantur tres modi quibus promotiones, & collationes dignitatum apud Græcos olim fieri solebant. Quid* προεστοδοκειν, *& cui jus competebat* τω προεστοδοκειν. 200

CAP. VI. *De Lectore, & Cantore, eorumque officiis secundum Orientales. Utriusque materia & forma juxta Græcos & Syros definitur. Eorum officia enarrantur. Cantorum officium alii facilè usurpant, ipsi autem aliorum non ita facilè. Lectoratus & Cantoratus apud Græcos disparatè se habent, non subordinatè, ut apud Syros. Lectores videntur Libros veteris Testamenti, non novi, apud Syros legere. Subdiaconi & Lectores apud Maronitas & Nestorianos orarium deferunt, ut Diaconi, Subdiaconi: Lectores à Nestorianis extra Sanctuarium ordinantur.* 201

INDEX.

EXERCITATIO XV.

De Tonſura Clericali ſecundum Latinos & Græcos.

CAP. I. *Tonſuræ Clericorum & Monachorum antiquitas, & cauſæ enarrantur. Plures aliæ cauſæ teſtimoniis Patrum demonſtrantur. Tonſura comæ Latinis & Græcis Ethnicis ignominioſa. Tonſuræ figura circularis, ideo dicta corona. Quanta fuerit.* 203

CAP. II. *Clericos duplicem geſtaſſe coronam, majorem & minorem. Majore tantùm, Monachi inſigniebantur. Monachi longos capillos geſtantes improbantur. Clerici antiquitus radi prohibebantur. Solvuntur quæ contra objici poſſunt. Tonſura coronæ minoris, erat alterâ depreſſior antequam raſura eſſet in uſu. Figura Tonſuræ varia. Triplex figura in Anglia olim commemorabatur, quarum una tantùm probabatur. Quorundam Hæreticorum in Hiſpania peculiaris.* 206

CAP. III. *Tonſura ſimul cum primo Ordinum gradu antiquitus conferri ſolebat, eratque pars illius ceremonialis. Quando & qua occaſione Tonſura & veſtis Clericalis, ſeparatim ab omnibus ordinibus dari cæpit.* 208

CAP. IV. *Tonſura Clericalis apud Græcos & Syros ſimul cum Lectoratu traditur, eſtque pars ritus dandi Lectoratus. Aliquando Tonſura pro Lectoratu ſumitur. Quare conceſſum Abbatibus regularibus minores Ordines conferre; idque ſine petita ab Epiſcopis venia. Quatuor Tonſuræ genera apud Græcos enarrantur. Clericalem Tonſuram tria hominum genera conferre poterant, & quo jure Tonſuram Clericalem non eſſe Sacramentum, licet multæ rationes hoc videantur ſuadere.* 210

EXERCITATIO XVI.

De quatuor Antiquis Dignitatibus quibus juriſdicto ab Eccleſia tributa eſt, Archipresbyteris, Archidiaconis, Oeconomis, Defenſoribus ſecundum Græcos & Latinos; atque etiam de Græcorum Chartophylace.

CAP. I. *Præfatio qua dignitatum Eccleſiaſticarum creandarum occaſio enarratur; & ratio aperitur qua perſuaſus autor has dignitates, non alias, hic explicandas ſibi propoſuit.* 213

CAP. II. De Archipresbyteris. *Quando primùm inſtituti ſunt, & qua occaſione. Græci Archipresbyterum vocant tantum* πρωτοπρεσβύτερον *Archipresbyter apud Latinos multis paræciis præeſt. Qui antiquitus dicebantur Presbyteri Cardinales. Protopresbyter apud Græcos præſidet tantùm paræciæ ſuæ Presbyteris. In Sanctuario primas habet. Curia Imperatoris habebat ſuum Archipresbyterum ſeu Protopapam. Romæ tres tantùm Archipresbyteri, olim plures. Quæ fuerit olim, & quæ nunc, Archipresbyt. apud Latinos juriſdictio, Archipresbyter dictus parochialis omnium Sacerdos. Archipresbyteri ab antiquo in oppidis conſtituti, dictique Decani. Quæ fuerit illis tributa juriſdictio. Etiam nunc in quibuſdam locis Archipresbyteri præcedunt Archidiaconos.* 215

CAP. III. De Archidiaconis. *Archidiaconorum quando primùm mentio apud Latinos. Frequens eſt & Antiqua apud Græcos. Dicitur & πρωτοδιάκονος. Quæ fuerit olim, & quæ nunc Archidiaconorum juriſdictio. Quæ officia intra & extra Eccleſiam. Apud Græcos nunc & ab aliquot ſeculis nulla eſt Archidiaconis juriſdictio. Ad Chartophylacem devoluta eſt. Tria enarrantur in quibus tamen apud Græcos præfertur ſummis dignitatibus. Diaconorum ambitio Presbyteris dominandi à multis Conciliis repreſſa; ab Hieronymo quoque & Auguſtino. Ambitionis Diaconicæ occaſio. Spuria periodus Epiſtolæ aſſuta autoritatis Archidiac. in Presbyteros occaſio. Quando Epiſcopi quidam Cardinales dici cæpere. Quando cæteris Epiſcopis præferri, & qua occaſione. Quando Presbyteri Cardinales & Diaconi Epiſcopis, &c. Permutandorum titulorum quæ illis occaſio fuit. Romæ & Conſtantinopoli ab aliquot ſeculis nulli Archidiaconi. Quæ hujus rei occaſio.* 218

CAP. IV. De Græcorum Chartophylace. *Chartophylax licet Diaconus ſit, conſuetudine & edicto Epiſcopis, nedum Presbyteris, Conſtantinopoli præit, & præſidet. Quando hoc privilegium cæpit. Cæteris Exocatacœlis tribuitum. Qui, & quot Exocatacœli: Olim erant Presbyteri, nunc tantùm Diaconi. Chartophylax eſt Vicarius Epiſcopi, & manus illius dextera. Exocatacœlorum varia etyma. Quid ſtauropegium. Chartophylacis officium, & ampliſſima juriſdictio verbis Græcorum multis deſcribitur. Chartophylax malè vertitur Chartularius. Juriſdictionis Chartophylaceæ antiquitas. Chartophylax unde dictus. Ex variis notitiis Chartophylacis munus deſcribitur. Quando, & qua occaſione magni nomen illi datum eſt.* 223

CAP. V. De Oeconomis. *Inſtituendi Oeconomi cauſæ enarrantur. Bona Eccleſiaſtica olim quomodo adminiſtrata, & diviſa. E quibus perſonis eligebantur Oeconomi. Qui erant Electores. Imperatores Græci hoc jus ſibi*

ſibi aliquando tribuerunt. Primus Officialium Patriarchalium erat Oeconomus. Hoc nunquam Latinis Oeconomis tributum. Latinorum & Græcorum Oeconomorum varia officia deſcribuntur. Magnus Oeconomus quare apud Græcos ſic dictus. Viget adhuc apud eos hæc dignitas. Antiqua hæc dignitas quando in Eccleſia Latina deſiit. Nomen in ea non eſt extinctum. Quæ illi miniſteria jure novo tributa ſunt. 227

CAP. VI. De Defenſoribus Eccleſiarum. *Defenſores non fuerunt ante Chriſtianos Imperatores. Eorum creandorum cauſa & occaſio demonſtrantur. Defenſores cur civitatibus & pagis creabantur. Iſtius officii duratio & eorum munera explicantur. Cum Cleri conſenſu eligendi erant. Defenſorum Eccleſiaſticorum officia. Leviores cauſas judicabant, graviores ad Epiſcopum remittebant. Eorum functiones è variis Græcorum Notitiis eruuntur: Antiquitus ad alia extenſas. S. Gregorius autoritatem tantùm temporalem illic deferebat. Varios Defenſores variis Patrimoniis deſtinabat. Creationis formula editur. Qualis & quanta poteſtas illi tributa. Exempla inſtructionis Defenſori à S. Gregorio datæ. Clerici potiſſimum eligebantur in Defenſores. Sic ſemper S. Gregorius. Aliquando tamen electi Laïci.* 231

CAP. VII. *Defenſores olim apud Græcos erant Presbyteri, nunc Diaconi. Apud Latinos inferioribus ordinibus potiſſimum tributi. Monachis olim conceſſa hæc dignitas. Autoritas illis delata non erat in res ſpirituales, neque in Presbyteros, multò minus Epiſcopos. Pontifices multa commiſerunt Defenſoribus Patrimoniorum Eccleſiæ Romanæ commoditatis cauſa, quæ ad Defenſoris officium non pertinebant: Quod aliis Epiſcopis ob autoritatis defectum non licuit. Hujus commiſſionis multa exempla referuntur. Delegatio quæ Defenſoris autoritatem excedebat. Defenſori Presbytero committebatur.* 236

CAP. VIII. *Quis Pontifex primus Defenſores regionarios inſtituit. Quamdiu viguerunt. Defenſoribus ſucceſſerunt Eccleſiarum Advocati. Quando cœperunt illi Advocati eligi aut dari. Varii autores de iis mentionem faciunt, & eorum officia deſcribunt. Graphiones eodem munere aliquando functi. Prohibetur Advocatis ne novas Angarias ab Eccleſiis exigant. Qui olim dicebantur in Eccleſiis Vicedomini. Quando in Eccleſiis primum inſtituti. Varii autores eos & eorum officia commemorant. Quando deſierunt illi Advocati & Vicedomini.* 239

COMMENTARII
DE SACRIS ECCLESIÆ
ORDINATIONIBUS
SECUNDUM ANTIQUOS ET RECENTIORES,
LATINOS, GRÆCOS, ET SYROS.

CARMELITANI SCALZI
DI S. MARIA DELLA SCALA

PARS PRIMA,

In qua agitur de origine & cauſis Schiſmatis Græcorum; oſtenditurque Schiſma illud non impediiſſe ne Concilia quædam generalia, ſummique Pontifices continuis à Schiſmate in hunc uſque diem decretis Græcas ordinationes approbaverint, & ab Adverſariorum calumniis vindicaverint.

CAPUT I.

Quo rerum quas Author toto opere tractaturus eſt, ordo & diſpoſitio explicantur, & talis ordinis & diſpoſitionis rationes reddantur.

NOnnullis forſan præpoſterè admodum agere, atque in portu ipſo impingere videbor, qui de ſacris Chriſtianorum ordinationibus ſermonem inſtituturus, ab eo incipiam in quod finire debueram. Cum enim totius ſermonis & diſputationis concluſio & fructus deberet eſſe Græcarum ordinationum confirmatio, & antiqui Latinorum ritus approbatio; à Græcorum ſchiſmate ordimur abſolutè. Deinde breviter demonſtrato illius Authore, & anno quo primùm cœpit, Conciliorum Pontificúmque decreta referimus quibus Græcorum ordinationes poſt ſchiſma probantur, & eorum qui iis adverſantur calumniæ coërcentur & obtenuntur; nihil de ordinationibus in genere prælati, nihil de Latinis aut Græcis in hypo-

A theſi. Quid Græcorum ſchiſma cum ordinationibus habet commune, ut ab eo exordium ſumamus, & cœptum proſequamur? Poëtas imitari videmur, & hiſtoriarum ludicrarum ſimulatores, qui fabulæ narrationem ab umbilico inchoant, & miris, improviſiſque rerum eventibus invicem connexis, eam ita evolvunt, & expediunt, ut paulatim ad pedes, caputque perveniant. Attamen ſi conſilium noſtrum lector perpenderit, ſperamus eum ſponte judicaturum, nihil nos agere præpoſterè, nihil abſurdè; ſed ſapientem Architectum imitari, qui magnum ædificium aggreſſurus, altum prius jacit fundamentum, cui ædificium ne mole ſua corruat, innita-
B tur. Sic cum nobis perſpecta eſſent quæ de ordinationibus ſcribunt Theologi Scholaſtici, antiqui, & recentiores; qualiter celebrarentur antiquæ & hodiernæ Græcorum & Orientalium cæterorum ordinationes, quibus quoque ritibus antiqui Latini idem præſtarent, quibus in rebus à recentioribus Latinis differrent, animoque ſederet quid de his rebus quæ ſunt in Eccleſia maximi momenti conjiceremus, litteris mandare: credidimus in tantâ rituum differentiâ & oppoſitione quanta vix quiſquam ſuſpicari poſſet, tutiſſimum eſſe ab iis opus noſtrum inchoare quæ eſſent certiſſi-

ma, & apud Catholicos extra omne falſitatis periculum & aleam; ut ex certis & indubitatis principiis & demonſtrationibus, quæ videntur nutare confirmarentur, quæ falſa eſſent eliminarentur, quæ difficilia explicarentur & expedirentur.

II. Quapropter antequam ſingularum partium quæ in ſacra Ordinatione ſpectari poſſunt, explicationem aggrediamur, nobis viſum eſt Conciliorum & Pontificum decreta colligere quæ ab initio ſchiſmatis ad noſtra uſque tempora Græcorum ordinationes probarunt & confirmarunt; quænam etiam fuerit ab eo tempore continua Eccleſiæ Romanæ praxis in recipiendis, cum ſe occaſio dedit, Græcorum Epiſcopis & Presbyteris demonſtrare. Ex hoc enim principio, cui ſecundum Catholicos nec fraus, nec error ineſſe poſſunt, neceſſariò conſequitur, & ſponte ſua fluit, Græcas ordinationes omnia continere quæ ad ſubſtantiam Ordinationis pertinent. Hoc igitur principio demonſtrato, eoque vt primo & principali freti, conſequentias ex eo enaſcentes & pullulantes tertia operis parte quæ doctrinalis eſt, expandimus, & in ſingulas partes replicamus.

III. Alterum principium ſecundum hoc certiſſimum & tutiſſimum eſt, demonſtrare Græcos poſt ſchiſma ad hunc vſque diem in ratione & modo Ordinationum nihil quod eſſet ſubſtantiale immutaſſe, ſed iiſdem ritibus & formulis Clericos ſuos poſt ſchiſma ordinare quibus ante ſolebant. Hoc enim demonſtrato, duo evidentiſſimè conſequuntur. Prius, Græcorum ordinationes hodiernas validas eſſe ac ratas, cum eadem ſint quæ antiquiſſimorum Patrum à quibus noſtras accepimus. Poſterius, Pontificum decreta hac in cauſa plurimùm illuſtrari & comprobari, cum id docuerint & ſtatuerint, quod experientia poſtmodum oculata confirmatur. Hoc autem à nobis in ſecunda operis parte variorum Rituum quæ ante ſchiſma deſcripta ſunt, editione, & cum poſterioribus & hodiernis comparatione abundè præſtamus, & unuſquiſque per ſeipſum nullo negotio præſtare poteſt, cum ea de cauſa Græco textui Latinam interpretationem conjunxerimus. Utraque enim Lector invicem comparet, verba cum verbis, periodos cum periodis; ſingula minutim examinet, tum antiquiſſima à recentioribus & hodiernis nihil quod alicuius ſit momenti differre deprehendet, & mirabitur.

IV. Tertium principium quod in ſecunda operis parte explicamus præcedenti eſt parallelum, & eadem ratione certum & tutum. Petitur enim à comparatione antiquorum Ritualium Latinorum cum Græcis Ritualibus & recentioribus Latinis. Multa eiuſmodi Ritualia in celeberrimis & Antiquis Galliæ Bibliothecis reperimus, quæ nunc primùm edimus. Multa alia diligenter inquirentibus erunt obvia. Verùm ex perpetua conformitate ſecundum ſecula, eorum quæ in manus noſtras inciderunt, de iis quæ non vidimus judicium facilè ferri poteſt: A noſtris procul dubio nihil different alia, modo quæ fuerint paris ævi inter ſe conferantur.

V. His fixis & immotis principiis, conjunctis interdum antiquorum Patrum teſtimoniis & Conciliorum canonibus, maxima pars tertiæ partis operis noſtri nititur: his erectis columnis fulcitur, & ſuſtentatur. Ideo paſſim in explicationis tertiæ partis decurſu ad ea confugimus, ut vera confirmemus, falſa rejiciamus, perplexa enodemus, dubia & incerta ad hæc, velut ad veritatis hac in cauſa normam, examinemus. Itaque ante omnia nobis planè neceſſarium fuit hæc fundamenta jacere, & toti ædificio noſtro ſubſtruere, diligenterque ea demonſtrare & illuſtrare, ut quæ ſuperſtruenda nobis erant, baſim & firmamentum haberent, quibus immota inſiderent. Hoc eſt quod præſtamus prima & ſecunda parte iſtius operis, ne tertia pars, qua quod principaliter nobis propoſitum fuit; exequimur, cæcæ ſpeculationis in modum à principiis ignotis aut incertis ad evidentiora procederet.

CAPUT II.

De cauſis, & inſolentia Schiſmatis inter Græcos & Latinos exorti. Licet Græci privatim, atque etiam Latini quidam ſeſe mutuo ut Hereticos proſciderint, Græci tamen nullo decreto communi judicarunt Latinos iterum ordinandos, aut cum eorum ſacrificiis non eſſe communicandum. Pontifices nullo unquam tempore Græcorum ordinationes improbarunt.

SEceſſionis Eccleſiæ Græcæ à Latina prima ſemina jacta ſunt circiter annum à Chriſto nato octingenteſimum ſexageſimum ſextum. Tum enim Photius, vir equidem doctiſſimus, ſed ingenii ambitioſi, vafri, verſipellis, & accurationis veteratoriæ, iniquiſſima ſancti Ignatii depoſitione creatus Patriarcha Conſtantinopolitanus, litteras encyclicas miſit ad univerſos Orientis Patriarchas & Epiſcopos, quibus Eccleſiam Latinam nonnullarum impietatum inſimulabat, ut hac arte, quaſi verſura facta, Nicolao I. Pontifici par pari referret, & Excommunicationem ab eo adversùm ſe latam quadamtenus elevaret & retunderet. Primus Græcorum Photius Eccleſiam Latinam errorum in fide accuſare auſus eſt, & ſchiſmatis vexillum cæteris præferre: Verùm quæ objiciebat, aut putidæ erant calumniæ; aut antiquiſſimæ & Apoſtolicæ traditiones in Eccleſia Romana & Latina continenter obſervatæ. Sed Ioanne VIII. Pontifice remiſſiùs agente, precibuſque Imperatoris Græci, Patriarcharum Orientis, & ipſius Photii, benignè annuente, anno 879. throno reſtitutus eſt, & ſic alto vulneri inducta cicatrix: Verùm ab eo tempore vix unquam obducta eſt intimè, ſæpe recruduit, & in vulnus rediit; ſæpe quoque ducta eſt & contracta, potius quam curata; ſæpe viſus eſt, ut vulgò dicitur, Σφὴξ βομβᾷ πίτυλος ἐναυλίου. Sæpe pulſus eſt, ſed nunquam eliſus.

II. Hujus mali ſæpius refricandi cauſæ multæ fuerunt, quas hic enarrare præpoſterum

rum mihi videtur. Tandem vulnus alio vulnere, & atrociori apertum eſt, & in ſchiſma manifeſtum erupit, anno ſalutis 1053. centum & octoginta ſeptem annis poſtquam illius ſementis à Photio primùm facta fuerat. Hactenus cæteri Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus communionem cum Pontifice Romano ſanctè coluerant, illiuſque nomen intra Miſſarum ſolemnia è Diptychis recitaverant: illoque ipſo anno 1053. Leo IX. Pontifex litteras à Petro Antiocheno Patriarcha communionem ſedis Apoſtolicæ ambientes, & fidei profeſſionem exponentes, acceperat, viciſſimque ad eum dederat. Verum enimverò dum hæc ab Orientis interioris Patriarcha geruntur; En litteræ Michaëlis Cerularii Patriarchæ CP. & Leonis Acridiæ Archiepiſcopi Bulgarorum Metropolis ad Tranenſem Epiſcopum ſcriptæ, Leoni IX. Pontifici redduntur, quibus non modo Eccleſiæ Romanæ, Latiniſque omnibus, eadem crimina quæ olim Photius imputaverat, impudenter inferuntur, & invidioſè exacerbantur: Verum etiam novum crimen, & hactenus inauditum, panis ſcilicet azymi in corpus Chriſti conſecrati inſano argumentorum molimine intenditur. Quid Michaëlem ad tam audax facinus impulerit, neſcitur; niſi forſan hac impietate ſibi cavere voluerit à legitima cenſura qua Pontifex in eum animadvertere poterat, ut pote, qui, non ſecus ac Photius, contra canones ex läico repente, & velut ἀνοσίως factus fuerat Epiſcopus & Patriarcha. Amanter admodum pro tam nefario crimine illi reſpondit Leo, ab eo, ſed fruſtra, pœnitentiam expectans.

III. Hæc Schiſmatis Epoche nobis conſtituenda videtur. Tum enim Conſtantinopoli, & alibi, ut plurimùm in imperio Græco ritus Latini interdicti ſunt. A Latinis ad eos deficientes Hæreticorum more per unctionem nonnunquam recepti. Nonnulli eorum eo dementiæ proruperunt, ut Latinos ad ſe venientes rebaptizarent. Schiſma cœpit Michaël Cerularius ab interdictione rituum Latinorum Conſtantinopoli, & in aliis Patriarchatus ſui locis, ut teſtatur Leo IX. ad eum ea de cauſa ſcribens. Nonnulli alii Epiſcopi aliquando ſimiliter in Latinos ſævierunt. Eorum unus fuit Balſamon Patriarcha Antiochenus. Interrogatus ille à Marco Patriarcha Alexandrino, An Latini apud eos captivi divinæ Euchariſtiæ participes fieri deberent: Reſpondet, Papæ in divinis ſacrificiis memoriam non amplius fieri, *Nec debere Latinicum genus manus ſacerdotali per divina & immaculata myſteria ſanctificari, niſi conſentiat prius ſe à Latinicis dogmatis & conſuetudinibus abſtenturum, & ſecundum canones inſtructus fuerit, & orthodoxis adæquatus.* Iterum ab eodem interrogatus, an Latini, Armenii, Monothelitæ, Neſtoriani, & cæteri ejuſmodi poſſint in baptiſmo eſſe infantium ſuſceptores: Reſpondet, lib. 1. tit. 1. Baſilicorum, Hæreticum definiri qui paulùm ab orthodoxa fide declinat. *Cum igitur*, inquit, *ii omnes qui hac interrogatione enumerati ſunt, non parvo, ſed longo ſpatio, & quod difficilè ſuperari queat, ab orthodoxorum Eccleſia prorſus alienati ſint, omnino non communicabunt nobiſcum gratiam ſuſceptionis liberorum ſpiritualium per ſacras preces, &c.* Latinos conjungit aliis Hæreticis, nec illis ullam cum Orthodoxis communionem concedit. Hæc Juris Orientalis lib. 5. reſponſo 15. & 32. Balſamonis. In Provincia Dyrrachienſi Latinos Sacerdotes iterum ordinabant: Ita eodem loco refert Conſtantinus Cabaſilas Dyrrachii Archiepiſcopus cum ſic interrogat Joannem Epiſcopum Citri, *Hic conſuetudo eſt, ut in extraneam regionem azymite Sacerdotes a noſtratibus Epiſcopis ordinentur.*

IV. Sed non omnium Græcorum in Latinos is fuit furor, nec unquam univerſali ipſorum Concilio adverſus Latinos aliquid ſimile conſtitutum eſt, ut rectè notavit Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus, ejuſdem Conſtantini Cabaſilæ interrogationibus reſpondens, qui ibidem reprehendit reſponſa Theodori Balſamonis jam allegata, *Huic autem reſponſo præclari multi viri tunc non ſunt ſuffragati, ut quod multum duritiei, & acerbitatis haberet, nec convenientis reprehenſionis latinicarum formarum, & morum. Et quod, inquiunt, hæc ſynodaliter decreta non ſint, neque ipſi ut hæretici, publicè rejecti fuerint; ſed & ſimul nobiſcum cibum ſumant, & precentur.* Poſtea Balſamonis ratiunculis occurrit. Et paulò antè ad alteram interrogationem ſic reſponderat, *Unde neque conſecrata à Latinis azyma, neque hæc ſuſcipientia, & ſacrificia ſervientia eorum vaſa, & conſequenter, neque ſacras eorum ſtolas, neque hujuſmodi quidpiam immundum poſſutumque exiſtimabimus.* Ita quoque reſpondet, *Nullum fore Epiſcopo præjudicium Latinorum Eccleſias ingredi, & ibi adorare cum ab eis evocatus fuerit, & iis de Euchariſtia quid diſtribuere, cum in ſancta & Catholica Eccleſia liturgia interfuerint.* Confirmat autem Demetrius reſponſa ſua authoritate Theophylacti Prædeceſſoris ſui, qui licet Latinis infenſus fuerit, adeo tamen ut Balſamon non inſanivit.

V. Similis eſt Joannis Citri Epiſcopi ſententia. Interrogatus enim an rectè Sacerdotum Latinorum iteraretur Ordinatio, reſpondit: *Cum hujuſmodi ordinationes lex Eccleſiæ non agnoverit, ob eam rem neque nos poſſumus ſtatuere, ut iſtâ conſuetudo valeat & obtineat. Etſi enim forte longa eſt, neſcimus verò num ſynodalis applauſa judicio confirmata fuerit, &c. Inquirendum eſt igitur num prædicta ordinandorum Sacerdotum conſuetudo ſynodice diſceptata fuerit unquam & firmata: Et ſi hoc factum ſit, valeat etiam in poſterum. Sin minus ad ſacram magnamque ſynodum de ea referri neceſſe eſt, ut quod ei placuerit fiat.* Plures ejuſmodi fuerunt apud Græcos qui de Latinis non ita ſiniſtrè ſenſerunt; ut præter jam allegatos teſtatur Gregorius Hieromonachus Protoſyncellus qui fuit Joanni Palæologo Imperatori à Confeſſionibus, & Concilio Florentino ſubſcripſit, & poſtmodum creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſermone quem edidit adverſus Marci Epheſini Latinorum hoſtis capitoſiſſimi Epiſtolam encycli-

cam. Non igitur attendendum eſt quid Græcorum unus aut alter fecerit, ſed quid communi Concilio conſtituerint. In Concilio Florentino omnes Latinæ Eccleſiæ communionem amplexi ſunt. Reſtitit unus Marcus Epheſinus. Perperam unius Epheſini Epiſcopi pertinacia Græcis omnibus tribueretur, cum è contra unius vitium ſub cæterorum omnium innocentia latere ſoleat. Idem etiam apud Latinos reperire eſt. Nonnulli enim, ut infra notabimus, de ipſo Græcorum baptiſmo dubitarunt, eumque iterarunt; id multò magis de ordinationibus eorum dicturi. Nam ad libellam axiomatum Scholaſticorum, quæ ut oracula ſuſpiciebant, iſta examinantes, multa ſubſtantialia iis deeſſe colligebant. Verùm quid Græcus quidam privatus, aut Latinus dixerit, aut fecerit parum laboramus. Quid Eccleſia Romana, quid ſummi Pontifices de Græcis decreverunt, inquirimus, & ob lectorum oculos proponere ſatagimus.

VI. Scopus igitur noſter eſt hîc demonſtrare Eccleſiam Romanam à data anni ſalutis CIↃLIII. Epocha, nihil obſtantibus Græcorum injuriis & calumniis, Græcos ad Catholicam redeuntes in ordinibus quos apud ſuos ritu Græco acceperant, admiſiſſe, nulla nova ordinatione inducta; Epiſcopos Græcos Epiſcopalia, Sacerdotes Sacerdotalia, Diaconos quæ ad Diaconum pertinent, Pontificum approbatione, aut etiam procuratione exercuiſſe, non modò in Græcia, quod ſcopo noſtro abundè ſufficeret, ſed etiam in ipſa Roma, cæteriſque Latinorum Eccleſiis. Inſuper demonſtrabimus Romanos Pontifices ægrè ſuccenſuiſſe iis qui Græcos in ritibus ſuis perturbare conabantur, idque ne in poſterum fieret diplomatis ſuis in hunc uſque diem diligenter caviſſe. Ex quibus ſolis, licet nihil aliud ſuperadderetur, evidentiſſima demonſtratione, cui nihil opponi poteſt, hæc colliguntur: Orientalium ordinationes idoneas eſſe; quæ ſunt Sacerdotio, cæteriſque ordinibus ſubſtantialia continere; atque, ut uno verbo dicam, in rei ſumma validas eſſe; Quæ ex Scholaſticis rationibus, aut quorundam Scholaſticorum authoritate opponi poſſunt, nullius eſſe roboris adverſus tam auguſtæ authoritatis argumenta; ſed cum eis comparata, aut eſſe benignè interpretanda & emollienda; aut ſi pervicacius inſtaretur, inſuper habenda. Pontificalium teſtimoniorum enarratio verborum noſtrorum fidem longè ſuperat. Illis igitur, non nobis attendat lector.

CAPUT III.

Pontifices Leo IX. Cæleſtinus III. Innocentius III. Concilium Lateran. IV. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius X. Concilium Lugdun. II. non modo Græcas ordinationes probarunt, ſed Græcos cum omnibus ritibus ſuis Eccleſiaſticis in Eccleſiam admiſerunt. Prohibuit Cæleſtinus rituum commixtionem, poſtea tamen tolerata eſt; iterumque prohibita. Græcorum in Latinos furor. Varia controverſia inter Græcos & Latinos in Cypro orta ab Alexandro IV. componuntur. Imperatori Græco ſubditi quare Romæi dicti. Syri Græcum ritum ſequuntur. In Concilio Lugdunenſi tria præſertim capita inter Græcos & Latinos compoſita ſunt. Nunquam de ordinationibus controverſia.

PRimus igitur teſtimonium dicat Leo IX. quo Pontifice, ut dictum eſt, prava Græcorum æmulatio in ſchiſma, & odium Latinorum primùm erupit. Sic ille cap. 29. Epiſtolæ quam ſcripſit ad Michaëlem Cerularium Patriarcham, & Leonem Acridanum Epiſcopum Schiſmatis authores, *Omnes Latinorum Eccleſias penes vos clauſiſtis, Monachis monaſteria, & Abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis. Ecce in hac parte Romana Eccleſia quanto diſcretior, moderatior, & clementior vobis eſt. Siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monaſteria, ſive Eccleſia, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, ſive ſua conſuetudine, quin potius ſuadetur, & admonetur eam obſervare. Nec enim animoſitatem impiæ hæreſeos habet, qua ſemper diviſione gaudet, dicens per Parricidam meretricem, nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur: ſed pietate vera matris ſic Salomonem deprecatur, Obſecro, Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum. Scit namque quia nihil obſunt ſancti credentium diverſa pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ poteſt, uno Deo commendat omnes.* Et iterum idem Pontifex ad Conſtantinum Monomachum ſcribens de eodem Cerulario: *Sed noverit tua charitas ſuper præſumptionibus ejus multa & intolerabilia jamdudum pervenisſe ad aures noſtras, qualiter etiam aperta perſecutione in Latinam Eccleſiam exardeſcens, anathematizare non timuit omnes, qui Sacramenta attrectant ex Azymis, &c.*

II. Cæleſtinus III. qui Pontificatum iniit anno Chriſti 1191. interrogatus ab Epiſcopo Hydruntino, quid agendum eſſet de nonnullis Presbyteris Latinis qui contra conſuetudinem Eccleſiaſticam fuerant ab Epiſcopis Græcis alio tempore quàm quatuor temporum ad ordines promoti, ita reſpondet, ut decreto ſuo ſupponat ordinationum Græcarum validitatem. Idem etiam facit Epiſcopus Hydrontinus: nam in dubium non vocat ordinis accepti validitatem, ſed tantùm an ſic ordinatus ab ordine ſuſcepto ſecundum Latinorum canones ſuſpendi debeat. Pontifex autem

tèm quia ignota ſibi erat conſuetudo illius regionis, nihil de ſuſpenſione decernit, ſed vices ſuas eidem Epiſcopo hac in parte committit, ut in eum de quo lis agebatur juxta conſuetudinem ſtatueret; interim prohibet ne in poſterum rituum commixtiones fierent, hoc eſt, ne Latinus à Græco Epiſcopo conſecretur, neve Græcus à Latino, *Quia verò ſicut dicitur, in partibus Calabriæ Latini à Græcis, & Græci à Latinis ſecundum alterutrius inſtitutionis obſervantiam ordinantur, nolumus de cætero commixtiones, & conſuetudines rituum in ordinibus obſervari.* Extra de tempor. Ordin. Cum ſecundum.

III. Innocentius III. Cœleſtini Succeſſor, anno 1198. creatus Pontifex Prædeceſſore longè videtur indulgentior: Iſtam enim rituum commixtionem permittit, modo cum proprii cujuſque Epiſcopi conceſſione fiat, hoc eſt, Clericum Latinum ab Epiſcopo Græco, & Clericum Græcum ab Epiſcopo Latino, cum Epiſcopi ſui dimiſſoriis litteris ordinari poſſe, & penes ſic ordinatum eſſe ordinis accepti executionem. Sic reſpondet ſancti Laurentii Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato. *Super eo verò quod nos conſulere voluiſti, quod multi Græcorum Clerici conſiſtentes in diœceſibus Latinorum ab Epiſcopis Græcis non in quatuor temporibus, interdum omnes ſimul, nonnunquam partem recipiunt, qui poſtmodum prohibentur à Latinis Epiſcopis celebrare, conſultationi tuæ taliter duximus reſpondendum: Quod cum Clericus Græcus Epiſcopo Latino ſubjectus à Græco Pontifice ordinatur, niſi de mandato vel licentia ſui Epiſcopi fiat, interdicenda eſt ei ordinis executio ſic ſuſcepti, tanquam ab alieno Pontifice ſine mandato vel licentia ſui Epiſcopi ordinato. Si verò de mandato ſui Præſulis à Græco Pontifice ſecundum morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpandus ſit Epiſcopus Latinus, qui Clericos ſuos à Græco facit Antiſtite ordinari, quandiu tamen talis mos ab Eccleſia toleratur, impediri non debet ab executione ordinum taliter ſuſceptorum.* Extra de tempor. Ordinat. C. Quod tranſlationem. Capitulum tamen ex antiqua tertia collectione deſcripſimus, eo quod in corpore juris nonnulla prætermittuntur quæ quæſtioni propoſitæ conducebant. Lapſu temporis eo deventum erat, ut Presbyteri Græco ritu ordinati Miſſas Latinas paſſim celebrarent, & viciſſim Latini Græcas. Quum ad Pium V. relatum fuiſſet nonnullos abuſus iſtius conceſſionis occaſione committi, eam ſuſtulit Pius anno 1566. Conſtitutione in Bullario 12. & utriſque Presbyteris prohibitum eſt alieno ritu Miſſas celebrare, Græcis Latino ritu, & Latinis Græco. Notandum inſuper ex allegatis teſtimoniis evidenter conſtare, Catholicorum neminem Græcarum ordinationum veritatem in dubium revocaſſe, ſed nonnullos tantùm conqueſtos, Quod Clericis Latinis ordines, interſtitiis legitimis non ſervatis, conferrent: Quod quolibet anni die nulla quatuor temporum canonicorum habita ratione id præſtarent: Quod Clericos alienos ſine Epiſcopi proprii licentia conſecrarent.

IV. Innocentius IV. eadem mente ſcribebat ad Epiſcopum Tuſculanum, Apoſtolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, Conſtitutione edita an. 1254. quæ in Bullario Cherubini, inter Innocentii IV. Bullas eſt 14. *Verum quia nonnulli Græcorum jamdudum ad devotionem Sedis Apoſtolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt, & intendunt, expedit ut mores & ritus eorum, quantum cum Deo poſſumus tolerantes, ipſos in Eccleſiæ Romanæ obedientia præſervemus. Quanquam in iis quæ animarum periculum parerent, vel honeſtati Eccleſiaſticæ derogarent, nec debeamus illis deferre, nec velimus.* Quanquam Innocentius in ea Conſtitutione rigidior multò ſit in Græcos quam qui eum ſecuti ſunt Pontifices, ut Conſtitutionem iſtam comparanti cum ſubſequentibus manifeſtum eſt; eo quod forſan Cypriis Græcis quorum cauſa ſcribit, Latini tum dominabantur. Attamen definitionibus ſuis ſemper ut fundamentum ſubſternit Ordinationum Græcarum veritatem. Verbi gratia, cùm articulo 4. præcipit ſolos Epiſcopos eorum in fronte chriſmare: 6. prohibet Sacerdotibus ne ſolam unctionem pro ſatisfactione Pœnitentiæ injungant: 8. permittit eis in Altaris ſacrificio tepidam aquam miſcere, *Dummodo credant & aſſerant, quod ſervata canonis forma, conficiatur pariter de utraque.* 9. Prohibet ne Euchariſtiam in die cœnæ Domini conſecratam communionis infirmorum cauſa in annum reſervent, *Liceat tamen eis pro infirmis corpus Chriſti conficere, ac per quindecim dies, & non longioris temporis ſpatio conſervare.* 19. *Volumus & expreſſe præcipimus quod Epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.* Plurima legi poſſunt ejuſmodi in eadem conſtitutione ex quibus non minus neceſſariò quàm evidenter colligitur Eccleſiam Romanam de Græcis ordinationibus nunquam dubitaſſe, ſed earum veritatem & valorem in decretis quæ diſciplinam eorum ſpectant, ſemper præpoſuiſſe.

V. Diligenter igitur conſideratis Pontificum decretis mens Eccleſiæ Catholicæ nunquam fuit Græcorum ritus quaquaverſum inquirere, diſpungere, invertere, torquere, ut aliquod à Latina conſuetudine diſcrimen ſtudiosè eruatur, quod eorum culpandorum anſam præbeat: Sed è contrà hæc omnia præſtare, ut quantum fieri poteſt, Latinorum cum Græcis concordia & conformitas eruatur, & confirmetur. Nec ita tantùm cum Græcis agendum cenſuit Innocentius IV. verùm etiam cum univerſali Concilio Later. IV. Innocentius III. cujus verba huc referre operæpretium nobis videtur. Licet enim nonnulli Græci maxima cum impietate Latinorum ſacrificia abhorrerent, & eo uſque odii & furoris procederent, ut à Latinis baptizatos rebaptizarent, nihil tamen ejuſmodi Concilium in eos, aut eorum ritus decernit, aut ab aliquo Latinorum legitur probatum fuiſſe. Sic igitur Concil. c. 4. & refertur extra. De baptiſmo, & ejus eff. c. 6. *Licet Græcos in diebus noſtris ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ re-*

vertentes fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum in quantum cum Domino possumus sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam Complicibus ac fautoribus suis ab obedientia Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando Sacerdotis Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quàm ea tanquam per hoc inquinata, lavissent. Baptizatos etiam à Latinis, & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc, sicut accepimus, quidam hoc agere non verentur. Volentes ergo tantum ab Ecclesia Dei scandalum amovere, sacro suadente Concilio, districtè præcipimus ut talia de cætero non præsumant, conformantes se tanquam obedientiæ filii sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit unum ovile, & unus Pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, abomni officio, & beneficio Ecclesiastico deponatur. Hæc & similia sunt quæ non tolerat Ecclesia Romana; sed Excommunicatione vindicat. Taliouis tamen legem insano conatu non retorquet, sed ritibus inviolatis brutos animi exacerbati impetus reprimit & castigat, ut à Leone X. & Clemente VII. post hæc factum docebimus. Missæ autem Concilii tum non erant inanes: Constantinopoli enim dominabantur Latini, & in Græciæ atque Orientis plerisque partibus, ipseque Concilio aderat Constantinopolitanus Patriarcha.

VI. Cum ad Alexandrum IV. Pontificem delatæ essent variæ & mutuæ querelæ Episcoporum Græcorum in Insula Cypro, Latinorum dominationi tum obnoxiæ, adversus Latinos, & Latinorum adversus Græcos, auditis utriusque partis rationibus, & gravaminibus, tandem anno 1260. litem constitutione sua ita diremit, ut Sacrarum Ordinationum veritatem Græcis assereret. Non equidem directò: Nam de Ordinationum Græcarum defectu quæstio non vertebatur, sed sermoni suo hanc veritatem tam evidenter supposuit, non secus ac ipsi Latini Episcopi contra Græcos contendentes, ut luce Meridiana clarius in eorum verbis eluceat. Hanc Alexandri IV. constitutionem olim Græcè editam ex antiquis manuscriptis descriptam ad me misit ante aliquot annos Leo Allatius vir de litteris Latinis & Græcis optimè meritus, & eruditissimorum librorum editione illustris. Pauca tantùm quæ instituto nostro conducunt, referemus.

VII. Οσάκις δὲ συμβῇ ἵνα τ̃ ἀρημένων θρόνων χηρεύσῃ, ἤτοι ἐκκλησίαν ἢ τ̃ κληρικῶν τ̃ αὐτ̃ θρόνε ἐπικληθείσης τῆς τ̃ ἁγίε πνεύματος χάριτος. Τὴν δὲ ἐκλογὴν ὁ ἔξαρχος τ̃ ἐνορίας ἐκείνης ἐπισκοπῆς ἐξεταζέτω. καὶ εὑρὼν ἄξιη αὐτὸν εἶναι ἐπιτηδείε καὶ ἀξίε πρεσβύτου καὶ κανονικῶς γεγομένον, ἐπικυρέτω ταύτην χωρὶς πνὸς δυσκολίας ἀφὸ τ̃ παγμένης ἐπιθέσεως. καὶ ἐπερωτάσθω χειροτονηθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τ̃ ἑπέρων τελεῖ ῥωμαίων ἐπισκόπων. καὶ δόντω αὐτῷ τὸ ἱεροχειροτονηθῆναι ἐπισκόπω τ̃ Φραγκίδα πᾶσαν, καὶ ἐπιμέλειαν τ̃ μοναστηρίων, τ̃ ἐκκλησιῶν, τε κληρικ, καὶ παντὸς τε λαικ τ̃ ῥωμαίων, τ̃ ὑπαρχόντων ἐντὸς τε καὶ μέσον τ̃ αὐτ̃ πόλεως, καὶ ἐν πάσῃ τῇ ἐνορίᾳ. ἀντιλαμβανέτω δὲ ὁ λατῖν ἐπίσκοπ ὡσὰ τε χειροτονηθέντ ἐπισκόπε τε νέε ἐνορίαν ὡσάδοσιν ὑποταγῆς ἐν τῷ δὲ τῷ τύπῳ.

VIII. Ἐγὼ ὁ τ̃ σολίας ἐπίσκοπ τ̃ τῶν λατινίων ἐνορίας, ὑπὸ ταύτης τ̃ ὥρας καὶ εἰς τὸ ἑξῆς ὑποτασσόμεν ἔσομαι τῷ ἁγίῳ Πέτρῳ, καὶ τῷ θρόνῳ τ̃ ἐν ῥώμῃ ἐκκλησίας, καὶ τῷ κυρίῳ μου τῷ δὲ τῷ ἀρχιεπισκόπῳ λατινίας, καὶ πῖς αὐτ̃ διαδόχαις, τοῖς κανονικῶς εἰσιοῦσιν, ἵνα * ἢ τὴν ζωὴν αὐτῶν ἀπολέσωσιν, ἢ μέλ ἀϊπῷ, ἵνα παθῶσιν ὑπό πν. Βουλὴν, ἣν ἄν μοι εἴπωσι, ἢ δι' ἑαυτ̃, ἢ διὰ μηνυτ̃, ἢ διὰ γραμμάτων, ἃ μὴ ἐξέπω ἐπὶ βλάβῃ καὶ ζημίᾳ αὐτ̃. Τὸ πατάξαι τ̃ ἐν ῥώμῃ ἐκκλησίας, καὶ τὴν ἐν λατινίᾳ ἀρχιεροσύνην καὶ τοὺς κανόνας τ̃ ἁγίων πατέρων ἀσυδάτως διαφυλάξειν, καὶ βοηθεῖν, σύμβο ὅρδας μέο, σκόπελα ὅμνες ὅμνες· ἤγουν σωζομένης τ̃ πίστεως μου ἐν πᾶσιν, ἥτι τ̃ πατρίε δόγματ, κληθεὶς εἰς συνόδου ἀπελθέσομαι, ἐὰν μὴ τόχω ἐμποδιζόμεν ὑπὸ κανονικ ἐμποδίε λεγάτου τ̃ ἀποστολικ θρόνε, ὃν ἂν ὁμολογήσωμεν εἶναι μαθὼν ἐν τῷ ἔρχεσθαι, καὶ ἀπέρχεσθαι μᾶς ἡμῶν ὑποδέξομαι, καὶ τοῖς ἀναγκαίοις αὐτ̃ βοηθήσω, ὅτως ἐμοὶ βοηθήσῃ ὁ θεὸς, καὶ τὰ ἅγια Εὐαγγέλια.

IX. Τοῦτον δὲ τὸν τρόπον ὡσὰ τὸ ῥωμαίων ἐπισκόπων τ̃ ἑαυτ̃ ἐνορίας ἕκας ἐπίσκοπ τ̃ ἐν τῇ κύπρῳ λατίνων λαμβανέτω ὑπ' αὐτ̃, καὶ τ̃ ἐκκλησίας αὐτ̃. ἐὰν δὲ τὴν ἐκλογὴν καταστήσῃ ὁ λατῖν ἐπίσκοπος ἢ τῷ λόγον γεγραμμένῳ, ἐχέτω ἄδειαν ἀναστέλλειν αὐτὸν τῷ ἔντομον ἀκολουθίαν.

X. Οἱ δὲ ῥωμαῖοι ἐπίσκοποι κληθέντες παρὰ τ̃ λατίνων ἐπισκόπε εἰς χειροτονίαν τ̃ ψηφισθέντος ἐπισκόπε ῥωμαίων ὀφείλουσι ὡσαύτως χωρὶς πνὸς ἀργείας καὶ ὑπερθέσεως εἰς χειροτονίαν αὐτ̃.

XI. Μὴ ἐχέτω δὲ ἄλλός πς ἄδειαν καθαιρεῖν τὸν ῥωμαῖον ἐπίσκοπον, ἢ κολάζειν, ἢ ἐξορίζειν, ἢ μεταπέμπειν ἀπὸ μιᾶς ἐνορίας εἰς ἄλλην, ἢ καὶ ἀφαιρεῖν αὐτὸν πιεῖν ἀπὸ τ̃ ἀρχιερωσύνης, εἰ μὴ μόνος ὁ τ̃ ῥώμης ἀρχιερεὺς τὸ ἐξ ἀρχῆς δικαίωμα τ̃ ἀποστολικῆς φροντίσεως.

XII. Ἐκκλησίας δὲ πνες τ̃ ῥωμαίων χηρευούσης ἐπισκόπε, ὁ λατῖν ἐπίσκοπ μὴ ἐχέτω ἄδειαν πιεῖν εἰς αὐτὴν ἀφ' ἑαυτ̃ ἐπίσκοπον· εἰ μὴ ἴσως ὅταν ἴδῃ τοὺς κληρικοὺς ἀμελοῦντας, καὶ μὴ βουλομένους ἐκλέξασθαι ἐπίσκοπον, ὀφείλει αὐτὸς, ἵνα δώσῃ αὐτοῖς πέμψαν δύο καὶ τρεῖς φορὰς. καὶ ἂν ἴδῃ πιήσωσιν

σν οἱ κληρικοὶ ἐντὸς τ εἰρημένων τριῶν ἐκλογὴν, ὅτι ἐχέτω ἀδειαν αὐτὸς ὁ λατῖν☉ ἐπίσκοπ☉ πιεῖν ἀφ' ἑαυτ☉ ἐπίσκοπον, τὸν ῥωμαῖον καὶ καλὸν ἄνθρωπον, χειροτονέμενον ὑπὸ τ ῥωμαίων ἐπισκόπων.

XIII. Ἐὰν ἡ χηρεύη ἐπισκοπὴ τ ῥωμαίων, τὰ πράγματα αὐτῆς φυλατέ[σ]θωσαν ἀκεβδῶς τῷ μέλλοντι ἐπισκέπω. πάντες δὲ οἱ ἐπίσκοποι ῥωμαῖοι οἱ ἐν τῇ τοιαύτῃ νήσῳ ἐχέτωσαν ἐξου-

XIV. *Quoties contigerit ſedium jam dictarum aliquam Paſtore viduatam eſſe, alius invocata S. Spiritus gratia à Clericis illius ſedis eligatur. Exarchus autem illius Epiſcopatus electionem examinet: & ſi deprehenderit canonicè factam, & de idonea perſona, eam ſine difficultate per hanc cauſa definitionem confirmet, curetque efficaciter electum à tribus aliis Romeis Epiſcopis ordinari, tradatque ipſi recens ordinato Epiſcopo curam omnem, & ſolicitudinem monaſteriorum, Eccleſiarum, Cleri, & omnis populi Romei, tam illius qui eſt intra urbem ipſam, quam qui eſt in Epiſcopatus diſtrictu. Suſcipiat autem ab Epiſcopo recens ordinato Latinus Epiſcopus juſjurandum in ſubjectionem & obedientiam ad hunc modum.*

XV. *Ego N. Solia Epiſcopus Provinciæ Leucoſenſi ſubditus, ab hac hora, & in futurum ſubditus ero S. Petro, & Romanæ Eccleſiæ ibrono, & Domino meo N. Leucoſia Archiepiſcopo, & ipſius ſucceſſoribus canonice ſedem adeuntibus. In conſilio, vel facto, unde vitam perdant, aut membrum, vel ab aliquo capiantur, non ero. Conſilium quod mihi crediderit, vel per ſeipſum, vel per Monitorem, vel per litteras in ipſius damnum & perniciem non revelabo.*

XVI. *Pro viribus conabor defendere & tueri contra omnes homines, Papatum Eccleſiæ Romanæ, dignitatem Archiepiſcopalem Eccleſiæ Leucoſienſis, & ſanctorum Patrum canones, ſalvo in omnibus ordine meo, & patria conſuetudine. Vocatus ibo ad Synodum niſi legitimè fuerim impeditus. Legatum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ quem certo talem eſſe didicero, eundo & redeundo cum honore ſuſcipiam, & rebus neceſſariis adjuvabo. Sic me Deus adjuvet, & ſancta Evangelia.*

XVII. *Hanc juriſjurandi formam unuſquiſque Epiſcoporum Latinorum qui in Cypro ſunt ab Epiſcopo Romæo qui intra Diœceſis ſuæ terminos conſiſtit, tam pro ſe, quàm pro Eccleſia ſua accipiat & exigat. Quod ſi Latinus Epiſcopus judicaverit electionem non eſſe ritè factam, poteſtatem habeat eam ſecundum legitimam conſequentiam refutandi, & probandi.*

XVIII. *Romei autem Epiſcopi à Latino vocati ad ordinationem electi Romæorum Epiſcopi ſine ulla mora & dilatione adeſſe debent.*

XIX. *Nullus autem poteſtatem habeat judicandi Romanum Epiſcopum, vel puniendi, vel expellendi, vel transferendi ab una diœceſi in aliam, vel eum Epiſcopatu ſpoliandi; ſed ſolus Romæ Epiſcopus ſecundum antiqua jura Apoſtolica præcellentia.*

XX. *Eccleſia aliqua Romæorum Epiſcopo viduata, Latinus Epiſcopus non attribuat ſibi authoritatem conſtituendi in ea Epiſcopum, niſi forſan viderit Clericos negligentes, & Epiſcopum e-*

σίαν πᾶσαν ἐν τοῖς μοναστηρίοις, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, καὶ ἐν τῷ λαῷ τ ῥωμαίων, τ ὑποκειμένων αὐτοῖς. καὶ ἐχέτωσαν πάντα τὰ δίκαια τ ἐπισκοπῆς μηδὲν ἐπὶ τούτοις ὠφελούντων τῶν λατίνων ἐπισκόπων ἀδικούμενοι ἐὰν συμβῇ ὑπάρξαι μεσο- δίο ῥωμαίων ὠφελούντων ἐπισκόπων διορθούσθω. ἐὰν δὲ μέσον ῥωμαίου καὶ λατίνου, εἴτε ἐναγὼν εἴη ὁ ῥωμαῖ☉, εἴτε ἐναγόμενο☉, ὁ λατῖνος ἐπίσκοπος τούτῳ κρινέτω.

ligere nolentes. Tum illis terminum bis vel ter indicere debet. Si vero Clerici intra tres illos terminos electionem non agant, tunc Latinus Epiſcopus authoritatem habeat ex ſeipſo eligendi Epiſcopum, ſed Romanum, virum probum, qui à Romeis Epiſcopis ordinetur.

XXI. *Si Romæorum Epiſcopatus vacaverit, Res & bona ipſius diligenter conſerventur futuro Epiſcopo. Omnes autem iſtius inſulæ Epiſcopi Romæ omnem authoritatem habeant in monaſteria, in Eccleſias, & in Romanum populum, qui ſibi ſubjiciuntur. Fruantur quoque omnibus Epiſcopatus juribus, neve in his aliqua moleſtia ab Epiſcopis Latinis inferatur. Si contigerit lis aliqua inter duos Romæos, à duobus Romeis Epiſcopis decidatur. Si vero inter Romanum & Latinum, ſive Romanus actor ſit, ſive Reus, Latinus Epiſcopus litem definito.*

XXII. Iterum poſt multa idem Pontifex, Ἵνα μὴ ἐχλύσεις καὶ διάζεις γίνωνται μέσον τῶ εἰρημένω ἀρχιεπισκόπω Γερμανοῦ, καὶ τῶ μητροπόλιτ☉ λευκωσίας, ϗ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων αὐτῶ ἐκκλησιαστικῶν δικαίων ἐφέζουδν, ἵνα ὁ τοιοῦτ☉ ἀρχιεπίσκοπ☉ Γερμανὸς ἕως ἂν ζῇ ἐνεργεῖν τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν αὐτὸ, ὡς ἀρχιεπίσκοπ☉ ἀκωλύτως, καὶ χωρὶς ἀντιλογίας καὶ ἐμποδισμοῦ μητροπόλιτ☉ λατίνου, ϗ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων αὐτοῦ. ἐὰν γὰρ χειροθέσῃ τις τῶν ὑπ' αὐτῶ ἐπισκόπων ἔξω ἄδειαν ὁ τοιοῦτ☉ Γερμανὸς ὧ τῶν ἐπισκόπων αὐτῶ τῶν ἐπέρων ῥωμαίων καὶ τ ἐκλογὴς τῶ κλήρω πάντως ὧ εὐτάκτως καὶ τῶ ἐπισκόπω λατίνω, τῶν ἐν τῇ ἱερωσύνῃ ἐκείνῃ * Καὶ ἁπλῶς πᾶσαν ἄδειαν διδόαμεν τῷ τοιούτῳ Γερμανῷ ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ εἰς ἅπασαν τὴν κύπρον, εἴς τε ἀναχρίσεις ἀκλυσίτ καὶ διοικήσεις πολιτικὰς τε καὶ ἀναθεωρήσεις, ὅσα ἐφείλετ μητροπολίτῃ, μηδὲν ἐπὶ τούτοις ἐναντιωμένων τῶν ἐπισκόπων λατίνων, παρεκτὸς ἂν διαφαίνεσθαι ἔχειν αὐτοὺς ἰδίως, ἵνα μηδεμίαν ἐξουσίαν καὶ ἄδειαν ἔχῃ ὁ μητροπολίτης λατῖν☉ ϗ τῶ ἀρχιεπισκόπω ῥωμαίων.

XXIII. *Præterea ut nulla perturbationes & perſecutiones oriantur inter dictum Archiepiſcopum Germanum, & Leucoſia metropolitam, aliosque Epiſcopos de Eccleſiarum ſuarum juribus, decernimus, ut Germanus Epiſcopus quandiu vixerit miniſterium & officium ſpirituale quod illi ut Archiepiſcopo competit, ſine ulla contradictione & impedimento Metropolitæ Latini, & aliorum ipſius Epiſcoporum exerceat. Si ergo Eccleſia aliqua earum quæ ſub ipſo ſunt Paſtore viduata fuerit, poteſtatem habebit Germanus iſte cum aliis ipſius Romeis Epiſcopis, & totius Cleri qui eſt in*

illa

illa dioecesi electione etiam cum cognitione Episcopi Latini, Vidua Ecclesia Episcopum instituendi. Absolutè autem omnem huic Germano quandiu vixerit potestatem tradimus in universam insulam Cyprum, ut videlicet examina, judicia, administrationes spirituales, & visitationes, quæ ad Metropolitam spectare possunt, exerceat; neve Episcopi Latini ipsi contradicant, prohibemus, præterquam in iis quæ ad ipsos pertinere specialiter definivimus: ita tamen ut Latinus Metropolita nullam in Romæorum Archiepiscopum potestatem & authoritatem usurpet.

XXIV. Vides in Pontificis constitutione quæcunque in causa quam agimus desiderari possunt, manifestè contineri. Electum Episcopum jubet à Romæis Episcopis ordinari: Si forsan Romæus Episcopus à Latino electus fuerit, à Romæis tamen consecrari: Metropolitam Romæum non modo Electum consecrandi, verumetiam omnia jura & privilegia spiritualia & ecclesiastica quæ Metropolitis in Provinciam competunt, sibi vindicandi ex concessione Pontificis jus habere, atque hæc aliaque secundum patrias consuetudines ab iis fieri consentire Pontificem: Neque hoc primum in regno Cypri constituerat Alex. IV. ut in eodem Pontificio diplomate ex Episcoporum Græcorum suggestu docetur; verùm & ipsius Prædecessor Innoc. IV. duòq; ipsius Legati Petrus Albanensis Episcopus, & qui in legatione Cypria ei successit Tusculanus, idem constituerant, ut scilicet quem elegissent Romæi Episcopi, Albanensis Episcopus si muneri idoneum probasset, confirmaret, καὶ συγχωρεῖν αὐτὸ τῶν ῥωμαίων ἐπισκόπων χειροτονηθῆναι, *& à Romæis Episcopis ordinari concederet.* Hoc postmodum in Germani Archiepiscopi persona qui de Latinis conquerebatur, ab Albanensi Legato factitatum est, ἐπειδὴ προσηνέχθη αὐτῷ ἡ τοῦ τοῦτο Γερμανοῦ ἐκλογὴ ἐπεκύρωσεν αὐτὴν ὁ ῥηθεὶς ἀλβανὸς, καὶ ἐποίησεν ὑπὸ τῶν ῥωμαίων ἐπισκόπων χειροτονηθῆναι· ὑπὸ δὲ τοῦτο ὁμολογηθείσης ἐπ' αὐτοῦ τε τοῦ Γερμανοῦ, καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτοῦ ἐξ ὑπάρχης τὸ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν τῆς ῥώμης ὀφειλομένης ὑποταγῆς, ἐδιδόκασι πάλιν καὶ πρὸς αὐτὸν Γερμανὸν οἱ εἰρημένοι ἐπίσκοποι αὐτοῦ, ὡς Μητροπολίτην ὑποίσειν κανονικὴν ὑποταγήν. *Præsentata ei istius Germani Electione eam confirmavit jam dictus Albanensium Episcopus, curavitque ut à Romæis Episcopis ordinaretur. Postea nominatim professa ab eodem Germano & ipsius Episcopis debita Ecclesiæ Romanæ subjectione, dicti ipsius Episcopi ediderunt iterum canonicæ subjectionis promissionem eidem Germano ut Metropolitæ suo.* Ex quibus, aliisque consimilibus probabat Germanus ille Episcopus se suosque in legitima esse sic agendi possessione, seque soli Romanæ Ecclesiæ subditum esse; petebatque ab Alexandro Pontifice se suosque in ea possessione adversus illegitimas Latini Archiepiscopi usurpationes qui eum sibi subjicere conabatur, conservari.

XXV. Denique idem Pontifex in eadem Constitutione vult ea quæ Græcis confirmat, communicari quoque cum Syris insulæ Cypri incolis eo quod iisdem quibus Græci ritibus A utantur, τοῦτον ἐν τῷ τρόπῳ τῶν ἐφεξῆς, καὶ τῶν δικαίων ἑκατέρας τῶν ἐκκλησιῶν διαμενόντων ἀεὶ τῶν παρόντων γραμμάτων, ἅπερ ὁμοίως καὶ τοῖς ἐν τῇ εἰρημένῃ νήσῳ κύπρῳ Σύροις διαλάβῃ· ὡς καὶ τοῖς ῥωμαίοις ἐπιδὴ τὴν αὐτὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν καὶ σωφρόνειαν καὶ δόγμα ἐξ ἀρχῆς ἔχουσι καὶ φυλάττουσι, ἅπερ καὶ οἱ ῥωμαῖοι. *Hunc igitur in modum definitis per præsentes literas utriusque Ecclesiæ limitibus & juribus, ea similiter composita sunt & decreta pro Syris insulæ Cypri, ut & pro Romæis, quandoquidem eundem ordinem Ecclesiasticum, consuetudinem, & fidem à principio habeant, & conservent quem Romæi.* Romæi ii sunt quos Græcos vocare solemus. Ῥωμαῖοι proprie Romani Græci dicuntur: ita Ethnici autores Græci Romanos vocare solent, se verò Ἕλληνας. Verum postquam Constantinus Romanorum imperium Constantinopolim transtulit, non modo Urbis istius incolæ, sed etiam Christiani omnes imperio Romano subditi Græcis ῥωμαῖοι dicti & Ethnici Ἕλληνες. Quum verò Græci vindicata sibi propter causam jam dictam Romæi sive Romani appellatione, sese ab Occidentalibus Romanis distinxerunt, eos Latinos vocarunt, sicque Ecclesia Christiana Græcis distincta est in Romæam & Latinam, sive Orientalem & Occidentalem. Secundum hanc distinctionem qui Alexandri IV. Constitutionem Græcè transtulit, Ecclesiam Græcam vocavit Romæam, & à Latina distinxit. In textu Græco πρεσβύτερῳ scriptum erat, sed legendum πρεσβύτερα. Iterum ad Asteriscum à nobis affixum aliquid deest, quod ex Epist. 1. lib. 8. Gregorii VII. supplevimus. Ejusmodi enim juramenti formula circa Nicolai II. & Gregorii VII. tempora cœpit originem, & inde Episcopis, & Episcopatus candidatis ad edendum proposita.

XXVI. Paulò pòst Alexandri IV. mortem anno scilicet, 1274. celebratum est Concilium generale Lugdunense secundum, quod Episcoporum numero copiosissimum fuit. In eo Concilio Ecclesia Græca Latinæ unita est, hoc satagente non modo Pontifice Gregorio X. sed etiam Imperatore Græco Michaële Palæologo. Adfuerunt Concilio præter Legatos Michaëlis plurimi Metropolitæ & Episcopi Græci, ut videre potes apud Matthæum Westmonasterienſem, & Annales Pzovii ad ann. 1274. At in eo Concilio nusquam negotium Græcis de eorum ordinationibus facessitum est: in unum corpus cum Ecclesia Catholica coaluerunt; Missam simul cum Pontifice celebrarunt, fidei professionem omnibus Latinis probantibus publicè ediderunt. Qui de sacris eorum ordinationibus litem moveret, nemo repertus est, licet plurimi Episcopi, & Monachi Latini Concilio adessent, non modo linguæ Græcæ periti, verumetiam qui diu Episcopatu & Sacerdotio in Græciæ meditullio functi fuerant. Vix dum enim anni duodecim integri elapsi erant cum Balduinum Imperatorem, cæterosque Latinos Constantinopoli totaque Græcia expulerat Michaël ille Palæologus, imperiumque Constantinopolitanum recuperaverat. Num sincerum vas incrustare cupiunt, virtutesque ipsas

ipſas invertere; qui ſibi perſpicere videntur quod tam numeroſus Pontificum cœtus non vidit?

XXVII. Trium tantùm fidei capitum profeſſionem à Schiſmaticis exegerunt Patres, ut eos Eccleſiæ Catholicæ incorporarent. Ita Nicephorus Gregoras author Græcus illius temporis, initio lib. 5. *Suos Legatos* Michaël Palæologus, *illis adjunxit* Epiſcopis, *qui concordiam conciliarent atque amplecterentur, cujus hæc tria capita fuerunt. Primum, ut ſacrorum voluminum hymnodiis, Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceret cuivis Romam veterem, quæ curia major & perfectior eſſet, appellare. Tertium, ut illi principatus in omnibus deferretur. De appendice verò ſacri Symboli quam illi novarunt, aut alio quo vis argumento, tum nulla acrior contentio incidit; ſed, quod ad eas quidem res attinebat, pacata & tranquilla fuerunt omnia.* In Appendice Symboli, Latini authores plerique, ut Annales Eberhardi Ratiſponenſis, Naucleri, & aliorum cum Gregora non conveniunt: Affirmant enim Græcos in eo Concilio proceſſionem Spiritus S. à Filio amplexos eſſe & profeſſos. Ita forſan cenſuit Gregoras eo quod rogantibus Græcis permiſſum eſt Symbolum Conſtantinopolitanum ſolemniter ſine illa additione recitare, ut antiquitus ante natum ſchiſma ſolebant. Ita enim Matthæus Weſtmonaſterienſis, qui omnia illa capita refert, ut & appendicem, *Rogamus magnam ſanctitatem veſtram, ut Eccleſia noſtra Græcorum dicat ſanctum Symbolum ſicut dicebat hoc ante ſchiſma uſque in hodiernum diem, ut permaneamus in ritibus noſtris, quibus utebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra præcepta divina, nec contra doctrinam novi & veteris Teſtamenti, nec contra ſanctum Concilium univerſalium illorum Patrum approbatorum à Sancto ſpirituali dominatione ſancta Romana Eccleſia celebratis.*

CAPUT IV.

In Concilio Florentino annum integrum in doctrinam & ritus Græcorum, & in minima quæque inquiſitum, de ordinatione tamen nulla facta mota. Bullæ Leonis X. & Clementis VII. quibus Græcorum Sacerdotium & ritus probantur, & quicquid ad eorum firmam conſervationem deſiderari poteſt, conceditur. Græci in diœceſi Latinorum habitantes viſitationi Ordinariorum ſubditi. Clementis VIII. decretum de Epiſcopo Græco Romæ habendo qui Græco ritu ordinet. Græci Presbyteri in casu neceſſitatis Latinos abſolvunt. Clemens VIII. Ruthenos Græcos cum ritibus ſuis in Eccleſiam admiſit, nec ullum eſt illis de ordinatione ſua factum negotium. Paulus V. turbantes Græcos in ritibus ſuis compeſcuit. Urbanus VIII. juſſit quoque Romæ Epiſcopum Græcum ſumptibus publicis ali, qui Italogræcos ritu Græco ordinaret.

VErum quid ſolemnius, quid auguſtius in ejuſdem cauſæ demonſtrationem deſiderari poteſt, quam Concilium Florentinum totum quantum eſt? Annum integrum Latini cum Græcis tum Ferrariæ, tum Florentiæ de variis fidei articulis, & rituum utriuſque Eccleſiæ differentiis diſputarunt. Aderant Concilio è Græcis Imperator ipſe Joan. Palæologus, Joſephus CP. Patriarcha, Vicarii Patriarcharum cæterorum, Metropolitæ Græci quindecim, aliorumque hominum Clericorum & Laïcorum Græcorum numeroſa turba, nullus tamen legitur de Græcorum ordinationibus vel verbulo litem intendiſſe, aut aliquid muſſitaſſe. Præcipuis tamen difficultatibus ultro citroque per annum integrum examinatis diſcuſſis & definitis, viri duodecim doctiſſimi, ſex Latini, ſex Græci à Concilio electi ſunt, qui litteras unionis componerent, *quas cum ſummus Pontifex & Imperator* Græcus *accuratè vidiſſent, juſſerunt, ut Græcis & Latinis litteris in uno, eodemque folio deſcriberentur, ita ut à parte dextera Latinè cum Occidentalium Patrum ſubſcriptionibus, ac ſummi Pontificis ſigillo; ab altera verò parte Græcè cum Græcorum ſubſcriptionibus, necnon ipſius Imperatoris ſigillo ſcripta eſſent. Quibus quidem omnibus ritè diligenterque peractis communi partium ambarum conſenſu ſummus Pontifex Imperatore præſente, omnibuſque tam Græcis, quàm Latinis Præſulibus, veſtibus ſacris indutus, in templo ſanctæ Mariæ liberatæ, die lunæ ſexta menſis Julii Miſſam ſolemniter celebravit. Quæ quidem celebrata, ipſa eadem littera à Juliano Cæſarino ſanctæ Sabinæ Cardinale Latinè, à Beſſarione vero Græcè, Dei gratia lecta promulgataque fuere in hac forma.*

II. *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam, conſentiente ad infra ſcripta charißimo filio noſtro Joanne Paleologo Romæorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.*

III. *Lætentur cœli, & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum vinculo fortiſſimo charitatis & pacis, unumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, poſtque longam mœroris nebulam, & diſſidii diuturni atram ingratamque caliginem, ſerenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe, &c.* Multa in eandem rem conſequuntur, quæ perfectiſſimam & omnibus gratiſſimam utriuſque Eccleſiæ unionem teſtantur. Unde quæſo factum eſt ut Latinorum nullus, licet nonnulli fuerint in eo Concilio Latinè, Græceque doctiſſimi, Græcarum ordinationum vitium deprehenderit; Pontificem aut alios Epiſcopos Latinos de ea re monuerit? Cum Miſſas ſæpius Ferrariæ & Florentiæ celebraverint, tam execrandam impietatem nullus adverterit? Sacerdotalia ſcilicet, non Sacerdotes peragere, Epiſcopalia non Epiſcopos?

IV. Præter ea quæ in unionis decreto inſerta ſunt, de proceſſione Spiritus S. à Patre & Filio, velut uno principio, de pane azymo & fermentato ad corpus Chriſti conficiendum, de pœnis poſt mortem purgatoriis, de intuitiva Dei viſione pro uniuſcujuſque meritis, de Eccleſiæ Romanæ in univerſam Eccleſiam primatu, & de Patriarchæ CP. Πατριαρχεῖα poſt Romanum Pontificem ſupra cæteros Patriarchas, multa alia poſt unionis decretum publicatum ab iis inquiſivit Eugenius IV. Pontifex, hæc videlicet, *Cur partem ſacratiſſimi panis in calice cum ſanctiſſimo ſanguine miſceant: Et in magno Exodo, quando videlicet panis in Patena, & vinum in calice de uno in aliud altare vidente populo fertur à Sacerdote, capita ſua reverenter inclinent, cum panis ipſe, vinumque nondum ſint conſecrati & aquam ferventem, non autem frigidam in calicem fundant: & cur ante conſecrationem his verbis utantur, unus autem de militibus lancea latus ejus aperuit, & ſtatim ſanguis & aqua exivit. Et paulo poſt, Ecce ſtella venit, & ſtetit ſuper pueri caput, & cur Presbyteri, non autem Pontifices, ſacro chriſmate utantur, cum ſoli Pontifices eo uti deberent.* (Hæc verba, *non autem Pontifices*, irreptitia videntur.) *Et mortuos ungant oleo. Et neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi peccata ſua confiteri ſoleant. Et poſt hæc Dominica verba, Accipite & manducate, hoc eſt enim corpus meum, & reliqua, quibus procul dubio ſacratiſſimi Chriſti corpus & ſanguis conficitur, his quoque verbis utantur: Et fac quidem panem hunc, honorabile corpus Chriſti tui; quod autem in calice iſto eſt, honorabilem ſanguinem Chriſti tui, ea ſancto tuo ſpiritu tranſmutante. Amen, Amen, Amen. Et cur matrimonia ſeparent, cum Dominus noſter præceperit eos disjungendos non eſſe, quos Deus conjunxerit. Cur denique ſuum Patriarcham ibidem non eligant, ſed abſque eo diſcedere patiantur.* Has quæſtiones Pontifex ipſe à Græcis convocatis quæſivit, *quas*, inquit Concilii textus, *Præſul Mityle-*

A *nenſis, diſſolviſſe facile viſus eſt, ultimis duabus exceptis.* Quum igitur ſancti illi Patres in minutas pleraſque Græcorum ceremonias tam accuratè inquiſierint, quis in animum ſuum induxerit religionis Chriſtianæ capitale fundamentum quo Græci, ut illis placet, à Latinis differebant, eos aut ignoraſſe, aut ſibi cognitum neglexiſſe, aut caſſa glande contrà exiſtimaſſe? Hoc ſanè eſt aduerſus concilia generalia obniti, quod laudarunt condemnare, quod catholicum judicarunt, hæreſis inſimulare.

V. Duorum Pontificum una & eadem Bulla id quod contendimus confirmantium teſtimonia referemus, quibus ſeveriſſimè prohibe-
B tur ne Græcis de eorum ritibus & ordinationibus moleſtia creetur: eoque argumento imprimis nituntur, quod à Concilio Florentino approbati fuerint. Bullam prope integram Clementis VII. quæ Bullam Leonis X. Prædeceſſoris ſui continet, referemus. In ea quæcunque hac in cauſa dicere, colligere & deſiderare poſſemus, evidenter enarrantur. Eam refert Leo Allatius ſæpe à nobis laudatus in opuſculo de ætate & interſtitiis in collatione ordinum apud Græcos ſervandis, Romæ cum privilegio & approbationibus anno
C 1638. edito. Itaque eâ hîc exſcriptâ nihil erit nobis aſſumendum.

CLEMENS PAPA VII. ad futuram rei memoriam.

VI. *Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ſuum jus cuilibet conſervetur. Hinc eſt quod nos tenore quarundam literarum ſel. rec. Leonis Papæ decimi Prædeceſſoris, & ſecundum carnem fratris patruelis noſtri, in forma Brevis à veris ipſius Prædeceſſoris litteris, quas in Secretaria noſtra diligenter inſpici & examinari fecimus, extra-*
D *ctumque pro eo, quod ſicut natio Græca nobis expoſuit, ipſa hujusmodi tenore ex certis cauſis dignoſcitur indigere, de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſius nationis ſupplicantis inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.*

VII. *Leo Papa decimus ad perpetuam rei memoriam. Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino ſub ſel. rec. Eugenio Papa IV. Prædeceſſore noſtro, in quo inter cæteros Principes & Prælatos Imperator tunc Græcorum, & quamplurimi alii Prælati nationis Græcæ pro unione facienda de Orientali Græcorum cum Ro-*
E *mana Eccleſia, res tandiu à prædecessoribus noſtris Romanis Pontificibus, ac tota Chriſtiana Republica deſiderata, interfuerunt, inter alia ſtatuta, ac determinata nationem prædictam in quibuſdam eorum ritibus & obſervantiis, quæ non imputabantur hæreſis, permanere, & inter cætera ſcilicet quod Presbyteri infermentato celebrare, ac ſub alia forma quàm Romana baptizare, videlicet, baptizatur ſervus Dei in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Item quod ordinati in ſacris matrimonio ante ipſorum ſacrorum ordinum ſuſceptionem contracto uti, ac barbam nutrire, venerandumque Sacramentum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris miniſtrare poſſint, per dictum Concilium ſtatutum, ordinatum, & decretum, ſive*

per-

permiſſum fuerit; tamen Ordinarii locorum Latini ipſam nationem ſuper dictis ritibus & obſervantiis in locis ubi de præſenti Græci morantur, quotidie moleſtant, perturbant, & inquietant, cogentes pueros ipſorum, & alios eorum more baptizatos, iterum more Romanæ Eccleſiæ rebaptizare, dictumque ſacramentum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris minimè miniſtrari debere, neque barbam nutrire, neque in fermento, ſed azymo celebrare, ac ordinatos in dictis ſacris ordinibus matrimonio non uti, propter quæ ac nonnulla alia quotidie in populo diverſa ſcandala exoriuntur, ac in dies, niſi de opportuno remedio per nos, aut ſedem prædictam provideretur, exoriri contingeret. Conſiderantes nos quam operæ pretium, plurimumque foret, ac neceſſarium, ut unio prædicta multo labore quæſita, ac per Romanos Pontifices ſolicitata conſervetur, & dictorum Græcorum moleſtiis, ac impedimentis ejuſmodi obvietur, atque ipſorum quieti, atque animarum conſolationi in præmiſſis opportunè conſuletur, necnon ritus & obſervantiæ in eorum Eccleſiis & alibi juxta antiquam ipſorum conſuetudinem, præſerventur: Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dictis Græcis tam Prælatis, quàm aliis perſonis nationis Græcæ, & eorum cuilibet, ut eorum ritibus, ac obſervantiis, ſive conſuetudinibus, ut præmittitur, uti, ac illos & illas obſervare, Miſſaſque & alia divina officia ſecundum eorum antiquam conſuetudinem celebrare. Necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Græcis, & inter eoſdem Græcos, ubi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Prælati Latini juri dictionem habent, Pontificalia liberè exercere officia, ac à ſuis ordinariis officiis, Eccleſiis, ac piis locis, & Oratoriis ſuper hujuſmodi rituum obſervantia per Latinos Antiſtites, & Prælatos etiam locorum ordinarios, & Dominos temporales, Magiſtratus ſeculares in judicium vel alias invitis minimè trahi: Necnon quicunque Clerici Græci, ac aliæ perſonæ nationis Græcæ undecunque venientes in locis ubi Archiepiſcopi, Epiſcopique, & alii Prælati Latinorum, & Domini temporales ſunt, ab ipſis tam Græcis, quàm Latinis eleemoſynas petere, & accipere liberè, & licitè poſſint; motu & ſcientia ſimilibus, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper quod nullus Archiepiſcopus, & Epiſcopus Græcus Clericos Latinos, nec Latinus Archiepiſcopus, & Epiſcopus etiam Ordinarius Clericos Græcos ad Sacerdotium promovere valeant. Ac quod in diœceſi, ubi Latini & Græci inhabitant, & ſolum Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum Latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus circa negotia, & cauſas dictorum Græcorum Vicarium Græcum ipſis Græcis gratum, vel per ipſos Græcos eligendum, ex quo Græcus vir melius Græcos mores novit, quam Latinus, eorum ſtipendio & ſalario retinendum deputare. Quodque in cauſis appellationis ad Metropolitanum, qui forſan Græcus non eſſet, dictus Metropolitanus ſimiliter in dictis cauſis judicem Græcum deputare teneatur. Et inſuper cum in Parochialibus Eccleſiis ipſorum Græcorum, ex antiquiſſimo & hactenus obſervato ritu non niſi ſemel in die per unum Sacerdotem celebrari liceat, & tamen nonnulli Sacerdotes Latinorum dimiſſis ipſorum propriis Parochialibus Eccleſiis, ut præfatos Græcos injuria afficiant, & ad diſturbandum eorum ritus, & conſuetudinem hujusmodi, neſcitur quo ſpiritu ducti, interdum altaria dictarum Parochialium Eccleſiarum præoccupant, & ſuis contra voluntatem eorundem Græcorum Miſſas, & forſan alia divina officia celebrant, adeoque dicti Græci ſæpenumerò ſine auditione Miſſarum cum magna animarum moleſtia feſtivis & aliis diebus quibus Miſſam audire conſueverunt, remanent. Nos autem ad obviandum ſcandalis & providendum ne in futurum moleſtiæ hujusmodi Græcis ipſis inferantur, Sacerdotibus prædictis Latinis ne de cetero Miſſas, & alia divina officia in dictis aliis Eccleſiis eorundem Græcorum celebrare: Magiſtratibus verò, ſi qui ſunt, ne dictis Sacerdotibus auxilium & favorem præſtent: Necnon ut nullus, ritus, & ceremonias Græcorum in dicto Concilio Florentino, vel alias approbatos blaſphemare, aut reprobare, ſeu improbare: Ac ubi duo, unus Latinus, alter verò Græcus ejusdem loci, puta in Cephalonia, & Zacyntho, & forſan alibi, ſint Epiſcopi, Epiſcopus Latinus de perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus Græcis, ac de juriſdictione Epiſcopi Græci, vel aliis quibuſcunque ad Epiſcopum Græcum quomodolibet ſpectantibus, nullatenus ſe intromittere præſumat, ſed Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus verò Græcus Græcorum duntaxat curam, regimen ac juriſdictionem reſpectivè habeant & exerceant. Et inſuper quod Presbyteri & Clerici Latini in Eccleſiis Græcorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis ac baptiſmis, & aliis Græcorum actibus publicis ac privatis intereſſe, aut ſe immiſcere, niſi ad hæc ſpecialiter per ipſos Græcos vocati fuerint, audeant vel præſumant. Quod Clerici & Presbyteri ſeculares, & Monachi Græcorum, eorumque Eccleſiæ & Monaſteria, & bona quæcunque omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, & indultis, ac gratiis, quibus Clerici, Presbyteri, & Monachi Latini, eorumque Eccleſiæ, Monaſteria, & bona quæcunque de jure ſive conſuetudine, vel aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Necnon Abbates & Monachi Græci, eorumque Monaſteria, loca, & bona quæcunque omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, gratiis, & prærogativis in Bulla mare magnum nuncupata, contentis, Fratribus ordinis Minorum regularis obſervantiæ, eorumque Monaſteriis locis, ſeu conventibus, tam per dictam Bullam, quam aliàs quomodolibet conceſſis, & concedendis, etiam uti, potiri, & gaudere poſſint. Necnon viduæ Presbyterorum, vel Clericorum Græcorum in caſtitate juxta ritum Græcorum viventes eiſdem immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, quibus viventibus eorum viris Presbyteris ſeu Clericis gaudere poterant, gaudeant, & fruantur, paribus motu, & ſcientia, & poteſtate concedimus, decernimus, & declaramus. Ac ita per Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos, & Presbyteros, & Clericos Latinos pro dictis, & quibuſcunque aliis, eis videlicet Prælatis, & ſub majoribus, vel ſuſpenſionis à divinis; aliis vero inferioribus, ſub Excommunicationis latæ ſententia, privationis beneficiorum Eccleſiaſticorum quæ obtinent, ac perpetuæ, inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda ipſo facto per quemlibet contrà facientem in

*currendis pœnis * præcipiens, mandamus quatenus* A *præſentes literas, ac omnia in eis contenta inviolabiliter obſervent, ſicque per quoſcunque Judices in Romana Curia, vel extra eam in quacunque inſtantia judicari, ſententiari, & deffiniri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, ſententiandi, & definiendi facultate; ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quocunque quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, &c.*

VIII. *Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 18. *Maji* 1521. *Pontificatus noſtri anno nono. Cæterum ut earundem litterarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei,* B *ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica authoritate decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim, & eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litteræ ſupradictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus vel oſtenſus, & eidem tenori firmiter ſtetur in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ, & oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus* denuò *cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum tantummodò conſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 26. *Martii* 1526. *anno tertio.*

IX. Hæc Clementis VII. Bulla tum temporis ab Anonymo quodam Græcè in Græcorum commodum tranſlata eſt, eamque idem Allatius in eodem opere evulgavit. Ad eam reſpiciebat Antonius Galatæus lib. de ſitu Japygiæ, ſic de Græcis ſcribens, *Cum Latini quidam ex his circumforaneis Mendicantibus Græcos perſequerentur, ac cogerent eos ex Azymo non ex fermentato pane conficere Sacramentum: Hi Sacerdotes poſt longas diſputationes Romæ in pleno collegio Principum Sacerdotum vicere, & ne à patrio ritu diſcederent, impetravere. Quem morem* D *huc uſque ſervant, & Romanæ Eccleſiæ juſſis noſtrates omnes Catholici Græci parent.*

X. Cum autem privilegiorum iſtorum occaſione immodeſtius Græci per Calabriam & Siciliam ſeſe gererent, de iis graviter conqueſti ſunt apud Pontificem Pium IV. locorum Ordinarii, quibus obnoxii erant: multa perturbatè facere contra Canones, contra Eccleſiam Romanam; multa etiam impiè & hæreticè, nec Ordinariorum Viſitationem pati, aſſerentes per Bullas præcedentes ſe ab Ordinariorum viſitatione exemptos. Pius igitur anno 1564. Conſtitutione edita declarat eos à poteſtate & viſitatione Ordinariorum non eſſe exemptos, imò nec eorum Archiepiſcopos, Epiſcopos, E Prælatos, Abbates, Rectores in civitatibus Ordinariorum habitantes. Nec contentus ſermoni ſuo ſuppoſuiſſe Epiſcopos & Sacerdotes eſſe validè ordinatos, ita tandem excipit §. 5. *Per hoc tamen non intendimus, quod ipſi Græci ab eorum Græcanico ritu diſtrahantur, vel aliàs deſuper, quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios impediantur.*

XI. Verum decreto Clementis VIII. ſemel enarrato, quod non modo ipſe, ſed etiam ipſius ſucceſſores executi ſunt, atque etiam nunc exequuntur, rem factam habes, fruſtra aliis poſthac argumentis confirmatur. Clemens VIII. poſt longum examen ex ſententia Congregationis pro reformatione Græcorum inſtitutæ inſtructionem de ritibus nonnullis Græcorum edidit anno 1595. cujus ultimus articulus hic eſt, *Inſuper idem ſanctiſſimus Dominus noſter conſtituit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & inſularum ad jacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tantum concedendis ritu Græco ordinet.* Refertur iſta inſtructio Bullarii tom. 3. Clementis VIII. Conſtit. 34. Ab eo tempore in hunc uſque diem Romæ in Eccleſia S. Athanaſii non modo ſingulis Dominicis & Feſtis Liturgiæ ſeu Miſſæ, cæteraque officia Eccleſiaſtica ritu planè Græco publicè celebrantur & decantantur, ipſiſſimo Pontifice procurante, & ſumptus ſuppeditante quibus cum Romæ viverem ſæpius interfui: Verumetiam ordines ipſi tam ſacri, quàm non ſacri ritu Græco juxta Euchologii ipſorum præſcriptas ceremonias ab Epiſcopo Græco conferuntur. Ex eadem inſtructione multa alia argumenta colligi poſſunt, exempli gratia, ex eo quod decernit Pontifex, *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere.* Item, *Nunquam Monachis Græcis ſeu Calogeris animarum cura committatur, niſi ex neceſſitate, vel alia juſta cauſa.* Item, *Presbyteri ſeculares Græci, abjuratis ſchiſmate & erroribus, atque in fide Catholica bene inſtructi, in Parochialibus ſeu curatis Eccleſiis Græcorum inſtitui poſſunt.* Ita ex multis aliis Paragraphis, ſed poſito præcedente argumento cætera ſolem facula videntur illuminare.

XII. Illuſtris admodum & Auguſtæ ejuſdem argumenti confirmatio petitur ab eo quod fecit idem Pontifex & eodem anno. Rutheni, ſive Ruſſi, aut Roxolani Regno Poloniæ ſubditi, quorum Provincia in octo diœceſes latiſſimas diffunditur, quarum una eſt Archiepiſcopalis, Concilio facto decreverunt poſt multorum annorum ſchiſma ſeſe cum Eccleſia Romana unire, illique obedientiam velut omnium Eccleſiarum matri & principi præſtare. Decretum factum eſt anno 1594. die 2. Decembris: deinde ut decretum executioni mandarent duos Epiſcopos Romam ad Clementem VIII. anno ſequenti Rutheni miſerunt, cum litteris ad Pontificem datis die 12. Junii anno 1595. quibus obedientiam illi ut ſummo Chriſtianorum Pontifici pollicentur, teſtanturque duos illos Epiſcopos à ſe Procuratores miſſos ut non modo fidei confeſſionem à Græcis exigi ſolitam ſuo nomine profiterentur, ſed etiam obedientiam ſchiſmate ejerato & anathematizato ſummo Pontifici præſtarent. Decretum autem iſtud, ſicut & litteræ ad Pontificem miſſæ hanc conditionem continebat, *Salvis tamen & in integrum obſervatis ceremoniis & ritibus cultus divini peragendi, & ſanctorum Sacramentorum juxta conſuetudinem Eccleſiæ Orientalis; correctis tantummodò iis articulis, qui ipſam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, ſicut olim unione durante fuerunt.*

XIII. Eodem anno die 23. Decembris ſolemniter & magno cum apparatu in aula Conſtantiniana Palatii Romani à Clemente VIII. Car-

Cardinalibus, magnoque comitatu cincto, fidei profeſſione edita & obedientia præſtita, Eccleſiæ Catholicæ uniti ſunt, & incorporati. Anno ſequente aurea & argentea numiſmata juſſu Pontificis in æternam rei tam præclarè geſtæ memoriam cuſa ſunt, in quorum obverſa facie Pontificis Effigiem cum hac inſcriptione ſculpitur, CLEMENS VIII. PONT. MAX. A. V. In adverſa verò Pontifex throno inſidens benedictionem adventantibus & procumbentibus Ruthenis impertitur, his verbis ſupra ſculptis RUTHENIS RECEPTIS, & infra, CIↃIↃ. XCVI. In natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli publicè ab ipſomet Pontifice populo diſtributa ſunt. Cardinalis Baronius tanti fecit hujus actionis memoriam, ut tomo Annalium ſeptimo cui tum elaborando incumbebat, illius hiſtoriam in appendicem adjungere voluerit: Hinc ſuperiora decerpſimus. Rutheni Græci ritûs tanta cum ſolemnitate non modo recepti ſunt à tanto Pontifice cum omnibus ritibus ſuis, ſed quod nunc potiſſimum agimus, de eorum ordinationibus nulla lis mota eſt. Recepti ſunt in Eccleſiam, & ei incorporati cum iis ordinibus quos apud ſuos acceperant, Epiſcopi ut Epiſcopi, Presbyteri ut Presbyteri. Quis igitur de ordinationum Græcarum veritate & valore poſt exemplum tam ſolemne & auguſtum dubitare audeat?

XIV. Cum quidam Græcis invidentes poſtea rumorem ſparſiſſent ritus Græcos in divinis & Sacramentorum adminiſtratione obſervari antea ſolitos per iſtam unionem eſſe extinctos, Paulus V. Pontifex maximus huic calumniæ maturè occurrendum eſſe cenſuit. Ideo Bullam edidit anno 1615. qua calumniam detegit, & averſatur, ritus confirmat, & ordinatos ab eis ſuſcipit, & ſuſcipiendos eſſe declarat; Bullam hîc inſeremus quæ ſimul decretum Clementis VIII. de Ruthenorum unione cum Eccleſia Romana refert & commendat, ut Lector de toto negotio per ſeſe judicet: Eam habet jam ſæpe laudatus Leo Allatius de interſtitiis à Græcis in collatione ordinum ſervandis.

PAULUS V. AD PERPETUAM rei memoriam.

XV. *Solet circumſpecta Romani Pontificis memoria, ſi qua aliquando ſuper litteris ab Apoſtolica ſede emanatis dubia oriuntur, ſua declarationis oraculo tollere, & aliis providere, prout temporum & perſonarum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Alias ſiquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor bona M. Michaëlem Archiepiſcopum & Metropolitam Kiovienſem, ac Halicienſem totius Ruſſiæ, & cum eo pleroſque ejus Comprovinciales Epiſcopos, & alios tunc expreſſos unà cum omni eorum Clero, & populo nationis Ruthenæ, ſeu Ruſſæ, quæ cum Romana Eccleſia non communicabat, ſed Græcorum ſchiſma ſequebatur, intra gremium Eccleſiæ Catholicæ, & unitatem S. R. E. uti membra ſua in Chriſto ſub certis modo & forma recepit, univit, adjunxit, annexuit, & incorporavit, prout in dicti Clementis Prædeceſſoris, ſub plumbo deſuper ſub dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1595. 10. Kal. Januarii, Pontificatus ſui anno quarto expeditis litteris plenius continetur. Cum autem ſicut venerabilis fratris Joſephi Archiepiſcopi moderni Kiovienſis & Halicienſis nomine nobis nuper expoſitum fuit, non deſunt qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti, ſibi perſuadeant Romanam Eccleſiam per unionem præmiſſam eorum ritus & ceremonias in divinis officiis, & Sacramentorum adminiſtratione tollere & extinguere voluiſſe, unde ſcandalum multorum provenire dignoſcitur: Ea propter nos ex paſtoralis officii debito, inimico homini bono ſemini ſuperſeminanti zizania occaſionem auferre, & errorem ejuſmodi ex mentibus hominum evellere, ac ſcandalis occurrere volentes, necnon litterarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus dicti Joſephi Archiepiſcopi nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnes ſacros ritus, & ceremonias quibus Rutheni Epiſcopi, & Clerus juxta ſanctorum Patrum Græcorum inſtituta in divinis Officiis, & ſacroſancta Miſſæ ſacrificio, cæterorumque Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque ſacris functionibus utuntur, dummodo veritati & doctrinæ fidei Catholicæ non adverſentur, & communionem cum Romana Eccleſia non excindant, per unionem præmiſſam tollere aut extinguere, Eccleſiæ Romanæ intentionem, mentem, & voluntatem non fuiſſe, non eſſe, neque id dici, vel cenſeri potuiſſe, nec poſſe. Quinimò dictos ritus eiſdem Ruthenis Epiſcopis & Clero ex Apoſtolica benignitate permiſſos, conceſſos, & indultos eſſe, ſicut ex litteris prædictis, & Concilio Florentino apparet, & ex inſtituto Collegii Græcorum Urbis noſtræ, nec non Alumni de ritibus hujuſmodi ſervandis, ſicut accepimus, juramentum præſtant, Apoſtolica authoritate tenore præſentium decernimus & declaramus; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Decemb. an. 1615. Pontificatus noſtri an. 11.* Non adverſari autem doctrinæ Catholicæ, nec communioni cum Eccleſia Romana prædictos ritus, & potiſſimum eos qui ſpectant Ordinationes, evidentiſſimum eſt ex Bulla iſtius Pontificis quæ Ruſſis Epiſcopis ſecundum ritum Græcum ordinatis dignitatem Epiſcopalem tribuit, eorum ſacrificia ſancta vocat, nihil, ne minimum quidem, in eorum ordinatione carpit, ſed eos authoritate Prædeceſſoris ſui & Concilii Florentini defendit; atque ut calumniatores acriter increpat eos qui de iis detrahunt, & Eccleſiæ Romanæ mentem eſſe ritus iſtos abolere mentiuntur.

XVI. Denique non modo Clemens VIII. Epiſcopum Græcorum Romæ ſuis ſumptibus aluit, & alendum decrevit, qui in Roma ipſa Ordinationes ritu Græco celebraret; idemque præſtitit Paulus V. & Prædeceſſoris ſui conſtitutionem quandiu vixit, inviolatam conſervavit: Verumetiam Urbanus VIII. utriuſque ſucceſſor Conſtitutionem illam innovavit, & ampliavit, *Curet Protector procurationi Collegii ſpecialiter deputatus, ut Græcus aliquis*

ex Oriente ritu Græco conſecratus Epiſcopus Romæ ad divina officia atque ordinationes, ritu Græco in Eccleſia S. Athanaſii peragendas, qui quæ ad cæremonias & ritus Orientalis Eccleſiæ faciunt, docere Alumnos poſſit, & ipſe per omnia ſervet. Item, *Jurent Italo-græci ſtatum Eccleſiaſticum, ac ſacros ordines uſque ad Presbyteratum ritu Græco ſuſcepturos quandoque, & ubi ſuperioribus viſum fuerit.* Præterea, *Qui tales fuerint ſine litteris dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, ſed ad titulum Collegii ac Miſſionis ordinari poſſint, & debeant, dummodo Græco ritu ab Epiſcopo Græco, ad id à ſede Apoſtolica deputato ordinentur.* Eſt igitur evidentiſſimum Eccleſiam Romanam Græcas ordinationes ſemper approbaſſe, Græcorum Epiſcopos & Presbyteros Schiſmate ejerato nunquam reordinaſſe, ſed cum exercitio ordinum quos à Schiſmaticis ſuſceperant, niſi aliud crimen ſubeſſet, admiſiſſe, ratamque ordinationem quam apud eos acceperant, ſemper habuiſſe; nec ullam difficultatis umbram in hac aſſertione proſpicere poſſum. Pontificum enim decretis, & evidenti publicæque Eccleſiæ Romanæ praxi cedant neceſſe eſt omnia Doctorum argumenta, & Philoſophemata, quæ huic praxi quoquomodo opponi poſſent.

COM-

COMMENTARII
DE SACRIS ECCLESIÆ
ORDINATIONIBUS
SECUNDUM ANTIQUOS ET RECENTIORES,
LATINOS, GRÆCOS, ET SYROS,
PARS SECUNDA,

QUÆ COMPLECTITUR VARIOS SACRARUM ORDINATIONUM Rituales, Latinos, Græcos, Syros, ex antiquis Sacramentariorum codicibus exſcriptos: Adnotationes in quædam verba, ritus, & ornamenta Eccleſiaſtica Latinis inuſitata, in ritualibus Græcis & Syris occurrentia: Symeonis Theſſalonicenſis Archiepiſcopi librum de Sacramento Ordinis, & ejus myſteriis: Gabrielis Philadelphiæ Metropolitæ de eodem Sacramento libellum; & Auxilii de ordinationibus à Formoſo Papa factis, & earum poſt ejus mortem iteratione libellos duos.

PRÆFATIO.
IN SEQUENS FORMULARUM SACRÆ ORDINATIONIS SYSTEMA.

Quâ explicat Author quid ipſum commoverit ad conquirendos & colligendos tam varios & multiplices Ordinationum rituales libellos; & quid commodi & incommodi ex iis conſequatur.

I. QUanquam quæ prima hujus operis parte demonſtrata ſunt, tam ex continua Eccleſiæ traditione & praxi, quàm ex continuis ſummorum Pontificum & Conciliorum generalium decretis, ſatis ſuperque probent homini Catholico, ſacras Orientalium ordinationes poſt Schiſma in hunc uſque diem validas fuiſſe & ratas, attamen his firmiſſimis & auguſtiſſimis probationibus animus non acquievit. Experiri volui an duo alia probationum genera mihi ſuccederent. Prius eſt, an antiquiſſima Ordinationum Græcarum ritualia ſecundum quorum præceptum Ordines ante ſchiſmata conferebantur, cum hodiernis convenirent. Ideo cum Romæ tum viverem an ibi aliqua nanciſci poſſem, diligenter inquiſivi: Nec fruſtra fui: Quædam enim mihi ſuppeditata ſunt, quæ altero ſeculo ſchiſmatis initium præcedebant; quædam quæ paulò ante ſchiſma, aut circa illa tempora, diligenter & accuratè ſcripta fuerant, ſed ex aliis antiquioribus deſcripta: quædam, ſed variis gradibus poſteriora. Quale fuerit eorum unumquodque, & à quibus acceptum, infra locis ſuis deſcribemus. Hæc igitur diligenter legens & examinans deprehendi antiqua omnia eſſe hodiernis ſimillima, nec ullum in iis occurrere diſcrimen quod irritæ ordinationis vel tantillam ſuſpicionem inducere poſſit.

II. Comparationis iſtius ſucceſſu, continua Eccleſiæ praxis, Pontificum quoque & Conciliorum decreta pulcherrimè illuſtrantur, & confirmantur. Unuſquiſque enim experientia, oculis, & manibus videre & tangere poteſt eorum veritatem quæ Concilia & Pontifices ſolo Dei ſpi-

ſpiritu ducti antea ſæpius definiverant. In manus tantùm ſumat è membranis antiquis exſcripta quæ proponimus, & hodierna Euchologia, juxta quorum præſcripta Græci ſolent ordines conferre, oculoſque adhibeat, & antiqua cum hodiernis comparet, tum non ſine admiratione fateri cogetur, veritatem undecunque veniat, & à quocunque proferatur, ſibi ſemper eſſe ſimillimam. Unde argumentum in confirmationem Græcarum ordinationum graviſſimum & certiſſimum conſurgit. Nam ſi hodiernæ Græcorum ordinationes irritæ ſunt, cum ab antiquis non differant, antiqua quoque fuit ineffica x, venerandique illi Patres Conciliorum generalium Aſſeſſores nihil minus fuerunt quàm Sacerdotes & Epiſcopi. Quod cum cogitare animus horreat, hodiernæ Græcorum ordinationi neceſſario eſt efficacitas, & veritas aſſerenda. Vel dicendum Sacramenta validè à Schiſmaticis ex natura ſua conferri poſſe, quod non ſolum eſt ab Eccleſiæ doctrina maximè alienum, verum etiam decretis Pontificum jam allegatis è diametro repugnat.

III. Cum autem hoc ita proſperè mihi ſucceſſiſſet, alterum tentare volui, comparationem ſcilicet antiquiſſimorum Ritualium Latinorum cum Græcis, & cum Latinis recentioribus quibus nunc utimur, & quibus uſi ſunt olim antiqui Scholaſtici. Plures ejuſmodi libros rituales & antiquiſſimos nacti ſumus, quos non ſecus ac Græcos hoc opere in lucem edimus. De quibus tria Lectorem monebo. Primum, quæcunque antiquiſſima ritualia complectuntur, recentiora complecti; ſed recentiora multa continere quæ in antiquioribus non deprehenduntur, ut utraque legendo unuſquiſque animadvertet. Unde conſtat non aliter nunc ordinationes fieri quàm antiquitus, ſive quidquid eſt ordinationi ſubſtantiale, rituales libros hodiernos continere. Secundum, Ritualia Latinorum antiquiſſima Græcis eſſe ſimillima, nihilque ſubſtantiale in illis aſſignari poſſe, quod in his ſimili modo non deprehendatur; quod alterum & evidens argumentum eſt, Concilia, Pontificeſque meritò Græcorum ordinationes approbaſſe.

IV. Tertium ſpinoſum eſt & perplexum, multiſque difficultatibus occaſionem præbet. In antiquiſſimis enim Latinis Ritualibus nihil eorum occurrit in quibus nonnulli Theologi Scholaſtici Ordinationum ſacrarum ſubſtantias, ſive materias & formas conſtituerunt. Quo verò magis rituales illi libri ab antiquitate recedunt, eò propius ad dicta iſtorum Scholaſticorum accedunt, ita ut ab annis quadringentis ſcripti rarò atque in paucis ab iis differant. Omnis autem illa differentia in additione conſiſtit, vix in textus mutatione, qui ab Apoſtolis ſeu viris Apoſtolicis compoſitus ad nos uſque invariatus permanſit. Difficultatum quæ hinc frequentiſſimæ pullulant explicatio & reſolutio, tertiæ operis noſtri parti componendæ occaſionem dedit. Nihil enim aliud in ea nobis propoſitum eſt, quàm ſuppoſita antiquarum Latinarum Ordinationum concordia cum Græcis & antiquis & recentioribus, viam aperire qua concordia quoque cum doctrina Scholaſtica iniri poſſit. Occurrent etiam nonnullæ difficultates in operis progreſſu quæ aliunde originem trahent; ex comparatione videlicet quorundam antiquorum canonum & decretorum cum eorundem Theologorum axiomatis: Illæ quoque à nobis non negligentur, ſed pro captu noſtro diſcutientur, & evolventur.

V. Partis hujus ſecundæ quatuor erunt partes. Prima complectetur Ordinationum Græcarum exemplaria quotquot nacti ſumus. Incipiemus autem ab antiquiſſimis quas huc referemus, licet ſæpius editæ fuerint, quarum prima eſt S. Clementis Romani, ſecunda S. Dionyſii vulgò Areopagitæ dicti, cæteræ poſteriores ſunt ex antiquis membranis nunc primùm editæ. His ordinationum Græcarum ritibus addidimus librum Simeonis Theſſalonicenſis Archiepiſcopi de Sacramento ordinis ex Vaticanis codicibus exſcriptum, in quo non modo ritus & ceremoniæ Ordinationum continentur; verumetiam earum rationes myſticæ præclarè & doctè explicantur; præſertim quæ ad ſolemnem Epiſcoporum, & Patriarcharum inaugurationem ſpectant, hactenus Latinis incognita, ſcitu tamen, ut mihi videtur, digniſſima. Ex quibus collectis, & cum ritu Latino collatis ſummus conſurgit utriuſque Eccleſiæ conſenſus, ex Diametro ſterili & exangui Novatorum electioni oppoſitus & infeſtus. Huic conjunximus tractatulum de eodem ordinis Sacramento à Gabriele Philadelphienſi Metropolita Græco recentiore compoſitum, ante annos plures Venetiis editum, qui utriuſque Eccleſiæ conſenſum, & Catholicam de Sacramento ordinis ſententiam & praxim illuſtrat & confirmat. His etiam adtexere viſum eſt ritum electionis & renunciationis Patriarchæ Conſtantinopolitani à poſteriori-bus Imperatoribus factæ, ex Codino & Phrance deſcriptum, ut nihil eorum quæ antiquos & novos Græcorum ritus ſpectant, te celemus.

VI. Secunda pars complectetur varias adnotationes in textum ejuſmodi Ordinationum à nobis elaboratas, ut nonnulla quæ in eo occurrunt obſcura, & Latinis hominibus inuſitata, aut nondum ſatis dilucidè explicata, vel è tenebris in lucem erueremus, vel dilucidiùs explicaremus. Tertia pars, complectetur rituales antiquos Latinos, quotquot bonæ notæ in manus noſtras inciderunt, indicatis in cujuſque præfatione locis & perſonis à quibus eos accepimus; quibus adnectimus Auxilii libellos duos de ordinationibus à Formoſo Papa factis, & earum iteratione, diu deſideratos, hactenus tamen nunquam editos. Quarta denique Syros rituales exhibebit, non ſecus ac Græci, Latinitate à nobis donatos, ut Ordinationum ſacrarum formulas ex penitiſſimo Oriente in extremum Occidentem deductas & Latinè ſonantes audire & examinare poſſis. Hac ratione quæcunque pertinent ad antiquas totius orbis Chriſtiani, Catholici, & Schiſmatici, & omnium ſeculorum ordinationes, uno conſpectu, & velut una oculatione contemplari poteris.

PRÆ-

PRÆFATIO

IN SACRARUM ORDINATIONUM Ritum Apoſtolicum ex S. Clementis Romani Pontificis, & in Euangelii Prædicatione Apoſtolorum Coadjutoris, conſtitutionibus decerptum.

Propoſito noſtro convenientiſſimum obis viſum eſt ab iis Graecorum Ordinationibus principium ducere, quæ omnium apud eos ſunt antiquiſſimæ. Quidquid autem ſit de Conſtitut. earum illarum antiquitate & authoritate, certum & exploratum apud omnes videtur, eas & S. Athanaſium & Concilium Nicænum primum anteceſſiſſe: Ad eas enim nonnunquam, ut ad antiquas & vulgatas Eccleſiæ regulas, vel confugiunt vel alludunt. Nec illi tantum, aut qui eo ſeculo vixerunt, verumetiam ſequente ſeculo. S. Epiphanii teſtimonium hoc retuliſſe contenti ſimus: Plures enim viri docti hanc difficultatem emodarunt, & ab ea ſalebras omnes removerunt. Sanctus igitur Epiphanius hæreſi 70. quæ eſt Audianorum, de iis ſic ſcribit, Audiani verò ad inſtitutum ſuum quandam ex Apoſtolorum conſtitutione authoritatem accommodant. Qui liber tametſi dubiæ apud nonnullos fidei ſit, non eſt tamen improbandus. Nam in eo quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent, omnia comprehenduntur: neque quidpiam aut in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi ac decretis contrarium continent.

II. *Non ideo tamen velim aſſerere, aut alicui perſuadere Apoſtolica eſſe decreta quæcunque complectitur iſte liber. Nonnulla enim videntur in eo variis occaſionibus ab Apoſtolorum ſucceſſoribus vel decreta, & poſtmodum in unum veluti corpus cum cæteris aſſuta, vel etiam addita, explicationis & illuſtrationis cauſa. Veluti quæ cap. 14. & 15. lib. 2. dicuntur adverſus eos qui Pœnitentibus veniam negandam eſſe blaſphemant. Hæc enim adverſus Novatianos, aut ſaltem Montaniſtas, quorum hæreſim in hoc capite Novatiani amplexi ſunt, decreta videntur. Quæ lib. 5. cap. 6. ac carminibus Sibyllæ, & ave Phœnice referuntur, ad certiorem & auguſtiorem reſurrectionis propter Ethnicos demonſtrationem, à viris piis addita non abs re dici poſſunt.*

III. *Idem duobus modis demonſtrant quæ de Paſchate dicuntur ejuſdem libri cap. 16. Judæos ſcilicet Paſcha celebrare ex calculo, & ratiociniis. Id enim contingere non potuit niſi poſt Judæos tota Judæa expulſos. Quandiu enim illis licuit in Judæa habitare, Paſcha non ex cyclorum calculo, ſed ex viſione Lunæ celebrarunt, ut multi adnotaruht. Imò axioma eſt apud eos vulgatum, in terra Promiſſionis Paſcha non eſſe aliter quam ex viſione Lunæ celebrandum. Itaque animum ad Computi Paſchalis ratiocinia poſt expulſionem à Patria quæ ab Adriano Imperatore decreta eſt, tantum appulerunt.* Tres ferunt Judæi computi ſui authores R.R. Samuelem, Addam, & Hilelem, quorum primus paulò poſt annum Chriſti ducenteſimum floruit. Vide ſis quæ de computo Judaïco & his Computiſtis ſcripſimus Exercitation. Samarit. prima, c. 3. Paucula quidem de Computo ſcripſit author libri Pirke Eliezeris dicti, quæ ibidem referimus: ſed alibi probamus authorem libri iſtius non ea eſſe antiquitate quæ à Judæis vulgo jactatur.

IV. *Idem quoque probare videtur quod eodem loco aſſeritur, æquinoctium vernum in diem Martii 22. incidere. Nam omnium Aſtrologorum conſtans eſt ſententia Ptolomæi obſervationes & ratiocinia temporis ipſius & vicina, ſive ipſum ſequatur ſive præcedat, eſſe convenientiſſima. Atqui anno Chriſti ducenteſimo biſſextili vernum æquinoctium ſecundum medium & æquabilem motum cœpit in meridiano Alexandrino die 23. Martii paulò poſt meridiem; ſecundum autem verum die 21. paulò poſt horam octavam matutinam. Itaque anno primo poſt biſſextum eo loci ſol primum gradum Arietis ingrediebatur ſequenti die poſt horam ſecundam pomeridianam, hoc eſt, poſt horam ſecundam diei 22. Martii. Diem enim Alexandrini, à quibus omnis computandi peritia in Eccleſiam Chriſtianam derivata eſt, à meridie inchoabant. Semper igitur vernum æquinoctium ad diem Martii 22. eo ſeculo pertinebat, excepto anno biſſextili, in quo per intercalationem reducebatur ad horam 20. cum parte quinta elapſam diei viceſimi primi; quod perfectiſſimè quadrat cum Nicenorum Patrum ſententia qui vernum æquinoctium in viceſimo primo die Martii fixerunt. Nam anno Chriſti 325. quo celebrata eſt celeberrima illa Synodus, quique*

primus eſt poſt biſſextilem ſecundum Ptolomæi cal-culos æquinoctium vernum ſecundum veros motus in Alexandrino meridiano venit die 21. Martii tantiſper poſt horam quartam matutinam: ſecundo igitur anno poſt biſſextum hoc eſt anno Chriſti 326. æquinoctium vernum verum tantiſper poſt horam decimam matutinam incipiebat, &c.

V. Itaque his, aliſque conjecturis freti, Conſtitutiones illas quæ vulgo Clementis nomine feruntur, cenſeo diſciplinam eſſe Eccleſiaſticam quæ Orientalis Eccleſiæ ante Conſtantinum primum ſub ethnicis Imperatoribus regebatur. Primus eas in ordinem ex ære & mandatis Apoſtolorum ex-

A *ceptas redegit, & edidit Clemens; Deinde ſucceſſu temporis à ſynodis Orientis auctæ primi authoris nomen conſtanter retinuerunt. Hoc non inficiabitur opinor, qui diſcipline Orientalis peritus Conſtitutiones illas legerit. Opponi multa ſcio: ſed eorum magnam partem jam conſtat veritatem eſſe patentiſſimam, nedum errorem, aut crimen; de reliqua facilè ſtipulari poſſem. Conſtitutiones igitur illas quæ ſpectant ordinationes ſacras, non præciſe ut ab Apoſtolis editas, ſed ut ante 1400. annos in Oriente uſurpatas, exſcribimus, & ob lectorum oculos exponimus.*

B

ΤΑΞΙΣ ΓΙΝΟΜΕΝΗ ΕΠΙ χειροθεσίᾳ Ἐπισκόπου κ͞τ̄ τ̀ Κλήμεντα.

ORDO OBSERVANDUS IN ordinatione Epiſcopi ſecundum Clementem Romanum.

ΑΜΑ τοίνυν ⸗καρχοντες ἡμεῖς οἱ δεκαδύο τ̀ κυρίε Ἀπόστολοι, ταῖς ὓ ταῖς θείαις ἡμῶν ἐπιλλόμεθα Διατάξεις ⸗ὸς παντὸς ἐκκλησιαστικ̀ τόπου, συμπαρόντων ἡμῖν κ̀ τ̀ τ̄ ἐκλογῆς σκεύους Παύλε τ̀ συναποστόλε ἡμῶν, Ἰακώβε τ̀ ἐπισκόπου, ἐ τ̀ λοιπ̀ πρεσβυτέρων, κ̀ τ̀ ἑπτ̀ Διακόνων.

NOs igitur duodecim Apoſtoli Domini, qui una ſumus, has vobis divinas conſtitutiones noſtras de omni Eccleſiaſtica forma & ordinatione indicimus, præſentibus nobiſcum Paulo Vaſe electionis Coapoſtolo noſtro, & Jacobo Epiſcopo, ac reliquis Presbyteris, & ſeptem Diaconis.

C Πρῶτ⸗ οὖν ἐγ̀ φημι Πέτρ⸗, ἐπίσκοπον χειροτονεῖσθαι. ὡς ἐ πᾶς πρ⸗λαβοῦσιν ἅμα πάντες Διαβεβαίωμεθα, ἐ πᾶσιν ἀμεμπτ⸗ν δρισθ̀ ὑπ̀ παντὸς τ̄ λαοῦ ἐκλελεγμέν⸗. οὗ ὀνομασθέντ⸗ κ̀ δρέσαντ⸗ συνελθὼν ὁ λαὸς ἅμα τ̀ πρεσβυτερίῳ, κ̀ πᾶς παρεῖσιν ἐπισκόποις ἐ ἡμέρᾳ κυριακῇ συνιδοκήτω. ὁ δὲ πρόκειτ⸗ τ̄ λοιπ̀ ἁπαντ̀ πρεσβυτέρων, κ̀ τ̄ λαὸν, εἰ αὐτὸς ὅστι ὃν αἰτοῦσι) εἰς ἀρχιερ̀ κ̀ ἐπισκοπον, πρυστυρώτω εἰ μαρτυρεῖ) ὑπ̀ πάντων ἄξι⸗ εἶναι τ̀ μεγάλης ταύτης κ̀ λαμπρᾶς ἡγεμονίας· εἰ τὰ κ̄τ̀ τὸν εἰς Θεὸν αὐτ̀ δόσεων κατώρθω)· εἰ τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια πεφύλακται· εἰ τὰ κ̄τ̀ τὸν οἶκον αὐτ̀ καλῶς ᾠκονόμηται· εἰ τὰ κ̄τ̀ τὸν βίον ἀνεπιλήπτως. κ̀ πάντων ἅμα κ̄τ̀ ἀλήθειαν, ἀλλ' οὐ κ̄τ̀ πρόληψιν μαρτυρούντων τοιοῦτον δυτὸν εἶναι, ὡς ὄντι δικαίῳ Θεῷ κ̀ χριστῷ παρόντ⸗ δηλαδὴ κ̀ τ̄ ἁγίου πνεύματος, κ̀ πάντων τ̄ ἁγίων, κ̀ λειτουργικῶν πνευμάτων; ἐκ τρίτου πάλιν πυθέσθωσαν, εἰ ἄξιός ὅστιν ἀληθῶς τῆς λειτουργίας· ἵνα ἐπὶ στόματος δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθῇ πᾶν ῥῆμα. Καὶ σωζομένων οὕτω ἐκ τρίτου ἄξιον εἶναι, ἀπατείσθωσαν οἱ πάντες σωζόμενα, κ̀ δόντες πρόθυμως ἀκροάσθωσαν· κ̀ σιωπῆς γενομένης, εἷς τ̄ πρώτων ἐπισκόπων ἅμα κ̀ δυσὶν ἑτέροις πλησίον τ̄ θυσιαστηρίε ἱστὰς, τ̄ λοιπῶν ἐπισκόπων κ̀ πρεσβυτέρων σιωπ̀ πρόσευχομένων, τῶν δὲ Διακόνων τὰ θεῖα Εὐαγγέλια ἐπὶ τ̄ τ̄ χειροτονουμένε κεφαλῆς ἀνεπτυγμένα κατέχόντων, λεγέτω πρὸς θεόν.

C Ego igitur primus Petrus dico, ordinandum eſſe Epiſcopum, ut omnes antea pariter conſtituimus, ſcilicet, de quo in nulla re ſit querela, & qui ſit à cuncto populo ex optimis quibuſque electus. Quo nominato & placente, populus in unum congregatus unà cum Presbyterio, & Epiſcopis, qui tum adſunt, præſentibus, die Dominico conſentiat. Cæteris verò prælatus percontetur Presbyterium & populum, an ipſe ſit quem Principem ſibi petunt. Et illis annuentibus iterum percontetur, an omnes teſtentur cum dignum eſſe hoc magno & illuſtri munere præſidendi. D An quæ ad pietatem erga Deum pertinent, rectè peregerit: An jura in omnes homines ſervaverit: An domum ſuam, reſque domeſticas bene adminiſtraverit; & an vita ei per omnia honeſtè & laudatè acta fuerit. Cum verò omnes ſimul non ſecundum opinionem præjudicatam, ſed ſecundum veritatem teſtificati fuerint tanquam in conſpectu Judicis Dei, & Chriſti, præſente etiam Spiritu ſancto, atque omnibus Sanctis, & adminiſtratoriis ſpiritibus, talem eſſe eum; rurſus tertiò interrogent, utrum verè ſit miniſterio di- E gnus, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Cum autem tertiò annuerint eum eſſe dignum, petatur ab omnibus, ut præbeant ſignum aſſenſus, & libenter præbentes, audiantur. Poſtea ſilentio facto, unus ex primis Epiſcopis unà cum duobus aliis ſtans prope altare, reliquis Epiſcopis & Presbyteris tacitè precationem facientibus, & Diaconis aperta Euangelia ſuper caput ejus qui ordinatur, tenentibus; in hunc modum precetur.

A

Invocatio in Ordinatione Epiſcopi.

HERE Domine Deus omnipotens, qui ſolus es ingenitus, & non ſubjectus ullius regis imperio; qui ſemper es, & ante ſecula exiſtis; qui nullius unquam rei indiges; qui nullam tui cauſam aut ortum habere potes; qui ſolus es verus, & ſapiens, qui ſolus altiſſimus; qui naturâ es inviſibilis; cujus cognitio non habet ullam originem; qui ſolus es bonus, & cum nemine conferri potes; qui omnia noſti antequam fiant; cui occulta ſunt cognita; ad quem accedi non poteſt; qui non potes habere Dominum; Deus & pater unigeniti filii tui, Dei & Salvatoris noſtri; effector omnium per ipſum, Providens & Procurator; Pater miſerationum, & Deus totius conſolationis; qui in altis habitas, & humilia reſpicis. Tu es qui dediſti leges Eccleſiæ per adventum Chriſti tui in carne, teſtante Paracleto per Apoſtolos tuos, & per nos qui gratia tua adſumus Epiſcopi; qui à principio Sacerdotes providiſti, qui populo tuo præſſent: In primis Abel, Seth, Enos, & Enoch; Noë, Melchiſedech, & Job; qui declaraſti Abraham & reliquos Patriarchas cum fidelibus famulis Moyſe & Aaron, Eleazaro & Phinees: qui ex ipſis inſtituiſti Principes & Sacerdotes in tabernaculo teſtimonii; qui elegiſti Samuëlem in Sacerdotem & Prophetam; qui Sanctuarium tum non reliquiſti ſine miniſterio; qui complacuiſti in iis quos elegiſti ad te glorificandum; ipſe etiam nunc interceſſione Chriſti tui per nos infunde virtutem ſpiritus tui principalis, qui à dilecto filio tuo Jeſu Chriſto miniſtratur; quem te volente, qui es æternus Deus, donavit ſanctis Apoſtolis tuis. Da in nomine tuo, cognitor cordis Deus, huic famulo tuo quem ad Epiſcopatum elegiſti, ut paſcat ſanctum gregem tuum, atque ut Pontificatu tibi ſancte fungatur, & ſine reprehenſione, miniſtrans die ac nocte; ut propitiando vultum tuum, congreget numerum eorum qui ſalvandi ſunt, & offerat tibi dona Eccleſiæ tuæ ſanctæ. Da ipſi Domine omnipotens, per Chriſtum tuum participationem Spiritus ſancti, ut habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum; item dandi cleros, ut tu juſſiſti, ac ſolvendi omne vinculum ſecundum poteſtatem quam Apoſtolis dediſti, placendique tibi in manſuetudine, & corde mundo, offerendo tibi ſine culpa ſemper, & ſine crimine ſacrificium mundum & incruentum, quod per Chriſtum conſtituiſti myſterium novi Teſtamenti, in odorem ſuavitatis per ſanctum filium tuum Jeſum Chriſtum, Deum & Salvatorem noſtrum; per quem tibi gloria, honor & veneratio in ſancto Spiritu nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Poſtquam ſic Epiſcopus precatus eſt, reliqui Sacerdotes illi reſpondeant, Amen, & omnis populus cum eis. Prece facta unus ex Epiſcopis offerat hoſtiam in manus Ordinati;

Ἐπίκλησις ὅτε χειροτονίας ἐπισκόπου.

Ὁ σὺ δέσποτα κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἀγέννητος, καὶ ἀδεσπόλλυτος, ὁ ἀεὶ ὢν καὶ πρὸ τῶν αἰώνων καταρχὼν ὁ παντὶ ἀενάϊος, καὶ πάσης αἰτίας καὶ γνώσεως κρείττων· ὁ μόνος ἀληθινὸς, μόνος σοφὸς, ὁ ὢν μόνος ὕψιστος· ὁ τῇ φύσει ἀόρατος· οὗ ἡ γνῶσις ἄναρχος· ὁ μόνος ἀγαθὸς, καὶ ἀσύγκριτος· ὁ πάντα εἰδὼς πρὶν γένεσιν αὐτῶν ὁ τὰ κρυπτῶν γνώστης, ὁ ἀπρόσιτος, ὁ ἀδέσποτος· ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου· τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν· ὁ δημιουργὸς τῶν ὅλων διὰ αὐτοῦ, ὁ προνοητὴς ὁ κηδεμὼν ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως· ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν· οὐ ὁ δοὺς ὅρους ἐκκλησίας διὰ τοῦ ἐν σάρκῃ παρουσίας τοῦ Χριστοῦ σου τοῦ μάρτυρος τῆς παρακλήτου διὰ τῶν σῶν Ἀποστόλων καὶ ἡμῶν τῶν χάριτι σῇ παρεσώντων ὑπηκόων· ὁ προορίσας ἐξ ἀρχῆς ἱερεῖς εἰς ἁγιασίαν λαοῦ σου Ἄβελ ἐν πρώτοις, Σὴθ Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Νῶε, Μελχισεδὲκ, Ἰὼβ· ὁ Ἀναδείξας Ἀβραὰμ καὶ τοὺς λοιποὺς πατριάρχας σὺν τοῖς πίστει σοι θεραπεύσι Μωϋσῆ καὶ Ἀαρὼν, καὶ Ἐλεαζάρῳ καὶ Φινεές· ὁ ἐξ αὐτῶν προχειρισάμενος ἄρχοντας καὶ ἱερεῖς ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου· ὁ τὸν Σαμουὴλ ἐκλεξάμενος εἰς ἱερέα καὶ προφήτην· ὁ τῷ ἁγιάσματί σου ἀλειτούργητον μὴ καταλιπών· ὁ δεξάμενος, εὐοδοῦσθαι αὐτὸν καὶ τῶν μετὰ τοῦ Χριστοῦ σου διὰ ἡμῶν ἐπίσχες τὴν δύναμιν τοῦ ἡγεμονικοῦ σου πνεύματος, ὃ ἔδωκας τῷ ἠγαπημένῳ σου παιδὶ Ἰησοῦ Χριστῷ, ὃ ἐχαρίσω τοῖς ἁγίοις σου ἀποστόλοις τὸ αἰωνίου Θεοῦ δῶρόν σου καρδιογνώστα ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου, τὸν ὃν ἐξελέξω εἰς ἐπισκοπὴν, ποιμαίνειν τὸν ἅγιόν σου ποίμνιον, καὶ ἀρχιερατεύειν σοι ἀμέμπτως λειτουργοῦντα νυκτὸς καὶ ἡμέρας· ἐξιλασκομένον σε τὸ πρόσωπον, προσαγαγεῖν τὸ πλῆθος τῶν σωζομένων, καὶ προσφέρειν σοι τὰ δῶρα τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας· δὸς αὐτῷ δέσποτα παντοκράτωρ διὰ τοῦ Χριστοῦ σου τὸν μετουσίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὥστε ἔχειν ἐξουσίαν ἀφιέναι ἁμαρτίας κατὰ τὸν ἐντολόν σου· δοῦναι κλήρους κατὰ τὸ πρόσταγμά σου· λύειν πάντα σύνδεσμον κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκας τοῖς ἀποστόλοις· εὐαρεστεῖν δέ σοι ἐν πραότητι καὶ καθαρᾷ καρδίᾳ ἀτρέπτως καὶ μωμήτως ἀνεγκλήτως· προσφέρειν σοι καθαρὸν καὶ ἀναίμακτον θυσίαν ἣν διὰ Χριστοῦ διέθου τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης εἰς ὀσμὴν εὐωδίας διὰ τοῦ ἁγίου παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, δι' οὗ σοι δόξα, τιμὴ, καὶ σέβας ἐν ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων

Καὶ ταῦτα ἐπιδεξαμένου, οἱ λοιποὶ ἱερεῖς ἐπιλεγέτωσαν ἀμήν· καὶ σὺν αὐτοῖς πᾶς ὁ λαὸς καὶ μετὰ τὴν προσδοχὴν εἰς τὰς τῶν ὑποκόπων ἀναφερέτω τὴν θυσίαν ὑπὸ τῶν χειρῶν τοῦ χειροτονηθέντος.

καὶ τῇ ἑωθεν ἐνθρονιζέσθω εἰς τ̃ ἑαυτ̃ ἀφφίθρονον τοπον ὡσὰ τ̃ λοιπ̃ ἁπασκόπων πάντων ὡτ̃ν φιλησάντων τὸν ἐν κυρίῳ φιλήμαλι. καὶ μ̃ τὴν ἀνάγνωσιν τ̃ νόμου καὶ τ̃ν προφητ̃ν, τ̃ν τε ἐπιστολ̃ν ἡμ̃ν, καὶ τ̃ πράξεων, καὶ τ̃ν εὐαγγελίων ἀσπασάσθω ὁ χειροτονηθεὶς τὴν ἐκκλησίαν λέγων· ἡ χάρις τ̃ κυρίου ἡμ̃ν Ἰησ̃ Χριστ̃, ἡ ἀγάπη τ̃ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ἡ κοινωνία τ̃ ἁγίου πνεύματος μ̃ πάντων ὑμ̃ν· καὶ πάντες ἀποκρινέσθωσαν, καὶ μ̃ τ̃ πνεύματός σου. καὶ μ̃ τ̃ πρόσρησιν προσλαλησάτω τ̃ λαῷ λόγους προσκλήσεως.

A & mane à reliquis Epiſcopis in ſolio ſuo collocetur, cunctis eum in Domino oſculantibus. Poſt verò lectionem legis & Prophetarum, & Epiſtolarum noſtrarum, & Actorum, & Euangeliorum ſalutet Eccleſiam Ordinatus, dicens, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei & Patris, & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis. Et omnes reſpondeant, Et cum Spiritu tuo. Poſt ſalutationem alloquatur populum ſermone exhortatorio.

B

Περὶ χειροτονίας πρεσβυτέρων διάταξις ἰωάννου τ̃ φιλουμένου ὑπὸ κυρίου

Joannis à Domino dilecti de ordinatione Presbyterorum Conſtitutio.

Περὶ δὲ χειροτονίας πρεσβυτέρων ἐγὼ ὁ φιλούμενος ὑπὸ τ̃ κυρίου διατάσσομαι ὑμ̃ν τοῖς ἐπισκόποις. Πρεσβύτερον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, τ̃ χεῖρα ἐπὶ τ̃ κεφαλ̃ς ἐπιτίθει αὐτὸς σ̃ πρεσβυτερίου παριστῶτός σοι καὶ τ̃ν διακόνων καὶ δίχα μέμφου λέγε.

Κύριε παντοκράτωρ ὁ Θεὸς ἡμ̃ν ὁ διὰ Χριστ̃ τὰ πάντα δημιουργήσας, καὶ δι' αὐτ̃ τ̃ ὅλων προνοῶν καταλλήλως· ὃς γὰρ δύναμις διάφορα ποιῆσαι, οὕτω δύναμις καὶ διαφόρως προνοῆσαι. διὰ γὰρ τοῦτο ὁ Θεὸς προνοεῖς, τ̃ν μὲν ἀθανάτων φυλακ̃ μόνῃ, τ̃ν δὲ θνητ̃ν διαδοχ̃ τ̃ ψυχ̃ς, φρονπίδι νόμων· σ̃ σώματος, ἀναπληρώσει τ̃ ἐνδείας. οὗτος δὴ καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐπὶ τ̃ ἁγίαν σου ἐκκλησίαν, καὶ αὔξησον αὐτὴν καὶ πλήθυνον τοὺς ἐν αὐτ̃ προεστ̃τας· καὶ δὸς δύναμιν πρὸς τὸ κοπιᾶν αὐτοὺς λόγῳ καὶ ἔργῳ εἰς οἰκοδομὴν τ̃ λαοῦ σου· αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τ̃ δοῦλόν σου τόπον τ̃ψήφῳ καὶ κρίσει σ̃ κλήρου παντὸς εἰς πρεσβυτέριον ἐπιδοθέντα· καὶ ἔμπλησον αὐτὸν πνεύματος χάριτος καὶ συμβουλίας σ̃ ἀντιλαμβάνεσθαι καὶ κυβερνᾶν τ̃ λαόν σου ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ἐν τρόπῳ ἐπίδες ἐπὶ λαὸν ἐκλογ̃ς σου, καὶ προσέταξας Μωϋσεῖ αἱρεῖσθαι πρεσβυτέρους οὓς ἔπλησας πνεύματος. Καὶ νῦν κύριε ὁ θεὸς ἄνελλιπὴς τηρῶν ἐν ἡμῖν τὸ πνεῦμα τ̃ς χάριτός σου, ὅπως πληθεὶς ἐνεργημάτων ἰατικ̃ν καὶ λόγου διδασκαλικοῦ ἐν προσοχ̃ παιδεύῃ τ̃ λαόν σου, καὶ δουλεύῃ σοι εἰλικρινῶς ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ καὶ ψυχ̃ ἱλαρᾷ, καὶ τὰς ὑπὲρ σ̃ λαοῦ ἱερουργίας ἀμώμους ἐκπλ̃ῃ διὰ σ̃ Χριστ̃ σου, μεθ' οὗ σοι δόξα, τιμὴ, καὶ σέβας, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Dе Ordinatione Presbyterorum ego dilectus à Domino ſic vobis Epiſcopis conſtituo. Cum Presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum ſuper caput ejus aſtantibus tibi Presbyterio & Diaconis, & orans dicito.

Domine omnipotens Deus noſter, qui cuncta per Chriſtum condidiſti, & univerſa per ipſum providentia, ut cuique naturæ convenit curas: Qui enim poteſt varia efficere, hic etiam poteſt variis modis providere. Propter hoc enim immortalibus quidem ſola conſervatione proſpicis; mortalibus autem ſucceſſione; animæ, ſtudio legum; corpori, expletione indigentiæ. Ipſe igitur & nunc reſpice Eccleſiam tuam ſanctam, eamque auge, & eos qui in ea præſunt multiplica. Da illis virtutem ut verbo & opere ad ædificationem populi tui laborent. Ipſe etiam nunc reſpice ſuper hunc famulum tuum ſuffragio & judicio totius Cleri ordini Presbyterorum aſcriptum; & imple eum ſpiritu gratiæ; & conſilii ad opitulandum populo tuo, ad eumque corde mundo gubernandum; ſicut reſpexiſti populum tuum electum, & ſicut Moyſi juſſiſti Seniores eligere quos ſpiritu impleviſti. Idem nunc Domine præſta ſervans in nobis ſpiritum gratiæ tuæ non deficientem, ut plenus operationibus ad ſanandum aptis, ſermone ad docendum idoneo, populum tuum manſuetè erudiat, ſerviatque tibi ſinceré, ac mente pura, animoque libenti, ac pro populo tuo ſacra rite, & ſine vitio operetur per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria, honor, cultus, & ſancto Spiritui in ſecula. Amen.

C

D

E

Περὶ χειροτονίας διακόνων τ̃ φιλίππου διάταξις.

De ordinatione Diaconorum Philippi Conſtitutio.

Περὶ δὲ χειροτονίας διακόνων ἐγὼ φίλιππος διατάσσομαι. διάκονον καθιστήσεις ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθεὶς αὐτῷ τὰς χεῖρας παριστῶτος σοι παντὸς τ̃ πρεσβυτερίου, καὶ τ̃ διακόνων, καὶ ἐπιδεξάμενος ἐρεῖς.

Ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἀληθινὸς καὶ ἀψευδὴς, ὁ πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους σε

DE Ordinatione verò Diaconorum ego Philippus ſic conſtituo. Diaconum ordinabis Epiſcope imponens ei manus, præſentibus univerſo Presbyterio, & Diaconis, & orans dices.

Deus omnipotens qui verax es, qui non mentiris, qui divitias tuas effundis in omnes qui te invocant in veritate, qui terribilis in con-

conſiliis, qui ſapiens cogitatione, qui validus & magnus, exaudi orationem noſtram, & auribus percipe preces noſtras Domine, & oſtende faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum electum tibi in miniſterium, & imple eum Spiritu ſancto & virtute, ſicut impleviſti Stephanum Protomartyrem & imitatorem paſſionum Chriſti tui; & concede ei, ut miniſterio ſibi commiſſo, ad voluntatem tuam conſtanter extra querelam & crimen adminiſtrato, majore deinceps gradu dignus habeatur, per Mediatorem Chriſtum & unigenitum Filium tuum, cum quo tibi gloria, honor, & veneratio, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

A ἐν ἀληθείᾳ. ὁ φυβερὸς ἐν βελαῖς, ὁ σοφὸς Δημιουργία, ὁ κραταιὸς καὶ μέγας, εἰσάκουσον τῆς δεήσεως ἡμῶν κύριε, καὶ ἐνίσχυσον τὸν δοῦλόν σου, τὸν ἰδίῳ τῷ προχειριζομένῳ σοι εἰς διακονίαν· καὶ πλῆσον αὐτὸν πνεύματος ἁγίου καὶ δυνάμεως· ὡς ἔπλησας Στέφανον τὸν μάρτυρά σου καὶ μιμητὴν τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ καταξίωσον αὐτὸν ἀμέμπτως λειτουργῆσαι τὸν ἐπιχειροτονεῖσθαι αὐτῷ διακονίαν ἀκατακρίτως ἀνεγκλήτως μείζονος ἀξιωθῆναι βαθμοῦ διὰ τὸν μοσπρίας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ' οὗ σοι δόξα, τιμὴ, καὶ σέβας, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

B

Conſtitutio Bartholomæi de Diaconiſſa.

DE Diaconiſſa verò ego Bartholomæus ſic conſtituo, Epiſcope, manus ei impones præſentibus Presbyterio, Diaconis & Diaconiſſis, & dices.

Περὶ διακονίσσης Βαρθολομαίου διάταξις.

Περὶ τῆς διακονίσσης Βαρθολομαῖος διατάσσομαι, ὡ ἐπίσκοπε ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας· πάρεδρων τοῦ πρεσβυτερίου, καὶ τῶν διακόνων, καὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ἐρεῖς

Invocatio in Ordinatione Diaconiſſæ.

DEus æterne, pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui viri & mulieris author es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu ſancto impleviſti; qui non dedignatus es Filium tuum unigenitum ex muliere naſci, qui in tabernaculo teſtimonii, & in templo cuſtodes fœminas januis tuis Sanctis præfeciſti: Ipſe etiam nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium, & da ei Spiritum ſanctum, illamque emunda ab omni inquinatione carnis, & ſpiritus, ut opus ſibi impoſitum dignè perficiat ad gloriam & laudem Chriſti tui, cum quo tibi gloria & adoratio, & ſancto Spiritui in ſecula. Amen.

Ἐπίκλησις ἐπὶ χειροτονίας διακονίσσης.

C Ὁ Θεὸς, ὁ αἰώνιος πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς δημιουργὸς, ὁ πληρώσας πνεύματος ἁγίου Μαριὰμ καὶ Δεβόρραν, καὶ Ἄνναν, καὶ Ὁλδάν, ὁ μὴ ἀναξιώσας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν γεννηθῆναι ἐκ γυναικὸς· ὁ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου, καὶ ἐν τῷ ναῷ προχειρισάμενος τὰς θυρωροὺς τῶν ἁγίων σου πυλῶν, αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὴν δούλην σου, τὴν νῦν προχειριζομένην εἰς διακονίαν· καὶ δὸς αὐτῇ πνεῦμα ἅγιον. καὶ καθάρισον αὐτὴν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐπιτελεῖν αὐτὴν τὸ ἰσχυριζόμενον αὐτῇ ἔργον εἰς δόξαν σὴν καὶ ἔπαινον τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοι δόξα, καὶ προσκύνησις, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

D

Conſtitutio ſancti Thomæ de Subdiaconis.

DE Subdiaconis verò ego Thomas ſic vobis Epiſcopis conſtituo. Cum Subdiaconum ordinas Epiſcope, impones ei manus, & dices.

Domine Deus, cœli & terræ factor, & omnium quæ cœlo terraque continentur; qui in tabernaculo teſtimonii ædituos feciſti Sanctorum vaſorum tuorum cuſtodes, & ipſe nunc reſpice in hunc famulum tuum qui ad miniſterium Subdiaconi electus eſt. Et tribue ei Spiritum ſanctum, ut vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ ſemper, per Chriſtum tuum; cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac ſancto Spiritui in ſecula, Amen.

Περὶ ὑποδιακόνων διάταξις τοῦ Θωμᾶ.

Περὶ τῶν ὑποδιακόνων ἐγὼ Θωμᾶς διατάσσομαι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις. ὑποδιάκονον χειροτονῶν ὁ ἐπίσκοπε ἐπιθήσεις ἐπ' αὐτῷ τὰς χεῖρας, καὶ ἐρεῖς.

Δέσποτα θεὲ, οὐρανοῦ καὶ γῆς δημιουργὲ, καὶ πάντων τῶν ἐν αὐτοῖς, ὁ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου τοὺς νεωκόρους ἀναδείξας τῶν ἁγίων σου σκευῶν φύλακας, αὐτὸς καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τὸν νῦν προχειριζόμενον ὑποδιάκονον· καὶ δὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐφάπτεσθαι τῶν λειτουργικῶν σου σκευῶν, καὶ ποιεῖν τὸ θέλημά σου διὰ παντὸς, διὰ τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοι δόξα τιμὴ καὶ σέβας, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

BIBLIOTECA VAZ ROMA

A

Περὶ Ἀναγνώστων τὴ Ματθαίου διάταξις.

Περὶ δὲ τῶν ἀναγνωστῶν ἐγὼ Ματθαῖος ὁ καὶ Λεβὶς, ὁ ποτὲ τελώνης, διατάσσομαι ἀναγνώστην χειρίσαι, ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα· καὶ ἐπιδεξάμενος οὕτως εἰπὲ τὴν εὐχήν.

Ὁ Θεὸς, ὁ αἰώνιος, ὁ πολὺς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς, ὁ τὴν τοῦ κόσμου σύστασιν διὰ τῶν ἐνεργουμένων φανερώσας, καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐκλεκτῶν σου διαφυλάξας, αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε B ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τὸν ἐξχειριζόμενον τὰς ἁγίας σου γραφὰς ἀναγινώσκειν τῷ λαῷ σου· καὶ δὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον πνεῦμα προφητικὸν· ὁ σοφίσας Ἔσδραν τὸν γραμματέα σου ἐπὶ τὸ ἀναγινώσκειν τοὺς νόμους τῷ λαῷ σου· καὶ νῦν ὡδηγκαλισμένον ὑφ' ὑμῶν σόφισον τὸν δοῦλόν σου· καὶ δὸς αὐτῷ, ἔργον ἀκατάγνωστον διανύσαντα τὸ ἐξχειρισθὲν αὐτῷ, ἄξιον ἀναδειχθῆναι μείζονος βαθμοῦ διὰ Χριστοῦ· μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα, καὶ σέβας, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

Matthæi Conſtitutio de Lectoribus.

DE Lectoribus verò ego Matthæus Levi, qui aliquando fui Publicanus, ſic conſtituo. Lectorem elige, impoſitaque illi manu, Deumque deprecans, ſic dicito.

Deus æterne, multus in miſericordia, & miſerationibus, qui mundi fabricam per ea quæ fiunt, patefeciſti, & qui numerum Electorum tuorum conſervas: Et ipſe nunc reſpice in hunc famulum tuum, cui Scripturæ ſanctæ tuæ ad legendum eas populo tuo committuntur; da ei Spiritum ſanctum, Spiritum propheticum: Qui docuiſti & ſapientem feciſti Eſdram famulum tuum ad legendum populo tuo leges tuas; nunc à nobis obſecratus, ſapientem redde ſervum tuum, & da ei ut opus ſibi injunctum rectè & ſine reprehenſione perficiendo, dignus majore gradu reddatur per Chriſtum, cum quo tibi gloria, & veneratio, ac ſancto Spiritui in ſecula. Amen.

PRÆ

PRÆFATIO

IN RITUS ORDINATIONUM A SANCTO Dionyſio traditos, & hîc exſcriptos, in qua de iſto Authore, & illius operibus diſſeritur.

CAPUT I.

Quo inquiruntur ii per quos Dionyſiani libri primùm divulgati ſunt, demonſtraturque Hæreticos fuiſſe, quibus Catholici eo tempore ſeſe opponebant, contendentes libros eſſe Dionyſio ſuppoſitos. Tandem Catholici frequentes eos amplexi ſunt, Pontifices, Concilia, Patres. Areopagita & Athenienſis Epiſcopi Epitheta nunquam ſibi tribuit author, ſed ab Hæreticis, ut authoritatem his operibus conciliarent, illi primùm ſunt indita. Improbabile eſt Arianos hæc opera abſcondiſſe.

PRudenter olim velut adagione quadam dictum eſt, *malum bene conditum ne moveas.* Commotio enim ejusmodi quæ fronte aliquid utile promittit, & omnibus eſſe grata geſtit, nonnunquam tamen maxima incommoda rebus publicis attulit, nedum privatis. Adagionem iſtam in narrationibus fabuloſis quæ pietatis aliquid præ ſe ferunt, maximè locum habere experientia quotidiana teſtatur. *Fabula*, inquit S. Ambroſius lib. 3. de officiis, *etſi vim veritatis non habet, tamen rationem habet*, quæ Lectori ſtudioſo documentum veritatis latentis præbet. Quemadmodum enim Iridis ſuaviſſimi colores ſole in nubibus relucente, & radios ſuos reflectente efformantur: Ita fabula eſt quædam de radiis veritatis reflexa expreſſio, perſonis & circumſtantiis imaginariis colorata. Verùm licet fabellæ hiſtoricæ nullam aliquando rationis aut veritatis ſpeciem habere ab hiſtoriarum peritis judicentur; attamen cum ſemel hominum animos occupaverint, non modo difficillimè ex eorum animis avelluntur, ſed etiam in eos qui hoc præſtare tentant, nonnulli vehementiſſimè excandeſcunt, inſignem religioni injuriam, ſi hoc malum purgetur, interri arbitrantes. Gliſcunt autem & in hominum mentes facillimè ſeſe inſinuant iſtæ fabellæ. Nam doctrinæ, pietatis, religionis pleræque ſpeciem habent; Quis autem eſt, qui non illa lubens ambabus manibus amplectatur, atque etiam veneretur? Malum autem iis inſitum conſpicere quis potis eſt? non unus ex mille, ſed ex multis myriadibus hominum vix unus. Tribus argumentis potiſſimum malum illud dignoſcitur, ſtylo dicendi, fabellæ ſuppoſitæ cum veris & indubiis hiſtoriis comparatione, alto denique & profundo, eo ſeculo & ſequentibus aliquot, de fabella ſilentio. Quis autem hæc argumenta deducere & perſequi poteſt?

II. Pleræque autem ejusmodi fabulæ ita fortunatæ fuerunt, ut iis ſeculis exortæ ſint, quibus iſtorum argumentorum verſandorum nulla erat peritia: Ideo eas ſtatim omnes amplexi ſunt, & deoſculati, quamuis in eis nulla eſſet & rationis, & veritatis intelligentia. Poſtquam autem hominum animos pervaſit iſta opinio, quod ſtatim ab iis inventis contigit, non fuit ampliùs integrum viris doctis contrà niti. Quare adagione noſtra uſi, malum bene jacens eorum plerique quietum dimiſerunt. Qui aliter fecit, in ſe expertus eſt, quod Telemachus Odyſſ. τ. dicebat Procorum matris ſuæ multitudinem conſpicatus. *χαλεπὸν γὰρ ἐρυκακέειν ἕνα πολλούς.* Maledicta enim & opprobria irreligioſa omnium linguis & ſtylis appetitus diligentiæ & laboris ſui præmium reportavit. Neque tantùm ab ignaris aut Theologiæ ſcholaſticæ & moralis, canonicæque doctrinæ peritis hoc paſſi ſunt, ſed & à nonnullis hiſtoriæ antiquæ & eloquentiæ & temporum conſultiſſimis. Opinioni enim quæ plebis animos invaſit, ſi religio conjuncta prætexitur, viri docti nunquam deſunt defenſores, quia defenſioni nunquam deeſt illuſtris pietatis fama, plebiſque favor. Illi excutiunt omnem ſuam literariam ſupellectilem, miſcentque ſacra prophanis, ut opinionem qua plebis animi ſemel imbuti ſunt, ab omnibus adverſantium argumentis eruant, & cum antiquis hiſtoriis, & antiquo more concilient. Si quando illis hæret aqua, ut ſæpe contingit, tum ſicut Tragicis Poëtis Deus è machina irruens præſto ſemper eſt, qui fabulæ exitum difficilem & perplexum explicet; ita illi ſtatim ab actione probabili ad Dei omnipotentiam confugiunt, quaſi omnibus hominum figmentis ut valeant adeſſe teneretur; idque faciunt paſſim in rebus minimis, prudens iſtud Horatii præceptum animo parum revolventes, *Nec Deus interſit, niſi dignus Vindice nodus.*

III. Hunc timorem in cauſa quæ nobis eſt præ manibus, duo exemerunt: Prius, viri docti plures qui hanc de Dionyſio, ejuſque ſcriptis

ſcriptis dubitatum hoc tempore in utramque A partem doctiſſimè & diligentiſſimè verſarunt, atque in contrarias partes iverunt, unoquoque partis adverſæ contradicta diſſolvente, ita ut nunc alter alterum impietatis ſine inſigni temeritate accuſare non poſſit. Unde unicuique fas eſt nullo imminente periculo quam ſententiam probabiliorem judicaverit eam amplecti. Poſterius, Nobis perinde eſſe ad cauſam quam agimus, quam ſententiam amplectamur. Attamen cum res ſit obſcura, & virorum doctorum oppoſitis ſententiis perplexa, juris canonici regulam 30. ſequemur, quæ B præcipit, *in obſcuris minimum eſſe ſequendum.* Altiſſima igitur illa S. Dionyſii origine dimiſſa, poſteriorem tribus ſeculis de qua vix aliquis dubitare poteſt, amplectemur: Saltem enim ad hoc tempus, nec ſeriùs referenda eſt. Si quis tamen antiquiorem præferre velit, per nos illi liceat. Hoc enim modo ſacras ordinationes, quarum illuſtrandarum cauſa S. Dionyſii textum exſcribimus, auguſtiores reddet, & reverentia majore ſuſpiciendas & colendas. Antequam illas ſecundum Dionyſii textum exponamus, quæ nobis de hoc authore, & C ejus ſcriptis obſcura videntur, & obſcuritatis rationes enarrabimus. Quæcunque autem hac de cauſa diſputabimus ad quatuor præcipua capita revocabimus, quorum expoſitione facilè Lectori conſilii noſtri ratio conſtabit.

IV. Maxima eſt, & admodum multiplex inter viros doctos de authore iſto ejuſque operibus controverſia. Mitto nunc Hæreticos qui Dionyſii antiquitatem magnopere averſantur, eo quod pleraſque hæreſes ſuas illius authoritate evidentiſſimè, confutari & elidi ſentiunt. De viris Catholicis mihi tantùm ſermo eſt, qui doctrinam his libris contentam ut ſanctam & Catholicam amplexi, & reveriti, de tempore & dignitate authoris ſolùm D diſſentiunt. Itaque tota illa contentio, ut inter Catholicos viget, critice eſt chronologica, quam quiſque prout hiſtoriæ antiquæ conſentire judicat, definit. De ea igitur diſceptaturi primum caput nobis eſto, eorum inquiſitio quorum miniſterio & induſtria hic author, ejuſque opera, & Areopagitica dignitas primùm orbi Chriſtiano innotuerunt.

V. Quantum nos in hac cauſa juvant antiquiſſima & indubitata Eccleſiæ monumenta, certiſſimum eſt iſtius viri, quicunque ille ſit, opera per Hæreticos orbi Chriſtiano primùm innotuiſſe: Hæreticos his uſos, ut hæreſim ſuam defenderent; ideo ut illis certior & auguſtior accederet authoritas, authori nomen A- E reopagitæ primos indidiſſe. Catholicos autem eorum operum antea inſolentes & ignaros ea tum repudiaſſe, cauſatos perſonam, fœtumque ſuppoſita eſſe: Antiquos Patres, licet cauſæ ipſorum adverſus Arianos inſigniter faverent, imò antiquorum omnium Scriptorum evidentiſſimè Arianæ perfidiæ jugulum peterent, & frangerent, ea tamen illis nunquam oppoſuiſſe, ne leviſſimè quidem eorum meminiſſe. Qui fieri potuit ut omnes Catholicos in tanto, tamque fervente contentionis æſtu latuerint? An exiſtimandi ſunt Hæretici diligentiores in occulendis ejuſmodi libris quàm Catholici in iis conquirendis & publicandis? Iis litem parere ſolet, & noxa noxam. Nunquam homines operi alicui diligentiùs, animoſiùs, & patientiùs incumbunt quàm cum inter eos efferbuerunt contentiones, rixæ, bella. Experientia quotidiana nos docet, tum revera nihil eſſe tam occultum quod non reveletur. Quamobrem cauſâ tegendi potior fuit, quàm retegendi? An omnia exemplaria penes Arianos fuerunt, nulla penes Catholicos?

VI. Deinde cum in hæreſi multo ſæpius quàm in bello civili familiæ dividantur; quotidie contingat, ſæpiſſime non modo Patrem à Filio, Filium à Patre, & quæ ſunt conjunctiſſima, ab invicem ſecedere; parteſque quas hoc anno quis amplexus fuerat, ſequente mordicus perſequi; Cur eximios iſtos libros ab Arianis abſconſos, aliquis Arianam perfidiam exoſus & ejerans, Catholicamque fidem amplexus, & pro virili promovens, tanto annorum ſpatio non revelavit, ſcelus Arianorum ad Eccleſiam non detulit? Scitum eſt Hæreticos cum ad Eccleſiam reverturtuntur, hæreſi publicè renuntiare, & quæ ad hæreſim pertinent publicè proferre, & deteſtari. An iſtius abſconſionis conſcius nemo factus eſt Catholicus, crimenque hoc, quod ad hæreſim maximè ſpectat, confeſſus eſt, & quanta potuit vigilantia damnum Eccleſiæ illatum reſarcivit? Sed Patrum noſtrorum verba referamus.

VII. Antiquiſſimum monumentum Eccleſiaſticum in quo Dionyſii Areopagitæ, & operum ejus diſerta fit mentio, habetur tom. 2. Conciliorum in collatione Conſtantinopoli, in Juſtiniani Imperatoris palatio facta an. 532. inter Catholicos & Hæreticos Severianos, ſive Acephalos. Utroſque Conſtantinopolim accerſiverat Imperator, ut collatione habita experiretur an mutua concordia inter eos conciliari poſſet. Epiſcopi quinque Catholici aderant cum Presbyteris ſeptem: Acephali verò Epiſcopi ſex, quos nonnulli Presbyteri & Monachi comitabantur. In Collatione ſecundæ diei ſic Catholici objicientibus Hæreticis reſpondent. *Quod autem prius dici debuit, hoc in ultimo dicimus: Illa enim teſtimonia quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? Quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio.* Antiqui illi Patres eodem loco nonnulla alia opera Patribus falſò tributa conqueruntur; ſed ea nunc nihil ad nos.

VIII. Validum videtur argumentum, nec regeri poſſe Arianos ea occultaſſe, tum propter rationes jam explicatas, tum eo quod innumeri Patres qui vixerunt ante exortam Arianam hæreſim, cum nulla poterat eſſe de Arianorum fraudibus ſuſpicio, eos libros nunquam citarunt. Ab antiquis autem hæc opera nunquam citata fuiſſe ante mille & centum

annos

annos teſtati ſunt Catholicarum partium Coryphæi. Quo verò in loco? coram quibus? In palatio imperiali, coram non modo clariſſimis Cæſaris Comitibus, verumetiam coram Eutychianæ perfidiæ capitibus. Hoc illis Catholici in os exprobrant, nec excipere poſſunt. Præterea Arianos non tantùm jugulat ille liber, ſed Hebionem, Artemonem, Theodotum, & ſimiles plures qui Chriſti divinitatem annis multis antequam naſceretur Arius, negaverunt. Quamobrem igitur ab antiquorum nemine adverſus omnes antiquos iſtos Hæreticos, aut eorum aliquem, commemoratus eſt? An Ariani antequam naſcerentur, illum occultaverant? Authorum omnium quos antiquitas Chriſtiana peperit, philoſophicè doctiſſimus, maximorum fidei myſteriorum Interpres fideliſſimus & acutiſſimus, ratione perſonæ ſuæ auguſtiſſimus, ab omnibus Chriſtianis annorum prope quingentorum ſpatio neglectus eſt, neminem invenit qui eum vel cenſura, vel approbatione, vel ipſa nominis expreſſione dignaretur, donec Acephali Hæretici exurgerent, qui eum Catholicis invitis ad ſtabiliendam hæreſim ſuam obtruderent?

IX. Aliud eſt antiquorum teſtimonium præcedente quidem paulò poſterius, ſed quod antiquioris mentionem facit. Iſtud, ſicut prius, Hæretici Catholicis oppoſuerunt, ſed eodem modo Catholici præſcripſerunt: Scribebat Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis Breviarium ſuum paulò poſt annum 546. quatuordecim poſt illam collationem annis. Sic ille cap. 10. *Baſilius quidam Diaconus ſumens tomum Procli quem Armeniis ſcripſerat, Alexandriam venit, & Armeniorum libellos ſuis libellis annectens obtulit Cyrillo eiuſdem urbis Antiſtiti. Quibus (ut ferunt rumores) permotus Cyrillus quatuor libros ſcripſit, tres adverſus Diodorum, & Theodorum quaſi Neſtoriani dogmatis authores, & alium de Incarnatione librum in quibus continentur antiquorum Patrum teſtimonia incorrupta, id eſt, Felicis Papæ Romani, Dionyſii Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi, & Gregorii mirabilis cognominati. Et licet in eis libris Theodori dicta laudentur contra Arianos edita, ipſum tamen Magiſtrum Neſtorii, fuiſſe contendunt.* Nunc attende quinam hanc ex Cyrilli libris objectionem texuerunt, & quid illis à Catholicis reſponſum. Pergit Liberatus: *Contra quos Catholici veritatis Defenſores ſic Acephalis reſponderunt; illos libros non eſſe Cyrilli; quoniam teſtimoniis quæ contra mortuos poſuiſſe in eis dicitur, contra Neſtorium non eſt uſus, neque in Synodo, neque in aliquibus Epiſtolis. Unde dicunt illos nec dictaſſe Cyrillum, nec ediditſe libros.*

X. Iidem igitur Acephali Hæretici Eutychetis Aſſeclæ primùm libris iſtis adverſus Catholicos uſi ſunt, illiſque tum adeo erant infenſi Catholici, ut non modo eos ſuppoſititios prædicarent, verumetiam ſancto Cyrillo nuncupatos libros hinc potiſſimum ſuppoſitionis arguerent, quod ex eis teſtimonia depromerent. Ex hoc teſtimonio colligi videtur ſaltem ante ann. Chriſti 514. innotuiſſe orbi Chriſtiano Dionyſii libros. Tum enim Severiani & Acephali Hæretici exorti ſunt, & à cæteris Eutychianis ſeſe diviſerunt. Quinimò ipſe Acephalorum author & caput Severus Antiochenus Patriarcha ex eo authore argumentum depromebat in ſuæ hæreſis confirmationem; ut conſtat ex Themiſtio Monothelita, cujus verba referuntur in concilio Lateranenſi ſub Martino I. Conſultatione tertia. Citantur equidem hi libri in operibus S. Athanaſio nuncupatis, quæſtione videlicet 4. vel 8. ad Antiochum. Sed fatentur omnes librum illum non eſſe Athanaſii fœtum; verùm authoris longè recentioris, & Liberato multò poſterioris. Citantur præterea homilia 2. de diverſis apud Origenem: ſed omnium quoque conſenſu ſpuria eſt iſta homilia, non ab Origene, ſed ab homine Latino compoſita, qui multis adverſus Arianos diſputat. Quod ad ſanctum Cyrillum attinet, qui ex libris iſtis argumenta deprompſit, jam à Catholicis, ut vidimus, ante mille centumque & aliquot annos reſponſum eſt, Hæreticorum eſſe impoſturam Cyrillo factam.

XI. Paulatim tamen Catholici librorum iſtorum lectioni diligentiùs incumbentes, eorum ſoliditatem in fide, ſenſumque abſolutè Catholicum admirati, tandem eos amplexi ſunt, & læti Areopagitæ nomen Authori continuarunt. Cum enim maturius & penitiùs examinaſſent teſtimonia ab Hæreticis Eutychianis in hæreſis ſuæ defenſionem hinc deprompta, animadverterunt ea facilè diſſolvi poſſe, & longè plura in iſtius hæreſis everſionem ex iiſdem colligi. Ideo labente tempore non modo Eutychianos ex iſtis libris argumento retorto convicerunt; verum etiam cum Monothelitarum hæreſis primùm erupit, & Dionyſii iſtius opera velut clypeum ſeptemplicem Catholicis opponeret, Catholici mutato pugnandi genere Hæreticos non permiſerunt ut antea, ſub eo latere, ſed hunc è manibus eorum excuſſum ſibi vendicarunt, & ex iis varia teſtimonia in fidei Catholicæ confirmationem, velut ex Armamentario inſtructiſſimo deprompſerunt, ut ſæpe fecit Martinus I. Papa, & ante eum Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, ut ipſe ibidem teſtatur, & poſt eum ſæpius Concilium ſextum generale.

XII. Primus Dionyſium cum elogio citaſſe legitur S. Gregorius Papa homilia 34. *Fertur verò Dionyſius Areopagita antiquus videlicet, & venerabilis Pater, &c.* Refert equidem Photius in ipſiſſimo initio Bibliothecæ ſuæ Theodorum quendam Presbyterum demonſtraſſe hæc opera germanum eſſe Dionyſii Areopagitæ fœtum, & iis quæ contra objiciuntur, reſpondiſſe. Verùm quo tempore ſcripſerit Theodorus ille, non adnotat Photius: Deinde objectiones ab eo ſolvendas proponit quidem, ſed ſolutiones prætermittit. Poſt S. Gregorium plurimi tam Græci, quàm Latini ſcripſerunt velut de re explorata, Dionyſium Areopagitam Athenienſium Epiſcopum horum librorum eſſe authorem. Ita Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus ſcribens Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano. Refertur & probatur Epiſtola iſta actione 2. Concilii ſexti. Sophronius autem erat Gregorio

paulò junior. Martinus I. Papa ſæpe hæc opuſcula laudat in Concilio Lateranenſi, & ab Hæreticis in Catholicos citata defendit, nihilque in ipſis eſſe quod eos juvet, demonſtrat. Similiterque eum Areopagitam & Athenienſem vocat, Concilii Lateran. Conſultatione 5. Pontificatum autem iniit Martinus anno ſalutis 649. Eodem tempore vivebat S. Maximus Monachus, vir & multis operibus, & Martyrio clarus, qui non modo Scholia in univerſos Dionyſii libros ſcripſit, quæ nunc Latinè & Græcè edita ſunt; verumetiam eos Dionyſio Areopagitæ Athenienſi Epiſcopo, ſolutis contrariis argumentis aſſeruit. Eundem authorem citat adverſus Monothelitas Agatho Pontifex in epiſtola ad Imperatores Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium ſcripta ſalutis anno 680. *Sanctus quoque Dionyſius Areopagita Epiſcopus Athenienſis in libro divinorum nominum c. 2. ſimiliter docet, &c.* habetur Epiſt. act. 4. Concilii 6. Actione 2. Macarius Antiochenus Patriarcha, & Hæreticus Monothelita eundem ad cauſæ ſuæ defenſionem allegat: Actione verò octavâ ab utraque parte & Catholica, & Hæretica objicitur. Aliquot annis poſt hoc Concilium S. Joannes Damaſcenus de Imaginibus ſcribens eum vocat Athenienſium Epiſcopum. Hadrianus I. epiſt. 3. quam ad Carolum magnum Francorum regem ſcripſit pro ſeptima Synodo. *S. Dionyſius Areopagita, qui & Epiſcopus Athenienſis, valde nimirum laudatus eſt à S. Gregorio Papa confirmante eum antiquum Patrem & Doctorem eſſe, &c.* Poſt Adrianum authores innumeri tam Græci, quàm Latini eandem ſententiam amplexi ſunt, quos recenſere operoſum eſſet, & inutile, quum de eorum ſententia nemo litem moveat.

XIII. Innocentius tamen III. ante annos quadringentos & aliquot teſtatur ſententiam iſtam de Dionyſio Areopagita & Pariſienſi, ejuſque ſacris reliquiis in Eccleſia Dionyſiana tumulatis nondum tranſiiſſe in rem judicatam, ſeque neutri præjudicare velle: *Verum*, inquit, *gloriosus Martyr & Pontifex Dionyſius, cujus venerabile corpus in veſtra requieſcit Eccleſia, ſit ille cenſendus qui Areopagita vocatur ab Apoſtolo Paulo converſus, diverſæ ſunt ſententiæ diverſorum. Quidam namque fatentur Dionyſium Areopagitam in Græcia fuiſſe mortuum & ſepultum, aliumque Dionyſium extitiſſe, qui fidem Chriſti Francorum populis prædicavit. Alii verò aſſerunt illum poſt mortem B. Pauli veniſſe Romam, & à S. Clemente Papâ in Galliam deſtinatum, aliumque fuiſſe qui mortuus eſt in Græcia, & ſepultus, &c. Nos neutri ſententiæ volentes præjudicare, ſed veſtrum cupientes Monaſterium honorare, ſacrum B. Dionyſii pignus quod bonæ memoriæ Petrus S. Marcelli Cardinalis de Græcia tulit ad urbem, vobis devotè dirigimus, ut cum utriuſque reliquias habueritis, nulla de cætero remaneat dubitatio, quin ſacræ B. Dionyſii Areopagitæ reliquiæ apud Monaſterium veſtrum habeantur.*

XIV. Antequam caput finiam, Lectorem duo notare velim: unum: Quanquam Hæretici Eutychiani, & Monothelitæ, Catholicorumque pars longè major ab anno Chriſti ſexcenteſimo Dionyſium uno conſenſu vocent Areopagitam & Epiſcopum Athenienſem, vel etiam Corinthium; ipſum tamen nunquam ſeſe Areopagitam aut Epiſcopum dicere, nedum Athenienſem, licet nonnunquam in ſcriptis ſuis Epithetorum iſtorum aſſirmandorum ſeſe præberet occaſio, authoritatemque dictis ſuis non mediocrem hæc adrogatio conciliaret. Eutychiani qui primi illum ad hæreſim ſuam ſtabiliendam publicarunt, Areopagitæ nomen illi indiderunt, ut argumentis ex eo depromptis majus authoritatis pondus accederet. Catholici poſtea authorem ſibi vendicantes eadem de cauſa nomen ab Hæreticis jam vulgatum retinuerunt. Alterum, authores omnes iſtos qui de Dionyſio Areopagita loquuntur, Pariſienſem profundiſſimo ſilentio involvere.

CAP. II.

Quo quæritur an traditio de S. Dionyſio Areopagita Epiſcopo Pariſienſi bene conveniat cum ſcriptis quæ eidem Dionyſio tribuuntur, probaturque annum ſaltem egiſſe 106. cum ex Aſia Romam venit, & in Galliam miſſus eſt. Aperitur Dionyſii ſcopus latens in omnibus opuſculis ſuis, ex quo ejus ætas facilè colligitur. Orationis ejus vitia & virtutes deſcribuntur.

TRaditionem ab annis circiter octingentis de S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias adventu vulgari cœptam, quæ univerſum pène orbem Chriſtianum Orientalem non ſecus quàm Occidentalem velociſſimè occupavit, nobis ſecundò propoſitum eſt examinare, & velut incudi reddere. Hoc capite inquiremus tantùm, an hæc traditio cum ſcriptis S. Dionyſii bene conveniat; ſequenti quis ſit illius primus author, & quid ante illam vulgatam & diſſeminatam, de S. Dionyſio primo Pariſienſium Epiſcopo in Galliis & in territorio Pariſienſi credebatur, inveſtigabimus. Ut veritatis narratio ſuaviſſima eſt, inquit Plato apud Stobæum, ſic & eſſe debet illius inveſtigatio: Nec minoris facienda veritas quod anticipatæ opinioni præjudicet. Sol quotieſcunque nebulis diſſipatis emergit, gratioſus eſt; ita veritas. Nemini igitur odioſam fore hanc comparationem arbitramur: imò potius omnibus gratis & beneficii memoribus ſperamus placituram. Indignum eſt enim viro bono diffiteri per quem profecerit, & beneficium acceptum in alium quàm in autorem referre. Quid aliud quàm turpe hoc opprobrium à Parente ſuo expectare poſſunt, *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*, qui humilitatem Patris, viri optimi & de filiis optimè meriti, dedignati, alienæ familiæ, ut ex ejus claritudine gloriolam captent, inſeri amant, & geſtiunt? Piè & acutè ejuſmodi homines duplicis criminis accuſaſſe mihi viſus eſt R. Pater Jacobus Sirmondus, Societatis Jeſu Theologus, induſtrius & prudens Eccleſiaſticæ antiquitatis indagator, præfatione quam præpoſuit libello de duobus Dionyſiis: Malè, inquit, de Gallia & Eccleſia merentur, qui duos Dionyſios in unum confundunt;

De

De Gallia quidem, quod reverentiam quam Antiſtiti ſuo debet, tranſferre in alium cogant: de Eccleſia autem, quod pro geminis quos in cœlo patronos habet, altero detracto unicum relinquant.

II. Sanè, ut cætera argumenta à negatione petita præteream, miratus ſum ſæpius quamobrem Dionyſius Corinthi Epiſcopus, qui familiaris eſſe potuit eorum qui juvenes cum Dionyſio Areopagita vixerant, cum ſcriberet ad Athenienſes, & Dionyſium Areopagitam eorum Epiſcopum, alioſque ſequentes illis commemoraret; ejuſdem poſtea Pariſienſis Epiſcopi, & in agro Pariſiaco paſſi, miraculorumque maximorum quæ tum contigerunt, mentionem non fecerit, ſi vera eſt opinio ab aliquot ſeculis vulgata de uno & eodem Dionyſio Areopagita, Epiſcopo Athenienſi, & poſtea Pariſienſi? Multò magis mirari ſubit, quamobrem præclara illa opera quæ ante diſceſſum illis reliquerat, ſi verus eſt illorum author, ut domeſticum exemplum ad eos ſcribens, ipſis non proponit. Id exigere videbatur ratio quæ eum ad iis ſcribendum commoverat, quam Euſebius lib. 4. hiſtoriæ c. 23. ex Dionyſii Epiſtola ſic deſcribit, Athenienſes *ad vitam ex Euangelii præſcripto piè degendam excitat; qua ſpreta & contempta, eos vehementer reprehendit, quod à verbo Dei penitus fere ab eo tempore deſciſcere cœpiſſent.* Hæc ſi Dionyſio Corint. cognita fuiſſent, nunquam ea ſilentio præteriſſet, Euſebiuſque qui longe minora non negligit, hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſet. Sed Dionyſii ſcriptis ut polliciti ſumus, inſiſtamus.

III. Scribit Dionyſius Epiſt. 10. ad S. Joannem Euangeliſtam in Patmo exulantem, illique prædicit brevi ab exilio liberatum iri, ſeque iterum illius gratiſſima præſentia fruiturum. Manifeſtum eſt ex illa Epiſtola, atque etiam ex univerſis ipſius epiſtolis & opuſculis, Dionyſium illum in Oriente tum vixiſſe, & egiſſe, ut etiam agnoſcit Cardinalis Baronius, teſtaturque ad annum 98. n. 22. neminem hoc diffiteri. Non eſt autem ab exilio revocatus S. Joannes niſi poſt Domitiani Imperatoris mortem, quæ eodem Cardinale ſupputante contigit ſub finem anni 98. Nerva ſucceſſore, Prædeceſſoris acta omnia abrogante. Vivebat igitur in Aſia Dionyſius annum agens 91. Nam ipſe teſtatur ſe Heliopoli in Ægypto Eclipſim quæ contigit Chriſto Domino noſtro patiente, anno ætatis 25. conſpexiſſe. Cui probabile fiet ſenem nonagenarium Epheſo Romam veniſſe, indeque Pariſios à Clemente Papa miſſum, ut genti exteræ cujus nec linguam, nec mores noverat, Euangelium prædicaret? Sed hæc ulterius examinanti, abſurditas iſta videbitur longè abſurdior.

IV. Præterea vivebat Dionyſius in Aſia cum ſcripſit ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum qui eum monuerat de calumniis & convitiis ab Apollophane Philoſopho in eum jactatis. Tum erat Dionyſius in Aſia minore & Provinciis finitimis, ut ex ea Epiſtola colligitur, admodum celebris, ſcriptaque ejus paſſim divulgabantur, & occaſionem Philoſophis de eo detrectandi ſuppeditabant. Sed Polycarpus anno Chriſti 169. martyrium paſſus eſt, à S. Euangeliſta Joanne Epiſcopus creatus. Joannes autem diem obiit an. 101. ut notat Cardinalis Baron. Ponamus igitur Polycarpum annos 70. Epiſcopum egiſſe; annum ſcilicet ante Joannis mortem ab eo ordinatum eſſe; Deinde Polycarpum Epiſcopatûs anno primo ad Dionyſium ſcripſiſſe, eodemque anno reſpondiſſe Dionyſium. Sanè iſta citius fieri non potuerunt. Agebat igitur Dionyſius ſaltem annum 94. aut ſi quàm minimè ſubducas, annum 93. antequam Aſia Romam proficiſceretur. Neque etiam ætate Dionyſio diſpar erat Apollophanes, cum ambo Eclipſim Solis quæ in paſſione contigit in Ægypto conſpexerint, & diligenter examinaverint.

V. Inſuper idem Dionyſius in Oriente verſabatur, cum librum de divinis nominibus ſcribebat, ut facilè demonſtratur ex titulo: eum enim Timotheo Epheſiorum Epiſcopo nuncupat. Deinde verba quibus liber finitur, neceſſariò evincunt utróſque in eadem aut vicina regione vixiſſe, *Sin hæc aut non recta ſunt, aut inchoata ſunt, & à veritate vel omnino, vel ex parte aberravimus; erit humanitatis tuæ non ſponte ignorantem corrigere, ſcientiamque tradere roganti, ut doceatur; & non ſatis per ſe munito ſubvenire, curareque ægrotare nolentem: & alia quædam à te, alia ab aliis excogitata, omnia autem à bonitate accepta, ad nos etiam mittere, nec te pigeat in Amicum beneficia conferre, &c.* Cætera quæ ſequuntur, in eundem ſenſum dicuntur, & præcedentia confirmant. Denique librum legenti id videtur per ſe manifeſtum: libris enim ſcribendis ſtudioſiſſimè vacabat, ut ex libri initio & fine probatur. Sic enim incipit, *Nunc autem, beate vir, poſt Theologicas inſtitutiones, ad divinorum nominum pro virili parte interpretationem veniam.* Ita verò finit, *Hunc habeant à nobis finem & terminum divina nomina quæ animo intelliguntur. Ad Theologiam autem, quæ in rerum ſignis verſatur, Deo duce veniamus.* Itaque Dionyſius toto illo tempore, atque etiam præcedentibus annis in Oriente degebat, otioque abundabat: Quî aliter tam profundè philoſophatus fuiſſet? Si tempus inquiramus quo hunc de divinis nominibus librum ſcribebat, ipſe docebit: citat enim iſtius libri c. 4. hanc S. Ignatii ſententiam ad Romanos cum ad Martyrium duceretur ſcribentis, *Amor meus crucifixus eſt.* Atqui certum eſt Ignatium martyrio coronatum anno 109. Scribebat igitur hunc librum Dionyſius in Oriente poſt annum Chriſti nonum ſupra centeſimum. Ideo annum ſaltem agebat centeſimum ſecundum cum Romam ex Aſia ad Clementem Pontificem profectus eſt. Sed eo caſu non deprehendiſſet Romæ Clementem, ut volunt omnia Martyrologia, & quotquot antiqui & recentiores de Dionyſio Areopagita Pariſienſi verba faciunt, ſed Anacletum Clementis martyrio functi ſucceſſorem. Cui fiet unquam probabile ſenem centenarium relicto Epiſcopatu tam longinquam peregrinationem ſuſcipere juſſum, ut in terra moribus, lingua, & inſtitutis à nativo ſolo diverſiſſima, Euangelium prædicaret?

VI. Verùm ſi comparemus quæ jam ex ultimis verbis libri de divinis nominibus retulimus cum iis quæ ſcribit initio Epiſtolæ ad Ti-

Titum Epiſcopum, neceſſaria conſequentia colligemus Dionyſium antequam in Gallias proficiſceretur, annos natum ſaltem quinque aut ſex ſupra centum, ac proinde non à Clemente, nec ab Anacleto ejus Succeſſore, ſed ab Euariſto tam annoſum & decrepitum ſenem ab Aſia, aut media Græcia in Gallias eſſe miſſum. Finiens enim librum de divinis nominibus, ait ſe Deo duce aggreſſurum librum de Theologia Symbolica, ἐπὶ ἢ τὴν συμβολικὴν θεολογίαν ἡγουμένῳ θεῷ μεταβήσομαι. Librum igitur de Theologia Symbolica poſt libri de divinis nominibus editionem compoſuit. At initio Epiſtolæ quam ad Titum Epiſcopum ſcribit, ait ſe de Theologia Symbolica ſcripſiſſe, eamque Timotheo domi ſuæ explicaſſe. *S. quidem Timotheus, optime Tite, cum diſceſſit, num aliquid eorum quæ de Theologicis Symbolis conſtitui, non didiciſſet, ignoro. Sed in Theologia Symbolica, omnia ſcriptorum divinorum, quæ de Deo plerisque monſtra verborum videntur eſſe, ei accuratè explanavimus.* Ita profectò contingere non potuerunt niſi aliquot annis poſt Epiſtolas à S. Ignatio Martyre ad mortem proficiſcente ſcriptas, quod ut ſcribit Cardinalis Baronius anno Chriſti centeſimo nono factum eſt.

VII. Omnia Dionyſii opera non modo in Aſia minore, aut Græcia Aſiæ contermina ſcripta ſunt, verumetiam in umbra, & otio profundo. Quanquam enim author ille oratione ſemper utatur pluſquam Aſiatica, hoc eſt, ſuper omnem modum inflata, redundante, ſemper alta, exaggerata; & ubique circumfluente verborum compoſitionibus, ordinariis, novis, plerumque tumidis, atque inſolentibus: Nihil unquam illi ſit nimium, verba ſemper ſint magnifica, oratio grandiloqua, amplificatio tragica; in re humili, hoc eſt, ad doctrinam ſpectante, ſæpe cothurnos & dithyrambos longè ſupergrediens: Rariſſimè rectus ſermo ſit ei, & ſecundum naturam enuntiatus; ita ut ſtylo Attico & Areopagitico nihil omnino fingi poſſit diſſimilius. Attamen negari non poteſt tria admiratione digniſſima in his opuſculis excellenter eminere, quibus paulatim capti Catholici hunc librum Hæreticis eripuerunt, & ſibi vindicarunt; repudiati olim, eo quod ab Hæreticis primùm proderetur, veluti pœnitentes.

VIII. Primum eſt orthodoxa fides rectè explicata, quæ præcipuè ad ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem ſpectat. Eam enim ita clarè, dilucidè, verbiſque tam expreſſis, & more ſuo tam efficacibus explicat, & profitetur, ut omnes qui S. Athanaſium præceſſerunt, longe in ea profeſſione ſuperet. Neſtorii quoque hæreſis tacito nomine ab eo ita evidenter confutatur, ut Neſtoriani eum cauſæ ſuæ teſtem nunquam protuliſſe legantur. At dum Neſtorianæ ſeparationis fundamenta latenter ſubruit, in Eutychianæ confuſionis ſcopulos aliquando videtur impingere. Quæ tamen cauſam Neſtorianam attingunt, in ejus operibus παρέργα ſunt, & occaſione alterius rei explicandæ dicta. Nam generalis & præcipuus ſcopus ad quem in omnibus prope operibus ſuis collimare videtur, Antropomorphitarum eſt confutatio, quæ anno quadringenteſimo & ſequentibus potiſſimum erupit, ſanctumque Chryſoſtomum cum ſancto Epiphanio commiſit, variiſque ſeditionibus Eccleſiam Orientalem turbavit. Totus eſt ubique, non modo in libris qui nobis ſuperſunt, ſed etiam in iis quos ſe compoſuiſſe dicit, & perierunt, quantum de titulis judicium ferri poteſt, ut demonſtret, ea quæ de Deo & Angelis dicuntur, non eſſe abjectè, materialiter, & ſecundum vulgus intelligenda; ſed ſacra oracula naturæ divinæ, atque etiam Angelicæ ſpiritalem virtutem & vim mirabilem his figuris & ſimulachris adumbrare, ut ex iis quæ ſub ſenſum cadunt, nobiſque familiaria ſunt, in eorum quæ ſunt ſenſus & materiæ expertia cognitionem veluti per gradus deveniamus. Hunc ſuum ſcopum fuſiſſimè, & more ſuo grandiloquè exponit duobus primis capitibus de cœleſti Hierarchia & præcipuè capite 2. in quo ita evidenter Antropomorphitas deſcribit, ut nihil præter Antropomorphitarum nomen deſideretur. Idem facit Epiſt. 9. ad Titum Epiſcopum, necnon capite primo libri de divinis nominibus, præſertim verſus finem. Eundem quoque ſcopum ſibi propoſuit in Eccleſiaſticæ Hierarchiæ explanatione, ut capite primo teſtatur. Sed hoc lucet in unoquoque iſtorum librorum capite, cum ad hypotheſim deſcendit. In hunc enim ſenſum præclarè, ſubtiliter, & meditationibus è Philoſophiæ penetralibus petitis ſingula Epitheta Deo & Angelis tributa interpretatur; eodemque etiam tendere docet ſingulos Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ritus.

IX. Secundum quod in his libris eminet, inſignis eſt Philoſophiæ Platonicæ & Peripateticæ cognitio, quæ in ſingulis fere periodis ſplendet, cujus ope divina religionis Chriſtianæ myſteria penitiſſimè ſcrutatus eſt; & non minus ſanctè quàm doctè explicavit, ita ut Anteceſſorum nemo illi jure comparari poſſit, fueritque poſteris, atque etiam nunc ſummæ ſit admirationi.

X. Tertium quod in his ſcriptis eminet, nova quædam eſt & inuſitata orationis majeſtas, verborum, ſententiarumque philoſophicarum floribus perpetuò conſperſa, & condita. Quanquam enim periodi longæ ſæpe ſint, & rerum atque Epithetorum varia congerie obſcuræ; attamen ſi diligenter attendantur, diſſipatæ non ſunt, nec diſſolutæ, ſed accuratè limatæ & concluſæ, anantapodotis & hyperbatis vix unquam incultæ & aſperæ. Miræ ſunt & inſolentes verborum compoſitiones, ſed artificioſæ, atque ut plurimum ex intimis Philoſophiæ adytis petitæ. Earum magna pars vergit ut Deum prædicet ab omni creaturæ intellectu, ſimilitudine, imaginatione eſſe quàm longiſſimè ſecretum, nulli creaturæ comparandum, aut aſſimilandum. Quum igitur hæc labente tempore in his operibus animadverterent Catholicorum plurimi, admiratione capti, in eorum ſententiam facilè conceſſerunt, qui ea Dionyſio Areopagitæ adſcripſerunt. Ideo quæ ire contrà videbantur, aut diſſolvere conati ſunt, aut excuſarunt, aut etiam ut irreptitium re-

je-

jecerunt. Verùm quidquid ſit de ipſius ſtylo, & ſcribendi ſcopo, ex iſtis libris evidenter colligitur quod initio dictum eſt, non modo eos omnes in Aſia minore & Græcia ſcriptos eſſe, ſed etiam authorem, cum ſint de rebus difficilliſimis, & in genere dicendi ſibi proprio cultiſſimi, & elaboratiſſimi, otio dum illos ſcriberet plurimùm abundaſſe.

CAP. III.

Quo quæritur quando primùm, & quo authore traditio de Dionyſio Areopagita Epiſcopo Pariſienſi in vulgus diſſeminari cœpit, probaturque id poſt octogenteſimum à Chriſto annum contigiſſe. Sepulchrum ipſius in medio Pariſienſis urbis, non extra ſitum & cultum fuiſſe: Ad ipſius ſepulchrum in urbe non extra, peregrinationes & miracula facta. Dagobertum Regem & alios Principes in Eccleſia Dionyſiana Pariſiis, non extra ſepultos.

I. TErtio loco nobis inquirendum propoſuimus quando primùm traditio illa de S. Dionyſio Areopagita Pariſienſi Epiſcopo, quove authore & incentore, in vulgus diſſeminari cœpit. Nulla prorſus eſt iſtius rei apud Gallicos authores, aut uſos alios, memoria, nullum veſtigium, aut umbra leviſſima niſi poſt annum à Chriſto nato octingenteſimum. Sæpius apud authores noſtros Dionyſii Martyris & Sociorum paſſio, memoria, ſepulchrum, miracula commendantur, nunquam tamen Areopagita, vel Athenienſis, vel Græcus innuitur, nedum aſſeritur. Per totam Galliam, & potiſſimum Pariſiis altiſſimum erat de hoc authore ſilentium. Pariſienſes tamen, ut ex antiquis monumentis conſtat, Dionyſium Martyrem & Epiſcopum ſuum honoribus ſemper coluerunt, & miracula ad ejus ſanctas reliquias facta ſuſpexerunt: ſed eum eſſe Areopagitam & Athenienſem ad ſeculum adnotatum omnes ignoraverunt. Author geſtorum Dagoberti Regis, Dionyſianus ipſe Monachus, qui fusè hiſtoriam inventionis corporum SS. Dionyſii & Sociorum ejus deſcribit, Eccleſiam magnificentiſſimam à Dagoberto Rege ſanctis Martyribus ædificatam commemorat, anathemata à Rege appenſa minutatim enumerat, Monaſterii iſtius fundationem, & ampliſſimos reditus ei à Dagoberto collatos latè proſequitur, nuſquam tamen Areopagitæ & Pariſienſis Epiſcopi meminit. Scribebat tamen author ille anonymus poſt Dagoberti mortem annos ſaltem ultra centum, ut perſpicuè ex capitibus 20. & 43. illius hiſtoriæ colligitur. Si vel leviſſimus rumuſculus de Dionyſio Areopagita Pariſienſium Epiſcopo in agro Pariſienſi tum percrebuiſſet, cum ſanè quoquomodo author ille publicaſſet: Solet enim hiſtoriam ſuam aniliũ fabellarum nugamentis variare & ornare. Nulla autem occurrere poterat ſcopo ſuo excolendo magis idonea, & opportuna. Argumentum ſanè eſt certiſſimum anno circiter 750. quo poterat ille anonymus ſcribere, nondum rumuſculi iſtius Areopagitici auram Dionyſianos Monachos afflaſſe.

II. Obiter notabit Lector, Monachum iſtum Dionyſianum inventionem corporis S. Dionyſii & Sociorum, Dagoberto regi tribuere, & ita totam inventionis iſtius hiſtoriam texere, quaſi tunc primùm ſacra pignora interveniente duplici miraculo in regia majeſtate conſpicuo cognita fuerint, nihilque anterioribus ſeculis de hac cognitione relictum eſſet præter humationis eo loco factæ famam. *Sic*, inquit, *incomparabilis theſaurus diu latuit, nec præter famam locus ille quicquam habebat conſpicuum.* Horum narratio & ejuſmodi quæ ad Dionyſiani Monaſterii in agro Pariſienſi fundationem amplificandam & excolendam ſpectant, videntur huic authori fuiſſe ſcribendi libelli potiſſima occaſio; cætera verò παέργα.

III. Hilduinus fabulator alter, ſed priore ut inſulſior, ita ad audendum longè protectior, cum eo conſentit de loco ſepulturæ Sanctorum corporum, quinto videlicet ab urbe milliario diſtante; ſed in loci obſcuritate, & ædiculæ vilitate planè diſſentit. Fatetur enim in fine Areopagiticorum ſuorum, ſepulchrum non modo miraculis celebre fuiſſe, ſed etiam magnificè ædificatum. Idque factum fuiſſe ſcribit non ab uno, aut altero ante ſe ſeculo, ſed Catullam nobilem Matronam quæ oſſa Dionyſii & Sociorum ſepelivit, ſtatim à ſedata perſecutione qua Dionyſius paſſus eſt, diem martyrii cum fidelium turbis ſplendidè celebraſſe, *ipſumque locum eminentis Mauſolei ædificatione ſignaſſe.* Tunicam, cilicium & caligas S. Dionyſii, Caſulam Ruſtici Archipreſbyteri, & Dalmaticam Eleutherii, exceptis partibus quas ſibi fideles ſumpſerant, conſervaſſe, quæ in hunc uſque diem honore debito coluntur. Scribit inſuper proceſſu temporis multiplicato credentium numero, fideles Baſilicam Sanctis, *magno ſumptu, & cultu eximio conſtruxiſſe, ubi quotidie merita eorum virtutum probantur monſtrari frequentia. Quorum miraculorum inſignia, non ſolum ſermo non prævalet enarrare, verùm nec ipſis queunt humanis mentibus comprehendi.* Miraculorum multitudinem & gloriam poſtea proſequitur. Nihil Hilduinus de miraculo Cervi quem Dagobertus inſequebatur, ſeſe in ædiculam Martyribus ſacram recipientis, quo canes accedere auſi non ſunt. Nihil de miraculo Dagoberti Clotarium Patrem iratum fugientis, qui in idem aſylum confugit, quo accedere nec milites à Rege miſſi, nec ipſe Rex divino nutu permiſſi ſunt, quæ tamen multis circumſtantiis ornatus hiſtorici cauſa adinventis amplificat author anonymus. Nihil de Eccleſia Martyribus munificentiſſimè à Dagoberto Rege conſtructa, deque donis innumeris ab eodem & Monachis & Eccleſiæ collatis, quæ Anonymus toto libro fusè proſequitur.

IV. Pari ratione nihil Anonymus de Dionyſio Areopagita, de Dionyſio portante caput ſuum poſt illius truncationem, de Angelorum melodia Dionyſium caput ſuum portantem ad quatuor milliaria deducente. Nihil de Larcia nobili matrona quæ Visbium maritum Chriſtianiſmi accuſaverat, quem confeſſus

martyrio coronatus est. Nihil de Larcia, quæ viso hoc prodigio Christum publicè confessa martyrium subiit. Non videntur Monachi illi Dionysiani alter alterius scripta legisse, sed uterque aniles rumusculos suo tempore Parisiis & in vicinia disseminatos amplexus est, istud Oresti apud Sophoclem in Electra menti infixum habens,

Δοκῶ μὲν ἐνδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Anonymus tamen ille videtur nobis Hilduino antiquior, cum scripserit ante famam de Dionysio Areopagita Parisiensi Episcopo divulgatam. Nam si tum divulgata fuisset, procul dubio Monasterium suum isto decore non fraudasset. Sed his in medio relictis quæ à scopo nostro nonnihil aberrant, tria tantùm Francicorum Historicorum authoritate demonstrabimus: Duo priora una & eadem opera: videlicet Dionysii Parisiensis sepulchrum ante Dagobertum Regem miraculis corruscasse, & in territorio Parisiensi fuisse celebre. Deinde sepulchrum illud in ipso Parisiensis urbis meditullio positum fuisse, & ibi miracula facta. Tertium, Dagoberti Regis sepulchrum in Ecclesia Dionysiana intra urbem Parisiensem similiter positum.

V. Duo priora testatur antiqua & religiosa Parisiensis diœcesis traditio, & devotio. Sacræ enim Dionysii & Sociorum ejus reliquiæ non quinque ab urbe milliariis, sed in ipsa urbe, antiquitus coli solebant: Sepulchrum ipsius non extra urbem ignobile erat, sed in civitate situm miraculis per totam viciniam coruscabat. S. Audoenus, S. Eligii coætaneus & Collega, qui eodem tempore electus est Archiepiscopus Rothomagensis, quo Eligius Noviomensis Episcopus, & S. Eligii vitam conscripsit, eamque Roberto Parisiensi Episcopo misit, non modo hæc manifestissimè testatur, sed etiam religiosis & artificiosis operibus à S. Eligio elaboratis adnumerat S. Dionysii quod est in urbe sepulchrum: *Fabricavit etiam Eligius mausoleum sancti Martyris Dionysii in Parisiensi civitate, & super illud tectum marmoreum mirifico opere, auro & gemmis ornatum, itemque cristam & species de fronte magnificè composuit: Necnon & axes in circuitu throni altaris auro aperuit, & posuit in eis poma aurea, atque gemmata. Lectorium quoque & ostia diligenter argento vestivit. Sed & tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoque repam in loco anterioris tumuli, & altare intrinsecus ad pedes sancti Martyris fabricavit. Tantumque illi suppeditante Rege suam exercuit industriam, atque ita suum declaravit ingenium & artificium, ut pene singulare sit in Gallis ornamentum, & in magna omnium admiratione usque in hodiernum diem.*

VI. Ex his verbis duo evidenter colliguntur. Prius, S. Dionysii sepulchrum in urbe, non extra positum fuisse, multò minus quinque ab urbe milliariis. Quidam hæc verba, *in Parisiensi civitate*, interpretatur, *in agro Parisiensi*, ita ut nec urbs significetur, nec certus aliquis vicus aut oppidum, sed indefinitè dixerit Audoenus sepulchrum in territorio Parisiensi ab Eligio elaboratum fuisse. Hanc exceptionem retulisse, infirmasse est, nec opus regerere S. Audoenum sæpius in eodem libro Parisios & Parisiensem civitatem non modo à suburbiis, sed etiam à territorio distinguere. Civitas licet pro populo civitatis, aut ad civitatem pertinente, atque etiam pro jure civitatis apud optimos Latinos authores accipiatur, nunquam tamen aliquid fieri aut facere in civitate legetur idem esse quod in agris, & extra civitatem. Posterius, Sepulchrum illud ante ornamenta ab Eligio elaborata in urbe cognitum & ornatum fuisse. Dicit enim Eligium *repam fecisse in loco anterioris tumuli, &c.* Tumulus igitur S. Dionysii in urbe præcedebat insigne illud Mausoleum ei ab Eligio erectum. Deinde nihil S. Audoenus in tam opportuna occasione de magnis miraculis in inventione sepulchri S. Dionysiani præsente Rege Dagoberto, & in ipsius persona patratis. Imò retert illud sepulchrum ab Eligio decoratum, ut multa alia sanctorum Martyrum monumenta, quæ tamen nemo dixit tum primùm inventa, *Inter alia bonorum operum insignia, multas Sanctorum ex auro, argento, atque gemmis fabricavit thecas sive tumbas: Puta Germani Parisiensis Episcopi, Severini Abbatis Agaunensis, Piatonis Presbyteri, & Martyris, &c.* Præcipuam autem ejus operam & artificium scribit in Martini Turonensis, & Dionysii Parisiensis Memoriis exornandis enituisse.

VII. Sed omni exceptione valentius est quod antea c. 22. ejusdem libri dixerat S. Audoenus, insigne miraculum Parisiis ad sepulchrum S. Dionysii, interveniente quoque S. Eligio, factum fuisse: *Denique quodam tempore cum anniversaria Parisiis S. Dionysii Martyris celebraretur passio, dum vigilia à Clero canerentur in Choro, egressus Eligius à templo ad Atrium se conferebat, viditque eminus virum cunctis membris contractum, contra sancti Sepulcrum jacêre in pavimento, &c.* Eum nonnulla interrogavit Eligius, deinde *roga*, inquit, *potius hunc Sanctum, ut intercedens apud Dominum reddat te protinus sanum.* Postea cum aliquandiu oraſſet Eligius, iterum ad eum, *Si indubitanter credis, sicut promittis, in nomine Domini Jesu Christi surge, & sta super pedes tuos, &c.* Cum autem statim sanatus fuisset, comminatus ei S. Eligius *præcepit, ut si vellet rursus talia pati, nullum aliud de reddita ipsi sanitate verbum ediceret, nisi quod Dominus Jesus per sanctum Dionysium eum sanasset.* Hoc Parisiis, & ante inventa secundum Dionysianum illum Monachum Dionysii & sociorum corpora.

VIII. Sed longè ante Dagobertum Regem, & SS. Audoenum & Eligium, celeberrima erat Parisiis sancti Dionysii Basilica, celeberrimæ reliquiæ; & frequentissimæ ad eas ex tota vicinia sanitatis recuperandæ causa peregrinationes. Gregorius Turonensis lib. 1. Miraculorum, cap. 72. duo miracula enarrat Parisiis ad S. Dionysii sepulchrum perpetrata: Unum cum Sigebertus Rex omnia circum urbem depopularetur, tum inquit, *quidam de Primoribus ejus* (Sigeberti Regis) *ad Basilicam antedicti Martyris properat, non orationis devotione, sed tantùm ut aliquid fraudaret ab æde: Scilicet ubi reserata ostia, ac vacuum*

cum templum à cuſtodibus reperiſſet, pallam ole-
ſericam, auroque exornatam & gemmis, quæ
Sanctum tegebat ſepulchrum, temerario auſu di-
ripuit, ſecumque ſuſtulit. Veniens autem ad ca-
ſtra, fuit ei neceſſitas navigandi. Cumque puer
ejus, quem tunc creditum habebat, ſuſpenſis ad
collum ducentis aureis, navem cum eodem aſcen-
diſſet, ſubitò à nullo tactus, de navi decidit, op-
preſſuſque aquis nunquam potuit inveniri. Nullum tunc erat oppidi Dionyſiani veſtigium: Pariſienſis quoque civitas tum, ut & longo poſt tempore, inſulam tantùm complectebatur, ideò illi erat neceſſariò navi exeundum; nam ponte non audebat, ne in itinere deprehenderetur. Cum ſervi pœnam Dominus conſpexiſſet: *Velociter*, inquit Gregorius, *littori de quo digreſſus fuerat remeavit, pallamque ſepulchri ſumma velocitate reſtituit.* Attamen intra annum morte occubuit.

IX. Alterum miraculum his verbis deſcribit, *Alius autem ſuper ſepulchrum ſanctum calcare non metuens, dum columbam auream lancea quærit elidere, elapſiſque pedibus ab utraque parte, quia tumulus erat tumulus, compreſſis teſticulis lancea in latere defixa, exanimis eſt inventus.* Idem Gregorius hiſtoriæ Francorum lib. 5. cap. 3. refert quandam mulierem Pariſiis adulterii accuſatam à Propinquis defenſam, tandem controverſiam eò deveniſſe, ut mulieris pater diceret ſe Sacramento ſuper S. Dionyſii tumulum affirmaturum filiam ſuam criminis cujus inſimulabatur puram eſſe, Actores autem, ſi Sacramentum præſtaret, fidem adhibituros: *Apud Pariſios autem*, inquit Gregorius, *mulier quædam venit in crimen, aſſerentibus multis, quaſi quod relicto viro cum alio miſceretur, &c.* Tandem Pater, *ne crimen conſurgat ulterius, innocentem eam faciam Sacramento. Et illi, Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum hoc beati Dionyſii Martyris Sacramentis adfirma. Faciam, inquit Pater. Tunc inito placito ad Baſilicam S. Martyris conveniunt, elevatiſque pater manibus ſuper altarium juravit, filiam non eſſe culpabilem.*

X. Refert quoque Fredegarius Chronici, cap. 54. contigiſſe Clotarii II. anno 43. hoc eſt, duobus annis antequam Dagobertus Regnum iniret, ut quidam Godinus Majoris domus filius Novercam ſuam duceret. Hoc execratus Clotarius Godinum ad ſupplicium deſtinat. Hoc ſubodoratus Godinus ad Dagobertum in Burgundiam fugit. Tandem intercedente Dagoberto, & repudiata Noverca, Clotario reconciliatur. Cum tamen Clotarius Godino nonnihil diffideret, *juſſu Clotarii per præcipua loca Sanctorum Domni Medardi Sueſſionis, & Domni Dionyſii Pariſiis, ea præventione Sacramenta datuntur adducitur, ut ſemper Clotario deberet eſſe fidelis.* Nunc apud te animo revolve, qua ratione Anonymus ille Dionyſianus ſcribere potuit, tanto cum apparatu Sepulchrum S. Dionyſii & Sociorum ejus ante Dagobertum Regem prope incognitum fuiſſe, vilemque & ignobilem ædiculam à nemine celebratam, ita ut ad illud agnoſcendum opus fuerit multiplicibus miraculis, & Sanctorum in ſomnis apparitione, qui Dagobertum ubinam loci eſſent corpora eorum, & A qua ratione unum ab altero diſtingui poſſet; admonerent: tum primùm Sanctorum mandato egeſta humo eorum reliquias cum propriis titulis effoſſas fidelium conſpectui expoſitas eſſe. Denique cogita qua ratione verum eſſe poſſit ſepulchra illa quinque ab urbe milliariis tum effoſſa fuiſſe, quæ conſtat certiſſimis & oculatis teſtibus eo tempore & longè anteriore in ipſa urbe condita fuiſſe, & maxima totius populi religione frequentata & honorata.

XI. Nec etiam vera narrat author ille cum ſcribit Dogobertum Regem in monaſterio Dionyſiano quinque ab urbe milliaribus ſepultum; cum id factum fuerit in eadem urbis Pariſienſis Eccleſia Dionyſiana, ſi qua fides vi- B ro Sancto oculato teſti, & Francorum Magnatum facilè principi, adhibenda eſt. Ita enim apud S. Audoenum in vita S. Eligii poſt verba jam aliegata ſtatim ſequitur: *His operibus mirificè perfectis, atque omnibus circumquaque gentibus ſedatis, ferociſſimis etiam Vasceis ditioni ſuæ hoſtili gladio ſubactis, mortuus eſt Rex magnus & inclytus Dagobertus, & ſepultus eſt in eadem S. Dionyſii Baſilica, ſub arcu, in latere dextero.* Hæc autem nobis exhibent, non modo exemplaria vitæ S. Eligii edita, ſed etiam antiqua illius vitæ manuſcripta quæ Andreas Quercetanus diligentiſſimus hiſtoriæ Franciæ illuſtrator in lucem edidit tom. 1. collectionis C ſuæ. Ita olim factum eſt; ita antiquitus credebatur.

XII. Author alius Anonymus ex antiquis membranis ab eodem Quercetano publicatus qui poſt annum octingenteſimum & Caroli magni imperium vitam Sigeberti regis Dagoberti filii ex antiquis hiſtoricis Francicis, & Sanctorum geſtis collegit, hæc de Dagoberti ſepultura ſcribit, *Rex Dagobertus tam juſtè & prudenter Regno utroque ordinato, &c. Anno Regni ſui 17. mortuus, & Pariſiis in Baſilica ſancti Dionyſii ſepultus, Regnum dimiſit ab exteris pacatum gentibus, & in nullo diminutum à ſuis finibus.* Neque Dagobertus Rex Principum D primus in Eccleſia Dionyſiana intra urbem ſepultus eſt: filius Chilperici regis & Fredegundis juſſu Patris in eadem Eccleſia longè ante Dagobertum ſepelitur, ut antiqua Francorum geſta memorant è vetuſtiſſimis membranis à Quercetano eruta, & in eadem collectione edita c. 34. *Parvulus filius ejus* (Chilperici) *moritur. Quem cum grandi mœrore Pariſius in Baſilica ſancti Dionyſii Martyris deportantes ſepelierunt.* Eadem ante authorem illum ſcripſerat ſanctus Gregorius Turonenſis lib. 5. c. 35. *Quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco Pariſius ad Baſilicam S. Dionyſii ſepelire mandaverunt.* Chilpericus autem erat E Dagoberti avus, interque Chilpericum & Dagobertum regnaverat 45. annis Clotarius ſecundus Dagoberti pater & Chilperici filius. Qua ratione hæc concilientur videant quorum intereſt. Ex hoc authore ſolùm colligimus quod eſt in omnium oculis, nullam adhuc cum ſcriberet, Dionyſii Pariſienſis Epiſcopi & Areopagitæ Dionyſianis Monachis ſcintillam affulſiſſe, hancque traditionem eo tempore juxta cum ignariſſimis ignoraſſe.

CAP.

CAP I.V

Ejuſdem diſquiſitionis continuatio, qua demonſtratur traditionem Eccleſiæ Pariſienſis de duobus Dionyſiis huc uſque Pariſiis & in Galliæ pleraque celebratam fuiſſe. Visbii narratio quæ fabulæ præcipuum eſt columen, ex antiquo codice ernitur, & in genere examinatur. Dionyſii Areopagitæ & Pariſienſis novitas Hilduino teſte probatur. Hilduini cum Gregorio Turonenſi comparatio inſtituitur.

I. INquiſitionem iſtam ſi prorogemus ulterius, & ad ſecula poſteriora deſcendamus, etiam ea quæ longiſſimè ab Hilduino diſtant, experientia diſcemus traditionem Eccleſiæ Pariſienſis de Dionyſio Parente ſuo, & primo Epiſcopo, ab Areopagita & Athenienſi diverſo, huc uſque in ea, & tota Provincia Senonenſi, imò in tota Gallia celebratam fuiſſe, & quotidie de Eccleſiarum pulpitis ſolemniter annuntiatam. Quidquid Monachi Dionyſiani contrà egerint ut commodis ſuis inſervirent, Eccleſia Pariſienſis optimi ſui Parentis nunquam fuit immemor, nec alium paſſa eſt, licet claritudine præſtaret, nativo ſubducto ſibi ſupponi. Hoc ex iis quæ nunc ediſſerentur, evidentiſſimè conſtabit.

II. Anno Chriſti 754. quo Stephanus Papa III. à Longobardis afflictus in Galliam, Pariſioſque venit, & in Monaſterio Dionyſiano ſedem aliquandiu fixit, nulla prorſus erat Dionyſii Areopagitæ, & Epiſcopi Pariſienſis, ipſis Pariſius, & in toto agro Pariſienſi, memoria, nullus rumor. Hujus rei evidentiſſimum eſt argumentum, revelatio Stephano Pontifici facta ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, atque Dionyſii, quorum orationibus morbo graviſſimo quo tum laborabat, liberatus eſt. Non inquiro nunc in iſtius revelationis veritatem: Quidquid ſit, antiqua eſt, & paulò poſt tempus adnotatum compoſita, aut ſuppoſita. Veram aſſumo, Adjuncta eſt Areopagiticis Hilduini, eaque uſus eſt ut eleganti & memorabili monumento. Multa ſunt in ea parum credibilia: Nihil tamen in ea de Dionyſio Areopagita, ac Epiſcopo Pariſienſi. Author iſtius relationis qui procul dubio Monachus erat Dionyſianus, Areopagitam nunquam omiſiſſet, ſi leviculus rumuſculus de Dionyſio Areopagita Epiſcopo Parienſi in agro, Monaſterioque Dionyſiano tum diſſeminatus fuiſſet. Epiſtolam præterea Stephani Papæ relatio illa continet de ſanitate ſua miraculo per S. Dionyſium in cujus Eccleſia recumbebat, recuperata. Nihil tamen de Areopagita habet. Quàm avidè & importunè Dionyſium ſuum Areopagitam ingeminaſſent Monachi, ſi tum fabulæ iſtius rumor ad eos uſque perveniſſet!

III. Idem evincit præcipuum & Achillæum Hilduini Abbatis Dionyſiani argumentum à Visbii conſcriptione petitum, quam ait Hilduinus diu latitaſſe, & tandem divino nutu Pariſiis inventam. Licet enim maximam partem eorum contineat quæ narrat Hilduinus, nuſquam tamen Dionyſium vocat Areopagitam. Hæc Visbii narratio quæ præcipuum eſt hiſtoriæ ſeu fabulæ Areopagiticæ columen, non attexitur Hilduini Areopagiticis. Eam in antiquo quodam Sacramentario deprehendimus, cujus ſcriptio, aut ætati Hilduini æqualis eſt, aut major. Antiquus ille codex cui multa diverſi generis ſunt inſerta, pertinet ad clariſſimum virum, & de literis bene meritum N. Vion Erovallis Dominum, & in ſacro Regiorum computorum Auditorio Rationalem, qui humanitus admodum nobis eum utendum conceſſit. Hanc Visbii narrationem præcedit in eo codice relatio revelationis factæ Stephano Papæ, prorſus eadem quæ in Areopagiticis Hilduini apud Surium, ſi unam aut alteram voculam excipias in quibus alteruter Scriptorum ceſpitavit. Titulus revelationis tantillum variat, ideo illum ex antiquo noſtro codice referemus.

Incipit revelatio quæ oſtenſa eſt S. Stephano Papæ, & memoria de conſecratione altaris Sanctorum Petri & Pauli, quod eſt ſitum ante Sepulchrum ſanctiſſimi Dionyſii, Sociorumque; ejuſque revelatio acta eſt V. Kal. Auguſti.

Stephanus ſervus ſervorum Dei. Sicut nemo debet ſe jactare, &c. prorſus ut apud Surium. Finita Stephani Epiſtola, & quæ eam apud Surium conſequuntur, ſtatim Visbii narratio de Martyrio Dionyſii & Sociorum ejus, inauditiſque miraculis & portentis in ejus morte divinitus patratis adtexitur, eodem quibus cætera charactere & atramento deſcripta. Nondum tamen Barbarus ille, & inconditus fabulator Dionyſium ſuum ſciebat eſſe Areopagitam. Hoc de ſuo velut ſupremum actum fabulæ addidit Hilduinus. Narrationem perſonati Visbii hic integram expreſſimus, ut de illius ingenio, & eruditione judices cui tam horrenda hiſtoriæ & latinitatis portenta impoſuerunt. Quid fabulæ, quid barbariei, quid portentoſi figmenti non erat ille amplexurus & laudaturus? Iſtius farinæ Scriptoribus

Nihil intra eſt oleam, nihil extra in nuce duri.

Sic in codice, quinque prioribus dictionibus majori charactere ſcriptis.

IV. Quapropter ego Visbius Lisbii filius *Chriſtum Jeſum quem nobis prædicavit Dionyſius Jonicus qui appellatur Macarius, Deum eſſe de Spiritu ſancto ex digna Maria, quæ nunquam fuit aliter niſi virgo, conceptum; & hominem ſine ulla macula natum, & paſſum ac mortuum pro hominum ſalvamento; qui reſurrexit, & in cœlo ad dexteram ſui Patris, qui eſt Deus ſimiliter vivus, ſedens in omni loco eſt, uſque dum veniet ad judicium, quando incipiet illud regnum quod non habet finem. Dono illi & tibi bonus Miniſter Maſſo Presbytero ſchopes omne poſſiminium meum, cum illo quod eſt in Urbanio hujus. Illi reſpuo quod Dionyſius Macarius à Patre meo comparavit ad domum baptiſmalem faciendam, quia dicebat Deum Jeſum in locato natum, & de ejus pretio Captivorum ſepulturam comparatam; & remanſit mihi de matre mea Larcia, quæ prodidit Patrem meum à Macario Dionyſio Chriſtianum*

num Feſcennino Siſinnio. Sed poſt nimias tortu-
ras, cataſtatas, & catenas, & milium terniones, & beſtias manſuetas, & clibana extincta videret in carcere Glaucini Macarium Dionyſium Dominicas celebrantem, lumen quod tale non vidit homo ſuper omnes qui per illum crediderunt, cum in frangendo pane Jeſum Dominum multitudinem Albatorum illi dediſſe, & audiſſe dicentem, Accipe hoc carissimus quod mox complebo tibi unà cum Patre meo: Quoniam mecum eſt maxima merces tua, & omnibus qui audierint te ſalus in Regno meo. Nunc facies fortiter, & memoria tua erit in laude. Dilectio autem & benignitas quam habes ſemper pro quibuſcunque petierit, impetrabit. Et ſic cum caſa cervice vidiſſet caput ſuum illum cum grandi luce portare, clamavit ſe eſſe Chriſtianam, & occiſa eſt. Ego namque Romam ductus Domitiano ejus Pilato per tres Cæſares militavi. Num quia mihi promittis juſta deſero, & Jeſu Deo militò cum Dionyſio Macario, & juſtificatis Ruſtico & Eleutherio & Patre & matre, & omnibus qui diligentes Jeſum mortui ſunt. Illud Regnum ab eo ubi mori non debeo, ſed gloriam ſemper habere, & Reges quibus militavi in panis videre cum illis qui non credunt. Et ſic totum credo, & trado omnia mea ad victum illis qui ſic eſſe credunt; & me alienum facio de hoc mundo, & trado me Jeſu Deo; & nomen meum ad fontem baptiſmalem dono. Ego Visbius Jeſum Chriſtum cum Patre; & Spiritu ſancto unum Deum credo & mundum & Diaboli voluntates abjicio. Amen.

V. En fons limpidiſſimus è quo rivulos hiſtoriæ ſuæ derivat Hilduinus. En theſaurus ille retroactis ſeculis abſconditus, qui tandem Hilduino diligentiſſimè conquirenti divino nutu revelatus eſt. Nam ut ille ait ad Ludovicum Auguſtum ſcribens, hæc præcipuè teſtatur *Visbii conſcriptio, quæ in tomo ſatis ſupergue abdito Pariſiis divino nutu inventa, inter alia memoranda, &c.* En præclarum priſcæ latinitatis monumentum, admirandis eloquentiæ floribus & pigmentis variatum, ſententiarumque emblematis vermiculatum, digniſſimum cui exornando antithetis & Paronomaſiis luderet Hilduinus, & Danielis Prophetæ verba applicaret, *Neminem*, inquit, *ſani capitis hæc minus acceptare putamus, quæ anteriori tempore repetita non fuerant, cum liquidò noſcat, quod is qui creavit omnia ſimul, noluit revelari cuncta, vel cunctis ſemel, &c. cum Daniel dicat, Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia.* Multis autem de cauſis ea quæ refert, credenda eſſe aſſeverat, ſed præſertim quod *de Antiquariorum antiqua ſcriptura ſint, velut ex prato non Pariſiaco, ſed Paradiſiaco.* Alter Antiquarius ſuus eſt Euſebius Cæſarienſis, ſed in ejus Hiſtoria, vel Chronicis nihil inſomniorum Hilduini occurrit: imò contraria ſententia ex ejus ſcriptis planè colligitur, ut videre eſt ſupra initio capitis ſecundi. Tertius eſt Ariſtarchus Chronographus in Epiſtola ad Oneſimum Primicerium, ſed author eſt incognitus. Qui Visbii relationem legitimum primi ſeculi fœtum judicavit, nihil eſt ſermone tam inconditum, tam infans, tam horridum, hiulcum, & mendoſum quod illi facilè non imponat. Non eſt nobis propoſitum ſin-

A gula Hilduini σφάλματα indicare, citius quis Augiæ cloacas repurgabit quam breve Hilduini opuſculum emaculabit.

VI. His teſtimoniis accedat continua & publica Eccleſiæ Pariſienſis, & non modo vicinarum, ſed etiam totius Galliæ Eccleſiarum traditio, in hunc uſque diem religiosè conſervata, quæ hactenus ſemper diſtinxit inter Dionyſium Areopagitam Athenienſem Epiſcopum, & Dionyſium Pariſienſem, ſocioſque ejus Eleutherium & Ruſticum, quorum feſtum aſſignat in Martyrologiis ſuis VIII. Idus B Octobris; illius verò V. Nonas ejuſdem menſis. Hoc de Martyrologiis teſtatur Jacobus Sirmundus Societatis Jeſu Theologus in Eccleſia Dei meritò celeberrimus in diſſertatione quam de duobus Dionyſiis ſcripſit, *Si teſtes*, inquit c. 3. *quærantur qui duos Dionyſios diſertis verbis pronuntient, Teſtes damus Eccleſias omnes Gallicanas, & quotquot in his olim Pontificales cathedras tenuerunt. Qui ore uno ſiloquantur omnes, de Dionyſii quid ſenſerint, Eccleſiarum ſuarum Martyrologiis ſe teſtatos reſpondebunt. In his enim Pariſienſem ab Areopagita diſtingui, & alterum V. Nonas Octobris, alterum VII. Idus celebrari. Vidimus ipſi paſſim non paucâ, viderunt que pro nobis alii plurimis in locis. Nullum uſquam obſervatum eſt, in quo diſcrimen idem non elucet.*

VII. Joannes de Launoy Theologus Pariſienſis vir eruditiſſimus & ejuſmodi fabellarum animadverſor acerrimus, & diligentiſſimus, hanc cauſam magna cum ſedulitate perſecutus eſt in diſcuſſione diſſertationis de duobus Dionyſiis. Innumera enim Martyrologia variis admodum locis & antiquiſſima, & recentiora inſpexit, verbaque exſcripſit, quæ omnia duos Dionyſios diſtinguunt, unum Pariſienſem Epiſcopum Pariſiis, alterum Areopagitam Athenienſem Epiſcopum in Græcia eodem menſe, ſed diverſis diebus martyrio coronatos. Indicem tantum Martyrologiorum texemus, qui plura cupit laudatum opus legat. Bedæ martyrologium antiquiſſimum; antiquiſſimum Romanum à Roſveido editum; Uſuardi, Adonis quoque Viennenſis, Hilduino coævi qui teſtatur ſe antiquiſſimum Romanum Martyrologium præ manibus habuiſſe, Notkeri cognomento Balbuli; Martyrologium Arvernenſis Eccleſiæ, Remenſia duo, Antiſiodorenſia tria, Trecenſe unum: Pariſienſia permulta, & ejuſdem temporis, & præcedentibus longè poſterioris. In Eccleſia Metropolitana Pariſienſi duo anno 1448. exarata, quæ diutinè poſt illud tempus publicè lecta ſunt. In Eccleſiis præterea ejuſdem urbis, ſancti Germani Antiſiodorenſis, ſancti Sepulchri, ſancti Germani de Pratis; Monialium ſancti Antonii in ſuburbio ejuſdem nominis, ſancti Martini de Campis, ſancti Victoris in ſuburbio. In ipſo ſancti Dionyſii monaſterio ante trecentos & paucos annos unum reperiebatur quod Guido illius Monaſterii Abbas recenſuit, & ſanctilogio ſuo inſeruit, quod nunc in Bibliotheca ſancti Victoris conſervatur. Præterea Eccleſiæ Rothomagenſis, Monaſterii ſancti Martini Pontiſarenſis, ſancti Taurini Ebroicenſis,

beatæ Mariæ de Lyra in diœceſi Ebroicenſi, Eccleſiæ Senonenſis, Auguſtodunenſis, Anicienſis, Andegavenſis, Sueſſionenſis, & ſancti Martini Turonenſis: Eccleſiæ Ambianenſis, ſancti Joannis Ambianenſis ordinis Præmonſtratenſis; Monaſterii Pontiniacenſis in diœceſi Antiſiodorenſi, beatæ Mariæ de Valle in diœceſi Pariſienſi; beatæ Mariæ de Marſiliaco in diœceſi Auguſtodunenſi; Tria hæc ordinis Ciſtercienſis. Univerſus ordo Prædicatorum in Martyrologio quod includit Breviarium eorumdem an. 1254. deſcriptum Lutetiæ in Conventu ſancti Jacobi conſervatum. Bellinus in Martyrologio quod Patavii edidit ad uſum Eccleſiæ Romanæ. Calendarium antiqui Breviarii ad uſum cujuſdam Eccleſiæ è ſecunda Belgica quod in eodem conventu ſervatur. Calendarium Antiphonalis cujuſdam Ambianenſis Pariſiis in Collegio Choletæorum. Calendarium Ordinarii Narbonenſis Eccleſiæ Toloſæ an. 1545. typis impreſſum. Calendarium Eccleſiæ Venetenſis in Britannia typis mandatum an. 1595.

VIII. His Martyrologiis & Calendariis accedunt Sanctorum vitæ ante & poſt annum octingentelimum ſcriptæ, quorum authores diſertiſſimè aſſerunt Dionyſium in Gallias Decio imperante veniſſe; vel idem diſertè teſtantur de multis Sanctis quos eodem loco vocant Dionyſii ſocios, ſimulque Roma profectos in Galliam adveniſſe, variaſque urbes prædicationis cauſa peragraſſe, tandemque ſub variis Decii Imperatoris ſucceſſoribus martyrium paſſos. Hujuſmodi ſunt vita ſancti Luciani Bellovacenſis Epiſcopi: vita Sanctorum Fuſciani & Victorici: vita ſancti Juliani Cœnomanenſis Epiſcopi à Lethaldo Monacho deſcripta, qui hoc etiam probat ſancti Gregorii Turonenſis authoritate. Breviarium manuſcriptum Pariſienſe 17. Septembris in Lectionibus de vita ſancti Audomari. Folcardus Monachus ſancti Bertini in vita ſancti Audomari. Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus in hymno de ſancto Piato. Hinc etiam huc uſque in Calendariis manualibus Eccleſiæ Carnutenſis Dionyſii duo diſtinguuntur, alter v. Non. Octobris ponitur; Pariſienſis autem cum ſociis Eleutherio & Rullico VII. Id. Octobris, ut Calendarium 1604. editum, & alterum an. 1490. Dionyſianorum Monachorum Innovatio antiquam Eccleſiæ Pariſienſis traditionem abolere non potuit, licet imperitum vulgus natura mendaciorum & portentorum amans innovationem cœco impetu amplexum fuerit.

IX. Hujuſce traditionis nullum teſtem certiorem habere poſſumus quàm Hilduinum fabulæ Areopagiticæ incentorem. Poſtquam enim omnia conquiſivit, & ſcrutatus eſt quæ eam confirmare poſſent, tandem fatetur eam eſſe Latinis hominibus omnino incognitam: poſtmodum tamen ſingulari Dei beneficio ſe in Visbii ſcriptum Pariſiis ſecretò latitans incidiſſe, quo de Dionyſiani Martyrii hiſtoria hactenus ignorata plenè edoctus eſt. Hæc in Prologo Hiſtoriæ ſuæ Areopagiticæ, quorum jam partem retulimus. Fatetur præterea ſibi contradicere Gregorium Turonenſem Epiſcopum & Bedam, *Quid quiſque dixerit*, inquit, *veluti de autumatione Gregorii Turonenſis Epiſcopi, & ſubreptione Bedæ ſancti Presbyteri, atque aliorum quorumcunque authoritate jactatur.* Quaſi verò nulla ſit tantorum virorum authoritas, cum præſertim habeant ſibi conſentientem univerſam ſui temporis traditionem. Deinde quæ refert Gregorius non à ſe, ſed ab authentica Martyrum hiſtoria depromit. Eſt præterea Gregorius Hilduino annis prope ducentis & quinquaginta antiquior, & eo conſequenter in hac cauſa longe credibilior.

X. At occurrit Hilduinus in Præfatione, *Parcendum eſt*, inquit, *ſimplicitati viri religioſi Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quam ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis æſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto, literis commendavit.* Ponamus Gregorium, ut vult Hilduinus, ſimplicem, minimè diligentem, & cautum. Fingamus eum ab aliquo deceptum falſa de Dionyſio ſcripſiſſe. Conſtat ex Gregorii & aliorum hiſtoria eum Pariſios ſæpe veniſſe negotiorum Eccleſiaſticorum tractandorum cauſa, & ibi aliquando id poſtulantibus negotiis diu commoratum eſſe. Suberat enim Turonenſis Provincia Francorum Regi qui Pariſiis ſedem fixerat. Si qua igitur traditionis tumbella, ſi quis rumuſculus fabellæ de Dionyſio Areopagita Pariſienſi Epiſcopo, & eorum miraculorum quæ fabulæ attexuit perſonatus Visbius, Pariſiis tum divulgatus fuiſſet, Gregorium certè non latuiſſet. Nam ut apparet ex libris quos Gregorius de gloria Martyrum, & de miraculis S. Martini compoſuit, in ejuſmodi hiſtoriis quæ pietatis prætextum habent, erat admodum credulus, & in iis quocunque modo colligendis ſedulus, & diligens. Quapropter cum iſtius traditionis de Dionyſio Areopagita Epiſcopo Pariſienſi, & miraculorum quæ ei adnectuntur, non modo nullam mentionem faciat, de Eccleſiæ Parienſis origine diſſerens; verumetiam eam amplectatur quæ magna ſui parte cum illa conſiſtere non poſſit, certiſſimum eſt Pariſiis ipſis, & in agro Pariſienſi altiſſimum tum temporis de iſta traditione fuiſſe ſilentium.

XI. Fortunatum Poëtam inſuper ait Hilduinus canere, Dionyſium à Clemente in Gallias deſtinatum, ſed de natione ejus & ordinatione nihil referre, *quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.* Quod conſequentiæ monſtrum eſt iſtud? Spurius eſt præterea ille Fortunati hymnus è quo colligit Hilduinus Dionyſium à Clemente in Gallias miſſum. De Dionyſio enim Pariſienſi primo Epiſcopo & Eccleſia Pariſienſi multa & magnifica canit Fortunatus, lib. 1. opuſcul. cap. 11. & lib. 8. c. 4. Sed de Dionyſio à Clemente miſſo ne ſyllabam quidem. Fingamus tamen Dionyſium à Clemente in Galliam & Pariſios miſſum, cum Hilduinus ipſe teſtetur nullam in poëmatis ſuis de Areopagita mentionem facere, num evidens eſt, & certiſſimum argumentum nullam tum in agro Pariſienſi de Dionyſio Areopagita Epiſcopo, & omnibus quæ huic hiſtoriæ ſuperaddita ſunt, famam vel rumorem ſparſum fuiſſe? Quàm læta dicendi & amplificandi ſe-

ſeges Poëtæ, ſi hujus rei fama tum per ora virûm volitaſſet? Quis enim neſcit Poëtas carminis materiam hominum opinione, non veritate metiri? Quid non de dignitate Areopagitica, de Epiſcopatûs antiquitate, de prodigioſo miraculo hominis mortui caput ſuum in ulnis deportantis, de Angelorum agminibus funus deducentibus, & cohoneſtantibus Fortunatus ceciniſſet?

XII. Non poſſum hîc non mirari Hilduini frontem qui ſimplicitatis & ſtoliditatis Gregorium Turonenſem arguit, virum tota Europa celebrem: qui cum viveret Gallicorum Epiſcoporum lumen non modo pietate, ſed etiam doctrina habitus eſt; quique eo nomine in Epiſcoporum Conciliis & conventibus primas ſemper tulit: Quem Fortunatus ab Hilduino maximi factus, & dictus Scholaſticiſſimus, hoc eſt, doctiſſimus, maximis laudibus in cœlum uſque evehit; cujus matrem ob illum unum partum felicitate æquat Macabeæ, ſeptem filiorum & omnium Martyrum genitrici. Hilduinus, inquam, litterarum planè rudis, ingenio incultiſſimus, ſermone infantiſſimus, hiſtoriæ prophanæ & Eccleſiaſticæ imperitiſſimus; cujus opus Areopagiticum perpetua eſt barbariſmorum, ſolœciſmorum, infantiæ, imperitiæ, & *ἀνεπιστημίας* textura. Crepat equidem unum aut alterum Hiſtoricum Græcum, quaſi de rebus noſtris contra continuam Majorum traditionem & eorum illuſtria monumenta, legitimos teſtes. Verùm ſi teſtimonium eorum perpendas, nihil dicto abſurdius; ſi teſtes, aut ſuppoſititii ſunt, aut ipſis imponitur. Vix dicas in eo Hilduini opere quid prævaleat, an ſermonis incondita, & ridicula barbaries, an hiſtoriarum omnis generis cæca & bruta ignorantia. Si verò authorem compares, non dicam cum antiquis, ſed cum æqualibus, Carolo magno, Æginartho, Nitardo, Hincmaro, aliiſque ejuſdem ſeculi ſcriptoribus meritò judicabis eum ſcriptorum ſui ſeculi barbari tetrimentum.

CAP. V.

Nonnulla Dionyſii effata inter ſe, & cum Antiquorum dictis comparantur, probaturque cum eo Areopagita conſiſtere non poſſe. Timotheum vocat juvenem, & ſe cum ſcriberet nondum ſenem. Evangelium tamen Joannis citat, & Apocalypſim quoque de ea nihil dubitans. Millenariorum ſententiam improbat, quæ ante annum Chriſti 120. *divulgari non potuit. Virginum, Viduarum Deo ſacrarum, & Diaconiſſarum authoribus antiquis frequens mentio, nulla Dionyſio. Monachi Dionyſio familiares poſt annos* 250. *tantùm noti.*

I. Quartum & poſtremum caput eorum quæ examinanda ſuſcepimus, nunc aggrediemur; examen ſcilicet nonnullorum dictorum Dionyſii iſtius Areopagitæ vulgo nuncupati, eorumque tam cum aliis ejuſdem authoris dictis, quàm cum nonnullis certiſſimis hiſtoriis comparationem, ut Lector judicet an ita & ſecum & cum Dionyſio Apoſtolico & Areopagita bene conſentiant. Refert Dionyſius c. 4. de divinis nominibus teſtimonium ex Epiſtola S. Ignatii ad Romanos cum ad martyrium duceretur, ſcribentis. At librum de divinis nominibus dedicat Dionyſius S. Timotheo Epheſiorum Epiſcopo. Vivebat igitur Timotheus poſt Ignatii Epiſtolam ad Romanos miſſam. Verùm ex eodem Ignatio ſcribente ad Philadelphios conſtat Timotheum cum ad Romanos ſcriberet, defunctum fuiſſe. Conſtat præterea ex Epiſtola ejuſdem Ignatii ad Epheſios Oneſimum Timotheo longo tempore poſt Timothei mortem.

II. Reſpondet S. Maximus hoc teſtimonium à Dionyſio non eſſe allegatum, ſed aliquem hoc ad marginem adnotaſſe, atque à margine in textum irrepſiſſe. Sed repugnant omnia exemplaria ab invento & publicato illo authore ad hoc uſque tempus. Deinde Ignatii teſtimonium illud Dionyſii ſcopo, eo loci appoſitiſſimum eſt, & ita textus circumſtantiis antecedentibus & conſequentibus innexum & catenatum, ut oporteat neceſſariò multas lineas antecedentes abradere, ſi velis hoc teſtimonium loco movere. Nonnulla præterea quæ ſequuntur, ad illud teſtimonium relationem habent. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt authorem ipſum illud textui inſeruiſſe & innexuiſſe.

III. Aliter reſpondent Cardinalis Baronius & alii, Timotheum illum non eſſe Epheſiorum Epiſcopum, ſed aliquem alium Presbyterum ejuſdem nominis. Sed hoc contra omnium antiquorum ſenſum qui crediderunt hunc Dionyſium eſſe Areopagitam: contra omnia exemplaria quæ Epheſiorum Epiſcopum perhibent: contra ipſum Dionyſium qui Timotheum illum ad quem ſcribit Epiſcopum vocat in fine libri de Hierarchia Eccleſiaſtica, *δεῖ γὰρ τὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν μὴ χαλεπαίνειν ἐπὶ τοῖς πεπλανημένοις*, *Pontificiam autem ſapientiam tuam iis qui in errore verſantur, ſuccenſere non oportet.* *ἱεράρχης* enim huic authori ſemper Epiſcopum ſignificat, eoque nomine & ab eo derivatis frequentiſſimè utitur. Iidem quoque conjiciunt, Dionyſium cum primum librum ſcripſit hoc Ignatii teſtimonium textui ſuo non inſeruiſſe, ſed multis poſt annis opus ſuum relegentem & recenſentem. Sed mera eſt conjectura, nullo fundamento niſi anticipatæ opinionis ſubnixa, quæ ſolvendi quemcunque nodum campum aperit patentiſſimum.

IV. Hoc conceſſo quod certum videtur; aliæ & graves ſuboriuntur difficultates. Vocat enim ſæpius author ille Timotheum filium ſuum. Quod certè abſurdum eſt, & ab uſu Eccleſiaſtico, & à recta ratione maximè alienum. Quis enim legit, Epiſcopum alteri Epiſcopo publicè ſcribentem, filium vocaſſe? Poteſt equidem Epiſcopus juvenis, alterius aliquando diſcipulus, ſe illius filium humilitatis & gratitudinis cauſâ dicere. Ideo potuiſſet Timotheus ſe Dionyſii filium inſcribere. At Dionyſius Timotheum filium appellare nunquam debuit. Deinde certum eſt

Actorum 16. Timotheum ante S. Dionyſium multis annis Chriſtiana religione imbutum fuiſſe. Quo jure, qua traditione fretus ſeniorem ſe religione & paternitate Chriſtiana, filium perpetuò vocat? Præterea cum hæc ſcribebat Dionyſius, ut probatum ſupra, erat centenario major; Timotheuſque tum erat illi aut ætate æqualis, aut annum ſuperabat nonageſimum. Senem igitur decrepitum, & Epiſcopum, religionis ætate ſe majorem non aliter quàm filiolum vocabat!

V. Denique S. Timotheus antiquus erat Chriſtianus, ab ipſo Paulo Apoſtolo diutiſſimè inſtitutus, ab eo ad Epiſcopatum ordinatus. Quo ſenſu dixit Dionyſius cap. 3. de divinis nominibus Timotheum intelligere non potuiſſe librum quem Jerotheus ſcripſerat de elementis Theologicis, & ideo librum ad ſe remiſiſſe ut illum explanaret. An adeo ſtupidus erat Timotheus, ut Jerothei elementa Theologica capere non poſſet? Quis adeo emotæ mentis, ut hoc de primario Pauli Apoſtoli diſcipulo credat? Huc pertinent frequentes admonitiones Timotheo factæ, ne myſteria evulget, & cum impuris hominibus communicet. Pertinent etiam multa alia ejuſdem generis ſæpe iiſdem libris repetita, in quibus decorum & conveniens perſonis quas imponit, parum obſervat.

VI. Silentio prætereundum non videtur, Dionyſium eo loco Timotheum vocare juvenem, ſe quoque profiteri ſenem nondum fuiſſe, multò minus ætatis decrepitæ; Jerotheum autem pro ſenibus ſcripſiſſe elementa Theologica quæ Dionyſius ait ſe pro virili & captu ſuo iis explicare qui ſibi ſimiles ſunt, hoc eſt, nondum ſenes, & ſcientia perfecti. Iſte loquendi modus homini ſeptuagenario, nedum Centenario convenire non poteſt. Hæc ſunt Dionyſii verba, *Sed quandoquidem reverà ille* (Jerotheus) *divina pro captu perfectorum ſenum Sacerdotum explanans, brevia nobis decreta expoſuerit in uno multa complectentia, ipſe nobis, atque iis omnibus qui, ut nos, præceptores ſunt tyronum & recens initiatorum præceperit, ut quantum poſſumus explicaremus, & diſtingueremus nobis conſentanea oratione ſummarios ac ſingulares maximè ſpiritualis illius viri difficultatum nodos; tuque nos ſæpe etiam ad hoc ſtudium hortatus es, ac librum ipſum, ut nimis ſublimen remiſiſti. Hæc quidem ex parte nos etiam illum, ut perfectorum, ſenilumque animorum Magiſtrum, iis qui pleroſque ſuperant, fecerimus, quaſi altera ſcripta divina, & iis qui à Deo unCti ſunt, conſentanea: his autem qui nobis ſimiles ſunt, nos pro capiu noſtro divina trademus.* Et paulò poſt, interiorum Magiſtrorum ordini ſeſe adſcribit, eamque perſpicuè explicandi facultatem quæ in Senioribus Sacerdotibus eſſe ſolet, ſibi non adeſſe fatetur.

VII. Negotium præterea faceſſere poteſt, quod omnia S. Joannis Euangeliſtæ opera Dionyſius paſſim citat, laudat, interpretatur, velut ſuo tempore non ſecus ac cætera Euangelia per orbem vulgata. At apud omnes conſtat S. Joannem Euangelium ſuum ſcripſiſſe poſtquam Epheſum ab exilio rediiſſet. Ita S. Athanaſius in Synopſi, Hippolytus Martyr referente Cedreno in Nerva Imperatore, Epiphanius hæreſi 51. & alii, nemóque diffitetur. In exilium autem miſſus eſt à Domitiano Imperatore, & revocatus, ut & alii omnes, cum Nerva, occiſo Domitiano, imperare cœpit. Domitianus autem Tyrannus, & Chriſtianorum acerrimus perſecutor anno Chriſti 98. XIV. Kal. Octobris occiſus eſt, ut ſupputat Cardinalis Baronius. Itaque citius non potuit Epheſum rediiſſe S. Joannes quàm anno 99. verno tempore. Statim autem poſtquam rediit, animum ad ſcribendum Euangelium non appulit, ſed ad id precibus ſuis eum coëgerunt Chriſti fideles, ut antiqui authores teſtantur, & S. præſertim Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Irenæus lib. 3. cap. 11. Epiphanius hæreſi 51. Sanè ſcriptum eſſe non potuit & publicatum citius, quàm anno 101. Eadem ratio Apocalypſis, de qua difficile dictu eſt, an præcedat Euangelii ſcriptionem an ſubſequatur. Quidquid ſit, certum eſt ex antiqua & perpetua in hunc uſque diem traditione, Euangelium ſecundum Joannem, & Apocalypſim poſt Domitiani Imperatoris mortem & Joannis ab exilio Epheſum reditum ſcripta eſſe & publicata.

VIII. Hinc tria neceſſariò conſequuntur. Primum, authorem iſtorum librorum annum egiſſe ſaltem nonageſimum tertium, cum primum animum ad ſcribendum appulit. Nam ſi velimus paulò liberalius agere, atque ut res poſtulat, ſaltem centeſimum aut quid amplius tunc egiſſet. Ita enim in omnibus operibus ſuis teſtimonia ex Euangelio & Apocalypſi Joannis promit, ut indicet jamdudum vulgata fuiſſe & fidelibus communia, nuſquam autem innuat recens ſcripta eſſe, & eo ipſo anno quo ab ipſo citabantur, quemadmodum aſſumpſimus. Nam cum agebat Chriſtus Dominus noſter annum trigeſimum tertium vel quartum, teſtatur Dionyſius ſe egiſſe vigeſimum quintum. Secundum, iſta non convenire cum iis quæ mox ex cap. 3. de divinis nominibus retulimus, ubi teſtatur, ſe nondum ſenilem ætatem attigiſſe. Tertium, inde confirmari teſtimonium ſancti Ignatii ab eo revera citari potuiſſe. Cum enim ſcribere cœperit ſaltem an. 101. aut ut ex ipſius ſcriptis probabilius, anno 106. aut 107. vel quid amplius, cur negotium faceſſet, quod ſcripta anno 109. vel 110. edita allegaverit? Dionyſius multa ſcripſit, & liber de divinis nominibus in quo Ignatius citatur, inter poſteriora ejus opera recenſetur. Procul dubio non uno anno ſcripſit omnia opera ſua, ſed pluribus. Hinc etiam demonſtratur quod ſupra probatum eſt, Dionyſium illum, ſi Pariſienſis eſt, citius in Galliam mitti non potuiſſe quàm anno Chriſti 111. juxta Baronii numeros, ac proinde ab Anacleto miſſum fuiſſe ultimo Pontificatûs anno, vel potius ab Evariſto, annum ætatis agentem centeſimum quartum aut quintum.

IX. His accedit quod Apocalypſim perpetuò citat & confidenter, ut librum divinum & canonicum, non ſecus ac Joannis Euangelium, cæteroſque libros de quibus nunquam dubitatum eſt. At ſanctus Hieronymus Epiſt. 129. ad

ad Dardanum, teſtatur Græcos Jonannis Apocalypſim inter ſcripturas canonicas non admittere: Ideo nec canones Apoſtolici, nec Concilium Laodicenum, nec Gregorius Nazianzenus, nec Amphilochius in carmine ad Seleucum, canonicorum librorum catalogum texentes, illis Apocalypſim adſcribunt: imò Amphilochius non tantum omittit, verum etiam ab eo diſertè abjudicat.

Aſt Apocalypſim Joannis aliqui
Iis inſerunt: rurſus, ſed longè plurimi
Aduiterinam dicunt.

Hinc eſt quod S. Epiphanius dicit ſe aliquomodo Hæreticos Alogos excuſaturum ſi Apocalypſim tantùm Canonicorum numero moviſſent, non autem cætera Joannis opera; *Siquidem ſuſcepiſſent Euangelium* Joannis, *Apocalypſim verò rejeciſſent, dixiſſemus utique; Nunquid juxta exactam rationem hoc faciunt, Apocryphum non admittentes propter ea quæ in Apocalypſi profunde & obſcurè dicta ſunt, &c.* Teſtatur Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus apud Euſebium lib. 7. cap. 20. Nonnullos Catholicos Apocalypſim non modo librum dubium exiſtimaſſe, ſed prorſus ut ab Hæreticis compoſitum, repudiaſſe, ſingulaque ejus capita refutaſſe. Præcipuam autem in librum inſurgendi occaſionem dabat illis Millenariorum ſententia cui liber favere videtur. *Verùm*, inquit Dionyſius, *ego librum ipſum nullo modo audeo abrogare, præſertim cum adeo multi fratres eum tam magno æſtiment, &c.* Licet autem librum probet, multis tamen & veroſimilibus rationibus fretus indicat illius authorem eſſe non poſſe Joannem Euangeliſtam. Hanc antiquam de libri Apocalypſis authoritate in utramque partem inter Catholicos diſceptationem ſuo tempore adhuc viguiſſe teſtatur Euſebius in fine cap. 18. vel 24. lib. 3.

X. Eadem ratio Epiſtolæ ſecundæ Joannis, & Epiſtolæ Judæ, atque Epiſtolæ ad Hebræos, licet iis tantis animis contradictum non fuerit, ut Apocalypſi. Clementis autem Epiſtolam ad Corinthios quæ tanti ab Eccleſiis æſtimabatur, ut refert Euſebius hiſtoriæ lib. 3. cap. 12. quam citant ut canonicam antiqui Patres: Irenæus lib. 3. cap. 3. Clemens Alexandrinus Stromaton lib. 4. & alibi. Juſtinus q. 74. Hieronymus in Eſaiam cap. 52. Quam etiam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, qui Sotere Pontifice vivente illam Eccleſiam adminiſtrabat, ut ipſe refert apud Euſebium hiſtor. lib. 4. cap. 22. hoc eſt, annis 55. aut ſex poſt tempus cui Dionyſii martyrium aſſignari ſolet, teſtatur ab antiquo in Eccleſia legi ſolere, nuſquam tamen Dionyſius ille Areopagita dictus eam commemorat, licet vitam ageret in regionibus Corintho finitimis. Eadem ratio Epiſtolæ S. Barnabæ quæ ab antiquis ſæpe citatur, Clemente Alexandrino Stromaton lib. 2. & 5. Origene περὶ ἀρχῶν lib. S. Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & aliis: Eadem quoque libri Paſtoris qui tanta cum laude à pleriſque antiquiſſimis Patribus, etiam ad probanda fidei dogmata allegatur. Utitur tamen iſtis libris Dionyſius vel eos prorſus præterit, non ſecus ac ſi ſeculo quinto ſcripſiſſet, quo ratus erat & ſtatus librorum canonicorum numerus: Aliquid ex iis probaturus nihil unquam præfatur, aut ullo verbo innuit nonnullos de iis dubitare: Abſolutè eos proponit ut ſcripturam canonicam & fidei regulam, veluti ſi apud omnes hoc ratum eſſet, quanquam eo tempore Catholicorum Orientis apud quos vivebat, magna pars hoc diffiteretur. Traditionem ſeculo quinto quo ſcripſit acceptam & ſtatam credidit omnibus retroactis ſeculis viguiſſe.

XI. Scripſiſſe inſuper authorem iſtum plurimis annis poſt Joannis Euangelium & Apocalypſim, hoc eſt, poſt annum Chriſti centeſimum, ex iis quæ ipſe ſcribit initio c. 7. de Eccleſiaſtica Hierarchia evidenter probari videtur. Eo loco enim Millenariorum hæreſim acriter improbat, & refutat, varias de animarum ſtatu poſt mortem ſententias enarrans: *Alii neſcio quomodo in cogitationes & ſententias quæ terram & corpus redolent, delapſi, ſimilem hinc vitæ ſanctiſſimum, beatiſſimumque ſtatum qui ſanctis promiſſus eſt, eſſe cenſuerunt; ciboſque vitæ mutabiles accommodatos iis qui pares Angelis futuri ſunt, nefariè projecerunt. Verùm Deus prohibeat, ne quis ſanctus vir in ejuſmodi errores incidat, &c.* Sanctus Maximus in hæc Dionyſii verba, *Hæc ait, obſcurè ſignificans, opinor, Papiam qui Hierapolis Aſiæ tum fuit Epiſcopus, & divini Joannis temporibus floruit. Ille enim Papias lib. 4. Dominicarum ſuarum explanationum ſcripſit fore in reſurrectione voluptates quæ percipiuntur ex cibis, in quod quidem decretum poſtea credidit Apollinarius, quod appellant nonnulli annum milleſimum.* Eodem modo, & iiſdem prope verbis Pachymeres iſta commentatur, nec aliter poterant, ita mihi videtur res clara & evidens. Teſtatur autem Papias ſe Apoſtolorum diſcipulum non fuiſſe, nec ullum Apoſtolorum unquam vidiſſe, ſed diligenter ſe ex Apoſtolorum diſcipulis veritatem inquiſiviſſe, & quæ didicerat, memoriæ mandaſſe. *Si quis*, inquit, *Preſbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apoſtolis verſatus fuiſſet, dicta Apoſtolorum ab eo diligenter ſciſcitabar; Nempe quid Andreas dixiſſet, quidve Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, aut quid alius diſcipulus.* Hæc apud Euſebium lib. 3. hiſtor. cap. ultimo ex S. Irenæo.

XII. Hinc neceſſariò conſequens eſt, Papiam iſta ſcripſiſſe poſt Joannis Euangeliſtæ mortem multis annis. Nam cum eſſet Papias Hierapolitanus Epiſcopus, & ideo S. Joannis vicinus, procul dubio eum viſitaſſet, ut familiari ipſius colloquio uſus, traditiones Apoſtolicas ad quas tantopere anhelabat, diſceret, ſi tum S. Joannes ſuperſtes fuiſſet. Quid enim non feciſſet ut Magiſtrorum colloquio frueretur, qui diſcipulos tam ardenter ſectabatur, ut ex iis quæ Magiſtri docuiſſent, ſciſcitaretur? At mortuus eſt S. Joannes anno Trajani 2. Chriſti 101. Poſt igitur illud tempus in animum induxit ſuum Papias libros ſuos ſcribere, & ideo diligenter diſcipulos Apoſtolorum viſitavit, ut ab iis quid Dominus, quid Apoſtoli retuliſſent, diſceret, & in unum colligeret: Deinde ea omnia apud ſe conſervata digeſſit, & in lucem edidit. Sic ipſe Papias præfatur initio librorum ſuorum refe-

rente S. Irenæo, *Non gravabor tuâ causâ, illa quæ olim à Presbyteris commodè discebam, & accuratè mandabam memoriæ cum explicationibus eorundem contexere, quo veritatem ab illis traditam pro viribus corroborare queam.* Longo igitur temporis interstitio post annum 101. & Joannis mortem libros suos ex iis quæ olim à discipulis Apostolorum didicerat, composuit. Hoc opus conjicit Baronius in annum Christi 118. Trajani penultimum, Euaristi septimum. Verùm ista sententia non statim ac publicata est à Papia, variorum Doctorum animos seduxit, ut hoc factum fuisse commemorat Dionysius cum librum de Ecclesiastica Hierarchia scriberet. Itaque non poterat ea citius scribere quàm elapso anno Christi 120. ætatis verò suæ centesimo duodecimo: quanquam parum probabile mihi videatur Papiæ sententiam de Millenaria fabula ex prava duplicis resurrectionis de qua loquitur Joannes Apocal. cap. 20. interpretatione ortam, brevi biennii spatio adeo diffusam esse & propagatam, ut author Hierarchiæ Ecclesiasticæ de suo tempore testatur.

XIII. Epochen scriptionis Areopagiticæ sede ista movendam esse, & ad posteriores annos attrahendam, Lectorem sedulum admonere videntur, quæ de Monachis scribit Dionysius. De illis enim loquitur ut in Ecclesia statum certum & publicum habentibus, primasque super omnes fideles in sacra Synaxi de more tenentibus: Eorum consecrationis ritus enarrat, non secus ac Sacerdotum, & reliquorum Clericorum, quasi non minus essent insignes, Ordinarii, frequentes in Ecclesiis Christianorum quàm ipsi Sacerdotes, & Clerici. Neque tantùm scribit eos suo tempore cœpisse, sed vult Christianos illos Monachos multò quàm ipse sit, antiquiores: *Hinc divini præceptores nostri*, inquit cap. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *Sanctis eos nominibus appellari voluerunt, alii Therapeutarum, alii Monachorum à puro Dei famulatu & cultu.* Itaque ex ipsius doctrina Monachi tempore primo Apostolico, & in ipsis Ecclesiæ incunabulis fuerunt, non in desertis locis, sed in mediis Christianorum Ecclesiis conspicui, à plebe & Clero distincti, peculiaribus benedictionibus publicè consecrati. Unde igitur factum est ut post natum Christum multis annis supra ducentos nulla sit Monachorum apud Ecclesiasticos authores mentio, nullum vestigium? Unde factum ut res secundum istum authorem tam publica, tam solemnis, in medio sole posita, omnes tamen authores latuerit? S. Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum scribens apud Eusebium histor. lib. 6. cap. 35. omnes Ecclesiæ ordines recenset ad Viduas usque, pauperes & afflictos. Clemens Romanus in Constitutionibus omnes Ecclesiæ gradus sigillatim & minutè refert, eorumque ordinationis & benedictionis ritum explicat, Diaconissas, Viduas, Virgines enarrat. Sancti Athanasius, & Hieronymus primorum Eremitarum vitas descripserunt. Ignatius Apostolorum commensalis, Tertullianus, Cyprianus, Viduas & Virgines Deo sacratas commemorant. At de Monachis ne verbum quidem. Sanè videri potest Dionysius ille sub alio cœlo natus, solemque suum, sua sidera nosse, quæ Patres alii, Europæi, Asiatici, Africani non noverunt. Si sæculo quinto, aut sexto, vel etiam hoc tempore de Monachis scriberet, nihil sanè de iis expressius dicere, & prædicare posset.

XIV. Oppones forsan quæ Philo Judæus de Therapeutis scribit. Sed ea de Ecclesia Christiana intelligenda sunt, quæ Philone scribente sub Marco Euangelista in Ægypto, aliisque locis vigebat, in quibus ea disciplina quæ Actorum 4. describitur, rigidè observabatur. Sic Philonem intelligendum contendunt Eusebius histor. lib. 2. cap. 15. & 16. Epiphanius hæresi 29. S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Marco, & in Philone Judæo, ubi dicit ex Philonis verbis apparere, *talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, qualet nunc Monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur, & Psalmis, doctrina quoque & continentiæ; quales & Lucas refert primùm Hierosolymis fuisse credentes.* Sozomenus histor. l. 1. c. 12. Cardinalis Baronius ad ann. Christi 64. & alii complures antiqui & recentiores. Hæc autem nihil ad Monachos de quibus Dionysius, quos & à plebe & à Clero distinguit. Mirum alicui videri potest quamobrem, quæ sunt apud authores antiquos perpetuis silentii tenebris involuta, tam confidenter author ille aperit, & industriè illuminat; Quæ verò sunt apud eos clarissima, & in aprico, ut Diaconissarum, Viduarum & Virginum consecrationes, tam confidenter perpetuis silentii tenebris involvit.

CAP. VI.

Ejusdem argumenti continuatio, quo demonstratur, authorem illum longè post Concilium Nicænum primum scripsisse. Quando primum διάκρισις ἀπὸ τῆς οὐσίας distingui cœpit, & de ea re in Ecclesia disputatum. Occidentalium ab Orientalibus hac in re dissidium enarratur. Ipse sui oblitus diserte indicat se viris Apostolicis esse longè posteriorem. Curiositatem Doctoribus primi sæculi insuetam asserit. Ejus stylus describitur, & quo tempore scripserit, adnotatur.

I. NOn improbabiliter mea quidem sententia suadetur authorem istum longo tempore post Concilium Nicænum scripsisse. Prætermitto argumentum illud quo ante mille centumque annos usi sunt Catholici adversus Hæreticos, S. Athanasium nempe, reliquosque ejusdem temporis Patres, hujus authoris testimoniis adversus Arianos nunquam usos, licet omnium Patrum evidentissimè eorum blasphemias confutaret. Id mihi videtur non inevidenter probare nomen hypostasis, quod ab essentia ita distinguit, ut personam divinam significet, à natura distinctam: Unde illi tres divinitatis personæ dicuntur tres hypostases, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ne-

Neque ea significatione utitur ut sibi peculiari, & à se aut alio quodam ad mysterium explicandum primùm inventâ, sed veluti apud Theologos sui temporis vulgata & celebrata. Cap. 7. de cœl. Hier. Deum vocat ἑνάδα τριουπόστατον, *unitatem in tribus personis subsistentem.* Cap. autem 1. de div. nom. scribit Deum propter simplicitatem laudibus ornari ὡς μονάδα καὶ ἑνάδα ut unitatem; *ut Trinitatem autem propter cœlestis fœcunditatis in tribus personis enuntiationem* ὡς τριάδα ἢ ἀφ' τῶν τριουπόστατον τὴν ὑπερουσίαν γονιμότητα ἐκφασιν. Et c. 2. ejusdem libri, passim, ἡ ἐν ἀλλήλοις, εἰ ἔστιν εἰπεῖν φάναι, τὰ ὑπεραρχικὰ ὑποστάσεων μονὴ καὶ ἵδρυσις, ὁλικῶς ὑπερωωμένη, *Personarum excellentissimè unarum, si ita dicendum est, in se invicem mansio & fundatio omnino supra modum unita.* Et aliquanto post, μόνη ἢ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατὴρ, οὐκ ἔστι δὲ υἱὸς ὁ πατὴρ, οὐδὲ πατὴρ ὁ υἱὸς, ἀλλὰ πατὴρ καὶ υἱὸς ὁ τὰ οἰκεῖα τοῦ θείου ἑκάστῃ τῶν ὑπεραρχικῶν ὑποστάσεων. *Solus autem fons supersubstantialis divinitatis est pater, ita ut non sit pater filius nec filius pater, sed laudes sanctè suas cuique personæ divinæ proprietates conservent.* Pauculis ante hæc verba lineis eandem dictionem in eadem significatione usurpaverat, atque iterum in fine capitis, *Omne divinum numen ex bonitate promanans, cuicumque divinarum personarum impositum sit, in tota ipsa divina Trinitate promiscuè accipitur.* ΕΦ' ἧς δὴ καὶ πᾶσι τὰ ὑπεραρχικὰ ὑποστάσεων. Ita confidenter usurpat hoc nomen in ea significatione, veluti ab omnibus Theologis, aut saltem à maxima parte vulgo sic usurparetur.

II. Attamen isto nomine primùm uti cœperunt Theologi Græci post Concilium Alexandrinum quod anno 362. Constantino Imperatore mortuo celebratum est, ut testatur Socrates lib. 3. cap. 4. & 5. Confessores enim ab exilio revocati cum sancto Athanasio, multisque Episcopis Alexandriam convenerunt, atque inter multa alia quæ agitarunt οὐσίας & ὑποστάσεως nomina de quibus inter Catholicos ortæ jam erant disceptationes, explicarunt, & iis qua significatione uti liceret, definierunt. *Porro autem Episcopi qui in Concilio Alexandrino aderant, hanc de οὐσία & ὑποστάσει controversiam excussérunt. Nam Osium Episcopum Cordubæ civitatis Hispaniæ, cujus antea fecimus mentionem, ab Imperatore Constantino ad tumultum ab Ario concitatum sedandum missus, dum Sabellii Afri dogma explodere cogitaret, de οὐσίᾳ & ὑποστάσει disceptavit, unde materia alteri contentioni suppeditata est. Verùm id temporis in Concilio Niceno de ea controversia ne verbum quidem factum est. At postquam nonnulli cœpere de ea digladiari, ob eam causam in eo concilio de οὐσίᾳ & ὑποστάσει ista decidérunt: Non oportere cum de Deo sermo sit institutus his verbis uti. Nam οὐσίας, id est, essentiæ nomen in sacris literis non reperiri, & voce ὑποστάσεως Apostolum, dogmatum tradendorum necessitate adductum, usum fuisse. Cæterùm alia quadam ratione voces istas admittendas decrevérunt, nimirum quod Sabelli opinionem explodant, ne verborum inopiâ rem quæ triplici nomine nuncupatur, quasi unam putare cogamur, sed ut singula nomina Trinitatis in propria subsistente persona Deum significent. Ista eo tempore à Concilio decreta fuere.*

III. Primus de hac significatione quæstionem movit Osius adversus Sabellianos disputans. Sabelliani enim contendebant οὐσίαν & ὑπόστασιν idem esse, atque etiam id demonstrare conabantur ex Symbolo Nicæno in quo dicitur, *Si quis verò ex alia οὐσία* vel ὑποστάσει, *filium Dei esse dixerit*, quos S. Basilius tota Epistola 76. refutat. Cum autem Concilii Niceni Patres de hac controversia nihil definiissent, eo quod ad Arianos nihil spectaret, & ab Osio tantùm obiter adversus Sabellianos disceptata fuisset, Catholici potissimum Occidentales hac in causa Sabellianis consentiebant, & Orientales Arianismi accusabant: Orientales autem Sabellianismi eos vicissim insimulabant. Gregorius Nazianzenus maximis laudibus Athanasium prosequitur oratione in ipsius laudes, quod dissentientes in Concilio Alexandrino Orientales cum Occidentalibus prudenter conciliavisset. Sic Nazianzenus explicata difficultate, essentiæ, & hypostasis, atque personæ quæ Patres tum vexabat, subjicit, *Quæ cum beatus ille vir, & verè homo Dei, magnusque animarum Œconomus, oculis, auribusque perciperet, tum stultam & absurdam Orthodoxæ fidei sectionem dissimulandam ac negligendam sibi non putavit; verùm medicinam morbo quamprimùm infert: Quonam autem modo id fecit? Utraque parte leniter & humaniter accersita, verborumque sententia diligenter & accuratè perpensa, postquam concordes comperit, neque quoad doctrinam quicquam inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum ipsis concedens, rebus eos constringeret:* Ut videas Lector planius quid fecerit Athanasius hac in causa, & in qua re cardo quæstionis istius vertebatur, lege istius Synodi Epistolam Synodalem ad Antiochenos apud S. Athanasium.

IV. Eam autem sententiam quæ asserebat οὐσίαν idem esse quod ὑπόστασις amplectebantur communiter Occidentales, etiam post Alexandrinum Concilium, ut constat ex Epistola S. Hieronymi 57. ad Damasum Pontificem, in qua multis de hac re differit, *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, coæquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur, &c.* Judicat sub nomine hypostasis venenum latere. Idem etiam timebant nonnulli Orientales, ut evidens est ex doctissima S. Basilii Epistola ad fratrem suum Gregorium Nyssenum do differentia οὐσίας & ὑποστάσεως, quæ est inter Basilii Epistolas 43. Idem etiam colligitur ex Epistola præcedente 41. ad Maximum Philosophum. Tandem brevi post illa tempora apud omnes Catholicos tam Orientales, quàm Occidentales obtinuit decretum Alexandrinum & interpretatio S. Basilii de οὐσίᾳ & ὑποστάσει, ut constat ex Theodoreto in Immutab. dialog. & S. Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9. qui non dubitat Græcè rectè

rectè dici tres hypostases, & unam usiam, sed Latinè reformidat tres substantias dicere, cum Latinorum usus ferat unam substantiam vel essentiam, tres autem personas.

V. Cum igitur Dionysius ille confidenter & nihil hæsitans Deum τριουσιον, tres in deitate hypostases prædicat, manifestè ostendit imprudens se vixisse non modo post Alexandrinum Concilium, Sanctosque Basilium, Nazianzenum, & Nyssenum, sed etiam post exactum seculum quartum. Unde enim hanc ὑποστάσεως & οὐσίας distinctionem aliunde haurire potuit Dionysius noster quàm à Concilio Alexandrino & Patribus jam allegatis? Ante enim illa tempora illa hypostasis significatio, & ab usia distinctio, res erat prorsus incognita, inaudita apud omnes Philosophos, Theologos, Historicos, Christianos & Ethnicos. Ideo cum primum in Concilio Alexandrino anno Christi 362. inventa est & definita, ei tantopere contradictum est, tandemque versus finem seculi quarti ab omnibus ægrè recepta. Testatur hoc S. Hieronymus loco jam allegato, hypostasim ab usia nihil differre, *Tota*, inquit, *secularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit, & quis ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Et paulò post, *Quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostases, id est, usias dicat, sub nomine pietatis, tres naturas conatur asserere.* Idem testatur Socrates lib. 3. histor. cap. 5. postquam, inquit, hanc difficultatem diligenter versavit, *Qui Græcam inter Græcos sapientiam & doctrinam explicare nituntur, θείαν multis modi sumi definiverunt; de hypostasi autem nullam qualemcunque fecere mentionem. Imò verò Irenæus Grammaticus in Attica lingua dictionaria vocem barbaram appellat. Nam apud nullum veterem scriptorem reperiri. Quod sicubi forte reperiatur, non eam rem significare pro qua jam capitur, asserit. Etenim apud Sophoclem in Phœnice ὑποστασιν insidias significare, apud Menandrum autem condimenta: posse etiam dici fæces vini in dolio.* Ista postrema significatio Medicis antiquis & recentioribus est usitata. Addit Socrates de sensu suo, *Verùm licet hæc vox a veteribus Philosophis non sit usurpata, tamen recentiores Philosophi pro illâ οὐσίᾳ crebrò absumi sunt.* Socratis sententia illustrari potest his verbis authoris libri de mundo qui Aristoteli tribuitur, τὸ ἐν ἀναφαινομένων, τὰ μὲν ὄντα κατ' ἔμφασιν, τὰ δὲ κατ' ὑπόστασιν, atque etiam Themistii in Physic. 2. οἱ δὲ τὰς ἰδίας λέγοντες, ἃ μηδὲ τῷ λόγῳ χωριστὰ, ταῦτα δὲ ὑποστάσεις χωρίζουσι. His enim locis hypostasis opponitur iis quæ specie tenus apparent & exsistunt. Eadem significatione ὑποστασιν usurpavit Dionysius cap. 4. de divinis nominibus philosophicè de mali natura differens, *Malum quatenus malum essentiam nullam aut originem efficit, sed tantum depravat & corrumpit, quantum in ipso est,* τῶν ὄντων ὑποστασιν, *eorum quæ sunt, essentiam atque naturam.* & eodem capite; διὸ μὴ ὑποστασιν ἔχει τὸ κακὸν ἀλλὰ παρυπόστασιν.

VI. Nec aliter intellexerunt antiqui Scripturæ sacræ Interpretes. Quinquies tantùm in novo Testamento deprehenditur hæc dictio bis in Epist. 2. ad Corinthios cap. 9. v. 4. & cap. 11. v. 17. & ter in Epistola ad Hebræos, sed ubique antiquus Interpres transfert, *substantiam.* Ita quoque antiqua Latina septuaginta Interpretum translatio, ut probatur ex interpretatione Latina quam ex antiquis authoribus collegit Flaminius Nobilius, & jussu Sixti V. Pontificis Romæ edita est. Ubi Græcè legitur ὑπόστασις, duobus aut tribus locis exceptis, semper Latinè transfertur *substantia*, verbi gratia Psal. 38. v. 6. & 8. Psal. 68. v. 2. Psal. 88. v. 46. Psal. 138. v. 15. licet Psalmorum translatio à S. Hieronymo castigata fuerit. Ubi verò *substantia* non transfertur, multò longius à significatione quam illi tribuit Concilium Alexandrinum aberrat Deuter. 1. v. 12. *Quomodo potero solus portare molestiam vestram,* καὶ ὑπόστασιν ὑμῶν, *& pondus vestrum.* 1 Reg. cap. 13. v. 23. De Jonatha dicitur, *Et exiit de statione alienigenarum trans Machmas*, Græcè, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ ὑποστάσεως. versu 21. ejusdem capitis translertur *substantia.* Sic cap. sequenti v. 4. *Quærebat Jonathan transire ad stationem alienigenarum,* εἰς τὴν ὑπόστασιν τῶν ἀλλοφύλων. Jeremiæ 23. v. 22. vertitur subsistentia, *Si steterissent in subsistentia mea, & si audissent verba mea,* εἰ ἔστησαν ἐν τῇ ὑποστάσει μου. Eodem sensu quo substantia, ut manifestum est, & testatur sanctus Hieronymus, Septuaginta & Theodotionem interpretatos Verbum Hebraïcum, *substantiam* sive *subsistentiam*, Aquilam *secretum*, Symmachum, *sermonem.* Hebraïcè scribitur מודי, *secretum meum consilium meum.* Videntur Septuaginta & Theodotio legisse in textu Hebraeo יסודי, *fundamentum meum.* Hæc quàm distant à significatione Concilii Alexandrini!

VII. Si Dionysius ille à Patribus quarti seculi non hausit istam significationem, unde ergo constans illi fuit & ilata? Non à Theologis, non à Philosophis, non ab Historicis, & Grammaticis tam Ethnicis, quàm Christianis, non à Scriptura sacra. Ubique ad illa usque tempora distinctio ilta fuit incognita. Cum quis deprehendit in aliquo authoris scripto nomen ὁμοούσιον statim judicat, & nemo contradicit, scriptum illud post Concilium Nicænum compositum: Multò magis cum ὑπόστασιν, & τριουσιότης in eo significatu. Sanè multò insolentius est legere apud antiquos authores tres in Deo hypostases, unam οὐσίαν καὶ θεότητα quàm homoousion. S Hieronymus qui tot Patres Græcos authores antiquos diu noctuque versavit, nullum hujusce significationis testimonium apud eos deprehenderat, ideo ut tres hypostases confiteretur, adigi non potuit: nec Orientales qui se ei opponebant, ullum pro sententia sua tuenda poterant allegare. Quàm erant ista Dionysii Areopagitæ testimonia convincendo Hieronymo idonea & accommoda? Ita tamen opponit Nemo. Catholici & Ariani cum esset Hieronymus Antiochiæ ab eo importunè exigebant utrique ut tres Hypostases confiteretur, *Nunc prob dolor*, inquit Epist. 57. *post Nicænam fidem, post Alexandrinum*

juncto

junctio pariter Occidente decretum, trium hypo- A *ſtaſeon ab Arianorum Præſule, & à Campenſibus novellum à me Romano homine nomen exigitur. Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? Quis novus Magiſter gentium Paulus hæc docuit, interrogamus, &c.* Facile erat S. Hieronymo reſpondere, Dionyſius Areopagita Doctoris gentium diſcipulus hoc docuit, hoc Eccleſiis tradidit. Tum Euzojus Arianorum Antiochenſium Præſul prodere debuit Dionyſii Areopagitæ opera apud Fratres ſuos latitantia, ſi quæ tum ei cognita fuerunt. Quid Euzojum dico? Cum univerſus occidens nollet in Deo cum Arianis tres hypoſtaſes admittere, debuerunt univerſi Occidentalium Arianorum Epiſcopi opera Dionyſii eruere, ut inde Catholici Occidentales B convincerentur. Dicetne aliquis Catholicos Occidentales ea occultaſſe, ne à Catholicis Orientalibus & ab Arianis convincerentur?

VIII. Denique capite ultimo libri de Eccleſiaſtica Hierarchia perſonam quam ſibi toto opere impoſuit, evidenter videtur deponere. Agit eo loco de Infantium baptiſmo, cujus circumſtantias irridebant Ethnici, veluti interrogationes, abrenunciationes, &c. quarum ſunt incapaces. Multa reſpondet Dionyſius tandemque ad hoc reſponſum devoluitur, *Tametſi hoc quoque de hac re dicimus quod divini noſtri Pontifices ab antiqua traditione myſticè edocti, ad nos uſque produxerunt.* Græcè hæc ita C habentur, πλὴν γε, ὅτι ἐκ πάνυ παλαιᾶς φαμὲν ἀπὸ οἱ θεοδιδακτοι ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς πεπήγασι. Manifeſtiſſimè docet præceptores ſuos Baptiſmum Infantium ab antiqua traditione accepiſſe, & uſque ad ſeculum ſuum produxiſſe, & continuaſſe. Qua ratione verè dicere potuit, ſi Areopagita eſt, Præceptores ſuos ſive Pontifices, hoc eſt, Apoſtolos ab antiqua traditione baptiſmum infantium accepiſſe, & ad tempus uſque ſuum conſervaſſe? Lanſelius ita pervertit hanc periodum in tranſlatione ſua ut ei vix aliquid ſani fecerit reliquum: *Tametſi hoc quoque de hac re dicimus* D *quod divini noſtri Pontifices (Apoſtoli) à prima Chriſti traditione myſticè edocti, ad nos uſque produxerunt.* Primùm ſupplevit *Apoſtoli*. Deinde contra verbi notionem ἀρχαίας vertit, *prima*, denique addit de genio ſuo, *Chriſti*. Neque hæc tranſlationis perverſitas omnem à textu abſurditatem abſtergit. Nam cum ea non bene conveniunt poſtrema verba, *ad nos uſque produxerunt*. Conceſſo enim quod fuerit immediatus Apoſtolorum ſucceſſor, quod cum eis toto prædicationis tempore vixerit, ſuperſteſque adhuc fuerit Joannes Euangeliſta cum ſcriberet, ineptè dicit, ad nos uſque produxerunt traditionem illam. Hic loquendi modus poſtulat neceſſariò longum temporis interſtitium, & optimè convenit cum epitheto ἀρχαίας, *antiquæ*, quod traditioni in textu tribuitur. Rationem perverſitatis ſuæ facetam reddit Lanſelius in adnotationibus, *alioquin dubium moveretur de antiquitate S. Dionyſii. Si enim diſcipulus fuerit S. Pauli, quomodo dicit ſuum præceptorem ab antiqua traditione iſta edoctum fuiſſe?* Atqui hoc dicit, nec aliter integro textu explicari poteſt. Antiquiſſimi Interpretes Scotus & Saracenus tranſtulerunt, *ab antiqua eruditi traditione.* Perionius, *Avi teribus accepti*, Vercellenſis, *à ſuis ſenioribus docti*, Ambroſius, *ex priſtina traditione.* Omnium optimè antiquiſſimi Interpretes, omnium peſſimè recentiſſimus. Pachymeres in ſua paraphraſi textum reliquit immutatum, μυηθέντων ἀπὸ πάνυ ἐκ τῆς ἀρχαίας παραδόσεως, *edoctis illis ab antiqua traditione.*

IX. Nonnulla alia occurrunt hujus generis quæ imprudenti exciderunt. Difficile eſt enim aliquem tamdiu perſonatum ſeſe movere, ut non aliquid ex eo promineat, quo tandem agnoſcatur, ſed nos uno aut altero indicato cætera miſſa facimus. Cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ difficultatem movit de divina ſorte per quam Matthias ad Apoſtolatum electus fuit. Sic ille quæſtionem proponit: *De divina autem ſorte, quæ divinitus Matthiæ obtigit, alii alia dixerunt, non rectè meâ quidem ſententia. Ego verò meam etiam ſententiam exponam.* Difficile creditu eſt tam multos tum temporis de hac ſorte diverſa ſenſiſſe. Initiis Chriſtianiſmi, & toto illo ſeculo Apoſtolico curioſitatibus ejuſmodi non vacabant Chriſtiani: Et ſi qui iis vacaſſent numero erant pauciſſimi. Ejuſmodi curioſitates frequentes fuerunt tertio & quarto ſeculo. Itaque perſonæ quam induerat oblitus, ſupponit quæſtioni ſuæ ea quæ tantum tertio aut quarto ſeculo fieri poterant. Sæpe hoc peccatum peccat, quod etiam omnibus virorum Apoſtolicorum ſcriptis manifeſtè repugnat. Deinde improbabile eſt eam tum opinionum varietatem hac in cauſa fuiſſe. Si de hoc aliqui dubitabunt, poterant Apoſtolos conſulere cum quibus familiariter verſabantur, & ab iis percontari quidnam eſſet ſors illa ſecundum quam Matthias electus eſt, certumque ab iis reſponſum referre.

X. Quis præterea eſt iſte apud eum ſolum tam famoſus Hierotheus, ipſius præceptor, cujus longè ſæpius meminit, & multò evidentius quàm ſancti Pauli? Qui tam multos & admirabiles Theologiæ libros compoſuit, quos D ſanctus Timotheus non capiebat, ipſe Dionyſius vix caperet; de quo tamen & ejus libris apud authores Eccleſiaſticos nulla mentio, nulla umbra, nulla ſuſpicio. Dionyſii opera poſt annos à nato Chriſto quingentos publicantibus Hæreticis Eutychianis orbi Chriſtiano primùm innotuerunt. At præclara iſta Hierothei opera hactenus in tenebris delitescunt; nomen ipſum hactenus incognitum, ſola Dionyſii narratione notum. Nulli Catholici, nulli Hæretici illius unquam meminerunt. Stylus tamen Magiſtri, Stylo diſcipuli ſimillimus, ut ex pauculis quæ ab eo refert Dionyſius evidenter colligitur: ovum ovo, lac E lacti vix ſimilius, ita ut videantur in eodem ludo inſtituti.

XI. Quum igitur tantæ, tamque perplexæ ſint difficultates in aſſerenda huic authori ſumma antiquitate Chriſtiana, rem in medio relinquamus. Unuſquiſque per nos de hac quæſtione, ut libuerit, opinetur. Experientia quotidie diſcitur pleroſque homines ægrè admodum ferre caducum quodlibet authoritatis vel pietatis præpoſteræ fundamentum ſibi ſub-

duci. Quapropter quod indubitatum eſt, & ab omnibus conceſſum, hoc ſectemur. Certum eſt, nemoque diffiteri poteſt, anno Chriſti quingenteſimo, aut pauculis poſt annis, Dionyſii opera è tenebris in lucem emiſſa fuiſſe. Deinde certum eſt tum primùm compoſita non fuiſſe, nec eo anno; ſed quiſquis eorum fuerit author, tempus adnotatum aliquot annis præceſſiſſe. Præterea cum propter ſententias quaſdam ambiguas Eutychiani ea Catholicis oppoſuerint, certùm quoque mihi videtur ante Eutychetis condemnationem, hoc eſt, ante Concilium Chalcedonenſe, eorum authorem vixiſſe. Nam apud omnes notum & confeſſum Catholicos Doctores liberius & minus cautè ante natam hæreſin nonnunquam ſcribere, & loqui ſolere. Ideo nihil novum & inſolens fecit, ſi verba quædam ambigua protulit, quæ hæreſis poſtmodum nata, in ſuum commodum interpretata eſt. Forſan poſt Neſtorium ſcribens, dum tacita hæreſi perſonæ in Chriſto unitatem vehementer confitetur, & explicat, viſus eſt Eutychianis naturarum unitatem & confuſionem inducere.

XII. Saltem igitur librorum iſtorum ſcriptio initio quinti ſeculi, & ante Concilii Chalcedonenſis celebrationem aſſignanda eſt, nec ulla ratione probabili ad inferius ævum devolvi poteſt. Si quis tamen hanc Epochen retro trahere velit, atque in tempore Apoſtolis vicino figere, id erit auguſtius, & propoſito noſtro convenientius. Sed quæ certa ſunt, amplectimur, & proponimus, controverſis non præjudicamus. Quo ritu igitur ſacræ ordinationes in Oriente ante Concilium Chalcedonenſe fieri ſolerent, ex S. Dionyſio demonſtrare tantùm intendimus. Eoſdem ritus huc uſque obſervant Græci, & pauca admodum ſuperaddiderunt. Si myſticas orationes in vulgus edidiſſet Dionyſius, perfectam nobis exhibuiſſet Orientalium ordinationem, ſed ab iis in lucem edendis religione captus abſtinuit. Verùm in earum vicem myſticas & præclaras divinarum ceremoniarum explicationes primus Eccleſiaſticorum Doctorum nobis reliquit, quas hîc ob oculos tuos habes expoſitas.

Præſentatur dilectiſſimus Deo Presbyter N. Electus & confirmatus, " ut ordinetur in Epiſcopum & Præpoſitum hujus à Deo conſervatæ urbis N. Et a Clericis adducitur Electus " uſque ad caudam Aquilæ, ferens in manibus ſuis divinos Orthodoxæ fidei libellos deſcriptos.

Προσφέρεται ὁ θεοφιλέστατος ὑποψήφιος ἱερεὺς Δ. ἱερεῖ θ χειροτονηθῆναι ἐπίσκοπον τ θεοσώστου πόλεως Δ. καὶ προέρχεται πόλεως Δ. καὶ προσφέρεται ὑπὸ τ κληρικοῦ ὁ ὑποψήφιος ἄχρι τ οὐρᾶς θ ἀετοῦ κατὰ τὴν δεξιᾶς αὐτοῦ ἐγγράφως τὰς θείας λιβέλλους τῆς ὀρθοδόξου πίστεως.

Et dicit illi Epiſcopus qui ipſum ordinaturus eſt, Quid veniſti huc frater à nobis petere. Reſp. Et reſpondet Electus, dicens, Ordinationem & virtutem Epiſcopalis gratiæ ſuffragentibus mihi Clericis ſanctiſſimi Epiſcopatus N. Et iterum Epiſcopus reſpondet dicens, Quid credis? Et Electus clara & elata voce dicit ſanctum Symbolum quod ita ſe habet.

Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ μέλλων χειροτονῆσαι αὐτὸν ἱερεύς. τί προσῆλθες ἀδελφὲ ἐνταῦθα παρ' ἡμῶν αἰτῶν; ἀποκρίσεις. καὶ ἀποκρίνεται ὁ ὑποψήφιος λέγων. τὴν χειροτονίαν ᾗ ἐνέργειαν τ ἱερατικῆς χάριτος τ συμψηφισαμένων με κληρικῶν τ ἁγιωτάτης ἐπισκοπῆς Δ. ᾗ ἀποκρίνεται πάλιν αὐτῷ ὁ ἱερεὺς λέγων· καὶ τί πιστεύεις; ᾗ ὁ ὑποψήφιος μεγαλοφώνως λέγων τ ἅγιον σύμβολον ἔτως.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus eſt ante omnia ſecula. Lumen de lumine; Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt, cru-

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ ᾗ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων ᾗ ἀοράτων. ᾗ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν θ θεοῦ τ μονογενῆ, τ ἐκ θ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τ αἰώνων· φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ γεννηθέντα, ὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τ δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, ᾗ διὰ τ ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, ᾗ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, ᾗ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ

σταυρωθέντα, ταφέντα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ A cifixus pro nobis ſub Pontio Pilato, paſ-
Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ſus & ſepultus, & reſurrexit tertia die ſecun-
ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ dum ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſeder-
ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ que ad dexteram Patris, & iterum venturus
δεξιῶν τοῦ πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cu-
κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ jus Regni non erit finis. Et in Spiritum
ἔσται τέλος. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύ- ſanctum, Dominum, vivificantem, qui ex
ριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμε- Patre procedit, qui cum Patre & Filio ado-
νον· τὸ σὺν πατρὶ, καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, tur, & conglorificatur, qui locutus eſt per
καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφη- Prophetas. In unam ſanctam Catholicam &
τῶν. εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν, καὶ ἀποστολικὴν Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum bap-
ἐκκλησίαν· ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν tiſma in remiſſionem peccatorum. Expecto
ἁμαρτιῶν. προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν B reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi
τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. ἀμήν. Καὶ δίδυς λέγει ſeculi. Amen. Statim dicit Epiſcopus ipſi in
ὁ ἀρχιερεὺς ἐπεύλογῶν αὐτὸν σταυροειδῶς. crucis figuram benedicens.

Ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος εἴη μετὰ σοῦ Gratia ſanctiſſimi Spiritus ſit tecum. Poſtea
Εἶτα προτρέπεται ὑπὸ τῶν κληρικῶν αὐτὸν ὁ Electus à Clericis ſuis adducitur uſque ad me-
ὑποψήφιος, ἄχρι καὶ τοῦ μέσου τοῦ αὐτοῦ κη- dium Aquilæ, prædicante ipſius præſentatio-
ρύσσοντος τὴν προαγωγὴν αὐτοῦ ὁ ἐκλεκτὸς τῶν nem qui è Clericis eſt honoratior, ut declara-
κληρικῶν ὡς δεδήλωται. Καὶ στὰς τοῦ ὑποψη- tum eſt. Stante autem electo in medio Aqui-
φίου ἐν τῷ μέσῳ τοῦ αὐτοῦ προσφωνεῖ αὐτῷ, καὶ læ appellat ipſum Epiſcopus & dicit,
λέγει ὁ ἀρχιερεύς.

Δήλωσον ἡμῖν ἔτι πλατύτερον πῶς ὁμολογεῖς, Explica nobis adhuc latius & clarius quid cre-
καὶ περὶ τῶν ἰδιοτήτων τῶν τριῶν ὑποστάσεων dis & confiteris de proprietatibus trium per-
τῆς ἀκαταλήπτου θεότητος. Καὶ ὁ ὑποψήφιος C ſonarum incomprehenſibilis divinitatis. Ele-
ἀφράστῳ καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ εἰς ἀκοὴν πάν- ctus autem voce clara & penetrante, ita ut
των ἀναγινώσκει τὸ δόγμα λίβελλον ζώσῃ φωνῇ omnes audiant, legit viva voce ſecundum li-
ὧδε bellum, qui ſic ſe habet.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν, ἐν τρισὶ προσώποις με- Credo in unum Deum, in tribus perſonis
ριζόμενον, πατέρα φημὶ, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον diſtinctum, Patrem dico, & Filium, & Spi-
πνεῦμα. μεριζόμενον λέγω κατὰ τὴν ἰδιότητος ritum ſanctum. Diſtinctum dico ſecundum
λόγον· ἀμέριστον δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ ὅλη τριὰς proprietatis rationem, indiviſum verò ſecun-
ἡ αὐτὴ, καὶ ὅλη μονὰς ἡ αὐτὴ, μονὰς κατὰ τὴν dum eſſentiam. Et tota trinitas eadem eſt;
οὐσίαν καὶ φύσιν, καὶ μορφήν. τριὰς κατὰ τὴν & tota unitas eadem. Unitas ſecundum eſſen-
ἰδιότητα, καὶ ὀνομασίαν. ὀνομάζεται γὰρ ὁ μὲν tiam, naturam, & formam: Trinitas ſecun-
πατὴρ, ὁ δὲ υἱὸς, τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα. ὁ πατὴρ dum proprietatem, & nominationem. No-
ἀγέννητος καὶ ἄναρχος, ἐκ γὰρ ὅτου αὐτὸ ἂν πρε- D minatur enim hic quidem Pater, ille verò Fi-
σβύτερον· εἰ γὰρ ἦν, ἐκεῖνο πάντως ἂν ἦν θεός. lius, iſte autem Spiritus ſanctus. Pater inge-
ἄναρχος δὲ, ὅτι μὴ ἔκ τινος ἔχει τὸ εἶναι, ἢ ἐξ nitus eſt, & ſine principio. Non eſt enim
αὐτοῦ. πιστεύω δὲ ὅτι ὁ πατὴρ αἰτία ἐστὶ υἱῷ καὶ quid ipſo antiquius. Si enim illud eſſet, om-
πνεύματος, ὢν μὲν υἱῷ γνητὸς ὢν δὲ ἁγίου nino Deus eſſet. Sine principio autem, quia
πνεύματος ἐκπορευτὸς, μηδεμιᾶς διαστάσεως, ex aliquo præterquam ex ſeipſo non habet eſ-
ἢ ἀλλοτριώσεως ἐν τούτοις θεωρουμένης, ἢ μόνον ſentiam. Credo autem quod Pater principium
τῇ διαφορᾷ τῶν ὑποστατικῶν ἰδιωμάτων. ὅτι eſt Filii & Spiritus ſancti: filii quidem per
ὁ μὲν πατὴρ γεννᾷ τὸν υἱὸν, καὶ προβάλλει τὸ πνεῦ- generationem, Spiritus verò per proceſſionem,
μα τὸ ἅγιον. ὁ δὲ υἱὸς γεννᾶται ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς, nulla in iis conſpecta diviſione ſive alienatione,
καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ πατρὸς, ſed ſola idiomatum perſonalium diſtinctione.
καὶ ἅτινα μίαν ἀρχὴν πρεσβεύω, καὶ ἓν αἴτιον Quoniam Pater quidem generat filium & pro-
ὁμολογῶ· τὸν πατέρα υἱοῦ καὶ πνεύματος· λέγω ducit Spiritum ſanctum: filius verò generatur
δὲ τὸν υἱὸν ἀρχὴν ὑπάρξαντα καὶ αἰῶνα, ἀλλ' ὡς à ſolo Patre, & Spiritus ſanctus à patre pro-
ἀρχὴν τῶν κτισμάτων, οἷονεὶ πρωτόκλιτον ὄντα, cedit. Et ſic unum principium aſſero & hono-
τὰ πρεσβεῖα τούτων ὑπερέχοντα, ἅπαγε. τοῦτο E ro, & originem unam agnoſco, Patrem Filii,
γὰρ ἀσεβείας Ἀρειανῆς ἐστὶ φαντάσμα. ἐκεί- & Spiritus. Dico autem filium principium
νου γὰρ ὁ δυσώνυμος βλασφήμει κτίσμα τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἐγὼ δὲ λέγω ἀρχὴν eſſe ſupra tempus, & infinitum; non ut
τὸν υἱὸν ὡς ἐκ τοῦ ἀνάρχου ὄντα, καὶ ἵνα μὴ πα- principium creaturarum, veluti creaturarum
ρεισδέχηται δύο ἀρχὰς· μετὰ τὴν ἀρχὴν δὲ ὅτι τοῦ primus eſſet, & privilegia præ ipſis ferret.
υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἐπειδὴ ἅμα καὶ ὁμοῦ Apage hoc: impietatis Arianæ hoc eſt delira-
τὸ εἶναι ἔχουσιν ἐκ πατρὸς ὄν, τὸ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦ- mentum. Ille enim infauſti nominis, Fili-
μα τὸ ἅγιον. ὁ μὲν γεννητὸς, τὸ δὲ ἐκπορευτὸς, um & Spiritum ſanctum creaturam eſſe bla-
ſphemabat. Ego verò dico filium principium
eſſe ex eo qui ſine principio eſt, ut non ſta-
tuantur duo principia: cum principio autem,
Filio Spiritum ſanctum adjungo, quandoqui-
dem ſimul ex Patre eſſe habeant & Filius &
Spi-

Spiritus ſanctus, ille per generationem, hic per proceſſionem, ut dictum eſt. Neque autem Pater à Filio dividitur, neque Filius à Spiritu, neque Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Sed Pater totus eſt in Filio, & in Spiritu ſancto; & totus Filius in Patre & Spiritu ſancto; & Spiritus ſanctus totus in Patre & Filio. Uniuntur enim diſtinctim, & diſtinguntur unitè. Confiteor autem Dei verbum, Patri coæternum, ſuper omne tempus, incomprehenſibile, interminatum deſcendiſſe uſque ad pauperem noſtram naturam; & eum qui ceciderat integrum aſſumpſiſſe ex puro & virginali ſanguine ſolius Virginis puræ & inculpatiſſimæ, ut integro homini ſalutarem gratiam propter propriam miſericordiam largiretur. Et facta eſt naturarum unio in perſonam, non paulatim factis additionibus perfecto infante, neque unitis & concurrentibus naturis ſecundum mixtionem, vel confuſionem, vel temperamentum; neque antea ſubſiſtenti homini adveniente verbo, & facta inde unitione reſpectiva, juxta Deo exoſum, & Judaica ſapientem Neſtorium: neque ſine mente & anima, juxta mente verè caſſum Apolinarium. Delirabat enim ille divinitatem pro mente ſuſficere. Ego verò eum confiteor Deum perfectum, eundemque perfectum hominem, qui ſimul caro, & ſimul Dei verbum eſt: Caro animata, rationalis & intellectu prædita ſalvis & incolumibus omnibus divinitatis naturalibus elogiis, etiam poſt unionem. Non enim quæ ſunt Divinitatis ejus, aut Humanitatis propter ſinceriſſimam conjunctionem cum verbo, mutata ſunt; ipſo ferente ſemper unam perſonam compoſitam, conſervantem duas naturas, & duas operandi virtutes, & ex quibus & in quibus ſit unus Chriſtus Deus noſter, habens duas voluntates naturales, non hominum opinione. Sciendum verò quod paſſus eſt ut Deus; carne dico: divinitatem autem in carne patibilem, aut in carne paſſam nullo modo dico. Confiteor inſuper ipſum aſſumpſiſſe omnes noſtras paſſiones accuſationi non obnoxias, quæ naturæ noſtræ ineſſe ſolent ſine peccato. Peccatum enim naturale non eſt, quemadmodum, fames, ſitis, labor, lachrymæ, & ſimilia. Iſta autem operabantur in eo non coactè, ut in nobis, ſed voluntate divina humanam ſubſequente. Volens enim eſurivit, volens ſitivit, volens laboravit, volens mortuus eſt. Moritur igitur mortem pro nobis ſuſcipiens, ſed impatibili permanente ipſius divinitate. Ipſe qui tollit peccata mundi, non eſt morti ſubjectus; ſed ut nos omnes educeret de manu mortis omnia devorantis, proprium ſuum ſanguinem obtulit proprio Patri; morſque corpus humanum adorta virtute divinitatis pellitur, & eliditur, & inde educuntur animæ juſtorum quæ illic à ſeculo erant alligatæ. Poſtquam autem reſurrexit à mortuis, & quadraginta diebus in terra cum ipſius diſcipulis ſuis apparuit, aſſumptus eſt in cælum, & ſedit ad dexteram Dei. Dexteram Dei dico, non localem, & circumſcriptam, ſed dexteram voco Dei gloriam ſine principio, & ante ſecula

A ὡς εἴρηται. καὶ ὅτι ὁ πατὴρ διήρηται τοῦ υἱοῦ, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πατρός, καὶ υἱοῦ· ἀλλ' ὅλος ἐστὶν ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ ὅλος ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι. καὶ ὅλον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ διόλου καὶ διηρημένως, καὶ διῃρημένως διόλου. ὁμολογῶ δὲ ὅτι ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, ὁ συναΐδιος τῷ πατρὶ, ὁ ὑπερέκεινα, ὁ ἀπερίληπτος, ὁ ἀπεράντως κάτωθεν μέχρι τῆς πτωχῆς ἡμῶν φύσεως, καὶ ὅλον τὸν πτωχεύσαντα λαμβάνῃ ἐκ τῆς ἁγνῆς καὶ παρθενικῶν αἱμάτων τῆς μόνης παναμώμου καὶ καθαρᾶς παρθένου, ἵν' ὅλῳ τῷ σωτηρίας χάριν εἰσκαὶ ἰδίας εὐσπλαγχνίας χαρίσηται. καὶ γέγονεν ἡ καθ' ὑπόστασιν τῶν φύσεων ἕνωσις, ἀ δὲ καὶ μικρὸν προσθήκαις πλειομένη καὶ βρίφους, ἀδὲ καὶ φυρμὸν, ἢ σύγχυσιν, ἢ ἀνάκρασιν ἐπιθεωροῦσι τὴν συνηλυθυῖαν φύσεων, ἀδὲ παρυπαντῶντος δὲ ἀνθρώπου ἀπημβλύνθη τὸ λόγον, καὶ χειλικὴ γλίσχας τὴν ἕνωσιν καὶ τὴν θεοσυγῆ, καὶ ἰσοδανίφρονα Νεστόριον, ἀδὲ ἄνουν καὶ ἄψυχον καὶ τὸν ἄνωθεν ἔντος Απολιναρίου. ἐκεῖνος γὰρ ἐλήρει ἀρκεῖν τὴν θεότητα αὐτὶ τοῦ νοός. Ἐγὼ δὲ θεὸν τέλειον αὐτὸν ὁμολογῶ καὶ τέλειον ἄνθρωπον τὸν αὐτὸν, ὃς αἷμα σάρξ, ἅμα θεοῦ λόγος. Σὰρξ ἔμψυχος λογικὴ τε καὶ νοερὰ, σώζουσά τε πάντα τὰ τοῦ αὐτοῦ θεότητος φυσικὰ αὐχήματα, καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν· καὶ μὴ τετραπτὰ τὴν θεότητος αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀνθρωπότητος, διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκραυφνεστάτην συνάφειαν, φέρουσα τὸν αὐτὸν μίαν ὑπόστασιν σωζόντων, δύο τὰς φύσεις καὶ τὰς ἐνεργείας σώζουσαν, τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, ἦν ὁ αὐτὸς εἷς Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν, ἔχοντά τε καὶ δύο θελήσεις, φυσικὰς δὲ γνωμικάς. ἰσχὺν δὲ καὶ ἔπαθε μὲν ὡς θεὸς, λέγω σαρκὶ, θεότητι παθητῷ, ἢ παθόντων σαρκὶ, ἀδαμῶς. ἔτι δὲ ὁμολογῶ αὐτὸν ἀναλαβεῖν πάντα τὰ ἡμέτερα ἀδιάβλητα πάθη, τὰ συνόντα τῇ φύσει ἡμῶν ὄντα τὰ ἁμαρτίας· αὕτη γὰρ ἡ φυσικὴ οἷον τὸ πεῖναν, τὸ δίψαν, τὸν κόπον, τὸ δάκρυον τὰ τοιαῦτα. ἐνεργοῦντα δὲ ἐν αὐτῷ οὐκ ἠναγκασμένως, ὥσπερ καὶ ἐν ἡμῖν, ἀλλὰ τὰ ἀνθρωπίνης θελήσεως ἀκολουθησίσης τῇ αὐτοῦ θείᾳ θελήσει θέλων γὰρ ἐπείνασε. θέλων ἐδίψησε. θέλων ἐκοπίασε. θέλων ἀπέθανε ὑπὲρ τοίνυν τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδεχόμενον θάνατον, ἀπαθὴς μὲν ὢν τὸ αὐτοῦ θεότητος. αὐτὸς γὰρ ὑπέκειτο θανάτῳ, ὁ τὸν ἁμαρτίαν αἴρων τοῦ κόσμου, ἀλλ' ἵνα πάντας ἡμᾶς ἐξέλῃ τὸ παμφάγου χειρὸς τοῦ θανάτου, τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ αἷμα προσῆξε τῷ οἰκείῳ πατρὶ, καὶ σῶμα προσβαλὼν ὁ θάνατος ἀνθρώπινῳ, δυνάμει θεότητος καθαιρεῖται, καὶ ἀνάγονται ἐκεῖθεν αἱ ἀπ' αἰῶνος τῶν δικαίων πεπεδημέναι ψυχαί· μετὰ δὲ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐν τῇ γῇ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ διαφαινόμενον, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθησεν ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός· δεξιὰν δὲ τοῦ πατρὸς λέγω, οὐ τόπον, ἢ περιγραπτόν, ἀλλὰ δεξιὰν λέγω τοῦ θεοῦ εἶναι, τὴν ἄναρχον καὶ

προαιώνιον δόξαν, ἣν ἔχων ὁ υἱὸς πρὸ τ ἐνανθρωπήσεως, καὶ μὴ τῷ ἐνανθρωπήσει ταύτῳ ἔσχηκε. συμπροσκυνεῖται γὰρ ἡ ἁγία αὐτοῦ σὰρξ τῇ αὐτοῦ θεότητι μία προσκυνήσει, ἡ προσθήκην δεχομένης τ ἁγίας τελάδος, μὴ γένοιτο. Τρὶς τελὰς γὰρ ἔμενεν ἡ τελὰς, καὶ μὴ τῷ ἑνώσει δ μονογενοῦς ἀχωρίστου μενούσης τ ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς, καὶ ἐπ μετ' αὐτοῦ μενούσης καὶ εἰς τ αἰῶνα. μετ' αὐτῆς γὰρ ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, δικαίους τε καὶ ἁμαρτωλούς, καὶ τοῖς μὲν δικαίοις ἀποδώσων τὰ ἔργα τ ἀρετῆς, καὶ τῆ βασιλείαν τ οὐρανῶν, αἵνπερ ἐπαύσθημεν ἐκπάσαιτο· τοῖς δ ἁμαρτωλοῖς τῷ B αἰωνίως ἀτιμαζομένῳ βάσανον, καὶ τὸ τ μείζονος ἀπολαύσεως πῦρ. ὅ γένοιτο πάντας ἡμᾶς τῷ πεῖραν ἐκφυγεῖν, καὶ τ ἐπηγγελμένων καὶ ἀπεράντων ἀπυχεῖν ἀγαθῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ἀμήν.

Καὶ δίδυς λέγει ὁ ἀρχιερεὺς ἐπιλυόμενον τ χειροτονούμενον εὐχαριστῶν.

Ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος εἴη μετὰ σοῦ φωτίζουσα, ἐνεργοῦσα, καὶ σωτηρίζουσά σε πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. εἶτα προσφέρεται ὁ ἐπισκήφιος ἐπὶ τ κλερικῶν αὐτὸν ἄχρι καὶ τ κεφαλῆς τοῦ αὐτοῦ, κηρύσσοντος τῷ προσαγωγῷ εἰς τ κλερικὸν, ὡς προδεδήλωται, καὶ τοῦ ἐπισκήφιου ἑαυτοῦ ἐπὶ τ κεφαλῆς τοῦ αὐτοῦ λέγων ἅπαξ ὁ ἀρχιερεύς.

Δήλωσον ἡμῖν πλατύτερον ἔτι, πῶς ὁμολογεῖς καὶ περὶ τ ἐνανθρωπήσεως τοῦ ἐνυπαρκτοῦ ἡμῶν C λόγου τοῦ θεοῦ, καὶ ποίας φύσεις δογματίζεις ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἐν ἑνὶ Χριστῷ τοῦ θεῷ ἡμῶν. καὶ ὁ ἐπισκήφιος δεύτερος μεγαλοφώνως ἀναγινώσκει τὴν τρίτην ὁμολογίαν ἅπαξ ζώσῃ φωνῇ.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων, ἄναρχον μὲν καὶ ἀγέννητον, καὶ ἀΐδιον, D ἀρχὴν ἢ φυσικὴν καὶ αἰτίαν ἡμῶν καὶ πνεύματος. πιστεύω καὶ εἰς τ μονογενῆ αὐτοῦ υἱόν, τ ἀϊδίως καὶ ἀχρόνως ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα, ὁμοούσιον αὐτῷ δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. πιστεύω καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, ὡς συναΐδιον, καὶ σύνθρονον, καὶ ὁμοούσιον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ τ κτίσεως δημιουργόν. πιστεύω τ ἑνὸς ταύτης τ ὑπερουσίου καὶ ζωαρχικῆς τελάδος τὸν μονογενῆ λόγον, καταβάντα ἐκ τ οὐρανῶν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τ ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα τοῦτ' ἔστι τέλειον ἀνθρωπον γενόμενον θεόν, καὶ μηδὲν μεταλλάξαντα τῆς θείας οὐσίας διὰ τ πρὸς σάρκα κοινωνίαν, ἢ ἀλλοιώσαντα, ἀλλ' ἄνθρωπος προσληφθέντα τὸν ἄνθρωπον. ὃν αὐτὸν τὸ πάθος καὶ σταυρὸν ὑπομεῖναι, τ παντὸς πάθους κατὰ τὴν θείαν Φύσιν ἐλεύθερον, καὶ ἀναστῆναι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τ νεκρῶν, καὶ εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνελθόντα ἐν δόξῃ καθῆσθαι δ θεοῦ καὶ πατρός. πιστεύω καὶ τὰς περὶ θεοῦ τὰ θεῖα οἰκονομίας τε καὶ εἰσηγήσεις τῆς μιᾶς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας

A existentem, quam ante incarnationem possidebat filius, & post incarnationem possidebit. Sancta enim ejus caro cum ipsa divinitate, veneranda adoratione coadoratur: Sancta Trinitate additamentum non recipiente, Absit. Trinitas enim manet Trinitas: Manet quoque post unionem Unigeniti inseparabilis & indivisa ipsius sancta caro, & adhuc cum ipso permanet in æternum. Cum ipsa enim veniet judicare vivos & mortuos, justos & peccatores; Justis quidem redditurus juxta opera virtutis & Regnum cœlorum in præmium eorum laboris: Peccatoribus autem æternum tormentum, & ignem gehennæ fine carentem, cujus experientiam utinam nos omnes effugiamus, & bona immortalia promissa consequamur, per Christum Jesum Dominum nostrum. Amen.

Statim dicit Episcopus, ordinandum benedicens in crucis formam,

Gratia sanctissimi Spiritus sit tecum, te illuminans, confirmans, intellectum, prudentiam tibi conferens omnibus diebus vitæ tuæ. Postea adducitur Electus à Clericis suis usque ad caput Aquilæ, annuntiante præsentationem ejus uno è Clericis, ut supra explicatum est. Electo autem stante ad caput Aquilæ, sic infit Episcopus.

Declara nobis adhuc latius ac clarius quomodo confiteris quæ spectant incarnationem personæ filii & verbi Dei; & quot naturas doces esse in uno & eodem Christo Domino nostro. Statim autem Electus viva, magna & elata voce legit tertiam confessionem.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, principio & causa carentem & ingenitum; Principium verò naturale & originem Filii & Spiritus. Credo & in Unigenitum ipsius filium ex eo sine fluxu & tempore genitum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Credo & in Spiritum sanctum, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, ut coæternus, & coæqualis, & consubstantialis, & ejusdem gloriæ, & cum iis creaturæ factor. Credo unum unigenitum verbum de eadem supersubstantiali, & vivifica Trinitate, descendisse de cœlis propter nos homines, & propter nostram salutem incarnatum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine, & hominem factum, hoc est, hominem perfectum, permanentem Deum, & nihil de divina essentia propter carnis communionem mutantem vel alterantem, sed sine mutatione assumpsisse hominem, in quo passionem & crucem toleravit omnis passionis secundum naturam divinam liber; & resurrexisse tertia die ex mortuis, & in cœlos ascendisse, ad dexteram Dei Patris sedisse. Credo traditiones & institutiones unius Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ de Deo rebusque divinis. Confiteor unum baptisma

in

in remiſſionem peccatorum, expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Præterea confiteor unam perſonam verbi quod homo factus eſt, eundemque credo & prædico unum Chriſtum in duabus poſt incarnationem voluntatibus & naturis, quæ in iis & ex iis naturalia ſunt, conſervantem. Conſequenter verò & duas voluntates aſſero & prædico, unaquaque natura ſervante propriam voluntatem, & propriam agendi virtutem. Adoro relativè, non Latria divinas & reverendas imagines, ipſius Chriſti, & puriſſimæ Matris Dei, & omnium Sanctorum: Honorem ipſis debitum ad ipſa Prototypa transfero. Illos autem qui aliter ſentiunt, ut aliena a fide ſentientes rejicio. Anathematizo Arium, & qui cum eo ſentiunt, & furioſæ impiæque ipſius ſententiæ ſunt participes. Macedonium & ipſius Aſſeclas qui rectè vocantur Spiritus hoſtes. Similiter & Neſtorium, & reliquos Hæreſiarchas, & qui cum eis ſentiunt reiicio & anathematizo, & clarè magnaque voce edico & denuntio: Omnibus Hæreticis anathema; univerſis Hæreticis anathema.

A ομολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. εἷς δὲ τοῦ σταυρωθέντος λόγος μίαν ὑποστάσιν ὁμολογῶ. καὶ ἵνα πιστεύω τὸν ὡδὸν καὶ κηρύττω Χριστὸν ἐν δυσὶ φύσεσι τὴν σαρκωθεῖσαν θεότητα καὶ τὴν φύσιν, τὰ ἐξ ὧν καὶ ἐν οἷς πέφυκε σωζόμενα. ἀναλάβωσ δὲ καὶ δύο θελήματα πρεσβεύω ἑκάστης τῶν φύσεων τὸ ἴδιον θέλημα καὶ τὴν εἰκείαν σωζούσης ἐνέργειαν. προσκυνητὴς εἰμὶ σχετικῶς, ἀλλ' οὐ λατρευτικῶς, καὶ τῶν θείων καὶ σεπτῶν εἰκόνων αὐτοῦ τε τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς παναγίου θεομήτορος, ἣν πάντων τῶν ἁγίων ὑπὲρ τὰ πρωτότυπα τῶν προσβολῶν ἀφοσιοῦμαι τιμῶ. τοὺς δ' ἄλλως ἔχοντας φρονοῦντας, ὡς ἀλλοτριόφρονας ἀφορίζομαι. ἀναθεματίζω αἵρεσιν καὶ τοὺς αὐτῇ σύμφρονας, καὶ κοινωνοὺς τῆς αὐτοῦ μανιώδους κακοδοξίας, Μακεδόνιόν τε καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ καλῶς ὀνομαζομένους πνευματομάχους· ὡσαύτως καὶ Νεστόριον, καὶ τοὺς λοιποὺς αἱρεσιάρχας, καὶ τοὺς τούτων ὁμόφρονας ἀποβάλλομαι, καὶ ἀναθεματίζω, καὶ τραχεῖαν ἀνακηρύττω μεγίστῃ φωνῇ πᾶσι τοῖς αἱρετικοῖς ἀνάθεμα πᾶσι τοῖς αἱρετικοῖς ἀνάθεμα. ὅλως τοῖς αἱρετικοῖς ἀνάθεμα.

B

C

Dominam autem noſtram Dei genitricem Mariam propriè & verè confiteor & prædico in carne peperiſſe unum è Trinitate Chriſtum Deum noſtrum, quæ omnibus diebus vitæ meæ ſit mihi, adjutrix, præſidium, & protectio. Amen. Hac expleta Confeſſione benedicit ipſi Epiſcopus in crucis figuram, dicens.

Τὴν δὲ δέσποιναν ἡμῶν τὴν θεοτόκον Μαρίαν κυρίως καὶ ἀληθῶς ὁμολογῶ καὶ κηρύττω, ὡς τεκοῦσαν σαρκὶ τὸν ἕνα τῆς τριάδος Χριστὸν τὸν θεὸν ἡμῶν, ἧς γένοιτό μοι βοηθὸς σκέπη, καὶ ἀντίληψις πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς μου, ἀμήν. καὶ ταύτης πληρωθείσης εὐλογεῖ αὐτὸν ὁ ἀρχιερεὺς σταυροειδῶς, λέγων.

Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam mediocritatem promovet te Deo amabilem Presbyterum & Electum N. in Epiſcopum hujus à Deo conſervatæ urbis N. Statim ſurgit Epiſcopus, & cum eo omnes Epiſcopi. Unus autem ex ipſis defert Electo [69] ſubgenuale, & fauſta exclamatione ab omnibus multi anni ordinando velut Epiſcopo optantur. Deinde dat illi Epiſcopus virgam Epiſcopalem ſic ipſi dicens.

D

Η χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς μετριότητος προβάλλεταί σε τὸν θεοφιλέστατον ἱερέα, καὶ ὑποψήφιον τὸν δεῖνα ἐπίσκοπον τῆς θεοσώστου πόλεως τῆς δεῖνος. καὶ εὐθὺς ἀνίσταται ὁ ἀρχιερεύς, καὶ πάντες οἱ ἀρχιερεῖς μετ' αὐτόν, εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν φορεῖ τῷ ὑποψηφίῳ τὸ ὑπογονάτιον, καὶ πολυχρονεῖται παρὰ πάντων ὡς ἐπίσκοπος ὁ χειροτονούμενος. εἶτα δίδωσιν αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς τὴν ἀρχιεραρχικὴν ῥάβδον λέγων ὅτως πρὸς αὐτόν.

Accipe virgam iſtam, ut paſcas gregem Chriſti tibi creditum, & rectè obedientibus eſto baculus & firmamentum: Adverſus autem inobedientes, ſcurras, & dicaces utere eadem virga, ſed eos conſtringente, & corrigente. Deinde aſſumitur Ordinandus ab Epiſcopis, & introducitur cum iis in ſanctum altare ante ſanctam menſam, & ſtatim flectit genu coram Epiſcopis. Eorum verò unus accepto Euangelio, eóque aperto confeſtim ponit illud ſuper caput ejus faciei obverſum; alii autem Epiſcopi [70] illud tenent hinc & illinc. Poſtea dicit illi Epiſcopus omnibus audientibus,

E

Λάβε τὴν ῥάβδον ταύτην, ἵνα ποιμαίνῃς τὸ ἐμπιστευθέν σοι ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῖς μὲν εὐπειθέσιν ἔσῃ αὐτοῖς ὡσὰ σὺ βακτηρία, καὶ ὑποστήριγμος· τοῖς δὲ ἀπειθέσι καὶ εὐτραπέλοις λέγε αὐτῇ ῥάβδῳ ἐπισυρίκῃ, ῥάβδῳ παιδεύσεως. εἶτα παραλαμβάνεται ὑπὸ τῶν ἀρχιερέων ὁ χειροτονούμενος καὶ εἰσάγεται μετ' αὐτῶν εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας τραπέζης, καὶ εὐθὺς κλίνει τὰ ἑαυτοῦ γόνυ κατ' ἐνώπιον τοῦ ἀρχιερέως. εἷς δὲ τῶν ἀρχιερέων λαβὼν τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον, καὶ τοῦτο ἀνοίξας τίθησιν αὐτὸ ἐξάπτυχα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἐπὶ πρόσωπον κεχαραγμένης αὐτῷ καὶ τῶν ἑτέρων ἀρχιερέων ἔνθεν κἀκεῖθεν. εἶτα λέγει αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς εἰς ὑπήκοον πάντων.

Suffragio & approbatione Dei amantiſſimorum Presbyterorum & Clericorum civitatis N. Divina gratia quæ infirma ſemper curat, & deficientia ſupplet, promovet Deo amantiſſimum Sacerdotem, & electum N. in

Ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν θεοφιλεστάτων ἱερέων καὶ κληρικῶν πόλεως τῆς δεῖνος ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα προχειρίζεται τὸν θεοφιλέστα-

τον ἱερέα, καὶ ἐπιθήσουσιν πάλιν τὸ δεξιὸν, καὶ πεύσεται τῆς θεσσάτης πάλεως τὸ δεξιόν. δέξώμεθα ἐκεῖνο ἐπὲρ αὐτῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τῦ παναγίου πνεύματος. καὶ λέγουσιν οἱ ἱερεῖς τὸ κύριε ἐλέησον γ'. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς κατατάττις τὸ διακόνιον ὁ χειροτονῶν δεξιᾷς ποιεῖ ἐπὶ τῆ κεφαλῆς τῦ χειροτονεμένυ σταυρὸς γ'. ἐπιλογῶν αὐτὸν εἰς τὸ ὄνομα τῦ πατρὸς, καὶ τῦ υἱῦ, καὶ τῦ ἁγίυ πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ ἐπιθεὶς τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ ὀχεῖ ἕτως.

A Episcopum & Præsidem à Deo conservatæ urbis N. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus: Dicuntque Sacerdotes ter Kyrie eleison. Tenentibus autem Episcopis Euangelium, Episcopus ordinans tria crucis signa facit super caput ordinandi, benedicens ei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum. Impositaque manu super caput ejus sic precatur.

ΕΥΧΗ.

Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ νομοθετήσας ἡμῖν διὰ παυδιφήμυ συ ἀποστόλυ Παύλυ, καὶ τὰ ἑξῆς.

B

ORATIO.

Here Domine Deus noster qui pereximium, & omnibus modis celebrandum Apostolum tuum Paulum constituisti, &c.

Prorsus ut supra retulimus ex Euchologio Cryptæ ferratæ; nec alia ex aliis Euchologiis sunt dissimiles, ut comparantibus à nobis editas manifestum erit. Exemplar unde hæc desumpta sunt, cæteros ritus non continebat.

NO-

NOTULÆ IN QUOSDAM CODICES

præcedentes, quibus indicatur ubi deprehenduntur, ea quæ hîc non ſunt exſcripta, & nonnullæ variæ lectiones referuntur.

a IN præcedentibus ordinationibus non habetur hæc oratio, ſed præſupponitur: Adducitur enim ad Epiſcopum jam tonſus. Intertio tamen codice, ut & in Euchologio Tonſuram incipit Epiſcopus, ſed hæc tantum verba profert, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, cæteris reſpondentibus *Amen*. Poſtea remittit eum ad alios, qui quod cœpit, perficiant; fortaſſe dicebatur illa oratio ab eo qui Tonſuram perficiebat. In antiquo Barberino deprehenditur eadem oratio ſub hoc titulo, *Λόγος εἰς τὸν κερασθέντα παιδίον*, ſed ab iſta nonnihil variat. Ibi melius, *λόγος μεταδόσεως θεϊκοσύνης, verba communicationis juſtitiæ*. In alio quem hîc interpretamur, videtur omiſſa dictio *θεϊκοσύνης*. Nonnulla alia ſunt variata, ſed eodem prope ſenſu.

b Illa oratio prorſus eadem quæ in antiquiſſimo codice Barberino. In concluſione poſt *αἰωνίως* additur *τῇ φιλανθρωπίᾳ*.

c Eadem oratio quæ ſupra in codice Barberino his exceptis, *στόγματα*, hîc melius *τάγματα. ἐν σοί*, hîc melius *ἐ τοῖ σοῖ*. *κατακοῦσον*, hîc ſimpliciter *φύλαξον*, *ἀπολαύσωσι*, hîc *ἀπολαύσωσιν*.

d Sequitur in codice alia oratio quæ legitur in conſtitutionibus S. Clementis in Ordinatione Subdiaconi.

e Oratio eadem, quæ ſupra in Barberino: Tantùm quod hîc *διατήρησον*, ibi *διαφύλαξον*.

f Illa Diaconica efferuntur prope ut in Barberino, in omnibus Euchologiis editis & non editis.

g Oratio eadem quæ ſupra. *ὅτι σώσει*, hîc *ὅτι σώσῃ τοὺς*. In fine hîc omittitur, *διὰ τῆ χάριτ τῆ μόνου φιλάνθρωπου*. Interjicitur alia oratio quæ habetur in Conſtitutionibus Clementis.

h Oratio eadem quæ in antiquiſſimo illo codice, una aut altera vocula nullius momenti excepta. Sequebatur in codice alia oratio ſine titulo quæ tota legitur in Clementis conſtitutionibus.

i Oratio ut in Barberino. *Ὑφιστάσθω, τῇ ἁγιωσύνῃ σου*. Barber. non habet poſterius. *ἀπόλαυε τῆ ἁγιοσύνης σου*. Barb. non habet prius. *τῆ λαῆ σου*. Barb. non habet *σου*. Verùm iſta nihil in ſubſtantia rei mutant.

l Diaconica illa eadem ſunt omnino cum præcedentibus.

m Oratio planè ut in Barb. codice.

n Sequitur oratio quæ prorſus eadem eſt quæ in codice Barb.

o Oratio prorſus ut ſupra in codice Barber.

p Eadem quæ in Euchologio edito, & in aliis, *σῆς δόξης αὐτοῦ*, noſter habet *τῆς ἁγιοσύνης σου*.

q Oratio prorſus eadem quæ in aliis.

r Oratio eadem quæ in Euchologiis editis, & quæ ſupra.

s Cætera ut in Euchologio edito his exceptis, *τὸν δοῦλόν σου τὸν ἀναγνώστην, ἐ λαὸς σου, δοῦλός σου καὶ λαός σου*. In edito tantùm *τὸν δοῦλόν σου τὸν ἀναγνώστην λειτουργόν*. In fine *λέγοντα*. editum *κράζοντα*.

t Oratio eadem quæ in Euchologio, & ſupra ſæpius. Cætera exemplaria habent, *ἀγιάζοντες*, ſed melius *ἁγίαζε*, paulò poſt *δίδωσας*, ſed codex ille *δεδώκας*.

v Oratio eadem quæ in Euchologio, & ſupra ſæpius. Sed pro *Εὐφράνθητι τῇ βασιλείᾳ*, habet *τῆς σωτηρίας*: Sic pro, *τῆ δόξῃ ἐπιφανείᾳ* habet *ἐπιφανείᾳ*.

x Eadem quæ in Euchologio, & ſæpius hîc expreſſa. *πλεῖστον διακονεῖν*. In edito eſt, *ἁγίῳ*. Codex ille *αὐτῷ διάκονον*. Omittit codex ille hæc verba, *τῇ σῇ σωτηρίᾳ προσφερομένῃ ἅγιον, ἀπάθεκτον*.

y Oratio prorſus eadem cum ea quæ in Euchologio edita eſt, ſæpiuſque ſupra refertur. Vaticanus codex omittit, *διδάσκαλε σωτῆρ*.

z Oratio eadem quæ in Euchologio, & ſupra ſæpius. Hîc habetur *προσέχωμεν*. Euchol. *δεῖ*.

aa Oratio hæc in Euchologio & ſæpius ſupra eodem modo legitur.

bb Oratio eadem quæ in Euchologio, & ſæpius ſupra, hoc excepto quod poſt, *λειτουργὸς ἅγιός σου*, non additur, *ἱερωσύνῃ*.

cc Oratio ut ſæpius ſupra & in Euchologio.

dd Eadem quæ in Euchologio, & quæ ſæpius ſupra.

ee Eadem oratio habetur in Euchologio, & ſæpius ſupra: Solùm poſt, *ἐπιδήμει*, omittitur *τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*.

ff Supra ex Euchologio Cryptæ terratæ deſcripta eſt. Hîc codex habet, *φιλανθρωπία*: Prior, *φιλάνθρωπε*. Hîc codex *ἐπ' αὐτῇ*. Prior *ἐπ' αὐτοὺς*. Hîc codex *ἁγιάσῃ τὸν*

IN

IN SYMEONIS

THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPI

LIBRUM, SIVE DIALOGUM

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PRÆFATIO.

PAuca de hoc autore præfari poſſumus, cum præter ipſius opera, & paucos autores qui ea citarunt de eo nihil habeamus, & pauculum quod habebamus, in præfatione ad librum ejuſdem Symeonis de Pœnitentia quem in opere noſtro de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Græcè, & Latinè tranſlatum edidimus, jam retulerimus; nec nobis neceſſarium videatur quæ alibi dicta ſunt, repetere. Lectorem tantùm monitum velim Symeonem cap. 8. libri iſtius mihi videri innuere ſe ſcribere cum Franci in Græcia dominarentur: *Ideo*, inquit, *afflictiones & contuſiones noſtræ multæ factæ ſunt, & præ omnibus gentibus contemptibiles, & minimi habiti ſumus: & dum violentè feſtinamus ea quæ non decet attingere, & iis quibus non oportet imperare, nobis alienigenæ dominantur: dumque facimus quæ Deo diſplicent, hoſtes voluntati Dei obſequentes nobis inſultant, & quæ nobis ſacra ſunt poſſident, Deoque conſecratis potiuntur. Eheu exiſtimantes lucrum aliquod facere, propria noſtra perdidimus. Meſſes & fructus noſtros colligunt inimici noſtri, eaque ante oculos noſtros comedunt.* Hæc de aliis quàm de Francis videntur dici non poſſe: Librum iſtum cum Romæ eſſemus in Bibliotheca Vaticana ex codice Vaticano maxima ex parte ipſi exſcripſimus. Cum autem otium non ſupereſſet, nonnulla quæ minus videbantur ſcopo noſtro neceſſaria ſparſim tranſilieramus, quæ poſtea nobis diligenter exſcribi ſedulò curavimus, ut librum integrum nulla ſui parte mutilum repræſentare poſſemus Librum commoditatis cauſa, & materiæ habita ratione in tredecim capita, & capita in varios paragraphos diſtinximus; Capitibus quoque titulos Latinos & Græcos marte noſtro appoſuimus, ut facillimè & uno oculi nutu totius capitis lemma lector conſpiceret.

A

SIMEONIS

Theſſalonicenſis Archiepiſcopi

DE

SACRIS ORDINATIONIBUS

LIBER.

B

ΣΥΜΕΩΝΟΣ

Θεσσαλονικέων Αρχιεπισκόπου

ΠΕΡΙ

ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΧΕΙΡΟΤΟΝΙΩΝ

Βιβλίον.

In quo rationem ſuæ ſcriptionis explicat, & uniuſcujuſque ordinationis functiones enarrat, & diſtinguit.

ΕΦ' ᾧ δηλοῖ Συμεὼν λόγ' ἃ ἐν τῇδε τάττων γράφῃ, καὶ τὰ ἑκάστης χειροτονίας λειτουργήματα διηγεῖται, καὶ διακρίνει.

CAPUT I.

ΚΕΦΑΛ. α'.

CLericus, en à te edocti ſumus quæ ad divinum templum pertinent, & cum ejus cognitione multa alia novimus. Cæterùm ſanctè Domine explica quoque nobis quæ ſacras ordinationes ſpectant. EPISCOPUS. Hoc certè faciam, cum nobis qui conſecrati ſumus ſcire neceſſarium ſit rationes divinorum myſteriorum quorum participes ſumus; ut quo magis cognoſcimus qualibus donis & gratiis dignati ſumus, eo æquiorem & gratiorem ſervitutem benefactori noſtro exhibeamus, & pro viribus divino operi agendo cum timore ſtudiosè incumbamus. Qua ratione multiplicem mercedem pro modico certamine & labore conſequemur, remunerationem accipientes merita noſtra excedentem, talemque qualem à Deo hominem accipere par eſt: hic ſecundum vires tribuens, & velut creatura, & creaturarum puſilla portio; ille ut ſolus creator & omnipotens. Contrà autem nullo modo fiat: Condemnatio pro mercede ei retribuatur, qui de talento ſibi credito rectè non fuerit negotiatus, vel divinam illam minam in terram defoderit, aut aliquo modo adulteraverit. Sed propitius ſit nobis Deus, Dei vivi Filius, qui factus eſt hominis filius, & ſolus magnus Epiſcopus, Salvator mundi, qui Chriſtus eſt, purus, ſanctus, peccati expers, princeps pacis, pacisque conciliator, corde mitis, & humilis, qui bonus eſt Paſtor, animam ponens pro ovibus ſuis; donetque nobis ipſum amare toto animo, atque ut ipſi placitum eſt per ipſum ipſius ovile paſcere, & ſacra divini ejus Sacerdotii munera unumquemque noſtrum ſecundum gradum ipſi impoſitum, ejus voluntati obſequentes perficere, & adimplere, ut cum ipſi placuerimus, ei tandem uniamur, & per ipſum cum divino ejus grege nos quoque ſalvemur. Nunc materiæ propoſitæ inchoanda tractatio.

C

D

E

Κληρικὸς, ἰδοὺ καὶ τὰ περὶ τὸ θεῖον ἐγνωμεν καὶ, καὶ σὺν αὐτῷ περὶ πλείστων ἄλλων. λοιπὸν ἄγε δέσποτα, καὶ τὰ περὶ χειροτονιῶν ἱερῶν ἡμῖν δήλωσον. Αρχιερεύς. Τοῦτο δὴ καὶ ποιήσω, ἐπεὶ ἐ ἀναγκαῖον τῆς ἱερωμένοις ἡμῖν τὰ περὶ τ ἐν ἡμῖν θείων πλεῖστον τὰς λόγους εἰδέναι, ὡς ἂν μᾶλλον γινώσκοντες οἵων κατηξιώθημεν δωρημάτων, ἐυγνώμονες δοῦλοι περὶ τ δεσπότην πεφαίνωμεν, καὶ τὰ θεῖα ἔργα αὐτοῦ, ὅση δυνάμις, ἐπιμελώμεθα μετὰ φόβου, ἵνα καὶ τ μισθὸν πολυπλάσιον δέχωμεν, ἀντὶ μικρᾶς πόνου ἀγῶνος καὶ πόνε τ ὑπὲρ λόγον λαβόντες ἀντιμισθίαν, ἐ τοιαύτην, οἵαν πρέπει θεοῦ ἄνθρωπον· ὁ μὲν τὸ κατὰ δύναμιν δεδωκὼς ὡς κτίσμα ἐ κλισμάτων μέρος βραχύ, ὁ δὲ ὡς μόνος ἐ κλίσης ἐ παντοδύναμος. ἐ μὴ τὰναντίον, ὁ μηδαμῶς ὅλως ῥᾳθύμῳ καταχέσεως ἔλθοι τινὶ, ὡς μὴ τὸ πάλαντον καλῶς ἐμπραθυνεμένον, ἢ τ θείαν μνᾶν ἐκείνην, ὡς καταχώσασθαι, ἢ κατὰ τὸ ὠθοχαράξαι· ἀλλ' ἡμῖν ἵλεως εἴη θεὸς ὁ τ θεὸν ζῶντος υἱὸς ὁ υἱὸς ἀνθρώπου γεγενὼς, καὶ μέγας μέντος ἀρχιερεὺς Ἰησοῦς, ὁ σωτὴρ τ κόσμου, ὁ χριστὸς, ὁ ἅγιαστος, ὁ ὅσιός τε καὶ ἄκακος, ὁ εἰρηνάρχης, ὁ εἰρηνοποιὸς, ὁ πρᾶος τῇ καρδίᾳ καὶ ταπεινὸς, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, ὁ θεὶς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ προβάτων, ἐ δοὺς ἀγαπῆσαι αὐτὸν ὁλικῶς, καὶ ὡς φίλον αὐτῷ ἐν αὐτῷ αὐτοῦ ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον, ἐ τὴς τ θείας ἱερωσύνης αὐτοῦ, ἃς βουλῆσαι αὐτῷ ἕκαστον ἡμῶν κατὰ τὴν διαβάλλουσαν βαθμὸν ἐκπλήσαι τε καὶ πληρῶσαι, καὶ ἐναρέστους αὐτῷ διηρετικότας αὐτῷ, καὶ σὺν τῇ θείᾳ ποίμνῃ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ καὶ ἡμᾶς σωθῆναι, δεκτοὶ ὄντες τοῦ προκειμένου.

Δύο μὲν οὖν εἰσι χειροθεσίαι ἔξω τοῦ βήματος, ἥ τε ἀναγνώστου καὶ τοῦ ὑποδιακόνου εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι, ἐφεξῆς δηλαδὴ, καὶ ἡ τῶν διακρίτων ἢ κηροφόρων, εἰπεῖν ὡς τὸν ἀναγνωστῶν γινομένη, ἥτις οὐκ οἶδ' ὅπως οὐκ ἐνεργεῖται· ὥσπερ ἦν νῦν ἐξέλιπεν, ἐν ᾗ τῇ τοῦ πρεσβυτερικοῦ ἐκκλησίᾳ καὶ ὡς ὀλίγου αὐτῇ ἴσῃ, καὶ ἐν τῷ δεχαίαις ὑποτυπώσεσι γέγραπται· ἐξαίρετοι δὲ χειροτονίαι ἐντὸς τοῦ βήματος, καὶ ἐν τῇ ἱερωτάτῃ τραπέζῃ εἰς τύπον τῆς τελειάδος τρεῖς, ὡς ὧν καὶ ὁ ἱερὸς φησι Διονύσιος, ὁ τε διάκονος, ὁ τε πρεσβύτερος, καὶ ὁ τε ἐπίσκοπος. καὶ τὴν μὲν φησι λειτουργικὴν, ὡς ὑπηρέτας, καὶ ἐν τῷ δύο ἔχουσαν τάξιν· ἤδη γὰρ ὁ λειτουργικὸς ἦτοι διάκονος ἐνεργεῖ δύο ἔργα ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου. τὴν δὲ τελεστικὴν, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου δηλονότι. τὰς τελετὰς μὲν, τὴν τῆς ἱερουργίας καὶ τοῦ βαπτίσματος καὶ ἐπίσης ἐνεργοῦσαν, ἀλλὰ τὰς πάσας δὲ, ἤδη μὲν χειροθεσίας· καὶ γὰρ ἡ τὴν μεταδοτικὴν ἔχει χάριν, ἃ δὴ ἄλλο τελεστικὸν ἢ φωτιστικὸν ἐνεργεῖν ἰσχύει, πλὴν δὴ μόνου τοῦ μυστικοῦ καὶ τοῦ βαπτίσματος.

Ὁ δὴ ἱεράρχης φωτιστικὸς ὅλος, ὅλα μιμεῖται τὸν πατέρα τῶν φώτων, καὶ τὴν αὐτοῦ τελετὴν δυνάμιν, καὶ πᾶσαν τάξιν καὶ πᾶν μυστήριον, καὶ πᾶσαν τελετὴν δι' αὐτοῦ· αὐτὸς γὰρ ἐν βαπτίζειν ἅμα, καὶ μύρον ἐνεργῶν, ἐν λειτουργικὸν ἐν τελεστικὸν ἐπιτελῶν, καὶ φωτιστικὸν τῇ χειροτονίᾳ ἰσχύων, καὶ ἀναγνώσεσιν, ἐν ψάλλειν, ἐν μοναζούσας καθιερῶν, ἐν καθιερωμένους οἴκους, ἐν βαθμοὺς χορηγεῖν, καὶ τοὺς γάμους συναπτειν, ἐν παρθένους συνιερᾶν, ἐν πάντα πρᾶξαι καλὰ τῇ χειροῦ δυνάμει· ὡς γὰρ ὁ θεὸς πηγὴς φωτὸς, πάντα δι' αὐτοῦ τὰ τῆς ἐκκλησίας τελεῖται· διὸ ἐν φωτιστικὸς ὀνομάζεται ὁ ἐπίσκοπος. τίνος οὖν ἤδη ἀπὸ τοῦ διακονικοῦ μικροτέρου τῶν δωρημάτων ἀρχώμεθα ὡς ἂν καὶ βραχὺ εἰς τὸ τέλειον ἔλθωμεν· τοῦτο γὰρ ἐν τοῦ μεγάλου ἐγνώσθη Διονυσίῳ, καὶ ἀπὸ τοῦ διακόνου ἀρξάμενος εἰς τὸν ἐπίσκοπον ἦλθε. ἐν ἡμεῖς τοίνυν ἐν περὶ τῶν ἄλλων ἱερῶν βουλόμενοι ἀπὸ τοῦ πρώτου τῶν ἱεροσυνῆς χαρισμάτων ἄρξωμεθα, τοῦτ' ἔστι τοῦ ἀναγνώστου.

Duæ ſunt igitur extra Sanctuarium manuum impoſitiones, lectoris & hypodiaconi. Sunt & aliæ, officiorum videlicet, & Deputati, ſive, ut ita dicam, Cereoferi, quæ ante lectorem celebratur. Iſta neſcio qua ratione non fit amplius, & nunc veluti defecit. Vigebat autem ante paucum tempus in Theſſal. Eccleſia, & in antiquis formulariis deſcribitur. Ordinationes autem eximiæ & propriè dictæ quæ intra Sanctuarium fiunt & in ipſa ſanctiſſima menſa, tres ſunt in Trinitatis ſimilitudinem de quibus loquitur S. Dionyſius, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi. Iſtam quidem vocat miniſtrationem, velut ad Miniſtrum pertinentem, & duabus aliis ſubordinatam. Nihil enim miniſter ſive Diaconus ſine Epiſcopo vel Presbytero facit. Hanc autem perfectivam, quæ ſcilicet ad Presbyterum ſpectat, quæque ſacrificii & baptiſmatis myſteria, & alia quædam operatur, non autem omnia; nec enim Ordinationes. Nam gratiam communicativam non habet, neque aliquid aliud perfectivum, vel illuminativum producere poteſt, ſed myſteria ſolùm & baptiſmum perficere.

Verùm Epiſcopus illuminandi vim habet, eo quod Patrem luminum imitatur, ipſiuſque virtutem abundè poſſidet, & per ipſum omnis ordo, omne myſterium & Sacramentum. Ipſe enim ordinatione ſua & baptizare valet, ſimul & ſacrum unguentum conficere; & quæ ad miniſterium, & perfectionem, & illuminationem pertinent, perficere; & legere, & pſallere, & Monachos conſtituere, & domos dedicare, & gradus ſive officia diſtribuere, & matrimonio conjungere, & virgines congregare & conſecrare, omnia denique per gratiam Chriſti præſtare. Omnia enim Eccleſiaſtica ab ipſo velut luminis fonte perficiuntur: Ideo Epiſcopus illuminativus vocatur. Nunc autem ab eo gratiæ dono incipiemus, quod eſt omnium minimum, ut brevi ad perfectum accedamus. Hoc etiam ita viſum eſt magno Dionyſio, qui à Diacono incipiens ad Epiſcopum progreſſus eſt. Nos igitur & de hoc, & de aliis quoque dicere volentes, à primo Sacerdotii chariſmate, qui lectoratus eſt, incipiemus.

Ἀκολουθία τῆς χειροτονίας τοῦ ἀναγνώστου, καὶ ταύτης μυστικὴ θεωρία.

Ritus Ordinationis Lectoris illiuſque ſacra explicatio.

ΚΕΦΑΛ. Β'.

CAPUT II

Οὗτος πρῶτον προσάγεται τοῦ ἀρχιερέως, μαρτυρηθεὶς εἶναι τοῦ ἁγίου βίου, καὶ ἀξιος ἀγωγῆς ἱερᾶς, καὶ τὰ ἱερὰ εἰδὼς γράμματα· καὶ ὁ ἀρχιερεὺς ἐνδύσας στολὴν ἱερὰν, καὶ τὸ ὠμοφόριον· ὁ δὴ ἔστι πᾶσαν φέρει ἱερᾶς τελετῆς, τοῦτο γὰρ ἐστιν Ἰησοῦ χειρὸν ἦτοι ὄντα καὶ σαρκωθέντα, εὐλογεῖ τὸν θεὸν εὐχαριστῶν ἀμοιβαίως ἔτι παῖδι ἔργῳ θεοῦ, καὶ μάλιστα

Hic ergo ad Epiſcopum adducitur, dato prius teſtimonio quod ſanctæ ſit vitæ, quod ſacra converſatione & promotione dignus, literaſque ſacras didicerit. Epiſcopus autem ſacram ſtolam indutus, & pallium, quod in omnis ſacri myſterii confectione geſtare ſolet (hoc enim repræſentat Jeſum Deum & incarnatum) Deo benedicit, gratias convenienter agens in omni Dei opere, ſed maximè

ximè pro homine qui in ipſius miniſterium e-
ligitur. Finita Triſagii oratione à Clericis
luminaria tenentibus, quia tum illuminatio
fit, & gratia communicatur, Epiſcopus ve-
ſtem nigram quæ humilitatis & religioſi ti-
moris Symbolum eſt, benedicit, & conſe-
crandum jubet eam induere. Quo facto ad
eum adducitur, & benedicitur, ſigno crucis
ab eo ter manu peracto: " poſtea obſigna-
tur. Tondet enim Epiſcopus capillos capitis
ejus in figuram crucis, divinum & tremen-
dum Trinitatis nomen ſuper eum invocans,
ex qua omnis ſacra conſecratio & myſterium.
Primùm quidem capillos in vertice capitis ton-
det dicens, In nomine Patris; Poſtea in fron-
te dicens, & filii: Deinde ex latere capitis
dextro, dicens, & Spiritus ſancti; iterum-
que ex latere ſiniſtro crucem perficit, infe-
rens, ubique nunc & ſemper. Omnes autem
ad unamquamque invocationem reſpondent,
Amen, confitentes ſimul & confirmantes
quæ ab Epiſcopo fiunt. Capillorum autem
detractio & reſectio conſecrationem ſignifi-
cat: Capilli enim totius ſunt corporis floſcu-
li de eo efflorescentes, qui detractione ſua
indicant primitias ab homine Deo offerri.

Fit autem illa capillorum reſectio in cru-
cis figuram propter Jeſum; quoniam ipſe
incarnatus & crucifixus ſanctificat: In nomi-
ne autem Trinitatis; quoniam ſolus Deus eſt
omnium creator, & conſummator. Poſtre-
mò fit in vertice, à quo Tonſura incipit
(major enim Tonſura & integra ab aliquo
Clerico perficitur) quoniam Chriſtus omnium
eſt caput, & vertex, ſigillumque & ſignum
iis qui propter ipſum perficiuntur. Ipſe quo-
que iis inſidet, & Rectores ſanctificat, co-
rumque eſt caput. Confecto igitur in verti-
ce majore ſigillo, ut " ipſius ſanctificatio ab
eo velut à radice in univerſum hominem per-
veniat, iterum adducitur ad Epiſcopum.

Adductus igitur ad Epiſcopum, jamque
per tonſuram conſecratus, & phenolio ſive
camiſio, quod eſt ſacrorum indumentorum
primum & veluti primitiæ, benedicto, ma-
numque Pontificis deoſculatus per collum in-
duitur, non ſecus ac ſi jugum Sacerdotii ſub-
iret, Deique protectioni ſubjiceretur, &
miniſterio devoveretur. Deinde ſigno crucis
ter obſignatur ſuper ſigillum tonſurâ impreſ-
ſum: Et Epiſcopus ponens manum ſuper il-
lud ſigillum, (qua re virtus Dei protegens &
gratiam communicans ab eo demonſtratur)
Deum precatur ut conſecrandum ſibi Electum
ſanctificet, & cum omni ſapientia & pruden-
tia divinorum oraculorum lectionem & medi-
tationem exerceat, ſicque gratias agens hanc
orationem complet. Oratione completa ite-
rum obſignat eum ad Sacramenti conſumma-
tionem, pacemque illi precatur propter pa-
cem à Deo obtinendam, & cum eo unio-
nem; & dicere eum jubet, ſi in lectorem
ordinatus eſt, ſectionem ex Apoſtolo; ſi ve-
rò in Cantorem, ex Pſalterio. Sicque data
illi pace & precatus, conſecratum dimittit
undique ſigno crucis velut muro cinctum &

A Ἐπὶ ἀνθρώπῳ εἰς ὑπηρεσίαν ἐκλεγομένῳ
αὐτῷ. καὶ τῆς ϖϱοσδυχῆς δὲ τελουχίου ϖϱὸς τὸ
κληϱικῶν πλεισθέντος φῶτα κϱατυνόντων, ὅπ
φωλισμὸς γίνεται καὶ μεταδόσει χάϱις· ὁ ἱε-
ϱάρχης ἰμάτιον ὑλογήσας μέλαν, κελεύει τῷπ
ἐνδύσασθαι τὸ πλούμβον· τὸ ταπεινὸν καὶ ὑλα-
βὲς τῆς ζωῆς δηλοῦτος δὲ μέλανος. εἶτα ἄ-
γεται ὁ πλούμβος ϖϱὸς αὐτόν· ὃ ὑλογεῖται τῇ
χειϱὶ ϛαυϱοειδῶς ϖϱὸ αὐτοῦ τρίς· εἶτα ἐ σφϱα-
γίζει κείϱει γὰϱ τὰς αὐτοῦ τρίχας τῆς κεφαλῆς
ϛαυϱοειδῶς ὁ ἀρχιϱεύς, τὸ θεῖον καὶ φοβε-
ϱὸν ὄνομα ἐπιλέγων αὐτοῖς τῆς τελεάδος· ἐξ ἧς πᾶσα
ἱεϱὰ τελετὴ καὶ μυσταγωγία· καὶ πϱῶτον μὲν ἐκ
B δεξιοῦ κείϱων τὰς τρίχας φησίν, εἰς τὸ ὄνο-
μα τοῦ ϖατϱός, εἶτα ἐκ τοῦ μέσου, λέγων,
καὶ τοῦ υἱοῦ, εἶτα ἐκ τοῦ ἀϱιστεϱοῦ ϛαυϱοῦ κε-
φαλῆς δεξιόθεν λέγων, καὶ τὸ ἁγίου ϖνεύματος. εἶτα ἐκ
τοῦ ἀϱιστεϱοῦ πάλιν ἐκ τοῦ δεξιοῦ ϛαυϱοῦ τελειοῖ,
καὶ ἐπιφέϱει, ϖάντοτε νυῦ καὶ ἀεὶ ϖάντες ὃ
ἑκάστη ἐπικλήσει τὸ ἀμὴν λέγουσι, ὁμολογοῦν-
τες ἅμα καὶ βεβαιοῦντες τὰ ϖϱὸς τοῦ ἀϱχιϱέως.
καὶ ἡ μὲν ἀφαίϱεσις τῶν τϱιχῶν τὴν καθήϱω-
σιν σημαίνει, ὅτι αἱ τϱίχες ὅλου τοῦ σώματος
ἐξαυθήματα· καὶ ἀπαϱχὴ δὴ ϖϱοσπιχθῆναι
ἐκ τοῦ ἀνθϱώπου σημαίνει.

Σταυροειδῶς δὲ διὰ τοῦτο ἐστὶν, ὅτι αὐτὸς
C ϖαϱκωθεὶς καὶ ϛαυϱωθεὶς ἁγιάζει ἐπ' ὀνόματι
τῆς Τελεάδος ὄ, ὅτι αὐτὸς ἡ δημιουϱγὸς τῶν
ὅλων, καὶ πληϱωτὴς ὁ μόνος θεὸς ὕστεϱον ὄ
ἐπὶ τῆς κοϱυφῆς, ἐν ᾗ ἀϱχὴ τῆς κεφαλῆς, μείζων
ἡ κουφὴ τοῦδε κλήϱου ἐστὶν γίνεται, ὅτι κε-
φαλὴ ϖάντων καὶ κοϱυφὴ ὁ Χϱιστὸς, δὲ αὐτὸς
σφϱαγὶς ὅτι δὲ σημεῖον τοῖς ϖλουμβίοις εἰς αὐ-
τὸν, δὲ αὐτὸς ϑύϱοις ἐπικάθηται, δὲ τὸ ἡγεμο-
νικὸν ἁγιάζει, δὲ κεφαλὴ αὐτῶν ὅτι. τὸ σφϱα-
γὶς ὅλου μείζονος γινομένης τῇ κοϱυφῇ, ἵν'
αὐτὸ ταύτης, ὥσϖεϱ δοτὸ ῥίζης εἰς ὅλον ἔλθῃ τὸ
ἄϱθϱωμα ὁ ἁγιασμός.

D Πεϱαίνεται ϖάλιν ἤδη ἀναπθεὶς δι' αὐτῆς
κουφῆς, καὶ φαινολίου ὑλογουμβίου ἢ δὲ κα-
μισίου, ὅτϖ τῶν ἱεϱῶν ἐνδυμάτων ὅτι ἀϖαϱ-
χὴ, τοῦτο, τὸν χεῖϱα δὲ ἱεϱάϱχου ἀϖαλάμε-
νος, ἐνδύεται τὸ τεφχήλω, ὡς ὑπὸ ζυ-
γὸν ἐλθὼν τὸ ἱεϱωσύνης καὶ ὑπὸ τὸν σκέπτον
γενοὰς δὲ θεοῦ, καὶ ἀφιεϱούμενος εἰς ὑπη-
ϱεσίαν τοῦ θεοῦ. εἶτα ἐπάνω τῆς σφαγῖδος
σφϱαγίζεται τϱὶς, καὶ δεξιόθεν τὸν χεῖϱα
ἐπὶ τῇ σφαγῖδι δὲ ἱεϱάϱχου, τὸ ὑπεϱκειμὲ-
νου δύναμιν ἐπιδεικνυμένου δὲ θεοῦ, καὶ ὅτι με-
ταδίδωσι χάϱιτος, δίχεται δὲ τὸ ἁγιαζθῆναι
E τὸ πλειούμβιον ἐκλελεγμένον ἔνθα αὐτῷ, καὶ
μὲ πάσης σοφίας καὶ συνέσεως πιεῖσθαι τὸν
ἀνάγνωσίν τε καὶ μελετὴν τῶν θείων λογίων
καὶ ὕστεϱος δίχεσθαι πλησὶ τῆς δίκης μὲ τὸν
δίκον ἢ σφϱαγίζεται πάλιν αὐτὸν εἰς πλέω-
σιν, καὶ εἰϱηνεύσαι διὰ τοῦ ἐκ θεοῦ εἰϱηνεύειν,
καὶ τοῦ ἐκ θεοῦ ἔιωσιν, εἰπεῖν ϖϱοτϱέπεται, εἰ
μὴ ἀναγνώστης ὅτι ϖϱοσῳκτὸν ἀποστολικὸν,
εἰ ἢ ψάλτης ἐκ δὲ ψαλτῆϱος· καὶ οὕτως εἰ-
ϱηνεύει δοὺς αὐτῷ καὶ εὐξάμενος ἁπλοῦν τῇ

σφραγῖδι πάντοθεν περιχίζων αὐτὸν τὸ πλήθυον. Λύει δὲ καὶ τὴν ῥῆσιν τῶν ἀναγινωσκόντων μετοίχεται, καὶ ὡς μετοίμια καὶ δείγματα ἔχουσι ταύτης τὸν τῆς πλησμόνην ζωῆς.

Οὕτως οὖν ὁ εἰς ἀναγνώστην καταστὰς ἔστω τοῖς πολλοῖς τοῦ λαοῦ ἔκποθεν ἀναγινώσκων γραφὰς μετρεπόμενος ὑπὸ ψαλτῶν ἢ ἱερέων, τὰς τῶν προφητῶν δηλαδὴ καὶ τῶν ἀποστόλων ἱερὰ λόγια, ἱστάμενος ἐν τῷ μέσῳ ὡς ἐσφραγισμένην ἀσκέπης· ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ βῆμα χωρῶν ὡς ἓν βήματος ὑπηρέτης ἀναπτὰς φῶτα, καὶ πῦρ προσαγὰς τῷ ἱερεῖ, καὶ παραδίδους λαμπαδηφορίαν τῶν ἁγίων καὶ τὰς προσφορὰς, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ ζέον φέρων αὐτῷ, καὶ διακοσμῶν τὸν ναὸν καὶ τὰ ἄλλα ὑπηρετῶν, καὶ τοὺς θείους προλέγων τοῖς ψάλλουσιν ὕμνους, ἅπερ καταναρχῶν, καὶ ἁπλῶς ὑπηρέτης τῶν θείων ἐστὶν ἐν τῷ ναῷ· ὃς δὴ καὶ ἐφεῖλε μετὰ εὐλαβείας πάσης πιεῖν, καὶ γνώσκειν ὅπερ ὑπηρέτης ἔστι· καὶ ὅτι θεοῦ καὶ τῶν ἐξηρτόντων ἐστὶν αὐτοῦ, καὶ μὴ τῶν ἁγίων ὑπηρετεῖ, ἐκεῖσε βαίνων ὅπου χωροῦσιν οἱ ἄγγελοι.

munitum. [75] Nonnulli verbis lectis attendunt, eaque velut proœmia & argumenta futuræ Conſecratorum vitæ æſtimant.

Sic igitur qui lector conſtitutus eſt legit ab eo tempore ſcripturas propter populum poſitas, ſacra ſcilicet Prophetarum & Apoſtolorum oracula, à Diaconis vel Presbyteris juſſus, ſtans in medio, aperto capite eo modo quo obſignatus eſt. Nec hoc tantùm, verum etiam Sanctuarium ingrediens ut Sanctuarii Miniſter, lumina accendit, ignemque affert Sacerdoti, præceditque Cereos accenſos ante ſancta dona geſtans; oblationes quoque, & aquam, & [76] fervidam Sacerdoti affert, & exornat quæ ad templum ſpectant; cæteraque ſubminiſtrat, hymnos quoque divinos pſallentibus præcinit, [77] ſive canonem incipit, atque ut abſolutè dicam, Divinorum miniſter eſt in templo. Hæc autem omnia cum pietate & tremore agere debet, & quarum rerum miniſter eſt, attendere; cogitare quoque ſe Dei eſſe, & eorum qui ad eum appropinquant; & cum ſanctis ſe miniſtrare, illucque accedere quo ſe conferunt Angeli & habitant.

Λεκτέον δὲ περὶ χειροτονίας τοῦ ὑποδιακόνου, καὶ αὐτοῦ λειτουργήματος, καὶ μυστικὴ τούτων ἐξήγησις.

ΚΕΦΑΛ. γ'.

Μετὰ τούτους τοὺς ἀναγνώστας, ὡς ἔφημεν, ἡ τάξις τῶν ὑποδιακόνων ἐστὶν, ἥτις ὑψηλοτέρα, ὡς μὴ τοὺς διακόνους ἄσαι, καὶ εἰ μὴ ἀναγνῶσαι καὶ ψάλαι μὴ πρὶν σφραγῖδα τὴν θείαν καὶ εἰς γάμου ἔννομον ἐλθεῖν συζυγωθῆναι, ὑποδιάκονοι ἤδη ὁπόταν ἅπαξ πρὸν σφραγῖδα πεσεῖν καὶ ἀναγνῶσαι λαβόντες, καὶ καλῶς ἐξυπηρετήσαντες ἐν τῷ ὡρισμένῳ καιρῷ τὴν χειροτονίας ταύτης ἀξιωθῆναι προσάγοι· καιρὸς δὲ αὐτοῖς τὸ εἰκοστὸν ἔτος. Ἐπὶ δὲ ἀρχιερέως ἑστῶτος ἱσταμένου πρὸ τῶν βασιλικῶν, πυλῶν, μήπω δεξαμένης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας προσίστησι ὁ τοῦ χειροθεσίαν ὑποδιάκονος λαμβάνων, μὴ ἔχων μέλαν ἱμάτιον καὶ τὸ πρῶτον καμίσιον, ἀναπτομένων φώτων, τότε γίνεται ἐν πάσῃ χειροτονίᾳ, εἰς τὸ δέξασθαι τὸ μεγάλον φῶς, καὶ εἰς ἔνδειξιν τοῦ χορηγουμένου φωτισμοῦ θείου. Καὶ ἀρχιερατικῇ προστιγῇ ἀποτίθεται μὲν τὸ καμίσιον· ἐνδύεται δὲ στιχάριον, ἀλλοιοῦται δὲ αὐτῷ τὸ ἀρχιερέως, πρόσεισι τοῖς προσκυνήσασι καὶ ἀναζωλάσι τῷ θείῳ τῷ χορηγῷ τῶν φωτισμάτων, ἔστω στιχάριον δηλονότι, ὡς πρὸς μείζονα ἔρχεται φωτισμὸν, τὸ πορφυροῦν μὲν ἀποδυθεὶς, ὃ παθητικόν ἐστι, τοὺς μώλωπας ἐπὶ τοῖς αἱματωθεῖσι δηλοῦν, τὸ λευκὸν δὲ στιχάριον, τὴν καθαρωτέραν τοῦ δέξης τοῦ θεοῦ περιβολὴν ἀπαθῆ ἐμφαῖνον. εἰ δὲ περιζωννύσι τοῦτο, ἵνα μὴ ἀπολύτως ἔχειν δυνάμενον τὸν τῆς ἁγνείας σω-

Ritus Ordinationis Subdiaconi, ejus officia & ſacra horum explicatio.

CAPUT III.

POſt Lectores, ſequitur, ut diximus, Subdiaconorum ordo, qui lectoratu excelſior eſt, ut pote Diaconis tantùm poſtpoſitus. Lectoribus autem & Pſaltis licet poſt ſuſceptum divinum ſigillum legitimo matrimonio jungi; Subdiaconis autem non ampliùs. Illi igitur poſtquam lectoris ſigillum primùm acceperunt, & bene miniſtrarunt, tempore huic Ordinationi ſuſcipiendæ definito offeruntur. Tempus autem eſt annus ætatis vigeſimus. [78] Pontifice igitur ſtante ante portas regias, Miſſa nondum incepta adducitur qui manus impoſitionem Subdiaconi accepturus eſt, veſtem nigram indutus, & [79] porphyreum camiſium. Accenduntur que luminaria, quod in omni Ordinatione fieri ſolet in gloriam magni luminis, & demonſtrationem illuminationis divinitus ſubminiſtratæ. Deinde juſſu Pontificis camiſium deponit, & Stichārium induit Pontifice ipſum benedicente: Sed priùs ad Orientem verſus ter Deum adorat autorem & Subminiſtratorem illuminationum, velut ad majorem illuminationem, quæ Stichario ſignificatur, accedens. Porphyream quidem veſtem exuit, quæ paſſionis indicium eſt, utpote vibices adhuc ſanguinolentas indicans: ſed album ſticharium demonſtrat puriores gloriæ Dei radios, amictumque perturbationis expertem. Eum etiam cingunt, ut doceant eum non poſſe amplius veſtem caſtitatis ſuo arbitrio poſſidere, ſed ipſam circa lumbos ejus in humilitate conſtringi per tem-

peran-

perantiam & caſtitatem, cum in poſterum A uxorem ducere non poſſit.

Idem demonſtrat quod poſtea nonnulli Metropolitæ in Alexium Patriarcham machinati ſunt. Nam Joannes Imperatoris Michaëlis Paphlagonis frater Patriarchatum ambiens de Alexio pellendo cum nonnullis Metropolitis deliberat, cauſatus eum non canonicè, ſed juſſu Imperatoris Patriarcham eſſe creatum. Verùm Alexius cum ſuis hoc audito prudenter Joanni & ſociis ita reſcripſit, ut refert Cedrenus: *Quandoquidem, ut vos dicitis, non ſuffragiis Pontificum, ſed juſſu Baſilii Imperatoris ego hoc ſolium contra canones conſcendi; agedum, quos ego conſtitui Metropolitas, jam per undecim annos ac anni ſemiſſem Eccleſiam gubernans, deponantur. Anathema quoque obmuntietur tribus Imperatoribus quibus ego coronas imperii impoſui. His factis cedo ſolium ei qui vult ſuccedere.* Hoc reſponſo territi Adverſarii, & pudore ſuffuſi ab incepto deſtiterunt. Attamen negotium quod illi Metropolitæ Alexio faceſſiverunt demonſtrat memoriam electionis canonicæ non fuiſſe tum in Oriente penitus extinctam.

Idem demonſtrat Conſtantini Lichudis electio in Patriarcham à Zonara & Joanne Curopalata enarrata, quæ paulò poſt annum Chriſti 1057. facta eſt, licet Iſaacius Comnenus Imperator eam interverterit. Sed qui ſucceſſerunt Imperatores electionum jus univerſum, potiſſimum quod ſpectat ad thronos majores, omni arte, fraude, violentia, Clero præripuerunt, nihilque illi reliqui, aut quam pauculum, idque ſpecie tenus, fecerunt. Aliquando tamen fortiter obſtitit Clerus, cum ſceleris evidentia, & atrocitas intolerabilis fuit, reſque tandem ſecundum canones tranſacta eſt: cujus exemplum inſigne legi poteſt apud Nicetam Choniatem lib. 2. de Imperatore Iſaacio Angelo, & Patriarchis Leontio & Doſitheo ab eo inſtitutis, quod brevitatis cauſa, ut & multa ejuſmodi prætermittimus.

Utut ſit bipertita ejuſmodi electio vix ante annum Chriſti 1100. in Græcia cœpiſſe potuit; ſed rarò admodum ab Imperatoribus uſurpata eſt. Auri ſacra fames religioni ſemper prævaluit: Omnes ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri. Ideò difficillime paſſi ſunt Imperatores Græci hanc ſacrilegam prædam ſibi avelli. Ex Joanne tamen Cantacuzeno, & Georgio Codino, cujus occaſione hæc elaboravimus, demonſtra-

ſtatur poſt recuperatam à Græcis Conſtantinopolim hanc conſuetudinem, Imperatoribus Religioni paulatim cedentibus, obtinuiſſe. Symeon Theſſalonicenſis quem ſupra conjecimus ſcripſiſſe cum Franci in Græcia dominarentur, utramque conſuetudinem ſuo tempore viguiſſe teſtatur. Hoc eſt, Synodum tres elegiſſe ut eſſent Patriarchatus candidati, eoſque Imperatori in ſcriptis propoſuiſſe, atque è tribus quem vellet, Imperatorem elegiſſe in Patriarcham. Electionis tam Synodalis quam imperialis ceremoniæ capite nono ſui libri fusè deſcribuntur. Quod ad cæteros Epiſcopos attinet, ſuo ſaltem tempore, & in ſua Provincia Juſtiniani lex magna ex parte obſervabatur. Tres eligebantur, & Metropolitæ offerebantur, quorum unum deſignabat Epiſcopatui vacanti ſucceſſurum. Sed Juſtiniani lex trium Electionem Clero urbis, & civium Primatibus deferebat. At conſuetudo Symeonis tempore vigens electionem illam Epiſcoporum Provincialium Synodo tribuit. Utriuſque electionis ritus omnes perſpicuè explicavit Symeon libri ſui capite ſexto.

Verùm Imperatorum & Aulicorum ambitio & avaritia, cum Epiſcopatus reditibus pingues erant vix paſſa eſt legis iſtius obſervationem. Teſtatur Matthæus Blaſtares qui poſt Symeonem ſcripſit, Imperatores utrumque invaſiſſe, & ſibi vendicaſſe, Elementi K. c. 32. Τὸν καινὸν τ τῶς ἐπισκόπων ψήφες τῆς ἐπισκόπις τ ἐπαρχίας ἀναπφέττων, ἄρχοντὶ ἢ μηδὲν τέτων ἐξεῖναι ποιεῖν κελεύοντων· οἱ βασιλεῖς ἐ τ ψήφω τ ἐπισκόπων χωρὶς, ἐ πατριάρχας ϗ ἐπισκόπως ποιεῦσιν. Ἀφ' ϗ τότε, ὡς ἔοικε, ἐπὶ τῷ βασιλεῖ Μιχαὴλ τῷ Δούκα ὁ μετροπολίτης ἐκεῖνος τ Σίδης τὰ τ βασιλείας εἰσηγεῖτο· ϗ ὁ Νεοκαισαρείας τὰ τῆς πόλεως ἀνεγράψατο· ϗ ἐφ' ἡμῶν ὁ Κυζίκε Νίφων τὴν τ ἀπογραφὴν, ϗ τὰς τ δημοσίς ἀπάσας ἐνέργησι δουλείας. *Licet canones reſervent Epiſcopis Provinciæ ſuffragia in Epiſcoporum electionibus, prohibeantque ne aliquid ejuſmodi cum quovis Principe communicetur, Imperatores tamen ſine Epiſcoporum ſuffragiis & Patriarchas & Epiſcopos eligunt & promovent. Propterea, ut videtur, regnante Michaële Duca Metropolita ille Sidæ regni negotia adminiſtrabat; & qui tum Neocæſareæ, quæ ad urbem ſpectabant in commentarios referebat. Et noſtra ætate Niphon Cyzici Metropolita & Vectigalium deſcriptionem & cæteras omnes publicas ſervitutes procurabat & exequebatur.* Obiter notabit Lector ex his Blaſtaræ verbis colligi tempus quo floruit. Niphon enim ille Cyzici Metropolita, quem ait ſuo tempore negotia Cæſaris procuraſſe, anno Chriſti 1311. Patriarcha factus eſt, imperante Conſtantinopoli Andronico ſeniore Palæologo.

Præcedenti adtexuimus Phranzis narrationem de ritu quo Patriarcha electus ab Imperatore excipiebatur, quem ait Mahomethem Turcarum Imperatorem capta Conſtantinopoli imitari voluiſſe. Multa Phranzes omittit quæ potiſſimum ſpectamus, ſed illi ut pote laico, & res laicas ſcribenti parcendum. Nonnulla tamen habet ſcitu non indigna quæ cæteri præteriere; quapropter præcedentibus non abs re connectenda cenſuimus. Deſideraret forſan aliquis ut de Latinorum electionibus, qua ratione ſcilicet ab annis mille ſupra centum in hæc uſque tempora ſeſe habuerint, breviter ediſſereremus. Sed mihi iſta per unum quodque ſeculum animo contemplanti tam multa occurrerunt quæ vir diſciplinæ Eccleſiaſticæ & canonum amans probare non poſſit, ut ab hac opera perplexa, & maximè odioſa, penitus abſtinere & hic & alibi potius duxerim.

ΠΕΡΙ

ΠΡΟΒΛΗΣΕΩΣ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ,

ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΧΕΙΡΟΤΟΝΙΑΣ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ,

καὶ ἄλλων πατριαρχῶν τε καὶ ἐπισκόπων.

DE ELECTIONE

ET CONSECRATIONE PATRIARCHÆ,

aliorumque Patriarcharum & Epiſcoporum.

A ΣΥΝΑΓΟΝΤΑΙ οἱ ἐπιδημοῦντες τῇ Κωνσταντινουπόλει ἀρχιερεῖς, εἰ μὲν ἐπλείους τύχοιεν ὄντες, εἰ δ' ἀ, δώδεκα· ἐπ ᾗ ἐκ δὲ τ πλησιοχώρων ἐκκλησιῶν μεταπεμφθέντες· εἰ ᾗ μήτε ἐπιδημούντων τύχοιεν, μήτε ἐκ τ πλησιοχώρεως ἐκκλησίας ὧσιν ἀρχιερεῖς δώδεκα, καθεζ ἐν τῷ ψηφοφορείῳ ἐξ ἀνάγκης ὅσοι ἀνδρεθῶσι, ἐκλέγου εἰς πατριάρχου πρόσωπα τρία, ἕς ἂν ὁ θεὸς χαρίσηται εἰς τ γνῶσιν αὐτῶν· ἵν τὰ ὀνόματα λαμβάνσιν ἐγγράφως τῷ βασιλεῖ οἱ τ ἀρχόντων τ ἐκκλησίας ἐκπεμφθέντες. ἐκ ὁ βασιλεὺς ἐκλέγη ἀπὸ τούτων, ὅν ἂν ὁ θεὸς ἐμβαπίσῃ εἰς τ γνῶσιν αὐτοῦ.

Congregantur qui tunc Conſtantinopoli degunt Epiſcopi, licet plures fuerint, ſin minus, duodecim: Præterea etiam ex Vicinis Eccleſiis evocati. Si verò neque ex iis qui peregrè advenerunt, neque ex finitimis Eccleſiis, duodenarius numerus Epiſcoporum confici queat, tunc neceſſario in loco ſuffragii ferendi ſedent tot, quot reperti fuerint; treſque in Patriarcham eligunt, quos ſcilicet Deus ipſis inſpiraverit. Eorum nomina ſcripto conſignata deferunt ſelecti Eccleſiæ Proceres ad Imperatorem; qui ex iis eligit aliquem quem Deus in mentem ejus miſerit.

B Εἶτα ἀποστέλλοντι ἄρχοντες πρὸ αὐτοῦ ἕς ἂν ἀπαρέσκοι, ἐκ οἱ δηλωθέντες ἐκκλησιαστικοὶ ἄρχοντες, ἐκ ἀπαγομίζουσι τὸ ψήφισμα πρὸς τ ψηφισθέντα, ἐκ ἐκλεγῶσι ἀπὸ τ ἐκκλησίας τε ἐκ βασιλέως· καὶν μὲν δέξηται τοῦτο, ἤδη καλόν· εἰ ᾗ μὴ ἀπέρχου εἰς τ ἕτερον· εἰ ᾗ κἀκ τοῦτο, εἰς τ λοιπόν. εἰ ᾗ ἴσως ἐδὲ οὗτος, γίνου αὖθις ψῆφοι, ὡς ἐξ ἀρχῆς· κ μὴ τ δέξασθ τ ψηφισθέντα τὸ μήνυμα, προσβάλλεται τοῦτον ὁ βασιλεὺς ὅτως.

Deinde ablegat Imperator Principes pro arbitrio, qui ſimul cum Eccleſiaſticis Proceribus deferunt Electionem ad Electum. Electum, inquam, & ab Eccleſia, & ab Imperatore. Si Electus electioni annuat, bene eſt: Si abnuat, eunt ad alterum. Si neque iſte conſentiat, ad tertium ſe conferunt. Si forſan & hic recuſet, rurſus de integro, & velut alio principio ſumpto, ſuffragia ferunt. Poſtquam Electus ſuffragationi aſſenſum præbuit, hunc in modum ab Imperatore renuntiatur.

Γινομένης Ἀναβάθρας ἀπὸ ξύλων εἰς τ ἀρχὴν τ Τρικλίνου, περικεκομένης ἀπὸ βλατίων πορφύρων, ἐφ' ἧς ἵσται θρόνος βασιλικὸς ὁποῖος ἐν τῇ τ βασιλέως στεφανώσει ἔγραπται· ὁ μὲν τρίκλινος ὅλος ἀπηρτισμένος βλατίοις, καθὰ ἐν τῇ τ διακόσμου περιβολῇ δεδήλωται.

Extructa lignea [141] Anabathra ad initium Triclinii, operaque pannis ſericis coccineis, in qua ſtat talis Imperatoris thronus, qualis in ipſius coronatione deſcriptus eſt. Triclinium autem interſepitur pannis ſericis quales in Deſpotæ inauguratione deſcripti ſunt.

C Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν στέμμα ἐκ τὰ λοιπὰ φορῶν καθίζει ἐπὶ τ θρόνου ἐρχόμενος ἐκ τ κελλίου αὐτοῦ· πάντων τ ἀρχόντων παρεσταμένων ἔξω τ ἀπαρεσκμάτος, μὴ τ ὡραϊσμῶν κ φορεμάτων αὐτῶν. ἐκ θρόνου ἱεραρχικοῦ πρόκειται κ τὸ τ Τρικλίνου τρίτον μέρος ἀπὸ τ τοίχου πρὸς τὸν βασιλέα, περικεκομένου ἀπὸ βλατίων χρύσων ὁ ὑποψήφιος πατριάρχης· ὑποψήφιος γὰ μέχρι τοῦτο λέγεται· κ καθίζει ἐπ' αὐτοῦ.

At Imperator ſtemma, & alia ornamenta geſtans, ſedet in throno egreſſus è conclavi ſuo, omnibus Principibus extra ſeptum conſiſtentibus cum ſuis inſignibus, & ornamentis. Poſitoque [142] cæruleo throno circa tertiam Triclinii à pariete diſtantem partem verſus Imperatorem, qui aureis velamentis inſtratus eſt, accedit Electus (eo uſque enim hoc nomine appellatur) & ſedet in eo.

Deinde

Deinde ſublatis Septi velamentis ſurgit uterque; & mox omnes adprecantur multos annos.

Poſthæc non aliquis in ſumma dignitate conſtitutus; puta, vel Deſpota, vel Sebaſtocrator, vel Cæſar, ſiſtit Electum (neque enim iſti Patriarcharum renuntiationibus intereſſe ſolent; hac de cauſa, quia Patriarcha ſedente inſolitum eſt ipſos ſtare. Rurſus fauſta adclamatio Imperatoribus facta, non ſinit, ut iſti ſedeant: Quamobrem non adſunt) ſed ex Principibus dignior & eminentior manu prehenſum ducit ante Anabathram.

Reperto autem intra ſeptum Patriarchali ſceptro, ſive pedo paſtorali, Imperator illud accipit ab aliquo nobilium adoleſcentum qui ſine pileo in aula verſantur, ſtanſque tam ipſe, quam filius ejus, ſi adſit, magna voce ita fatur, *Sancta Trinitas per imperium ab ipſa nobis conceſſum renuntiat te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, novæ Romæ, & Oecumenicum Patriarcham.* Et mox univerſi multos annos adprecantur.

Deinde Patriarcha aſcendens in Anabathram ab Imperatoris manu Dicanicion ſive pedum accipit; dataque ei benedictione ſtatim deſcendit.

Sedentibus igitur utriſque in thronis ſuis fauſta acclamatione tam Imperatorem quàm Patriarcham proſequuntur.

Poſt acclamationem clauſo ſepto Imperator abit in conclave ſuum; Patriarcha autem eques ſe confert ad ſanctam Sophiam, & equus illius operimento ex candido panno ad caput uſque contegitur, quem comitantur Principes, ſuis quique inſignibus ſpectabiles.

Sciendum eſt Patriarcham dum adhuc electus eſt, extra Palatium pedibus incedere, quando ad renuntiationem venit: Poſt renuntiationem ſuam, in Palatio tantùm. Tegunt autem & equum ejus velamento, ut dictum eſt.

Profectus igitur ad ſanctam Sophiam poſt ſuam renuntiationem, ut oſtenſum eſt, epulum init cum Epiſcopis, & Proceribus Eccleſiæ. In ordinatione autem ejus & conſecratione, venit Imperator ad ſanctam Sophiam, ferens conſuetam ſibi in dies ſingulos ſtolam. Ordinatur verò Patriarcha ab Epiſcopo Heracleæ, quia Byzantium olim ad Epiſcopatum Heracleæ ſpectabat.

Scire oportet alios quidem Epiſcopos [143] duplici obſignatione accepta ordinari: ex quibus primam nominant parvam; alteram magnam, quæ eſt ipſa Ordinatio; Patriarcham verò ſolùm unâ ordinari, quandoquidem Imperatoris renuntiatio parvæ obſignationis vicem ſupplet.

Ad eundem modum ſine ulla variatione peragitur aliorum Patriarcharum proclamatio & deſignatio, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum: Quin & Archiepiſcopi primæ Juſtinianæ Achridis, & totius

Εἶτα τ βλαΐων ξ ἀφφεγμάτ@ ἀφεθέντων, ἀίρεται ἀμφότεροι, καὶ πάντες αὐτίκα πολυχρονίζουσι.

Καὶ ὡς τάχ@, οὐκ ἀπὸ τ ἀξιωμάτων ἦς, τυτ' ἔστι ἡ διατότης, ἢ σεβαστοκράτωρ, ἢ Καίσαρ φέρει τ ὑπατίφορον· ἀλλ' ὁ εὐδημόσιν ἔπι τ τῶν πατριάρχου προβλήσει· τῇ αἰτίᾳ, ὅτι ξ πατριάρχου καθημένου ἀνοσιόν ἐστιν ἱστάναι τύτους. πάλιν ὃ τ τῶν βασιλέων ἀφημίας γενομένης οὐκ ἀφεῖται τύτους καθῆσθ. ἀφ' τάχ@ δὲ κ παρεῖσιν, ἀλλ' ἀπὸ τ δεχόντων ὁ κρείττων καὶ ἀφαιρούμεν@ ἐπαίρων ἀφ' χειρός, φέρει τάπην ἐμπροσθεν τ ἀναβάθρας.

Τῦ ἐν πατριαρχικῦ δικανικίου ἐκεῖον ἐν τῷ ῥηθέντι ἀφεγματίῳ διεστολμένου, λαβὼν τῦτο ὁ βασιλεὺς ἀφ' ὑπ@ τ μὴ φορυώτων σκιάδα εὐθέως, ἱστάμενος ὃ τῦ βασιλέως ἐξ ξ ἱδ αὐτῷ, εἰ παρείη ἐκεῖσε, μεγάλῃ φωνῇ λέγει ὕτως. Η ἁγία Τριὰς ἀφ' τ παρ' αὐτῆς δωρηθείσης ἡμῖν βασιλείας προβάλλεταί σε ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως νέας Ρώμης, καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην, καὶ ἔτως αὐτίκα πολυχρονίζουσι πάντες.

Εἶτα ὁ πατριάρχης ὑπὸ τ ἀναβάθρας ἀνελθὼν λαμβάνει τὸ δικανίκιον ἀπὸ τ ξ βασιλέως χειρός· καὶ εὐλογῶν αὐτὸν εὐθὺς καταίρει.

Καθεζόντων ἐν ἑκατέρῳ ὑπὸ τῶν θρόνων αὐτῶν γίνεται ἡ εὐφημία τῶν βασιλέων καὶ ξ πατριάρχυ.

Καὶ ὡς τῆς εὐφημίας κλεισάσης τ ἀφεγματ@, ὁ μὲν βασιλεὺς εἰς τὸ κίλλιον αὐτῦ, ὁ ὃ πατριάρχης ἀπέρχεται, ἱππότης εἰς τ ἁγίαν Σοφίαν, τὸ ἵππον αὐτῦ σκεπασθέντος σαγίσμασι ἐκ πανὸς λευκοῦ μέχρι καὶ κεφαλῆς συναπέρχονται ὃ καὶ οἱ ἄρχοντες μετ' αὐτὸν ἕκαστ ἐπὶ ἵππων ἐσθῆσιν ἐνδεδυμένοι πρόσφορον.

Ἰστέον ὃ ὅτι ὑπάτῳ ἐὰν μὲν καὶ ἱερέως προβληθῆναι ἔχῃ τ ξ παλατίου αὐλῆς πεζεύει· μὴ ὃ τὴν προβλησιν, ἐστὶς σκεπάζουσι ὃ καὶ τ ἵππον αὐτῦ σαγίσμασι, καθὼς εἴρηται.

Ἐπιλθὼν ἐν εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν μὴ τὸ προβληθῆναι, ὡς δεδήλωται, εὐωχεῖται μὴ τ ἀρχιερέων, καὶ τ δεχόντων τ ἐκκλησίας. ἐν ὃ τῷ τ αὐτῦ χειροτονίας καιρῷ ἔρχεται μὲν ὁ Βασιλεὺς εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν, τὴν καθ' ἡμέραν στολὴν φέρων στολήν. χειροτονεῖται ὃ ὁ πατριάρχης ὑπὸ ξ Ἡρακλείας· ἐπεὶ τ Ἡρακλείας διοικήσει ἦν τὸ Βυζάντιον.

Δεῖ ὃ γινώσκειν ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι δεχιερεῖς χειροτονοῦνται σφραγιζόμενοι ἐκ δύο πέρυ. τὴν μὲν πρώτην σφραγῖδα καλοῦσι μικράν. τὴν ὃ δευτέραν, μεγάλην, ἥτις ἐστὶ χειροτονία. ὁ ὃ πατριάρχης χειροτονεῖται μόνον, ἐπεὶ ἡ ξ βασιλέως προβλησις ἀντὶ τ μικρᾶς λογίζεται σφραγῖδ@.

Ὁμοίως καὶ ἀπαραλλάκτως γίνεται καὶ ἡ τῶν ἑτέρων πατριαρχῶν προβλησις, τῦτο Ἀλεξανδρείας, τῦ Ἀντιοχείας, καὶ τῦ Ἱεροσολύμων· ἀλλὰ δὴ καὶ τῦ δεχιεποσκήπτ πρώτης Ἰυστινιανῆς Ἀχρίδ@, καὶ πάσης Βυλγαρίας· ἐπεὶ

ἐπεὶ δευτέρα Ἰουστινιανὴ ἔστιν ἡ Κύπρος, καὶ τρίτη ἡ Καρχηδών. A

Οἱ μὲν πρεσβύτεροι μὴ ἐπὶ τὰς ψήφους αὐτῶν χειροτονούμενοι εὐθὺς τῷ πατριάρχῃ μιᾷ ἡμέρᾳ ἴασι τὴν χειροτονίαν αὐτῶν, ποιοῦντες εὐχὴν ἑκάστου ὑπὲρ τοῦ κρατοῦντος, καὶ ὑποτάσσοντες, ἀπέρχεται πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἀναγινώσκει αὐτῷ τὸν εὐθυδοξίας ἐκεῖνος.

Οἱ δὲ μεγαλοδέξιται καὶ Πρωτοσύγκελλοι, ἀλλὰ δὴ καὶ καθηγούμενοι τῶν ἐντίμων μοναστηρίων, μὴ τὸ τῶν σφενδόνα εὐθὺς τῷ πατριάρχῃ λαβόντες, ἀπέρχονται, καὶ προσκυνήσαι καὶ δῶσι, καὶ λαμβάνουσι τὸ δικανίκιον ἀπὸ τοῦ τοῦ βασιλέως χειρός· καὶ οἱ μὲν ἀρχιερεῖς εἰς προσκύνησιν τοῦ βασιλέως, εἰς εὐρύτας, ἐρχόμενοι μὴ τῶν ἐχόντων μανδύων αὐτῶν πλαγιὰς προσκυνῶσιν αὐτῷ. οἱ δὲ μεγάλοι ἐκκλησίας ἄρχοντες μὴ τῶν ἐπιρριπταρίων, καὶ ἡμαλίων. B

Bulgariæ: Nam ſecunda Juſtiniana eſt Cyprus, tertia Carthago.

Epiſcopi poſtquam electi, & à Patriarcha conſecrati ſunt, conferunt ſe poſt aliquot dies à conſecratione ſua ad Palatium; vota ibi preceſque pro Imperatoribus & ſubjecto populo unuſquiſque facturus, & Imperatorem veneraturus, preceſque legit unuſquiſque eorum, circumſtante aulico comitatu.

144. At Archimandritæ, 145. & Protoſyncelli, ſed & Præfecti venerabilium Monaſteriorum, poſtquam à Patriarcha electi, & cruce ſignati ſunt, abeunt & ipſi ad Palatium, veneranturque Imperatorem, & ab Imperatoris manu ſceptrum ſive pedum accipiunt. Epiſcopi quidem ad honorem Imperatori habendum profecti, ut dictum eſt, venerantur illum Palliis ſuis undulatis induti: Eccleſiæ verò Proceres 146. Epirrhiptariis, ſeu capitum tegminibus, tunicisque ornati.

RITUS ELECTIONIS PATRIARCHÆ CP.
à Turcarum Imperatore obſervatus.

Eundem Patriarcham nominandi & renuntiandi ritum obſervare voluit Mahometes Turcarum Imperator, cum ſtatim poſt captam Conſtantinopolim Patriarcha moreretur. Hæc Georgius Phranzes teſtis oculatus ſigillatim deſcribit Hiſtor. l. 3. c. 19. multaſque renuntiationis ceremonias minutim refert quas Codinus omiſit. Quapropter ipſius verba Latinè huc referre non cenſemus fore ſupervacaneum, cum Græcè nondum ſit editus. His ſimilia de Mahomete leguntur Turco-Græciæ libro 1.

IVſſit, *Mahometes*, ut Patriarcham pro conſuetudine & more ſuo crearent; Vetus enim morti conceſſerat. Tum Epiſcopi qui forte aderant, paucique de Clero, & Laïci, ſapientiſſimum & doctiſſimum Georgium Scholarium etiamnum Laïcum elegerunt, quem & Gennadium mutato nomine nuncuparunt. Erat autem munus & conſuetudo Chriſtianorum Imperatorum ut electo Patriarchæ pedum ſeu virgam paſtoralem auream, lapillis, & margaritis diſtinctam, & electum equum de regio ſtabulo, ſella & phaleris regificè, & ſumptuoſè ornatum, albo & aureo ſtratorio tectum donarent: Et Patriarcha illi inſidens, è palatio toto Procerum collegio ſtipante, cum fauſtis acclamationibus in Patriarchium revertebatur, atque ab Epiſcopis pro lege & more conſecrabatur. Hoc modo è manibus Imperatoris futurus Patriarcha pedum accipiebat: Sedente eo ſuper ſolio Regio, & tota Procerum corona nudis capitibus circumſtante, Magnus Protopapas Palatii benedictionem pronuntiabat, & magnus Domeſticus pſallebat illud, UBI ENIM REGIS PRÆSENTIA, & quæ ſequuntur. Deinde, GLORIA, &c. & Lampadarius ex altero choro, Et nunc, & ſemper, &c. Item, REX COELORUM, &c. Finito autem Tropario, Imperator ſurgens habet in manu dextra pedum: Accedit autem candidatus cujus unum latus Cæſar, alterum Heracleæ Metropolita tegit; Corpus ter coram omnibus inclinat. Deinde ad Imperatorem accedit, & conſueta adoratione illum veneratur: Imperator paulum attollens pedum ait; *Sancta Trinitas quæ mihi imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ delegit.* Atque ita de manibus Imperatoris Patriarcha poteſtatem ſumebat, eique agebat gratias. Deinde Chori pſallebant, AD MULTOS ANNOS DOMINE, idque ter, poſtea *dimiſſionem.* Secundùm hæc Patriarcha cum lampadibus ad atrium deſcendebat, paratumque inveniens equum aſcendebat. Tyrannus ominoſus ut Imperator urbis, Imperatorumque Chriſtianorum imitator, idem facere cupiens, Patriarcham futurum, uti ſecum conſideret ad colloquendum, ac unà epularetur, accerſivit: venientem magno cum honore excepit, longumque cum eo ſermonem habuit, & infinita ſe ei daturum ſpopondit. Ubi tempus fuit è Palatio exeundi, ſurgens Ameras, pretioſumque illi pedum porrigens hortatur accipere, ac volente, nolente Patriarcha, cum ad extremum uſque Palatii deducit, & in equum eo modo quo diximus ornatum aſcendere jubet. Mandatque inſuper omnibus aulæ ſuæ nobilibus ut ipſum comitentur. Ita hi præcedentes, illi ponè ſequentes ad venerandà Apoſtolorum ſepta cum deducunt; quod templum Ameras in Patriarchium donaverat.

IN

GABRIELIS PHILADELPHIÆ METROPOLITÆ LIBELLUM DE SACRAMENTO ORDINIS ADNOTATIO.

QUis fuerit author ille, quæ ſcripſerit, quando vixerit, & quando edita fuerint illius opera, ediſſeruimus in volumine de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ cui libellum inſeruimus quem de Pœnitentiæ Sacramento compoſuit. Ut in illo opere, ſic & in hoc ſeſe demonſtrat Theologiæ Scholaſticæ non ignarum, ſtylumque affectat Scholaſtico non diſſimilem. Tractatus eſt breviſſimus ſumma tangens tantùm rerum faſtigia. Quemadmonum de culmo ſpica judicatur, ſic de paucis quæ attingit facilè demonſtratur eandem eſſe Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis de Sacramento Ordinis & ejus partibus ſententiam: Si quæ differentia eſt, eam ad uſum & praxim, non ad doctrinam, multò minus ad fidem ſpectare. Quædam peccare videtur author iſte partim Theologiæ Scholaſticæ ignorantia, partim nimia antiquitatis affectatione; Sed eorum Lectorem in Adnotationibus admonebimus.

GA-

ΤΟΥ

ΤΑΠΕΙΝΟΥ ΜΕΤΡΟΠΟΛΙΤΟΥ

Φιλαδελφείας Γαβριήλ, Ἐπισκόπου καὶ ἐξάρχου πατριαρχικοῦ συνοδικῶν τῆς ἁγίας καὶ ἱερωτικῆς μυστηρίου, ἀφαιρεθέντος ἐκ τῶν αὐτοῦ πεπονημένων συνοδικῶν τῆς ἑπτὰ καὶ ἐκκλησιαστικῶν μυστηρίων.

GABRIELIS

HUMILIS PHILADELPHIÆ METROPOLITÆ,

Procuratoris & 147. Exarchi Patriarchici libellus de ſancto Sacerdotii Sacramento, ex iis exemptus quos de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis elaboravit.

A

DE ORDINE SACERDOTII in quo hæc tractantur.

1. QUid eſt ſacer Ordo. 2. Unde ſacer Ordo. 2. Quantitas ordinis, & illius qualitas. 4. Quæ ejus materia. 5. Quæ forma. 6. Quis illius effectus, & quænam uniuſcujuſque ordinis proprietas.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΑΞΕΩΣ τῆς ἱερωσύνης.

α'. Τί ἐστιν ἡ ἱερωσύνη. β'. πόθεν ἱερωσύνη. γ'. ἡ ποιότης τῆς τάξεως καὶ ποιότης αὐτῆς. δ'. τίς ἡ ὕλη αὐτῆς. ε'. τί τὸ εἶδος. ς'. καὶ τί τὸ ἔργον, καὶ τὸ ἴδιον ἑκάστου τάγματος.

B

De hoc, quid eſt Sacerdotium.

CAPUT. I.

148 SAcerdotium eſt Ordo divinus myſterii ſenſibilis, virtutem habens ſpiritualem ab hominibus maſculis adminiſtratus, à ſervatore noſtro pro hominum ſalute & auxilio traditus.

Περὶ τοῦ τί ἐστιν ἱερωσύνη.

ΚΕΦΑΛ. α'.

148 ΙΕρωσύνη ἐστὶ τάξις θεία μυστηρίου αἰσθητοῦ, δύναμιν ἔχουσα πνευματικὴν ὑπὸ ἀνδρῶν ἀνθρώπων ἐνεργουμένη ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας καὶ βοηθείας, παρὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν παραδεδομένη.

C

De hoc, unde Sacerdotium.

CAPUT. II.

149 SAcerdotium dicitur ab ἵημι quod ſignificat mitto. Sacerdotes enim ſacrificia & oblationes ſurſum mittunt Deo. Vel ab ἱερεύω, ſacra facio. Sacrifico.

Περὶ τοῦ πόθεν ἱερωσύνη.

ΚΕΦΑΛ. β'.

149 ΙΕρωσύνη λέγεται παρὰ τὸ ἵημι τὸ πέμπω. οἱ γὰρ ἱερεῖς τὰς θυσίας ἀναπέμπουσι τῷ θεῷ. ἢ παρὰ τὸ ἱερεύω, τὸ θύω.

A

Περὶ τ̃ ποσότητ⊙ τ̃ αὐτ̃ς τάξεως.

ΚΕΦΑΛ. γ'.

ΕΠτά εἰσιν αἱ τάξεις τ̃ ἱεροσυνής. α'. ἡ πρώτη τ̃ πυλωρ⊙ῦ, καὶ ἀκολούθων. β'. ἡ τ̃ ἐξορκιστ⊙ῦν γ'. ἡ δ' ἀναγνώστ⊙υ. δ'. ἡ τ̃ ὑποδιακόνων ε'. ἡ τ̃ ἱεροδιακόνων. ς'. ἡ τ̃ ἱερέων. ζ'. ἡ τ̃ ἀρχιερέων, ἐ ἐπισκόπων.

Τοῦτον τ̃ ἀριθμὸν ὡς ἀρχαῖον ἴσμεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὁ ἅγι⊙ μάρτυς Ἰγνάτι⊙ ἐν τ̃ αὐτ̃ ἐπιστολαῖς, καὶ τῇ πρὸς Ἀντιόχ⊙υ ταῦτά φησι. ἀσπάζομαι ἱερεῖς διακόνους, ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωρούς, ἐξορκιστάς, καὶ τοὺς λειτουργούς.

Ἓν ὁ δέκατ⊙ κανὼν τ̃ ἐν Ἀντιοχείᾳ συνόδ⊙υ φησὶ, μὴ ἐξεῖναι τ̃ χωρεπισκόπῳ χειροτονεῖν διάκονον ἢ πρεσβύτερον, ἀλλὰ μόνον ἀναγνώστας καθιστᾶν, ὑποδιακόνους, ἢ ἐξορκιστάς.

Ἐπὶ μνημονεύ⊙υσι καὶ ἑνὸς τ̃ ἐρημούσης τάξεως ἡ τρίτη διάταξις τῶν παρ' ἡμῖν τ̃ αὐτοκράτορ⊙ς Ἰουστινιανοῦ, ἵνικα τ̃ τῆς πλήρους ποσότητα τ̃ μεγάλης ἐκκλησίας ὁρισάτω, ἐπεῖα καὶ ποίαν εἶναι ἐφείλ. διό φησι. βουλόμεθα μὴ πλείονας μὲν ἑξήκοντα πρεσβυτέρων καὶ τ̃ ἀγιωτάτων ἐκκλησιῶν εἶναι. διακόνους δ' ἑκατὸν ἐκλεγὲν, ὑποδιακόνους ἑξηκοντα, ἀναγνώστας ἢ ἑκατὸν δέκα, καὶ ψάλτας εἴκοσι πέντε, ἐ ἑκατὸν πρὸς τούτοις τ̃ καλυμμένων πυλωρῶν.

Ἔτι καὶ ὁ δ'. κανὼν τ̃ ἐν Τρούλλῳ συνόδ⊙υ οἰκουμενικ̃ς, ἥτις φησὶν, ἐπίσκοπ⊙ς, ἢ πρεσβύτερ⊙ς, ἢ διάκων, ἢ ὑποδιάκων, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, ἢ θυρωρὸς, γυναῖκα ἀφιερωμένην θε῀, καὶ τὰ λοιπά.

De quantitate & numero ejuſdem Ordinis.

CAPUT III.

SEptem ſunt ordines Sacerdotii. 1, Primus eſt Janitorum, & Acolythorum. 2. Exorciſtarum. 3. Lectoris. 4. Subdiaconorum. 5. Sacrorum Diaconorum. 6. Sacerdotum. 7. Principum Sacerdotum, ſive Epiſcoporum.

Hunc numerum antiquum eſſe in Eccleſia teſtatur Sanctus Martyr Ignatius in Epiſtolis ſuis. In Epiſtola ad Antiochum hæc dicit. B Saluto ſacros Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Pſaltas, Janitores, Exorciſtas, & reliquos.

Præterea ſeptimus canon Synodi Antiochenæ ait, non licere Chorepiſcopo Diaconum vel Presbyterum ordinare, ſed ſolum Lectores conſtituere, Subdiaconos, & Exorciſtas.

Ampliùs, quoſdam iam dicti ordinis commemorat tertia conſtitutio Novellarum Juſtiniani Imperatoris, cum quantitatem Cleri magnæ Eccleſiæ definit, qualis, quantáve eſſe debeat. Ideo, inquit, conſtituimus Pres- C byteros Eccleſiæ magnæ plures ſexaginta non eſſe; Diaconos mares centum, Subdiaconos nonaginta, lectores centum & decem, & cantores viginti quinque: & centum his accedant eorum qui Janitores dicuntur.

Inſuper & quartus canon Synodi Occumenicæ in Trullo, quæ ſic ait, Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Janitor mulierem conſecratam Deo, & reliqua.

D

Περὶ τ̃ ὕλης τ̃ ἱερατικ̃ τάγματ⊙ς.

ΚΕΦΑΛ. δ'.

ΚΑὶ ἡ μὲν ὕλη τ̃ ἱερατικ̃ τάγματός ἐστιν ὁ ἅγι⊙ ἄρτ⊙ς, καὶ ἡ τ̃ ἱερῶν σκευῶν ποσότης, καὶ τὰ λοιπὰ ἑκάστ⊙υ τάγματ⊙ς, ὡς ἔθ⊙ς τ̃ ἐγκειμένου, οὓ τοῦτο λαμβάνοντες κανονικῶς.

De materia ſacrati Ordinis.

CAPUT IV.

MAteria quidem ſacrati Ordinis ſanctus eſt panis, & ſanctorum vaſorum quantitas, & cætera uniuſcujuſque ordinis, ut fert conſuetudo. Subjectum verò ſunt, qui illum ordinem canonicè ſuſcipiunt.

Περὶ τ̃ ἰδίου ἐστὶ τὸ ἔργον, καὶ ἡ πρᾶξις ἑνὸς ἑκάστ⊙υ τάγματ⊙ς.

ΚΕΦΑΛ. ε'.

ΤΟῦ μὲν ἐπισκόπ⊙υ τὸ ἔργον ἐστὶ τὸ διδάσκειν, τὸ βαπτίζειν, τὸ λύειν, καὶ δεσμεῖν τὰς τ̃ ἀνθρώπων ἁμαρτίας, καὶ τὸ χειροτονεῖν τοὺς λοιποὺς τ̃ ἐκκλησίας ἅπαντας βαθμούς.

Ταῦτα γὰρ ἁμέσως ὁ κύρι⊙ς τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις παρέσχεν, δι' ὧν οἱ ἀνὰ πᾶσαν χειροτονη-

E

De hoc, Quale eſt opus & effectus uniuſcujuſque ordinis.

CAPUT V.

EPiſcopi opus & officium eſt, docere, baptizare, ſolvere & ligare hominum peccata; atque ordinare & conſecrare reliquos omnes Eccleſiæ gradus.

Hæc omnia immediatè Sanctis Apoſtolis Dominus conceſſit: per quos qui ſunt in univerſa

niverſa terra ordinati Epiſcopi gratias & poteſtatem hanc acceperunt, ſicut S. Clemens Romanus Epiſcopus ab Apoſtolorum Coryphæo Petro; & Sanctus Titus Cretæ Epiſcopus à Sancto Paulo: cæteri quoque Sancti Apoſtoli alios Epiſcopos in aliis ordinarunt civitatibus.

Quod autem Dominus hæc Apoſtolis demandaverit, audi ſacrum Matthæum dicentem, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæ præcepi vobis.

Et Sanctus Joannes, inſufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Sacerdotibus autem ab iis qui eos ordinaverunt data eſt poteſtas ſacro modo immaculata myſteria operari, eaque cum fidelibus communicare, prout requirit ordo, & ſanctæ Eccleſiæ officium.

152. Diaconis autem conceſſa eſt in Ambone ſacri Euangelii lectio.

Subdiaconis verò Sanctorum vaſorum & ſacrorum ornamentorum præparatio, & exornatio, horumque conſervatio, & cura.

Lectoribus autem Apoſtoli lectio data eſt.

Exorciſtis facultas malos Spiritus adjurandi gratioſè donata eſt.

Janitoribus denique ſacrarum templi portarum introitus demandatus eſt: Qui quidem excommunicatos & Hæreticos à Sanctis portis expellunt, Orthodoxos verò & benedictos admittunt; ſicut fecerunt Chryſoſtomus & Ambroſius, quorum hic Theodoſium Imperatorem, ille vero Eudoxiam Auguſtam ab Eccleſia eliminarunt, & in templum ingredi nullo modo conſenſerunt.

Verumtamen ſciendum eſt, Epiſcopum Dei univerſorum conditoris locum tenere, Presbyterum autem Chriſti, cæteros Sanctorum Angelorum.

ET ALITER.

EPiſcopi nomen genericum eſt. Prædicatur enim de Patriarcha, de Metropolita, & de Epiſcopo, ut diſcere licet in actis Sanctarum & univerſalium Synodorum: Primam dico, & ſecundam, cæteraſque.

Sciendum eſt Patriarcham ſic vocari, eo quod ſit Princeps & Dux Patrum qui ſub ejus ditione continentur, Metropolitarum videlicet, Epiſcoporum, Abbatum, & cæterorum.

Metropolitæ autem dicuntur Archiepiſcopi. Metropolitæ dicuntur, velut urbium matres quas nutrire & educare debent ſpiritualiter & politicè. Spiritualiter equidem per doctrinæ ſanitatem, vitæ probæ, & Sanctorum morum exemplum. 153. Politicè verò per reditus & Provinciæ penſiones ſecundum 38, & 41.

A ἡνῖς ἐπίσκοποι τὰς χάριτας καὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἔλαβον, ὡς ὁ ἅγιος Κλήμης τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος φησὶ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, καὶ ὁ ἅγιος Τίτος τῆς Κρήτης ἐπίσκοπος φησὶ τοῦ ἁγίου Παύλου, καὶ οἱ ἄλλοι τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἄλλους ἐν ἄλλαις ἐχειροτόνησαν ἐπισκόπους.

Οὓς μὲν ὁ κύριος ταῦτα τοῖς ἀποστόλοις ἐπιτρέψαι, ἄκουσον τοῦ ἱεροῦ Ματθαίου λέγοντος· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.

B Καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης, ἐνεφύσησε, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον· ἄνθρωπων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατήσητε κεκράτηνται· τοῖς δὲ ἱερεῦσιν ἐδόθη ἐξουσία ὑπὸ τῶν αὐτοὺς χειροτονησάντων τὸ ἱεραρχεῖν τὰ ἄχραντα μυστήρια, καὶ τὸ μεταδιδόναι αὐτὰ τοῖς πιστοῖς, καθὼς ἡ τάξις, καὶ ἡ ἀκολουθία ἀπαιτεῖ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας.

Τοῖς δὲ ἀναγνώσεις, ἡ τοῦ ἱεροῦ Εὐαγγελίου ἐπιδόθη, ἀνάγνωσις ἐπ' ἀμβωνος.

Τοῖς δὲ ὑποδιακόνοις, ἡ τῶν ἁγίων σκευῶν, καὶ τῶν ἱερῶν στολῶν παρασκευή τε καὶ διατήρησις, καὶ ἡ τήρησις τούτων, καὶ ἡ ἐπιμέλεια.

C Τοῖς δὲ ἀναγνώσαις, ἡ τοῦ ἀποστόλου ἀνάγνωσις ἐπιδόθη.

Τοῖς δὲ ἐξορκισταῖς ἡ τοῦ ἐξορκίζειν ἐξουσία ἐδωρήθη καὶ τῶν πονηρῶν πνευμάτων.

Τοῖς δὲ πυλωροῖς, ἡ τῶν ἱερῶν καὶ ναοῦ πυλῶν εἴσοδος ἐνεχειρίσθη· οἱ τοὺς μὲν ἀφορισμένους καὶ αἱρετικοὺς τῶν ἁγίων πυλῶν ἐξωθοῦσι, τοὺς δὲ ὀρθοδόξους καὶ εὐλογημένους εἰσδέχονται· καθὼς καὶ οἱ περὶ τὸν Χρυσόστομον καὶ Ἀμβρόσιον ἐποίησαν· ὧν ὁ μὲν τὸν αὐτοκράτορα Θεοδόσιον, ἡ δὲ τὴν Αὐγοῦσταν Εὐδοξίαν τῆς ἐκκλησίας ἐξώρισαν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὸν ναὸν ὅλως οὐ κατεδέξαντο.

Πλὴν ἰστέον ὅτι ὁ μὲν ἐπίσκοπος τύπον ἔχει τοῦ ὅλου θεοῦ, ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ Χριστοῦ, οἱ δὲ λοιποὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.

ΚΑΙ ΑΛΛΩΣ.

ΤΟ τοῦ ἐπισκόπου ὄνομα ἡμικὸν ὄνομά ἐστι. κατηγορεῖται γὰρ καθ' πατριάρχου, καθ' μητροπολίτου, καὶ κατ' ἐπισκόπου, ὡς ἔξεστι μαθεῖν ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων· πρώτην τε φημὶ, καὶ δευτέραν, καὶ τῶν λοιπῶν.

Ἰστέον δὲ ὅτι ὁ πατριάρχης λέγεται πατριάρχης ὡς ἀρχὴν τῶν ὑπ' αὐτὸν πατέρων ἤγουν μητροπολιτῶν, ἐπισκόπων, ἡγουμένων, καὶ τῶν λοιπῶν.

Οἱ δὲ μητροπολῖται λέγονται ἀρχιεπίσκοποι. Λέγονται μητροπολῖται, ὡς μητέρες τῶν πόλεων, ἃς τρέφειν ὀφείλουσι καὶ πνευματικῶς καὶ πολιτικῶς. πνευματικῶς μὲν, διὰ τῶν διδαχῶν, καὶ τῆς ζωῆς, καὶ τῶν ἁγίων ἠθῶν αὐτῶν. πολιτικῶς δὲ, διὰ τῶν εἰσοδημάτων, καὶ φόρων

τῆς ἐπαρχίας κ τ λή. καὶ μά, τῶν ἁγίων ἀποστόλων κανόνα. λέγουσι γὰρ ἐκεῖ οἱ ἅγιοι· πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς θεοῦ ἐφορῶντος.

A canonem Sanctorum Apostolorum. Illic enim dicunt Sancti: Rerum omnium Ecclesiasticarum curam habeat Episcopus, easque ut Deo inspiciente gubernet.

Λέγονται δὲ ἀρχιεπίσκοποι, ὅτι εἰσὶν ἀρχὴ τῶν ὑπὸ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν ἐπισκόπων· οἷς ὁ κύριος, καὶ τὴν χειροτονίαν παρέχουσιν κ τ λ. κανόνα τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου. λέγονται δὲ ἐπίσκοποι ἀρχιερεῖς, καὶ ἀρχαὶ τῶν ἱερέων, ὅς ἐστι χειροτονεῖν ἀκωλύτως. εἰσὶ δὲ καί τινες ἐπίσκοποι, οἵτινες ἐπωνήσαντο παρὰ τῶν πάλαι βασιλέων, τὸ καλεῖσθαι ἀρχιεπίσκοποι, εἰ καὶ ὑπ' αὐτοὺς ἐπισκοπὰς ἄλλας οὐκ ἔχουσι τὸ ἀρχιεπισκοπεύειν.

Dicuntur autem Archiepiscopi, eo quod principatum obtineant Episcoporum qui sub eorum sunt Provincia, quibus & autoritatem præbent & ordinationem secundum, 25. Canonem Concilii Chalcedonensis. Dicuntur autem Episcopi, Principes Sacerdotum, atque etiam eorum Rectores, sive Magistratus quos ordinandi integra & plena est illis facultas. Sunt item & quidam Episcopatus, qui olim ab Imperatoribus obtinuerunt ut Archiepiscopatus vocarentur, licet sub se alios Episcopatus non haberent in quos Archiepiscopi jure uterentur.

IN

IN NOTITIAM SEQUENTEM,
Dignitatum, Officiorum, & Miniſteriorum Eccleſiæ Magnæ Conſtantinopolitanæ.

PRÆFATIO.

IAM elapſus eſt annus decimus tertius, cum Toloſæ aliquot dies commoratus, Bibliothecam Illuſtriſſimi & eruditiſſimi Præſulis D. de Montchal, dum viveret Archiepiſcopi Toloſani, libris manuſcriptis, & editis, raris & pretioſis copioſam ſtudioſè luſtravi. Inter cæteros autem libros quibus abundat, incidi in codicem Græcum varia opuſcula continentem, partim edita, partim non edita, in quo hanc officiorum Eccleſiæ magnæ Notitiam deprehendi. Ea perlecta, dignam judicavi quam exſcriberem, præſertim illo tempore quo nondum plures aliæ è ſitu & tenebris erutæ fuerant, quæ paucis poſt annis prodierunt. Duæ tum publicæ tantùm erant, una in fine lib. 4. Juris Orientalis; ſed ea officiorum ſola nomina ſine ulla explicatione continet. Altera apud Codinum amplior & explicatior. Verùm iſthæc quam nanciſcebar, erat Codinianâ, præſertim in majoribus officiis, expreſſior & diffuſior. Præterea nonnulla officia in una omittebantur, quæ alia ſupplebat, & enarrabat; ideo ſibi mutuum auxilium præſtare poterant. Aliquot poſt annos ſex alias è variis Bibliothecis decerptas vir unus in lucem emiſit, Jacobus Goartius familiæ Dominicanæ eruditiſſimus Sacerdos; hoc anno 1653. magno cum literarum Græcarum Eccleſiaſticarum incommodo, è vivis ad cœlites ſublatus: Tres in Euchologio Græco Latino, tres in notis ad Codinum typis regiis editum. Habemus inſuper lib. 5. juris Orientalis Joannis Epiſcopi Citri reſponſum quæſtioni illi factæ de ordine & dignitate officiorum Eccleſiaſticorum, in quo iſta breviter explicat. Denique Exercitatione, 16. hujus operis fusè agimus & diſſerimus de antiquis & præcipuis Eccleſiarum Epiſcopalium officiis & dignitatibus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Oeconomo, Chartophylace Exocatacœlis, Defenſoribus.

Quapropter omni explicatione iſtorum Eccleſiæ Græcæ officiorum ſupersedemus; Notitiam Græcam ut in eam incidimus, ſed Latinè tranſlatam, dare contenti. Officia principalia quæ ex antiquis autoribus illuſtrari poſſunt, jam exegimus. Cætera ab ipſa Notitia explicantur. Si quis plura cupit, fontes è quibus hæc hauriri poſſunt, indigitavimus; ſed his apertis & luſtratis vix ditior quàm è ſola noſtra Notitia redibit. Variantes lectiones in margine adnotavimus deſumptas ex tertia Notitia Euchologio inſerta, quæ noſtræ Notitiæ admodum ſimilis eſt. Illius ope nonnulla Amanuenſis manifeſta πάρεργα correximus. Occurrunt aliquando, præſertim verſus finem, verba ex Græcorum Neotericorum dialecto petita quorum difficiliora ſecundum numerum adjectum in adnotationibus explicamus. In Notitia illa ante officiorum explicationem ſcriptus erat Officiorum Index quo omnia in duos choros diſtribuebantur, dextrum & ſiniſtrum; dextrum in tres quinarios; ſiniſtrum nulla diſtributione facta continua ſerie enumerabat. De his poſterioribus in fine indicis ita adnotabatur, οὐ τάσσονται ἐν τῇ ἐκκλησίαν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἀλλὰ ὀφφίκια εἰσι, καὶ μόνα *Iſta non ponuntur in ordine dignitatum magnæ Eccleſiæ, ſed ſolum ſunt officia.* Notabit autem Lector iſtius Notitiæ autorem in explicatione uniuſcujuſque officii ſeu dignitatis nuſquam Patriarchæ mentionem facere, ſed Epiſcopi tantum, licet initio ſibi propoſuerit explicandas magnæ Eccleſiæ dignitates, & tot dignitates, & miniſteria magna Eccleſia complectatur

EPMH·

ΕΡΜΗΝΕΙΑ ΤΩΝ ΟΦΦΙΚΙΩΝ
ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ.

EXPLICATIO OFFICIORUM
SANCTÆ ET MAGNÆ ECCLESIÆ.

ΓΙΝΩΣΚΕ ὃ τῶπ, ὅτι εἴπε δ' ἂν ἔχῃ A
*ταύτας δπὸ τὰς τρεῖς σφραγῖδας, * πρῶτα ἐμ-
πορεῖ καὶ σταθῆ εἰς οἶον ἐφφίκιον θελεῖ καὶ κλη-
ρικὸν οἷον ἀναγνώστ, ὑποδιακόνου δ' ἱερο-
διακόνου· ὁμοίως ὁ δ' ἀρχιδιάκονος, καὶ ὁ δευ-
τερεύων τῶν διακόνων.

οὐκ ὀφείλῃ γὰρ εἶναι τὸν ἱερέα κληρικὸν διότι
τοῖς ἱερεῦσιν ἔταξεν ὁ κάνων ἱερουργεῖν τὴν ἀναί-
μακτον θυσίαν, καὶ οἰκέτης τοῦ ἀρχιερέως μὴ
εἶναι· τὰ γὰρ ἀξιώματα καὶ ἐφφίκια τῆς ἁγίας
ἐκκλησίας εἰς ὑπηρεσίαν τοῦ ἀρχιερεῖ γεγόναστι
καὶ εἰς κρίσεις τῶν ἐν βίῳ πραττομένων. καὶ B
*διερμη- * διερμηνεύομεν τὴν τάξιν ἕν ἕκαστον τὴν αὐτὴν
νεύονται ἐνέργειαν καὶ ὑπηρεσίαν.

ὁ μέγας οἰκονόμος φέρων τὸ Σπιτάριον
αὐτοῦ, καὶ ἵσταται ἐν τῇ δεξίᾳ μερίδι τῆς ἁγίας
τραπέζης ὅταν λειτουργεῖ ὁ ἀρχιερεύς, βαστῶν
τὸ ἅγιον ῥιπίδιον, λαμβάνων δὲ εἰσόδους τε καὶ
ἐξόδους, καὶ λογαριασμοὺς ἐν τῇ ἐπισκοπῇ.
ἔστιν οὖν καὶ ὅτι πᾶν κτῆμα, κρατοῦν καὶ χαρ-
τοφυλάττειν, καὶ ἀναφέρῃ τοῦ ἐπισκοποῦ αὐτοῦ εἰσ-
ερχόμενα πράγματα· καὶ δίς τὸν ἑαυτὸν
ἀναφέρῃ τοῦ ἀρχιερεῖ. ἔστιν οὖν καὶ εἰς κρίσεις C
παρόφειλον καὶ τὸν μέλλοντα χειροτονηθῆναι ἱε-
ρέα. ἐπιτροπεύει καὶ τὴν ἐπισκοπὴν ἕως τοῦ
παρέλθοσιν τὸν ἀρχιερέως, μέχρις ἐλθόπως τὸν
ἐρχόμενον ἔστιν οὖν καὶ εἰς ψῆφον τοῦ ἐπισκό-
που περὶ τοῦ μέλλοντος, *καὶ τοῖς δικαιώμασι
*τὰ δι- τοῦ; ἀδελφοῦ αὐτοῦ τὰ εἰσερχόμενα δίκαια τοῦ
καιώμα- τα ἐπισκοπῆς

ὁ μέγας σακελλάριος φορεῖ τὸ Σπιτάριον
αὐτοῦ καὶ τὸ ὡράριον, ἵσταται ἐν τῷ δεξιῷ
μέρει τῆς ἁγίας τραπέζης, βαστῶν τὸ ἅγιον ῥι-
πίδιον· ἔχων οὖν καὶ τὰ μοναστήρια τὰ ἀνδρεῖα
τῆς ἐπισκοπῆς εἰς τὸν αὐτοῦ ἐπίτροπον· κρα-
τῶν χαρτυλλάριον, καὶ ἀναφερῇ τὰς τῶν μο- D
ναστηρίων εἰσόδους καὶ ἐξόδους, βίους καὶ πολιτείας
τῶν μοναχῶν. καὶ τρεῖς τοῦ ἑαυτὸν ἀναφέρῃ τοῦ
ἀρχιερεῖ ἔστιν οὖν καὶ εἰς κρίσεις, *παρο-
*παρο- φείλοντα ὄντα καὶ τὸν μέλλοντα χειροτονηθῆναι εἰς ἱε-
φείλων ρέα, σημαίνων πλησίον τοῦ μεγάλου οἰκονό-
μου.

HOc autem primùm ſcito, quod ſi quis acceperit [illegible] tria ſigilla, ſive Crucis ſignia, iis poterit uti in quocunque voluerit officio, & in Clericatu, veluti Lectoris, Subdiaconi, & Diaconi. Similiter & Archidiaconus, & Diaconorum ſecundus.

Sacerdos enim Clericus eſſe non debet: Eo quod juſſit Canon Sacerdotes ſacrificare incruentam Hoſtiam, & Pontificis Miniſtros non eſſe. Dignitates enim & officia Sanctæ Eccleſiæ in miniſterium Pontificis, & ad dirimendas lites quæ in vita quotidiana contingere ſolent, inſtituta ſunt. Uniuſcujuſque poteſtas & miniſterium ordine explicantur.

Magnus Oeconomus Stichario ſuo, ſeu tunica indutus, conſiſtit à dextra parte Sanctæ menſæ cum ſacris Pontifex operatur, ſanctumque flabellum manu tenet. Excipit quoque reditus ad Epiſcopatum ſpectantes, & expenſarum, [illegible] ratiociniorumque curam habet. Præponitur igitur adminiſtrationi omnium poſſeſſionum, habetque ſub ſe Chartularium qui deſcribit annuos Epiſcopii reditus, & de iis bis quotannis ad Epiſcopum refert. Præficitur etiam judiciis dicendis, & eum qui ordinandus eſt Presbyter Epiſcopo præſentat. Adminiſtrat inſuper Epiſcopatum poſt Epiſcopi mortem, donec alius adveniat. Primus fert ſuffragium in electione Epiſcopi. Denique unicuique fratrum ſuorum debitos fructus ex reditibus Epiſcopatui obvenientibus ex æquo diſtribuit.

Magnus Sacellarius geſtans Stichárium & Horarium ſtat ad ſiniſtrum latus ſanctæ menſæ, manuque tenet ſanctum flabellum. Solicitudo Monaſteriorum virilium Epiſcopatus ipſi demandatur. Habet ſibi miniſtrantem Chartularium. Cenſus & expenſas Monaſteriorum [illegible] examinat, & invitam diſciplinamque Monachorum inquirit, & de his ter unoquoque anno ad Epiſcopum refert. Adeſt quoque judiciis dicendis, & ſtans magno Oeconomo proximus; ordinandum in Presbyterum præſentat Epiſcopo.

Magnus

Magnus Scevophylax, ſeu vaſorum cuſtos, cum Miſſam celebrat Epiſcopus, ſtat ante Sacriſtiam, ut ſi aliqua re in ſacro operando opus eſt, è Sacriſtia depromat, ſive vas, ſive ſacrum librum, ſive cereos, ſive veſtes. Promptuarium enim omnium vaſorum & ornamentorum Eccleſiæ ipſius curæ & fidei commiſſum eſt. Eccleſiæ quoque viduatæ, & ipſarum ſacra omnia ipſius ſolicitudini creduntur. Judiciis etiam faciendis adhibetur. Cenſus Eccleſiaſticos unicuique Clerico obvenientes conſervat, donec eos diviſerint, & diſtribuerint. A

Ο μέγας Σκευοφύλαξ ἑστὼς ὅταν λειτουργεῖ ὁ ἀρχιερεὺς ἔμπροσθεν τοῦ σκευοφυλακίου· καὶ εἴτι δ' ἂν χρειασθῇ ἐκ τοῦ σκευοφυλακίου, εἴτε δισκάριον, εἴτε σκεῦος, ἢ βιβλίον ἱερὸν, ἢ κηρους, καὶ ἁλλαχοῦ· ἐπιτροπεύει τῶν σκευοφυλακίων τὸ ἐπισκοπῆς, καὶ πᾶν σκεῦος τὸ ἐκκλησίας· ἔχων ἢ καὶ τὰς χηρευούσας ἐκκλησίας εἰς τὴν αὐτοῦ διάκρισιν, καὶ τὰ ἱερὰ αὐτῶν πάντα. ἔστι ἢ καὶ εἰς κρίσεις. Φυλάττων δὲ τὰ δίκαια τῶν ἱερατικῶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν μέχρι τῶν πλειόνων, μέχρι οὗ διαιρέσιν αὐτὰς τοῦτο.

Chartophylax veſtit ſe, & ſtat prope ſanctas portas; cumque ſanctæ Communionis tempus advenit, ipſemet dicit, *Sacerdotes accedite.* Offert quoque Patriarchæ ſuffragium Epiſcopis. Adſtat & vice Epiſcopi omnibus judiciis ut proferatur ſententia. Adeſt quoque ſponſalium celebrationi, Arrhabonis & annuli donatione ab ipſo facta, quam poſtea deſcribit, Sacerdote deinceps nuptiis benedicturo. B

Ο Χαρτοφύλαξ, ἀλλάσσει καὶ ἵστησι πλησίον τῶν ἁγίων θυρῶν, καὶ ἐν τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει αὐτὸς λέγει, ἱερεῖς προσέλθετε. προσφέρων καὶ τὸ ψῆφον τοῦ ἐπισκόπου τοῖς ἀρχιερεῦσιν. ἔστι ἢ ἐκ προσώπου τοῦ ἐπιχειρεῖν εἰς πᾶσαν κρίσιν, διδόναι τὰς ἀποφάσεις. ἔστιν ὅτε ἐκ προσώπου τοῦ ἐπισκόπου εἰς μνηστείας, ἀρραβῶνας γαμικοὺς ἐπ' αὐτοῦ, καὶ ἀναγορεύει τοῦ ἱερέως τοῦ μέλλοντος εὐλογῆσαι τὸν γάμον.

Sacello Præpoſitus miniſter eſt quinti quinarii. Epiſcopi carcerem habet curæ ſuæ commiſſum, & mulierum Monaſteria adminiſtrat.

Ο Σακελλίου ἐστὶν εἰκότως ὁ πρῶτος πνευματικῶν, κρατῶν καὶ τὴν φυλακὴν τοῦ ἐπισκοπῆς ἔχων ὅτε ἐν τῇ ἐπισκέψει αὐτοῦ τῶν γυναικείων μοναστηρίων τὸ σκέψιν.

C

Primus Officiorum quinarius hæc continet.

Οὗτος πρώτη ἡ α' πεντὰς τῶν ὀφφικίων.

PRotonotarius ſtat in Eccleſia ut Epiſcopo miniſtret, [119.] tenens calamarium ſuum, & atramentum, ipſique præſto eſt, ut ſcribat ſi qua re opus fuerit. Examinat legum peritos, ſcribit teſtamenta, manumiſſiones, mandata, & his ſimilia.

Ο Πρωτονοτάριος ἵσταται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰς ὑπηρεσίαν τοῦ ἀρχιερέως, κρατῶν τὸ καλαμάριον αὐτοῦ. παρίσταται ἔμπροσθεν τοῦ ἀρχιερέως καὶ γράφει ὅ τι οὖτος εἴπῃ χρεία ἐστίν. ἀναγινώσκει καὶ τοὺς νομικοὺς, γράφει καὶ διαθήκας, καὶ ἐλευθερίας, καὶ προστάγματα, καὶ τὰ τούτων ὅμοια.

Caſtrenſius, Pontificem veſtit, thuribulum tenet, & velum, aërem vocatum, dum hymnus Sanctæ Trinitatis cantatur. Populum rore aquæ benedictæ aſpergit, [160.] & veſtium Pontificis cuſtos eſt. D

Referendarius ad Principes, viroſque magnos ad Epiſcopi ſecreta quædam indicanda, & quidquid libuerit, mittitur.

Ο καστρήσιος, ἀλλάσσων τὰ ἀρχιερέα, κρατῶν καὶ τὸν θυμιατὸν, καὶ τὸν αἶερα ἐν τῷ ὕμνῳ τῆς τριαδικῆς· ῥαντίζων καὶ τὸν λαὸν τοῦ ὁρίου· φυλάττων ὅμως καὶ τὰ ἅλλα σκεύη τοῦ ἀρχιερέως.

Ο Ρεφερενδάριος ἀποστέλλόμενος εἰς ἄρχοντας καὶ εἰς μεγάλους ἀνθρώπους ὑπὸ τῶν ἀρχιερέως, μηνύματα, καὶ εἴτι ἂν βούληται ἀποστεῖλαι.

Logotheta bullam ſive ſigillum Epiſcopi tenet, & bullat, ſeu ſigillum imprimit cuicunque ſcripturæ. Tenet quoque in Eccleſia diſcum cum [161.] ſancto antidoro dum in partes confractum ab Epiſcopo diſtribuitur.

Ο λογοθέτης ὑπακροατῶν τοῦ βουλλίου τοῦ ἀρχιερέως βουλλοῦται πᾶσαν γραφὴν, κρατῶν καὶ τὸ δίσκον μὲ τὸ ἁγίου ἀντιδώρου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, * καὶ διδόμενα τοῦ κατὰ μέρος τοῦ ἀρχιερέως. E

* διδόμενον τὸ κατὰ κλασιν.

Commentarienſis Scriba ſedet in electione Epiſcoporum, & ſcribit, ſi quid definierint Epiſcopi. Eſt autem Miniſter ſecundi quinarii.

Ο ὑπομνηματογράφος, καθίζόμενος εἰς τὸ ψῆφον τῶν ἐπισκόπων, καὶ γράφει εἴτι τῶν ὁρίσωσιν οἱ ἀρχιερεῖς. ἔστι ἢ καὶ οἰκέτης τοῦ δευτέρας πεντάδος.

A

Οὕτως πεῖχε ἡ β' πυθὰς τῶν ὀφφικίων.

Ο πρωτέκδικος, κριτὴς ἐκ προσώπου τ ἀρχιερέως, κελεύει ὁ ἐκδοτὴς μικρὰς μὲ τῶν δύο ἐκδίκων τὰς εἰσερχομένας εἰς τὸν ἐπισκοπεῖον.

Ο ἱερομνήμων κρατῶν ἐν τῇ φυλακῇ αὐτὸ τὸ χαρτάκιον τ ἐκκλησίας· καὶ εἰ μὴν οὐκ ἔστιν ἐπίσκοπος, μέλλει σφραγίζων ἀναγνώστας, καὶ ὑποφητιάνους, καὶ ἐκκλησίας καινουργίας.

Ο ἀπὸ γονάτων, ὅταν λειτουργεῖ ὁ ἀρχιερεὺς φέρει αὐτὸς τὸ ἀπογονάτιον αὐτοῦ. B

Ο ἐπομνημόνων, δεχόμενος τὰς ἐπομνήσεις τῶν ἐπομνημάτων, τὰς εἰσερχομένας εἰς τὸν ἁγίαν ἐκκλησίαν, καὶ ἀναφέρει τῷ ἀρχιερεῖ.

Ο διδάσκαλος ἑρμηνεύει τὸ ἁγιοβλήτιον εἰ δυνατὸς ἐστιν, ὁμοίως καὶ τὸ ψαλτήριον· κρατῶν καὶ τὰ σχόλια τῆς ἐπισκοπῆς. ἔστι δὲ καὶ οἰκέτης τῆς τρίτης.

Ista continet secundus officiorum quinarius.

PRimus defensor, judex est vices gerens Episcopi. Judicat autem 163. cum duobus judicibus minutas causas ad Episcopum delatas.

Jeromnemon, seu sacer memorialis Contacion Ecclesiæ custodit. Si autem abest Episcopus, cruce signat Lectores, & consecrat Ecclesias novas.

Qui à genubus est, cum sacrificat Episcopus, ipsius genuale defert.

Monitor suscipit argumenta & breviaria libellorum supplicum qui ad sanctam Ecclesiam deferuntur, & ea ad Episcopum refert.

Doctor Euangelium interpretatur si potest: Similiter & psalterium. Tenet quoque & curat Scolas Episcopales. Est autem Minister tertii quinarii.

Οὕτως πεῖχε ἡ γ' πυθάς. τέλος τ δεξιᾶς χορᾶς.

Ἴσθι οὖν καὶ αὐτὸ εἰς τὸν τῶν κληρικῶν διάκρισιν· τὸ μὲν ἅγιον Διαγγέλιον τ βαιοφόρου ἀναγινώσκεται ὑπὸ τ πρωτονοταρίου. τ δ μεγάλης δευτέρας, ἀναγινώσκεται ὑπὸ τ ἱερομνήμονος. * τ μεγάλης τρίτης ὁ καρτουλάριος. τ δ μεγάλης τετράδος ἀναγινώσκεται ὑπὸ τ σακελλαρίου. τ δ τῆς μεγάλης πέμπτης ἀναγινώσκεται ὑπὸ τ χαρτοφύλακος. τ δ τ μεγάλου σαββάτου ἀναγινώσκει ὑπὸ τ σκευοφύλακος· τῇ ἁγίᾳ δ μεγάλῃ κυριακῇ τ Πάσχα, ἀναγινώσκει τὸ ἅγιον Διαγγέλιον ὑπὸ τ μεγάλου οἰκονόμου. C D

* Hoc ex alio Exempl. suppletur.

Hæc continet tertius quinarius. Finis dextri Chori.

SCito igitur & hoc ad Clericorum distinctionem. Sanctum Euangelium in festo Palmarum legit Protonotarius: Secunda feria magna legit illud Jeromnemon. Feria tertia magna Caltrensius. Feria quarta magna Sacellarius. Feria quinta magna Chartophylax. Magno Sabbato Scevophylax. Sancta & magna Dominica Paschatis sanctum Euangelium legit magnus Occonomus.

Χορὸς δὲ ὁ ἀριστερὸς οὕτως τάσσεται.

Chorus autem sinister sic ordinatur.

Ο πρωτοπαπᾶς ὅταν λειτουργεῖ ὁ ἀρχιερεὺς ἵσταται ἐπάνω ὅλων τῶν δεχόντων τ ἐκκλησίας, καὶ ἐν τῇ ἁγίᾳ λειτουργίᾳ μεταδίδει τῷ ἀρχιερεῖ τὸν ἅγιον μετάληψιν. ὁμοίως καὶ ὁ πρωτοπρεσβύτερος τῷ πρωτοπρεῖ. ἄρχει δὲ καὶ εἰς τὰ πρωτεῖα τ ἐκκλησίας, κρατῶν τὸν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τόπον τ ἀρχιερέως. E

* in aliis hoc abest.

Ο διάκονος, ὅταν λείπει ὁ πρωτοπαπᾶς, κρατεῖ τ τόπον αὐτοῦ * ὁ διάκονος.

Ο ἄρχων τ ἐκκλησιῶν, ἵνα γράψῃ τὰ ἀντιμίνσια, καὶ τὰ σταυροπήγια.

Ο ἔξαρχος, ἵνα γυρίσῃ εἴ τις κρίσις ἐκρίθη εἰς τ ἐκκλησίαν, εἰ καὶ ἐκρίθη δικαίως.

Ο κατηχητὴς, κατηχίζει τ λαὸν, καὶ πάντας τοὺς εἰσερχομένους ἐκ τ ἑτεροδόξων εἰς τὸν ὀρθόδοξον πίστιν, καὶ μέλλει βαπτιζῶσαι.

Cum Missam celebrat Episcopus, Protopapas antecedit omnes Ecclesiæ dignitates, & in Missa sanctam Communionem tradit Episcopo; similiter & Episcopus Protopresbytero. Præest quoque Primoribus Ecclesiæ, locum, vicesque Episcopi in Ecclesia tenens.

Cum abest Protopapas, locum ejus tenet secundus Sacerdotum.

Præfectus Ecclesiarum institutus est, 165. ut describat antimensia, & stauropegia.

164 Exarchus, ut inquirat an lites Ecclesiasticæ rectè judicatæ fuerint.

Catechista catechizat & docet populum, & omnes qui ex Heterodoxis ad Orthodoxos veniunt, & baptizandi sunt.

Vi-

Viſitator perambulat, & præit iis qui fidem Orthodoxam amplexuri ſunt.

Duo defenſores judicant cauſas parvi momenti cum primo defenſore.

165. Immerſor cum preces immerſionis compleverit Sacerdos, apprehendit infantem, & illum immergit, & baptizat.

Duo Domeſtici ſtant in duobus choris, & cum primo Cantore pſallunt.

Duo populi Convocatores convocant Diaconos, & publicè denuntiant, ne quis ex iis deſit. Advocant quoque ad Eccleſiam, & Magnates, & populum.

Duo Primicerii præcedunt quoque Subdiaconos, & cum primo Cantore pſallunt.

Primus Cantor ſtat in medio Eccleſiæ, & Pſalmodiam incipit, cumque ſequuntur Domeſtici, & Primicerii.

Proximus inſtitutus eſt, ut jubeat ſignum fieri in Sancta Dei Eccleſia.

Deputatus Magnates ad Epiſcopum vocat, & populum à via emundat, *hoc eſt, ſemovet, ne incedens Epiſcopus à turba opprimatur.*

Inſpectores, ut videant & conſiderent Magnates, & dignitate præditos, ut illic ſedeant vel ſtent bono ordine inter eos conſervato.

166. Ceremoniis obſervandis Præfectus, ut jubeat Eccleſiam verri & ornari, lampadeſque lavari.

Denuntiator, ut populum moneat de inſignioribus feſtis feriandis.

Decanus, ut Sacerdotes vocet ad jura ſua, & oblationum portiones participandas.

Cubicularius, ut pedum Paſtorale Epiſcopi portet, cum incedit.

Lampadarii, ut emungant, & emundent lampades & Cereos Eccleſiæ.

Circumambulator, ut ferat ignem in Eccleſiam. Baſtagarius, ſeu Bajulus, ut in proceſſionibus & inſignibus feſtis Eccleſiæ Sanctum geſtet.

Unguentarius, ut teneat & conſervet ſacrum Chriſma; & cum ei juſſerit Epiſcopus illud tradat.

Sciendum autem eſt, quod nec magnus Archidiaconus, nec Diaconorum ſecundus dignitates ſunt, ſed officia tantùm. Sciendum quoque quod cum Miſſam celebrat Epiſcopus, Archidiaconus Euangelium legit. Si noluerit, ipſe officium hoc mandat, cui voluerit.

Cum abeſt Archidiaconus, ſecundus Diaconorum vicem ejus gerit.

Hoc etiam te admonitum velim, quod Synodicorum lectionem, & quamcunque aliam Chartophylax legit. Si verò abeſt, id præſtat dignitate primus quicunque ille ſit.

A ὁ πρωτοδικης, ὁ πρωτοπαπᾶς, καὶ ἐξηγῶν τοὺς μέλλοντας εἰσέλθειν εἰς τ ὀρθόδοξον πίστιν.

οἱ δύο ἔκδικοι, κρίνουσιν μ τ πρωτοκλίτην μικρὰς ὑποθέσεις.

ὁ βουπὴς, ὅταν εἴπῃ ὁ ἱερεὺς τοὺς εὐχὰς τ βαπτίσεως, λαμβάνει ὁ βουπὴς τὸ παιδίον, καὶ βαπτίζει αὐτό

οἱ δύο δομέστικοι ἑστῶσι ἐν τοῖς δύο χοροῖς, & ψάλλουσι μ τ πρωτοψάλτῃ.

οἱ δύο λαοσυνάκται συνάγουσι τοὺς διακόνους, καὶ ἀναγορεύουσιν ἵνα μὴ λείπῃ τις ἐξ αὐτῶν. προσκάλουσι δ & τοὺς ἄρχοντας, καὶ τ λαὸν εἰς τ ἐκκλησίαν.

B οἱ δύο πριμμικήριοι ἑστῶσι καὶ αὐτοὶ ἐπάνω τοὺς ὑποδιακόνους, καὶ ψάλλουσι μ τῷ πρωτοψάλτῃ.

ὁ πρωτοψάλτης ἑστὼς μέσον τ ἐκκλησίας, καὶ ἄρχεται τ ψαλμῳδίας, & μ τῶτο οἱ δομέστικοι & οἱ πριμμικήριοι.

ὁ πρόξιμος, ἵνα ὁρίζῃ νὰ σημάνωσιν εἰς τ ἁγίαν τ θεοῦ ἐκκλησίαν

C ὁ διατάκτωρ ἀνακαλεῖ τοὺς ἄρχοντας εἰς τ ἀρχιερέα, καὶ ἀναχαιτίζει καὶ τ λαὸν ἀπὸ τ ῥαίτων.

οἱ ἐπόπται, τὰ ἐπιτηδεῖα καὶ τὰ σκοπεύουσι τοὺς ἄρχοντας ἵνα καθίζωσι & ἑστήσωσι εὐτάκτως.

ὁ ἐπὶ τ τραπέζης, τὰ ὁρίζῃ ἵνα φιλοκαλῶσι καὶ τὰ σπουδάζωσι, καὶ τὰς καυδήλας τῆς καθολικῆς.

ὁ κατηχουμενάρης, νὰ ὑπομνίζῃ τοὺς ἀπιστήμους ἱερεῖς & λαοὺς ἵνα φυλάζωσιν.

ὁ δεκανὸς, ἵνα καλῇ τοὺς ἱερεῖς εἰς τὰ αὐτῶν δικαιώματα & προσφερήματα.

ὁ κουβουκλὴς, ἵνα βαστᾷ τὸ δικανίκιον τῦ ἀρχιερέως ὅταν πορεύεται.

οἱ λαμπαδάριοι, ἵνα καθαρίζουσι τὰς λαμπάδας εἰς τ ἐκκλησίαν.

D ὁ περιστρχόμενος ἵνα φέρῃ λαμπάδα ἐν τ ἐκκλησίαν

ὁ βαστάγαρις ἵνα βαστᾷ τ κλ τ ἐκκλησίαν ἅγιον εἰς λιτὰς & ἑορτὰς ἀπιστήμους.

ὁ μυροθήτης, ἵνα ὑποτεταγῇ τὸ ἅγιον μύρον, καὶ ὅπου θέλει ὁρίζῃ ἀρχιερεὺς, τὸ δοῦναι μύρον.

Ἰστέον οὖν ὅτι ὁ μέγας ἀρχιδιάκονος, & ὁ δεύτερος τῶν διακόνων ταῦτα οὐκ εἰσιν ἀρχοντίκια, ἀλλὰ ὀφφίκια εἰσι μόνον. καὶ ὅταν λειτουργῇ ὁ ἀρχιερεὺς λέγῃ ὁ ἀρχιδιάκονος τὸ εὐαγγέλιον εἰ δ οὐδὲν θέλῃ, αὐτὸς ὁρίζῃ ἄλλον E εἶον θέλῃ

ὁ δεύτερος τῶν διακόνων, ὅταν λείπῃ ὁ ἀρχιδιάκονος, ὁρᾷ τ τόπον αὐτῦ

Ἴσθι δ & τῦτο, ὅτι τὸ συνοδικὸν, καὶ ἡ ἀνάγνωσις ἅπασα ὁ χαρτοφύλαξ ἀναγινώσκει αὐτά· εἰ δ οὐκ ἔστι χαρτοφύλαξ, οἷος πρωτεύῃ τ ἀξιωμάτων.

In fine alterius Notitiæ huic ſimilis quæ in Euchologio Græcolatino edita eſt, hoc ſcitu dignum & utile præcedentibus addebatur, quod ideo hic omiſſum noluimus.

Καὶ διερμηνεύομεν τὰ μηνιαῖα τῶν κληρικῶν, ἡ πρώτη πενταὰς, τὰ διπλᾶ. ἡ δευτέρα, ἡμίσεα. ἡ τρίτη τετράς, ἕνα τέταρτον. ἀρχιπαπᾶς δὲ ὁ πρωτοπαπᾶς εἰς τὰ διπλᾶ τῆς εὐωνύμου χόρου.

167. Menſtruæ diſtributiones ita diſponuntur inter Clericos. Primus quinarius duplum accipit. Secundus dimidium: Tertius Quadrantem. Protopapas autem duplam diſtributionum ſiniſtri Chori portionem primus accipit.



ADNO.

ADNOTATIONES

IN

GRÆCAS ORDINATIONES

QUIBUS

MULTÆ CEREMONIÆ, VESTES Sacerdotales, & dignitates Eccleſiaſticæ Orientalium propriæ, ſed Latinis inuſitatæ, radicitus excutiuntur, & explicantur; Textus Græcus nonnunquam reſtituitur & emendatur, & pleraque alia obſcura & difficilia evoluuntur, & illuſtrantur.

1. POST *Triſagion*. Hymnus à Græcis, τριώδιον, dictus in univerſo Oriente celeberrimus eſt, & in omnibus eorum Miſſis magno cum apparatu decantatur. Paucis his verbis continetur, ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis.* Referunt Græci hymnum iſtum cantari cœptum imperante Theodoſio Juniore, idque hoc definiente S. Proclo Patriarcha Conſtantinopolitano, propter miraculum cujuſdam pueruli in cœlum manibus Angelorum in omnium conſpectu, & evecti, & è cœlo deſcendentis, qui retulit hymnum iſtum ſine Theopaſchitarum additione, *qui crucifixus eſt pro nobis* ab Angelis in cœlo decantari. A multis refertur miraculum: Juſtinianus Epiſcopus Siciliæ ad Petrum Epiſcop. Act. 1. Concil. Conſtantinop. ſub Menna. Epiſt. Contiæni ad eundem ibid. Epiſt. Acacii Archiepiſcop. Conſtantin. ad eundem ibid. Joan. Damaſcen. in Epiſt. de Triſagio: Menologium Græcorum 24. ſept. Theophanes in Chronico. Vincentius Riccardus in vita Procli quam operibus ejus quæ Græcè & Latinè primus edidit, præpoſuit. Hymnus ille à Græcis cantatur in Miſſa ante Lectionem Epiſtolæ, & eo decantato ſtatim Epiſtola huic diei ſecundum eorum ritum conveniens legitur. Itaque Epiſcopi ordinatio incipit illicò poſt Triſagion, ſed ante Epiſtolæ lectionem.

2. *Euangelicum jugum.* Ex aliis codicibus ſupplevimus, *Euangelicum jugum.* εὐαγγελικῷ ζυγῷ. Nam ut in textu extat, εὐαγγελίῳ mendum eſt.

3. *Effice, & conſerva*, Alii codices, ſimpliciter, ἀνάδειξον, vel ἀπόδειξον. Melius quàm ἀποδίδουν, nec dictio perfecte Græca. Scriptor cum ſcribendum eſſet ἀπόδειξον, περίγραψε, ἀποδίδουν. Paulò poſt, καὶ ὑπακούειν αὐτῷ, melius ut alii codices, καὶ τὸ ὑπακούειν αὐτῷ, ita ut ſenſus ſit, & illum exaudias.

4. *Precem Diaconicam.* Perperam in textu ὁ Δέηνος. Legendum vel ὁ Δεήνου, vel poſt, διάκου addendum ῆ, vel ut alii codices, διακονικὴν, quam lectionem amplexi fuimus. Preces Diaconicæ dicuntur certæ quædam & ſtatæ preces à Diacono recitari ſolitæ, non abſimiles illis quæ in Breviario Romano ad Laudes & Veſperas feſtivalibus potiſſimum diebus dicuntur. Verùm Græci in omnibus prope Officiis divinis eas uſurpant; & aliquando ſæpius in uno & eodem Officio, ut vel in Ordinationum Officiis deprehenditur. Dicuntur etiam preces illæ εἰρηνικαὶ, pacificæ, quia in iis ſemper pax à Deo poſtulatur: Paſſim etiam abſolutè neutro genere efferuntur τὰ διακονικὰ, τὰ εἰρηνικά. Clerus Græcus reſpondere ſolet Diacono ad unamquamque preculam hæc tantum, κύριε ἐλέη-

τον. Ejuſmodi precum nonnunquam mentionem facit in Homiliis S. Chryſoſtomus, ut Homil. 2. de Prophetarum obſcuritate, *Ubi communiter omnes audiis Diacon vocem jubentis & dicentis, Oremus pro Epiſcopo, & ſenectute ejus, & protectione, atque ut rectè doceat verbum veritatis, & pro iis qui his ſunt, & ubique terrarum; quod juſſum eſt, agere non recuſatis.* Ita quoque Homil. 2. in Epiſt. 2. ad Cor. Paſſim occurrunt ejuſmodi preces in ipſius & S. Baſilii Liturgiis.

5. *Hymnus myſticus Cherubicus.* Cantatur Hymnus Cherubicus poſt lectam Epiſtolam, & Euangelium, poſt Orationes Catechumenorum fuſas, ipſoſque Catechumenos dimiſſos, & Miſſam fidelium inceptam. Eo cantato Sancta dona ſolemniter à menſa ſive altari propoſitionis per mediam Eccleſiam omnibus procumbentibus ad ſanctum altare deducuntur. Sanctis igitur donis in ſacra menſa repoſitis ſacram Presbyterorum Ordinationem inchoat Græcorum Pontifex, hoc eſt, Latino more, cum jamjam eſſet Offertorium faciendum, tantiſper differtur donec Ordinatio Presbyteri compleatur.

6. *Horaris ſive ſtole partem.* Orarium dictio eſt anceps, purè Latina, & purè Græca; ſed Græcè ſcribenda eſt cum Spiritu aſpero, *Horarium*, ὡράριον. Latinè deducitur ab ore, & ſignificat, Sudarium, faciale, linteum quo facies abſtergitur, aut etiam tegitur, vel pars ejus involvitur. S. Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepotianum. *Non abſque amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt: Alióquin ridiculum, & plenum dedecoris eſt, referto Marſupio quod ſudarium, orariumque non habeat gloriari.* S. Ambroſius oratione quam habuit in obitu Satyri fratris ſui, tempeſtatem qua jactatus eſt deſcribens, ait eum deliberantem, an ſeſe in mare præcipitem daret, Sacramentum fidelium à fideli petiiſſe, *Non ut curioſis oculos inferret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.* Similiter S. Auguſtin. lib. 22. de Civitate Dei c. 8. enarrans miraculum de oculo prope eruto & ſanato ad reliquias Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii perpetratum, ſcribit, *Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem loco ſuo revocatum ligavit orario*, Orarium ſeptimo die abſtulit, oculumque ſuum ſanatum deprehendit. S. Ambroſius Epiſt. 85. de Inventione corporum Sanctorum Gervaſii & Protaſii deſcribens miracula tum patrata. *Quanta oraria jactitantur; quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas, ut tactu ipſo medicabilia repoſcantur.* Oraria linteola erant quæ promiſcua plebs ad eos conjiciebat qui Sanctorum corporum curam gerebant, ut eorum contactu ſanctificata ad ſe rejicerentur, atque ut pretioſiſſima ſupellex ad miraculorum perpetrationem conſervarentur. Eo ſenſu uſurpavit Vopiſcus in Aureliano ſub finem, *donaſſe etiam populo Romano tunicas albas manicatas ex diverſis Provinciis, & lineas Aſras, atque Ægyptias puras, ipſumque primum donaſſe oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Gregorius Turonenſis eadem ſignificatione, ſed paulò ampliore, non ſemel hoc nomine uſus eſt, pro linteo videlicet longiore quàm ſit faciale, ut Mappa vel Syndon eſſe ſolent: Ita hiſtoriæ lib. 3. c. 5. ubi refert Sigiſmundum Burgundionum Regem filium ſuum vino malignè ſopitum & dormientem juſſiſſe occidi, *dormienti orarium ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris, ſuffocatus eſt.* & lib. 4. c. 20. refert ſimiliter Chramnum Clotarii Regis filium antequam morti traderetur, *ſuper ſcamnum extenſum orario ſugillatum fuiſſe.* & lib. 6. c. 17. *Die Sabbati Proſcus præcinctus Orario, &c.* Sanè etymum ab aure, vel ora nullo modo huic ſignificationi convenire poteſt. Occurrit tamen apud poſteriores Græcos orarium Latinorum civitate Græca donatum, ut alia innumera. Hinc Euſtathius in Iliad. ϛ'. *Φασὶ δέ τινες ἢ αὐτὸ τοῦτο σαφάνους εἶναί ποτε ὡς μίτρας φάμενοι εἶναι μίτραν πωλικὸν οἱ νῦν Φαρικὸν ἢ ὠμοφόριον σίφανον.* *Hoc autem dicunt aliqui, Mitras aliquando fuiſſe coronas; aſſerentes Mitras proprie eſſe coronas ex faſciis & orariis plexas.* Eodem modo Mitram interpretatur Phavorinus Φαινίαν ἢ φαρικὸν, & teſtimonio evidenti ex Euripide demonſtrat. Deinde eadem quæ ſuperius verba refert, ſed pro ὠμοφόριον, male bis ſcribitur ὠμοφόριον; ut & apud Etymologicum magnum, qui à præcedentibus iſta deſumpſit.

Verùm Eccleſiaſticus uſus longè diſpar fuit. Autores enim Eccleſiaſtici Latini cum de veſtibus & ornamentis Eccleſiaſticis verba faciunt, Orarium uſurpant pro ſtola, unumque altero permutant: Per ſtolam autem idem intelligebant quod nos etiam nunc intelligimus. Itaque de Orarii forma, figura, & uſu nihil habemus ſpeciale dicendum, cum id omne ex uſu quotidiano ſatis ſuperque conſtet. Orarii autem etymologiam non ab ore derivant, ſed ab orando, quæ Orarii miniſteriis apprimè quadrat. Ita Flaccus Alcuinus de divinis officiis, capite, Quid ſignificent veſtimenta, *Orarium, id eſt, ſtola, dicitur eo quod Oratoribus, id eſt, Prædicatoribus concedatur. Admonet illum qui illo utitur, ut memor ſit ſub jugo Chriſti quod leve & ſuave eſt, eſſe ſe conſtitutum.* Beda quoque in Collectaneis de ſeptem Ordinibus. Ad eandem etymologiam longo ante utrumque tempore alluſerat Concilium Toletan. 4. c. 39. fuſius hæc deſcribunt Rabanus Maurus in Antiphonario cap. 19. Ivo Carnutenſis ſermone de ſignificationibus indumentorum Pontificalium, Hugo de S. Victore in ſpeculo de myſteriis Eccleſiæ c. 6.

Ex conſenſu Latinorum & Græcorum Orarium propriè Diacono convenit, non autem inferioribus ordinibus, ut conſtat ex antiquo ordine Romano, & antiquis ritualibus. Id etiam evidenter deducitur ex Concil. Tolet. 4. c. 27. *Epiſcopus Presbyter aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipias coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, Orarium, annulum, & baculum. Si Presbyter, Ora-*

rium

rium & Planetam. Si Diaconus, Orarium & Albam: si Subdiaconus, patenam & Calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quae cum ordinarentur, perceperant. Iuo part. 5. c. 367. & part. 6. c. 237. Gratian. 11. q. 3. cap. 65. Idem refert Burchard. lib. 2. c. 192. sed ex Concilio Mogunt. Concilium Laodicenum c. 22. & 23. Orarii usurpationem disertè prohibet Subdiaconis, & aliis inferioribus Clericis. Orarium usurpatum fuisse à Subdiaconis in Provincia Hispaniæ Bracarensi nullo modo colligi potest ex can. 9. vel aliis 27. Concilii primi Bracarensis, ut canonem illum attentè considerantibus manifestum erit. Apud Syros Subdiaconi & Lectores Oraria gestant, ut in eorum ordinationibus legere est. Id olim in Gallia usurparunt Monachi, sed hoc prohibuit Concil. Aurelian. 1. c. 22. Verùm Presbyteros Orariis indesinenter uti voluit Concilium Bracar. 3. c. 3. & præsertim Moguntinum c. 28. Capitul. lib. 5. c. 81. Burchard, l. 2. c. 101. Iuo part. 6. c. 178. Distinctionem autem inter Diaconum & Presbyterum in gestando Orario qualem nunc in Occidente habemus præter antiquissima Sacramentaria testatur vetus ex antiqua traditione emanantem canon tertius Concilii Bracarensis 3. ante annos prope mille celebrati, quem etiam refert Gratian distinct. 23. c. 6. Oraria autem duo gestare prohibetur non modo Diaconis & Presbyteris, sed etiam Episcopis can. 39. Concilii Toletani quarti: simplicia præterea & nuda jubet esse, nullis coloribus ornata.

Horarii usus Græcis est antiquissimus, ut constat ex jam citatis duobus Concilii Laodiceni canonibus, & commentariis tam Zonaræ quàm Balsamonis in eosdem canones. Facilè conjicerem à Græcis ad Latinos devenisse, & Latinum ab antiquis judicatum propter accidentariam vocis similitudinem. Unde factum est ut post illius usum vulgatum autores Ecclesiastici ab orando illud derivaverint. Nam ut demonstratum est, nulla est Latini & prophani Orarii cum Ecclesiastico convenientia. Horarii apud Græcos à Diaconis gestatio dupliciter à Latina differt. Primùm, Diaconus Græcus illud super humerum sinistrum ex utrâque parte dependens & in alarum quemdam typum utrimque fluitans defert: Non alligat partes illas fluitantes ut Latinus sub humero & brachio dextero. Ideo Græci mysteriorum interpretes horarii partes ante retroque pendentes Angelorum alas significare contendunt, easque alas absolutè vocare solent. Sic Simeon Thessalonicensis multis infra de ordine cap. 4. ubi Diaconicæ ordinationis mysteria explicat. Sic S. Germanus in explicatione Liturgiæ, *Diaconi verò ad typum Angelicarum potestatum* τῶν λειτῶν τῶν λειτῶν ὠρεγείων πλέγιν, *tenuibus tenuium horarsorum alis, ut administratorii spiritus, in ministerium missi, procurrunt.* Et longè ante eos S. Chrysostomus idem scripserat homilia de filio prodigo, *Recordamini tremendorum mysteriorum,* καὶ τῶν λειτουργῶν τῆς θείας λειτουργίας, τῶν μιμουμένων τὰς ἱερὰς ἀγγέλων πτέρυγας ταῖς λειταῖς ὀθόναις ἐπὶ τῶν ἀριστερῶν ὤμων χειμέναις, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ περιεχόντων, *& Ministrorum, sive Diaconorum divini sacrificii tenuibus linteis super sinistros humeros impositis Angelorum alas imitantium, & per Ecclesiam discurrentium.* Alterum discrimen est quod Diaconus in certis actionibus horario cingitur, eo tamen à sinistro humero nequaquam depósito. Simeon Thessalonicensis videtur hoc ad tempus communionis restringere; & in Liturgiis sub horam Communionis disertè monetur Diaconus, ut cum stola cingat se in figuram crucis. Non est prætereundum Græcorum horaria ter inscriptum habere, nomen ἅγιος, Sanctus, quo Angelorum canticum designatur, eosque Angelorum ordinem & ministeria consecutos.

Horarii etymon tribus modis lego à Græcis deduci. Balsamon loco iam citato derivat ἀπὸ τῆς ὥρας significante, τὸ φυλάσσω, καὶ ἐπιτηρῶ, custodio, observo; eo quod, inquit, diligenter observent in mysteriis Sacerdotum proclamationes, & quæ consequenter sunt agenda iis qui in Ambone sunt, per Orarium significent. Simeon Thessalonicensis, de Sacram. Pœnitentiæ, deducit ἀπὸ τῆς ὡραΐζω, eo quod gratiâ divina Diaconus speciosus & conspicuus redditur. Ὡραῖος enim Hesychio est, καλὸς, εὐμορφία, & interpretatur, ὡραΐζεται, καλλωπίζεται. Arcudius lib. 6. c. 10. ἀπὸ τῆς ὥρας ab hora sive tempore, ὅτι δείκνυσιν ὁ διάκονος ἐν τοιαύτῃ στολῇ τὰς ὥρας, καὶ τὸ κρούειν τὸ ψάλλειν, τὸ προσεύχεσθαι, τὸ ἐναρχεσθαι τὴν λειτουργίαν. *Quia per ejusmodi stolam demonstrat Diaconus horas & tempus psallendi, orandi, Liturgiam inchoandi, &c.* Hæc etymologia antiquæ & hodiernæ Græcorum consuetudini maximè videtur consentire, qua Diaconi tribus digitis extremas horarii partes apprehendunt, easque elevant, ut Sacerdoti, iisque qui sunt in Ambone vel choro significent horam, momentumque quo actiones officii præcipuæ sunt faciendæ, iam adveniisse, quod in eorum Liturgiis passim adnotatur. Quamcunque harum etymologiarum spectes, Horarium per aspirationem scribendum est: Nam si tenuiter scribatur, aliud omnino significabit. Ὠρα enim cura est & solicitudo. Horarium præterea ab eodem etymo Latinè significabit sciatericon, sive solarium, horas umbris denotans, vel alio quodam artificio: Eo sensu dixit Censorinus, *Cornelius Nasica ex aqua fecit Horarium.* Hanc Latinam Horarii significationem apud Græcos autores non legi, nec ab aliquo adnotatam memini, nisi forte quis hûc referat quod scribit Hesychius in voce ἐμικίνθια, φακιόλια, ζωναρέα, ὠρεῖα τὰ ἱερέων. Ubi semicinctia explicat per fasciolas, cingula, & Sacerdotum horaria. Sed Hesychius qui, ut scribit Suidas, Ethnicus erat, Sacerdotum nostrorum horaria non bene intellexit; Sicut nec Meursius, qui in glossario Horarium Græcorum interpretatur ἐπωμίδιον τῷ ποδιάπου, atque etiam χειρόμακτρον quo refert ex Isidori glossis, *manuale, orarium.* Non negarim tamen favere huic interpretationi Isidorum Peluſiotam li. 1. Epist. 136. cum ait, *Linteum illud,* ᾧ ὀθόνῃ, *cum quo Diaconi in sanctis mysteriis munus sanum obeunt, humilitatem Domini, qui Discipulorum pedes*

pedes lavit, & exterſit, nobis in memoriam re- A *dixit.* Licet enim orarium non nominetur, illud tamen per ὠμόφορον videtur intelligendum. Quidquid ſit Orarii Eccleſiaſtici uſus ab Orarii ſecularis uſu & ſignificatione quàm longiſſimè abeſt, ut ex iis quæ dicta ſunt evidenter colligitur.

7. *Ipſumque Phenolio induit*, Variè ſcriptum reperitur, Φενόλιον, Φαινόλιον, Φαινώλιον, & Φενώλιον. Sic Φαινόλης & φαινώλης apud Athenæum lib. 3. Apud S. Paulum 2. Timoth. c. 4. verſ. 13. ſcribitur Φελόνης, & in aliis φιλώνης. Hoc poſterius Latinorum penula eſt, veſtis exterior omnibus ſuperpoſita, ut pluvia, cæteræque aëris tempeſtates arceantur. Unde Juvenalis, *multo ſtillat penula nimbo.* Strictior B erat veſtis, hominemque cum veſtibus involvens. Unde Tacitus ſive quis alius de cauſis corruptæ eloquentiæ verſus finem, *Quantum humilitatis putamus attuliſſe eloquentiæ penulas iſtas, quibus adſtricti, & veluti incluſi cum judicibus fabulamur.* Ideo Artemidorus ὀνειροκριτικῶν lib. 2. c. 3. ait ſi quis φαιλόνιον ſomniaverit, hoc θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν, καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην μαντεύεσθαι, διὰ τὸ ἐμπεδίζειν τὸ σῶμα, *tribulationem, & angustiam, & iis qui judicandi ſunt, damnationem ominari, eo quod corpus contineat, & comprehendat.* Videtur planè ſumptum à Latinis nomen: Ideo Athenæus loco iam citato illud vocat κενὸν, καὶ ἀδέσμευτον καὶ χρείας γενόμενον; & Lucianus in Lexiphane recenſet inter Barbara. Alia planè ratio mihi videtur & Φαινολίου Græcorum Chriſtianorum, ut ex dicendis colligetur. Ideo multò præſtat Φαινόλιον ἀπὸ τοῦ φαίνειν, ab apparendo ſeu lucendo derivare, propter colorem tam album quàm purpureum quorum alterutro ſemper nitet. Quare rectè mihi conjeciſſe videtur Etymologici autor, cum ſcripſit Φαινόλιον dici, eo quod φαίνεται ὅλον, totum eſt ſplendidum: Totum enim hominem ambit & circumtegit, ſive qua Lectorum, ſive qua Sacerdotum proprium eſt. Dimiſſa D igitur iſta penula quid ſit ſacrum Græcorum Phenolium breviter explicemus.

Ut hoc diſtinctè fiat quadruplex veſtis genus ex Symeone Theſſalonicenſi nobis enarrandum eſt. Primum Clericis omnibus commune, ſecundum Lectorum proprium, tertium Sacerdotum, quartum Epiſcoporum: Tria poſteriora Phenolii nomine apud Græcos inſigniuntur. Primum eſt toga nigra vel violacea, talaris, manicata, totum corpus ambiens, & veſti ſeculari corpori tegendo primò neceſſariæ ſuperpoſita. Hanc indutus lector Pontifici præſentatur ordinandus. Nigra eſt vel violacea, eo quod colores iſti ſint luctus E & triſtitiæ argumenta: Manicata, ut per manicas crucis figuram effingat: Talaris & laxa, ut charitatis & pietatis qua Clerici abundare debent, diffuſionem denotet. Antequam Lector ordinandus eam aſſumat, à Pontifice benedicitur. Toga iſta ſive Pallium propriè à Græcis dicitur, τὸ ἱμάτιον, eoque utuntur Lectores, Subdiaconi, & Presbyteri; ſed veſtis propriè non eſt ſacra, ſed civilis & ſecularis, qua Clericos decet in publicum prodire. Ea autem eſt Clericorum κοσμικῶν ſecularium: A Nam Monachi peractis ſacris, & depoſita veſte ſacra, proprium profeſſionis ſuæ habitum retinent, & in eo conſecrandi offeruntur Epiſcopis. De hac verba facit Balſamon in can. 14. ſeptimæ Synodi cum ait, ἐρῶμέν τινας τῶν παίδων μελανειμονήσαντας, ὡς τῷ θεῷ ἀφιερωθέντας, καὶ κουρὰν δεξαμένους, *Videmus nonnullos à pueritia veſtibus indui nigris, ut Deo conſecratos, & Tonſuram ſuſcipere.* μελανειμονεῖν verbum à Græcis recentioribus effictum, ut λευκειμονεῖν, veſtes albas induere. Vide Codinum c. 21. Euchologium initio Ordinationis Lectoris, προσαγόμενος τῷ ἀρχιερεῖ ὁ τοιοῦτος, εἰ μὲν κοσμικός ἐστι, μετ' ἱματίου ἀσήκτου, εἰ δὲ μοναχὸς μετὰ μανδύου, *Ad Pontificem adducitur ejuſmodi: ſi ſecularis eſt capite nudato cum Himatio, ſi Monachus cum Mandya.* Himation, toga eſt quam Clericus factus in poſterum perpetuò geſtare debet. Eſt autem Himation veſtis honorabilis quam Senatores, inquit Simeon Theſſalonicenſis, geſtare ſolent, quæ Clericis ex privilegio Cæſareo conceditur. Codinus ubi de coronatione Imperatoris agit, ſi mater Imperatoris, inquit, vidua eſt, φορεῖ ἔνδυμα μέλαν, λεγόμενον ἱμάτιον, καὶ μανδύαν ὁξύν, *geſtat veſtimentum nigrum, dictum Himation, & Mandyam violaceam.* Itaque Himation Tunica eſt ampla, cui ſuperinjici poteſt pallium.

Secundum veſtis genus in præſentiarum nobis ediſſerendum eſt. Phenolion illud triplex C eſt. Primum ad Lectores pertinet. De eo ſic Simeon Theſſalonicenſis c. 4. *Propriam autem ordinis ſui veſtem habet Lector, quæ Camiſion vocatur, habetque Phenolii parvi vel Stichardi ex lino figuram, & Sacerdotii primitias cum parvum ſit, & protectionem à Deo emanantem deſignat. Eſt autem coloris purpurei propter purpuream Salvatoris veſtem; vel albi, propter Sacerdotii puritatem & illuminationem à Deo fluentem.* Utriuſque veſtis Lectoris diſertam mentionem iterum facit Simeon Theſſalonicenſis cap. 1. ubi lectoris ordinationem enarrat; *Epiſcopus veſtem nigram* D *quæ humilitatis & religioſi timoris Symbolum eſt, benedicit, & Conſecrandum jubet eam induere.* Deinde delibatis ab Epiſcopo per Tonſuram cum ſolemni crucis figura Conſecrandi capillis, aliiſque poſtmodum eo tradito ut integrè ad Clerici formam tondeatur, pergit, *Adducitur iterum ad Epiſcopum per tonſuram conſecratus, & Phenolio, quod eſt ſacrorum indumentorum primum & veluti primitiæ, benedicto ſive camiſio, Pontificis manum oſculatus, per collum induitur, non ſecus ac ſi jugum Sacerdotii ſubiret, &c.* Veſtem illam ſacram Euchologia antiqua & recentia φαινόλιον quoque vocant.

Phenolion alio nomine vocat καμίσιον, hîc E & in Ordinatione Subdiaconi: nomen ab Italis deſumptum; *Camice* enim illis dicitur veſtis ſacra, quæ in ritualibus, Alba, vocatur, quæ veſtis eſt linea Tunicæ impoſita quam omnes norunt. Bocacio n. 1. *Tutti veſtiti co' camici, e co' piviali.* Itaque φαινόλιον Lectorum idem prorſus nobis eſt quod Alba, qua apud nos non modo Subdiaconi, ſed etiam Lectores ſive Clerici ſæpe utuntur. Illis ſic dicitur à *camicia*, interula induſium ob ſimilitudinem: Sic & Græci neoterici interulam vocant ζαμπάρια. Galli tamen nomen pro-

fa-

ſanum cum re ſacra communicare detrectantes Latinum uſurpant, & qui aliter loqueretur, omnibus eſſet deridiculo. Curopalates de officiis Conſtantinop. c. 6. *Lectores ſtant in medio Triclinio e conſpectu Imperatoris, μὴ τῶν ἱματίων καὶ ὑπερθυρείων φαινόλων, φορῶντες καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων, ὁ μέντοι πρωτοψάλτης ἐ ὁ δομέστικος λευκὰ, ὁ μαΐστωρ, καὶ πάντες οἱ ψάλται προφορᾷ, cum tunicis & pileis ferentes camiſia ſuper tunicas. Protapſaltes quidem, & Domeſticus, candida, &c. Magiſter autem & Pſaltæ omnes porphyrea.* His verbis evidenter exprimitur quid propriè ibi ſignificent, τὸ ἱμάτιον καὶ τὸ καμίσιον. Idem c. ſeptimo, *Poſtea ingrediuntur etiam Cantores, μετὰ τῶν ὑπερθυρείων ἐ καμισίων, cum Pileis & Camiſiis.* Dictionem hanc uſurparunt antiquiores Græci, ſed ſenſu paululùm diverſo. Palladius in hiſtoria Lauſiaca c. 149. ubi hiſtoriam refert Magiſtriani militis qui datis Virgini Chriſtianæ veſtibus ſuis eam è periculo eripuit, ἧ ἑαυτοῦ ἐνδῦσα μεταμφιάσας αὐτὴν τοῖς τε καμισίοις, καὶ τῇ χλαμύδι, καὶ τοῖς ἀνδρείοις πᾶσιν, &c. *Suis veſtibus eam induit, camiſia, & chlamyde, & omnibus virilibus indumentis.*

Phenolion Presbyterorum proprium, ait Simeon Theſſalonicenſis, album eſt, manicis caret, & totum corpus à capite ad pedes uſque circumtegit. Uniuſcujuſque rei rationes myſticas ibidem tradit. Et in libro de templo & Miſſa, *Iam verò ſacra Caſula, ἱερὸν φαινόλιον, ſublimiorem, & ſuperne collatam ſpiritus virtutem ſub quadam effigie monſtrat. Imprimis ſaccum quo per ludibrium ſalvator indutus eſt: idcirco & ſacci formam habet; nec enim in eo ſunt, quæ appellantur Manicæ.* S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum. *Caſula, τὸ ὑ φενόλιον, denotat coccineam purpuram quam Ieſu illudentes geſtandam impii dederunt. Eſt etiam ſtola baptiſmi.* Videtur innuere S. Germanus Caſulam illam poſſe eſſe porphyream. Paulò ante eam vocaverat στολὴν, *Stola Sacerdotis eſt ad exemplum talaris Aaron, id eſt, veſtimentum, quod Sacerdotale eſt indumentum ad pedes uſque honorabiliſſimum. Eſt autem ignea ſpeciè, juxta Prophetam dicentem, Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem ardentem.* Rectè Φαινόλιον iſtud interpretantur Caſulam. Nam in omnibus fere ſimilis eſt Caſulæ Latinorum, ſive Planetæ: Sicut Caſula, ultima eſt veſtis ſacra quam induit Sacerdotes, ſic etiam Phenolion illud. Deinde ſine Manicis eſt, & velut ſaccus, totum ambiens Sacerdotem: Ita quoque antiquæ Latinorum Caſulæ omnes, ut conſpicere eſt in Eccleſiis Cathedralibus quarum Caſulæ non modo antiquiſſimæ, verum etiam non admodum antiquæ, ut pote ducentorum annorum aut minus, veſtes ſunt planè rotundæ totum ambientes hominem à collo uſque ad pedes; in quibus una tantùm eſt apertura per quam caput immittitur, & poſtea toti corpori allabitur veſtis, brachia, manuſve cum cætero corpore concludens. Ideo cum aliquid Sacerdoti eſt agendum Caſulæ lacinias interiores ſuper brachia reflectit, & revolvit, ut manibus liberis uti poſſit. Tales non modo ſunt antiquæ quæ extant Caſulæ, verumetiam quotquot Pontifices, & Sacerdotes in antiquis Ritualibus & Sacramentariis, aliiſque locis picti ſuperſunt, ejuſmodi caſulis induti conſpiciuntur. Tales uſque in hodiernum diem perſeverarunt Græcorum & Orientalium caſulæ ſive Phenolia.

Epiſcoporum Phenolion ſive Caſula, ab ea quæ Presbyterorum eſt nonnihil differt. Presbyteralis enim ſimplex eſt, alba vel violacea ſive porphyrea. Priore utuntur ut plurimum toto anno præter Quadrageſimam, qua poſteriorem uſurpant: Eſt enim illis purpureus color luctus indicium. Epiſcopalis autem eſt variis crucibus inſignita; ideo ab illis vocatur φαινόλιον πολυσταύριον, ſive ſimpliciter, πολυσταύριον, multicrucium. Simeon Theſſalonicenſis de templo, poſtquam caſulam Presbyterorum deſcripſit, *Pontifices Caſulam φαινόλιον πλήρες ſαυρῶν crucibus plenam induentes, quæ & multicrucium πολυσάυριον, vocari ſolet, clarè docent, quoniam paſſionis Domini ſignum eſt, ſe illum imitari, qui per paſſionem & crucem, veram juſtitiam conſummavit, &c* Demetrius Chomatenus in jure Orientali interrogatus an liceret in Phenoliis Epiſcopalibus purpureis cruces apponere ut in albis, Reſpondet, τὸ ἴδιον τῆς ἐκκλησίας τὰ πορφυρᾶ ἀρχιερατικὰ θεῖα ἐνδύματα ἁπλᾶ βούλεσθαι εἶναι, καὶ χωρὶς προσθήκης ἰῶν εἱρημένων πολαμῶν καὶ ſαυρῶν, *Eccleſiæ conſuetudinem poſtulare ut divinæ veſtes Epiſcopales ſint ſimplices, & ſine ullâ additione fluviorum & crucium.* Stichariis fluvii adduntur, Phenoliis cruces. Si quis antiquiſſimam Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem ſpectaret, neutrum admitteret.

8. *Perficiamus preces noſtras Domino.* Statim poſt Ordinationem Presbyteri incipiunt preces offertorii, ut more Latino loquamur; Sacerdoſque ſecretò recitat ἼΙλὼ εὐχὴν προσκομιδῆς, *Orationem Oblationis*, & aliquas precunculas Diaconicas, ſublatoque è ſacris donis velo populus clamat, dignum & juſtum eſt: Tum Archiepiſcopus tradit Presbytero panem unum è diſco. Panis ille nondum eſt conſecratus; multò enim ante verba conſecratoria traditur, ut in Liturgiæ conſequentia videre eſt, ita quoque cætera Euchologia antiqua, etiam regium. Verùm Euchologium Allatianum, & Venetiis editum, quibus conſentit Simeon Theſſalonicenſis, diſertè teſtari videntur panem iſtum eſſe conſecratum & verum Chriſti corpus, traditionemque fieri poſt conſecrationem conſummatam. Ajunt enim duo illa Euchologia, *Cum autem conſummata fuerint ſancta, & dicturus eſt Epiſcopus, ut ſint accipientibus, &c.* Itaque recentiores Græci antiquum morem ſuum nonnihil immutarunt; Sed Ruſſi & Moſchi illibatum, ut tradit Arcudius lib. 6. c. 3. hactenus conſervant.

9. *Sicque manet donec, &c.* Presbyter ordinatus accepto ab Epiſcopo pane, inclinatus ſupra panem, ipſumque altare manet, donec à Sacerdote dicatur, *Sancta Sanctis.* Hoc eſt, ab initio precum conſecratoriarum, ad finem uſque conſecrationis, & ſacræ hoſtiæ adorationem à populo præſtitam, tum panem ſibi creditum Epiſcopo reſtituit.

10. *Omnium Sanctorum, &c.* Ita Diaconi Ordinatio incipitur, & peragitur poſt completam ſanctorum donorum etiam ſecundùm Græcos,

conſecrationem, ut videre eſt in eorum Liturgia. Et peracta Diaconi ordinatione confeſtim clamat Diaconus *omnium Sanctorum memoriam agentes, &c.* inchoanturque ea quæ ſpectant ad Communionis præparationem.

11. *Tradit ei ſanctum flabellum.* Flabellorum uſus in Eccleſia Orientali eſt antiquiſſimus, & huc uſque celebris permanet. Inſtitutus primùm eſt ut è ſacris donis muſcæ, aliaque ejuſmodi animalcula abigantur. Flabella autem motitare & ventilare Diaconorum munus eſt, ut expreſſè adnotat Clemens Conſtitut. lib. 8. cap. 12. Idem Amphiloch. in vita S. Baſilii. Myſticas hujus ventilationis cauſas referunt Jobius apud Photium lib. 6. cap. 25. & S. Germanus in Contemplatione rerum Eccleſiaſticarum quos adire potes, ſi ejuſmodi rerum deſiderio caperis. Flabellorum ejuſmodi in ſacra Synaxi, cum ſacrificium celebratur, mentionem faciunt Liturgiæ S. Chryſoſtomi, S. Baſilii, aliæque Græcæ, atque etiam Syriacæ, nec non Ordinationis Diaconicæ ritus omnes. Joannes Moſchus in prato ſpirituali cap. 196. Chronicon Alexandrinum Olympiad 351. ubi de Sergio Patriarcha verba facit. Metaphraſtes in vita S. Epiphanii. Si forte flabellum non adſit, ſolent Græci linteola, aut etiam vela Sanctorum donorum apprehendere, & cum iis ventilare, ut ex uſu quotidiano, & Moſchi teſtimonio colligitur, & diſerte adnotatur in Liturgia S. Chryſoſtomi poſt ἀπαρὰς hymni recitationem, *ἐπὶ οὐκ ἐν ἐσμῷ, ποιεῖ τοῦτο μετὰ καλύμματος.* Flabellorum ejuſmodi uſum in ſacrificii conſummatione nullum apud Latinos lego. Refertur ex Joanne Moſcho prati ſpiritualis c. 150. Quemdam Epiſcopum Italum Miſſam, præſente Pontifice celebrantem dixiſſe Agapeto Pontifici, *Diaconum illum prope me aſſiſtentem, qui flabellum tenet, ab altari remove.* Verum quidquid ſit de hiſtoria illa ex uſu Græco addidit Moſchus, *qui flabellum tenet*, ut paulo ante dixerat illi Epiſcopo quid inſolitum acciditſe, cum recitaret orationem oblationis τὴν περικλυδῆ quæ in Miſſa Latina nulla eſt. Quapropter eo teſtimonio tantùm demonſtrari poteſt flabellorum apud Græcos uſus. Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus epiſtol. 8. teſtari videtur in ſua Provincia, flabella in ſacrificio uſurpata fuiſſe. Sed quod ibi refert de flabello allegoricè intelligendum eſt, vel eſt factum Epiſcopi alicujus ſpeciale, & planè extraordinarium quod in conſequentiam trahi non debet. Eorum forma eſt ejuſmodi: Manubrium eſt ligneum oblongum, in cujus extremitate inſeritur Cherubini facies ſex alis circumdata. De materia iſtorum flabellorum ita Clemens Conſtit. libr. 8. cap. 12. *Duo Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex genus Pavonis, aut ex linteo ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem cadant.* Cum hoc inſtrumento Diaconus à dextris & ſiniſtris ventilat ſancta dona certis temporibus quæ in Liturgiæ ritu notantur. De iſtis flabellis Lege quæ ſcribunt Hugo Menardus in notis ad S. Gregorii Sacramentarium pag. 319. Iſaacus Habertus ex Theologo Pariſienſi nunc jure meritoque Vabricenſis Epiſcopus, obſervat. 7. ad part. 9. Liturgiæ, & Jacobus Goartus è familia Dominicana in notis ad S. Chryſoſtomi Liturgiam.

12. *Cum autem liceat, &c.* Ordinationes Epiſcopi & Presbyteri facere non licet in diebus ſolemnitatis Præſanctificatorum, eo quod tum Sacrificium non fiat, ſed Præſanctificatis, hoc eſt, ante Sacrificatis utantur. Diebus illis qui ſunt omnes Quadrageſimales, præter dies Dominicas & Sabbata feſtumque Annuntiationis, apud Græcos ſacrificare non licet: Ideo nec Epiſcopos nec Presbyteros ordinare, quos ante Sacrificium ordinant, ut poſt Ordinationem ſuam cum Ordinatore ſacrificent. Verùm cum Diaconi ordinatio celebretur poſt ſacrificium peractum, nihil inquit, rituale, impedit quominus diebus Præſanctificatorum ordinentur. Cum igitur Diaconi ordinandi illis diebus ſeſe dat occaſio, *ingreditur Epiſcopus, & ſtat coram ſacra menſa, &c.* Videtur tum prope initium illius Officii Diaconorum Ordinatio fieri. Græcorum mos non ſacrificandi diebus quadrageſimalibus perantiquus eſt. Eum teſtatur Concilium Trullanum cap. 52. quod Dominicis, Sabbatiſque addit feſtum Annuntiationis; & ante Concilium Trullanum annis prope quadringentis Concilium Laodicenum, cap. 49. & 51. Idem obſervabat Eccleſia Latina duobus ultimis Quadrageſimæ diebus, ut teſtis eſt Innocentius primus epiſt. 1. cap. 4. & hactenus retinuit diem penultimum. Quod ergo obſervat quotannis Eccleſia Romana in magno die Veneris, hoc quinquies obſervat Eccleſia Græca unaquaque Quadrageſimæ ſeptimana. Balſamon & Zonaras in can. 52. Trullan. referunt Græcos diebus feſtis non jejunare, & jejunii diebus non ſacrificare; quia nullus poteſt ſimul & mœrore & lætitia diffundi. Sic Judæi & olim & nunc obſervant. Dicitur de Judith cap. 8. *habens ſuper lumbos ſuos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbata, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.* Eadem ratione Græci nec diebus feſtis jejunant, nec diebus jejunii ſacrificant. Ideo Sabbatis Quadrageſimæ, & die Annuntiationis, ſacrificant, & non jejunant. Hinc, inquit, idem Balſamon, accuratioris diſciplinæ Monaſteria feſta quæ in Quadrageſima eveniunt, prævenire ſolent, & ea celebrant πρὸ τῆς τυροφάγου ante Dominicam Quinquageſimæ. Vult tamen Concil. Laodicenum cap. 51. memorias illas Martyrum Sabbatis & Dominicis fieri, non autem ante Quadrageſimam præveniri. Forte cum Balſamone in hunc locum diſtinguendum, aliud eſſe memoriam ſimpliciter agere Martyris, aliud diem natalem celebrare. Prius licere Sabbatis & Dominicis Quadrageſimæ, non autem poſterius. Euchologia edita omnia Præſanctificatorum Liturgiam nobis exhibent, & Latinam Bibliotheca Patrum.

13. *Poſtquam facta eſt ſancta ablatio.* Eodem Liturgiæ, ſive Miſſæ loco, atque etiam iiſdem prope ceremoniis Diaconiſſa benedicitur quibus

bus Diaconus; ut manifeſtum eſt ex Euchologii verbis.

14. *Maphorium.* Pallium eſt Virginum Deo ſacratarum: Caſſianus Mavortem, aut Mafortem vocat, & viris tribuit, lib. 1. cap. 7. *Pallia eorum Mavortes tam noſtro quam ipſorum eloquio vocantur.* Breve illud erat, nec humeros, ut ille ait, excedebat. Servio & Nonio non fuit incognitum. Phavorinus illud interpretatur, τὸ τῆς κεφαλῆς περίβλημα, *capitis amictum.* Suidas verò κρήδεμνον, *capitis & humerorum velamentum*, per κεφαλοδέσμιον, & μαφόριον explicat. Euſtathius quoque Iliad. X. κρήδεμνον, μαφόριον ut dictionem vulgatam interpretatur. Achmes. c. 265. Si viderit mulier μαφόριον *velum ſuum ſibi violenter rapi, vel quod totum diſciſſum fuerit, ſignum eſt virum ipſius moriturum, aut ab eâ omnino ſeparandum.* Concilium in S. Chryſoſt. Maphorium pro virili veſte uſurpat. Exprobrant enim viro Sancto quod tres Diaconos accuſaverit, ὡς τὸ μαφόριον αὐτοῦ κλέψαντας, *Maphorii ſui ab iis ſurrepti.* Inter Patriarchæ veſtes à Joanne Cantacuzeno numeratur lib. 1. c. 41. S. Athanaſius libello de Virginitate paulò ante medium inter veſtes Virginis Deo ſacratæ μαφόριον recenſet, quod jubet eſſe ἄκροσον, ſine fimbriis, & villis, illudque diſtinguit à κεφαλοδεσμίῳ, καυκουλίῳ, & ἐπωμίῳ, à vitta capitis, cuculla, & ſuperhumerali. Itaque videtur μαφόριον diaconiſſæ velum eſſe capitis cæteris capitis ornamentis ſuperinjectum, ſubtus quod ſtola Diaconalis ab utraque colli parte imponebatur, cujus ideo ambæ extremitates anterius conſpiciebantur. Velum ejuſmodi ſive flammeum geſtant in Occidente Moniales. Poſſet etiam dici genus eſſe aliquod ſcapularis, ſive analabi ſub quô ſtola à poſteriori parte occultabatur. Hoc dato, Maphorium ad caput non pertinebat. Nunc utriuſque ſexus pallium Græci μανδὺ vocant, Monialeſque illud capiti imponunt, & univerſum corpus ambit, ad talos uſque dependens, ut fere Hollandicæ & Brabanticæ mulieres geſtare ſolent.

15. *Diaconicum.* Subdiaconi & Lectoris Ordinatio non celebratur in altari, ſed in Secretario, ſive Sacriſtia, ἐν τῷ διακονικῷ, ſive σκευοφυλακίῳ. Celebrari etiam ſolet ante portas Eccleſiæ ὡραίας, ſpecioſas, hoc eſt, ante portas quæ τὸν ναὸν templum ſive chorum à Narthece dividunt. Juxta ordinem & diſtinctionem Eccleſiarum Latinarum ſic diceres, celebratur Ordinatio Subdiaconi & Lectoris ante portam inferiorem Chori qua Chorus ſpectat ad populum, non illa parte Superiore qua ſpectat altare. In illa porta vel proximè ad illam portam collocatur cathedra Epiſcopi Ordinantis, & Ordinandus, Ordinationiſque Adminiſtri adſtant Epiſcopo à dextris & ſiniſtris, ſive in ipſius conſpectu pro ratione muneris quo funguntur. Quanquam autem Ordinationes iſtæ celebrentur extra Miſſarum ſolemnia, cum extra Sanctuarium de more agantur, neceſſariam tamen habent cum Miſſæ ſolemnitate σχέσιν, & habitudinem. Ait enim editum Euchologium, *Epiſcopo ſedente ad portam ſpecioſam, antequam Liturgiam incipiat, Ordinandus in Subdiaconum adducitur, &c.* Facta igitur Ordinatione ſtatim inchoatur Miſſa. Et antiquus Vaticanus codex *Epiſcopo ſtante ante ſanctam menſam quæ eſt in Diaconico, ſive ante magnas portas, cum eſt introitum facturus, adducitur in Subdiaconum ordinandus, &c.* Juxta hunc codicem intra Miſſarum ſolemnia celebratur Græca Subdiaconi Ordinatio. Idem evidentiſſimè demonſtrat ſequens adnotatio.

16. *Quicunque fideles.* In Liturgia tam Sancti Chryſoſtomi quàm S. Baſilii adnotatur hæc verba pronuntiari à Diacono ſimul cum iis quæ immediatè præcedunt, *Quotcunque Catechumeni eſtis, recedite, &c.* Quibus finitur Miſſa Catechumenorum, & inchoatur Miſſa fidelium. Ita quoque Conſtitutiones Clementis lib. 8. c. 9. Sed c. 11. inter Diaconum & Subdiaconum hæc diſtribuuntur, *Diaconi ſtent ad januas quibus viri in templum ingrediuntur, & hypodiaconi ad januas quibus mulieres, ne quis egrediatur, neve aperiatur janua tempore oblationis, quamvis ſit aliquis fidelis.* De facto tamen nunc, & à multis ſeculis hæc verba pronuntiant Subdiaconi. Ut enim omittam antiqua & multorum ſeculorum canitie veneranda Euchologia, S. Maximus in Scholiis ad S. Dionyſii c. 5. *Nota*, inquit, *quod Diaconi tum fores cuſtodierunt, Nunc verò Subdiaconi.* At mille anni præterierunt, cum hæc ſcribebat Maximus. Concilium Laodicenum cap. 22. *Non oportet Miniſtrum ferre horarium; neque oſtia relinquere.* Miniſter hoc loco nihil aliud ſignificare poteſt quàm Subdiaconum. Balſamon in hunc canonem, poſtquam dixit horarium proprium eſſe Diaconorum, ſcribit, *Viſum eſt Hypodiaconos quoque Eccleſiarum fores tenere, & Catechumenos introducere, & educere eos qui ſunt in Pœnitentia. Propterea enim hodie quoque ab Hypodiaconis dicitur illud, Quotquot fideles, qui ſcilicet non eſtis fideles, ſed Catechumeni, egredimini; fideles autem ſtate.* Idem dixit Zonaras in hunc canonem centum ante Balſamonem annis. Simeon Theſſalonicenſis idem munus Subdiacono tribuit in explicando illius conſecrationem: Imo oratio ipſius conſecratoria portis Eccleſiæ eum deſtinat. Cum igitur poſt ordinationem clamet iſtud, *Quicunque fideles*, manifeſtum eſt extra Liturgiam conſecrari, ſed cum neceſſaria ad Liturgiam celebrandam habitudine. Idem etiam colligitur ex aqua quam lavandis manibus præbet Epiſcopo, & nonnullis aliis quæ addunt cætera Euchologia.

17. *In promotione Abbatis*, ἐπὶ προχειρίσεως ἡγουμένου, diſtinguunt ſemper Græci inter προχείρισιν, promotionem & χειροτονίαν, ita ut hoc poſterius ad Ordinationem proprie dictam ſemper referatur: Prius verò vel ad dignitatis alicujus collationem, quæ præcedentem ſupponit ſibi ordinationem, vel ad propoſitionem, nominationem, electionem, & promotionem ad ſacram Ordinationem, nunquam autem pro ſacræ Ordinationis collatione. Ita diſtinguunt cum περὶ τῶν ἀρχοντικίων ὀφφικίων, καὶ διακονικῶν ἀξιωμάτων verba faciunt. Ad ejuſmodi enim dignitates, quæ

ante Conſtantinopolim captivatam apud eos A erant plurimæ, χειροτονοῦνται non χειροτονοῦνται. Si forſan χειροτονίας verbo in ejuſmodi utuntur, ſtatim addunt ἢ πρεσβυτέρους, ut ſignificent ſe de ſacra Ordinatione verba non facere. Aliquando utuntur verbo προβάλλεσθαι, & πρόβλησις, ut idem denotent, ut legere eſt c. 2. Concilii Chalcedon. *Si quis Epiſcopus ordinaverit χειροτονήσει Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, &c. vel promoverit, προβάλλεται, Oeconomum, vel Defenſorem, vel Paramonarium, &c.* Singulariter verò recentioribus Græcis Imperator dicitur Patriarcham προβάλλεσθαι, cum è tribus à Synodo electis unum renuntiat, & actio illa B dicitur πρόβλησις, ut videre ſæpius eſt apud Codin. c. 20. Sic Andronicus ſenior apud Nicephorum Gregoram lib. 9. Eccleſia imperio conceſſit, quem vellet ex electis προβαλλέσθαι. Ego verò iſtum non modo προβαλλόμενος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐξελεξάμην. Plura vide Exercitat. 14. c. 4. & 5.

18. *In Sanctuarii crepidinem.* Sanctuarii crepido non eſt ſolea, ſive loculus in longum protenſus inter ναόν, ſeu chorum & ſanctuarium, ubi ſtat Diaconus in Presbyterum ordinandus, ut videre eſt in recentioribus Euchologiis. Sed crepido eſt locus præterita ſolea jam intra Sanctuarium, & ſolea altior, in quo ſtat Presbyter in Epiſcopum ordinandus, C & ubi à tribus Epiſcopis Archiepiſcopo præſentatur. Eſt igitur κρηπὶς, Baſis ſive ſolium Sanctuarii quod eſt ante ſanctam menſam, & interjacet inter ultimum gradum Altaris & Sanctuarii cancellos.

19. *Imponit Pallium.* Græcè ὠμοφόριον, Humerale, quod humeris geſtatur. Longum eſt diſcrimen inter Pallium Latinorum, & Græcorum, quacumque illud conſideres. Sed antequam hoc enarrare aggrediamur, notabit Lector nomine Pallii hic nihil minus ſignificari quàm quod mente primò concipit. Pallium enim veſtis oblonga eſt, humeros & to- D cum corpus, aut maximam illius partem tegens, unde phraſes, colligere pallium, attollere pallium, corpus tegere pallio, amictus pallio. Sed pallium Eccleſiaſticum Latinum faſcia eſt lanea duos aut tres digitos lata hominem per humeros ante retroque in circuli modum cingens, cui faſciæ cruces quatuor applicantur; una ante pectus, altera retrorſum ex oppoſito, cæteræ ſuper humeros, ita ut tam pertineant ad partem corporis anteriorem quàm poſteriorem. Duæ præterea faſciolæ breviculæ ejuſdem materiæ & latitudinis, ſed ſpithamam longitudine vix excedentes ante retroque in medio corpore à priore E dependent, utraque cruce inſignita. Græcum verò longa eſt faſcia ejuſdem aut paulò majoris latitudinis primò collum involvens, deinde à collo per medium pectus longè infra genua deſcendens, crucibus quoque intertexta. Quanquam igitur nihil ſit illis cum pallii miniſteriis commune, ut ex deſcriptione conſtat, antiquus tamen uſus obtinuit, ut utrumque Pallium diceretur. Græca dictio, ὠμοφόριον convenientior videtur; nam ſimpliciter ſonat, quod humeris geſtatur.

Jam vides inter utriuſque figuram non minimum eſſe diſcrimen. Sed aliud eſt diſcrimen longè maximum. Græcorum ὠμοφόριον quod pallium dicimus, ornamentum eſt, ſive veſtis genus omnium Epiſcoporum proprium, dignitatis, non juriſdictionis inſigne; quod ipſis in Conſecratione traditur, ut Subdiacono Stichárium, Diacono Orarium & Presbytero Epitrachelium. Hoc autem non heri, aut nudius tertiùs ab iis uſurpatum eſt, ſed quantum ex antiquis monumentis colligere eſt, ab omni ævo. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 136. iſtius veſtis velut Epiſcoporum communis uſus & myſticos ſenſus explicat, τὸ δὲ τῷ Ἀποστόλῳ ὠμοφόριον, *Epiſcopi autem pallium, ex lana non ex lino contextum, ovis illius quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem ſignificat. Epiſcopus enim qui Chriſti typum gerit ipſius munere fungitur; atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* Antiquiſſima Metrophanis & Alexandri acta apud Photium cap. 256. referunt Metrophanem Epiſcopum Byzantinum præſente & rogante Conſtantino Imperatore Alexandrum Presbyterum abſentem ſibi ſucceſſorem renuntiaſſe, populumque & Imperatorem hoc audito una voce diu exclamaſſe: dignus eſt, εἶτα τὸ ὠμοφόριον τῇ ἁγίᾳ ἀναστάσει ἐπιτίθησι τραπέζῃ, *Poſtea*, Metrophanes, *pallium ſacræ menſæ aeponit, præcipiens illud ſucceſſori ſervari.* Similiter S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, ὠμοφόριον, *Pallium Epiſcopi eſt ad exemplum ſtolæ Aaron, quam geſtabant legales Pontifices ſudariis longis lævo humero circumponentes ad ſignificandum jugum mandatorum Chriſti. Humerale autem quo Epiſcopus circumdatur, ſignificat ovis pellem, quam erantem cum Dominus invenisſet, humeris aſſumpſit, &c. Habet autem cruces, quia Chriſtus ſuper humero geſtavit crucem ſuam.* Et Concil. 8. act. 9. Legati Papæ ſic conqueruntur, *Intelleximus quoſdam in hâc regia urbe improbos Laicos verum ſacrarum irriſores, & Senatores, ſacram veſtem ſeu humeralia geſtare, ὠμοφόρια, Epiſcoporumque ritus & ceremonias ridiculè imitari.*

His teſtimoniis antiquorum manifeſtum eſt ὠμοφόρια, humeralia, vel ſi mavis pallia, veſtem eſſe ſacram Epiſcoporum propriam quæ cum agitur de ornamentis Epiſcoporum, iis ſemper adnumeratur, quamque aſſumpſerant homines prophani, ut ritus Epiſcopales ſimularent. Iſtius prophanationis occaſione eadem Synodus condidit can. 14. Θεσπίζομεν τοὺς δεδόσθαι ὠμοφορεῖον δυναμένους, &c. *Decernimus ut Epiſcopi quibus ſtatutum eſt, ſive qui jubentur, certis ſtatisque temporibus pallia geſtare, ea geſtent ejuſmodi temporibus & locis, ne hujuſmodi cultu per faſtum & ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore divini Sacrificii, aut quacunque Eccleſiaſtica functione ferant*, malè & contra canonis mentem vertitur, *Sancimus ut deſignati ad homopheria gejanda Epiſcopi*, &c. Quaſi certi, non omnes Epiſcopi ea ferre debeant. Deſignatio illa non cadit ſuper Epiſcopos, ſed ſuper Pallii geſtationem

tionem quam Patres nolunt illis convenire omnibus locis, & omni tempore, quod ſemper in Græcia factum eſt. Hoc evidenter teſtantur ejuſdem canonis verba quæ ſequuntur. *Quod ſi quis Epiſcopus præter deſignata ſibi ſeu ſcripto, ſeu ſine ſcripto tempora Omophorium tulerit, religioſamque veſtem abjecerit, aut corrigatur aut exuatur.* Similia poſt hos autores de Pallio ſeu Omophorio recentiores omnes Græci ſcripſerunt, Balſamon de privilegiis Patriarcharum, & reſponſ. 16. ad Marcum Alexandrinum Patriarcham in jure Orientali, Simeon Theſſalonicenſis in Ordinatione Epiſcopi, & Libello de Templo & Miſſa, Joannicius Hieromonachus in libro ἀντ@ inſcripto, Codinus de officiis aulæ CP. c. 17. Malaxi hiſtoria Patriarcharum in Turcograecia, & alii complures, quibus addenda ſunt antiqua & recentiora Euchologia, Picturæque omnes antiquorum Græciæ Epiſcoporum quæ nobis ſemper Epiſcopos cum Palliis ſeu Omophoriis exhibent.

Epiſcopus cum ſacra celebrat, pallium induit cujus faſcia ſuper φαινόλιον ſive caſulam ab anteriori parte è collo dependet: ſic Miſſam incipit. Deinde, ſic nos docente Simeone Theſſalonicenſi in Libello de Templo & Miſſa, *dum Euangelium legitur Epiſcopus pallium deponit, ſervitutem ac ſubjectionem ſuam erga Dominum demonſtrans. Quoniam enim ille per Euangelium loqui cognoſcitur, & tanquam præſens eſt, ipſe tunc Symbolum incarnationis ejus geſtare non audet, ſed ab humeris ſublatum Diacono tradit, qui illud dextera complicatum tenet, ipſi Epiſcopo aſtans, & ſacra dona præcedens.* Mos ille deponendi pallii cum Euangelium legitur eſt antiquiſſimus: illum enim commendat Iſidorus Peluſiota, loco jam citato. Sequitur enim verba allata: *Diligenter animum attende. Nam cum ipſe verus Paſtor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, & imitationis habitum deponit, Dominum ipſum paſtoralis artis ducem, ac Deum, & herum adeſſe ſignificans.* Tanti denique fit pallium illud, ut in celebri pompa cum qua ſacra dona à menſa propoſitionis ad altare deferuntur, pallium ipſum præferatur, teſtante hoc eodem Symeone, *Poſt hæc veneranda dona cum comitatu & pompa ſplendida circumferuntur, Lectoribus, Diaconis, Sacerdotibus cum cereis & ſacris vaſis præeuntibus ac ſequentibus, illudque ultimum Chriſti adventum in quo cum gloria acceſſurus eſt, manifeſtat. Ideo & Pallium ὠμοφόριον cruce inſignitum præcedit, quod ſignum Jeſu & ipſum Jeſum de cælo oſtenſum iis hominibus præfigurat.*

Poſtquam verò abſoluta eſt Conſecratio, & Communio præparatur, reſumit Epiſcopus ὠμοφόριον: Ita Symeon, *Poſtquam ſacris abſolutis ad communionem devenit, Pallium iterum aſſumit, declarans hac re, ſe prius Miniſtrum fuiſſe, & ſanctiſſimum illud ornamentum in ſe capeſſere veritum, &c. Cum Epiſcopi præcipuum indumentum ſit Pallium, illud neceſſario aſſumit, & cum eo divinißimorum ſe participem reddit.* Idem Simeon in Ordinatione Epiſcopi diſtinctiùs notat quando utatur Pallio his verbis: *A principio autem Miſſæ, & in exaltatione divini panis, & in Ordinationibus, & in aliis ſacris myſteriis Epiſcopus ſemper, ut dictum eſt, pallio ab humeris in orbem cingitur.* Archieratici p. 7. totus hic de Pallio ritus paucis deſcribitur. Ita notatur cum inſtat Euangelii Lectio: *Deponunt autem Epiſcopi omnes Pallia ſua. Scire verò oportet quod poſtquam Patriarcha Palium ſuum depoſuit, dum canitur Alleluja; non illud ulterius induit niſi ſub tempus elevationis Sanctorum myſteriorum, antequam Diaconus dicat, Attendamus: Quod ſi intercedat Ordinatio vel Presbyteri vel Diaconi, illud induit ſecundum tempus ſolum ordinationis: Deinde rurſus illud exuit uſque ad tempus elevationis myſteriorum. Tunc autem illud induens fert uſque ad finem Liturgiæ. Epiſcopi verò tempore Ordinationis qui ſimul cum Patriarcha celebrant Liturgiam, eadem faciunt cum Patriarcha.*

Pallium igitur Græcum nihil aliud eſt quàm ornamentum ſacrum Epiſcopale, ut φαινόλιον πολυτελές quocum quivis Epiſcopus Miſſam celebrat, aut alia myſteria inſignia peragit, neceſſariò utitur, ut Epiſcopalis dignitas à Presbyteriali ſecernatur; ideo cuilibet Epiſcopo in Ordinatione ſua traditur. Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in Ordinatione Lectoris, *Epiſcopus autem ſacram ſtolam indutus, & Pallium, quod in omni ſacri myſterii confectione geſtare ſolet; hoc enim repræſentat Jeſum Deum & incarnatum, benedicit;* &c. Sed Latinorum pallium inſigne eſt juriſdictionis Archiepiſcopalis, quo poſt Ordinationem completam traditur Archiepiſcopo plenitudo Pontificalis officii. Quapropter ante illud obtentum nec Concilia convocare poteſt, nec Ordinationes celebrare, nec Eccleſias conſecrare, nec chriſma conficere, nec Miſſam ſolemniter dicere, ne quidem Archiepiſcopi nomen ſibi tribuere: Eo verò à Romano Pontifice obtento, hæc omnia poteſt, & cætera quæ ad juriſdictionem Archiepiſcopalem pertinere poſſunt. Quis autem hæc aut quid ſimile de Græcorum pallio ſomniavit? Quo antiquitatis monumento hæc apud Græcos aliquando uſurpata fuiſſe demonſtrabitur? Deinde ſi Pallii Latini uſum ab origine examinemus, longiùs adhuc à Pallio Græco diſtabit. Pallium à primo ſui initio non erat omnibus Archiepiſcopis aut Metropolitis commune, ſed paucis quibuſdam Metropolitis à Pontifice concedebatur, quo Vicarii Pontificis in plures Provincias creabantur, cum inſigni quadam & Papali in cæteros Metropolitas qui diplomate Pontificio notabantur poteſtate, quam exercere Archiepiſcopus ille ante pallium conceſſum non poterat. Etenim autoritas illa non erat Archiepiſcopalis, ſed Archiepiſcopali major, Archiepiſcopo gratiosè à Pontifice conceſſa: Par enim in parem non habet poteſtatem niſi illi ab utriuſque Superiore per privilegium tribuatur. Hinc autoritas illa dicta eſt plenitudo Pontificalis officii; eo quod autoritatem ipſis ratione Archiepiſcopatus convenientem compleret & conſummaret. Hinc pallium petebatur, inſtanter, inſtantius, inſtantiſſimè. Cum enim autoritas per Pallium data precaria eſſet, poſſetque à Pontifice pro arbitrio revocari,

nullâ illatâ Archiepiſcopo injuriâ, inſtanti prece erat Succeſſori à Pontifice ſolicitanda. Quod ſanè de poteſtate Archiepiſcopo ratione ordinationis ſuæ in Archiepiſcopum collata præpoſterè admodum & abſurdè diceretur. Qui enim dat eſſe, ut ajunt Philoſophi, dat omnia ad eſſe conſequentia: vel ut regulæ utriuſque juris, atque ipſum rationis dictamen, Qui dat juriſdictionem, dare cenſetur omnia ſine quibus exerceri non poteſt. Lapſu temporis Pontifices Pallium cum pluribus Metropolitis communicarunt; quibus certa quædam autoritas καὶ αὐθεντία, ut pote à Primate exemptio, iſta communicatione accedebat. Tandem ante ſeptingentos paulò plus minuſve annos Pallium omnes Archiepiſcopi ambiverunt, omnibuſque cum certis conditionibus partim antiquis partim acceſſoriis conceſſum. Hæc de pallio Latinorum ſufficiant, cum de eo agere non ſit nobis propoſitum.

Hinc facilè colligitur Pallio Græcorum cum Pallio Latinorum vix aliquid eſſe commune, atque ideo Pallii nomen eſſe utrique æquivocum. Græci nunquam hanc veſtem pallium vocaverunt, licet pallium vox ſit apud eos ab antiquo uſitata, ut videre eſt in eorum antiquis Lexicographis, nec non SS. Epiphanium, Nazianzenum & alios, ſed ſemper ὠμοφόριον, ἐπωμαδιον, quod ſimpliciter, *humerale*, ſignificat; ornamentum ſacrum Epiſcopale, non juriſdictionis inſigne, intelligentes. Itaque rem acu tetigerit, qui dixerit Græcos omophorium habere, nullum autem pallium. Latini nonnulli omophorion, propter nonnullam exteriorem cum pallio ſibi cognito ſimilitudinem, pallium vocarunt, utriuſque munia & miniſteria non conſiderantes. Quapropter fabella eſt id quod ſcribit autor hiſtoriæ legationis Luitprandi Cremonenſis Epiſcopi ad Nicephorum Phocam Orientis Imperatorem, Romanum ſcilicet Imperatorem à Papa obtinuiſſe literas quarum autoritate cum Theophylactus ipſius filius Patriarcha, *tum ſucceſſores ejus alíſque Paparum permiſſu pallis uterentur. Ex que turpi commercio mos inolevit, ut non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ palliis uterentur.* Nec refutatione eget dictum ab univerſa & perpetua praxi tam inſolens.

Fabellæ forſan occaſionem dedit quod ex antiquo illius temporis codice Græco manuſcripto refert Leo Allatius in libro de ætate & interſtitiis in collatione ordinum apud Græcos p. 203, & ſequentibus, Romanum Imperatorem Græcorum de hac re conſuluiſſe Pontificem qui Ordinationem Theophylacti, licet pene pueri probavit, & fieri præcepit. Verùm Romano fortiter reſiſtentibus Epiſcopis Græcis Trypho quidam eligitur cum pacto cedendi Patriarchatu intra certum tempus. Lege de hac re Cardinalem Baronium ad an. 943. fieri igitur potuit ut Papa de hac ordinatione conſultus occaſionem huic fabellæ dederit.

20. *In thronum Epiſcopalem aſcendit.* Græcè legitur συναναβαίνεται εἰς τὸ σύνθρονον Sedes eſt multorum capax. In ea ſedet Epiſcopus cum Presbyteris, ideò σύνθρονοι dicuntur qui ſedent. Cum multi adſunt Epiſcopi tum longam illam & arcuatam ſedem occupant. In medio ſedet Epiſcopus, cujus ſedes cæteris paulo altior, quam inſidet Metropolita cum plures ſunt Epiſcopi. Liturgia Chryſoſtomi eam vocat. τὴν ἄνω καθέδραν, & Gregorius Nazianzenus in ſomnio de Anaſtaſia, ὑπέρθρονον, nomine magnificentiore ἔζεσθαι δοκίσασαν ὑπέρθρονος, οὐχ ὑπέρφρων. Et Euſebius hiſtoriæ l. 10. c. 4. *templum ædificavit, thronis ad honorem Eccleſiæ Præſulum in altiſſimo loco collocatis.* Symeon Theſſalonicenſis ſæpius hoc in Ordinatione Epiſcopi teſtatur. Synthronon illud eſt ἐν τῷ βήματι, in Sanctuario conjunctum muro abſidis ſive hemiſpherii quo Altare & Sanctuarium continetur, & conſequenter ingredientibus Eccleſiam Synthronon poſt altare conſpicitur. Symeon Theſſalonicenſis libello de templo circa medium, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ θείῳ ἀνελθὼν συνθρόνῳ, *ſed divinum aſcendens ſynthronon quod Chriſti ad dexteram Patris ſeſſionem notat.* Et paulò poſt, *in ſynthrono ſedent Chriſtum imitatur* συγκαθέδρους ἔχει καὶ τοὺς συνεπισκόπους καὶ ἱερεῖς, *Conſeſſoreſque habet Coepiſcopos, & Presbyteros.* Archieratici parte 6. ἀνέρχεται ἐν τῷ συνθρόνῳ μετὰ τῶν συλλειτουργούντων αὐτῷ ἀρχιερέων, καὶ ἱερέων *thronum aſcendit ſimul cum Pontificibus & Presbyteris qui cum eo ſacrificant.* Et parte ejuſdem 11. ἑστὼς περὶ τὸν τοῦ συνθρόνου βαθμίδας. Sic intelligendus canon 56. Laodicenus, *Non oportet Presbyteros ante Epiſcopum ingredi, & ſedere in Sanctuario, ſed cum Epiſcopo.* Et ante Concilium iſtud Clemens Conſtit. l. 8. c. 5. de Ordinatione agens Epiſcopi, *Mane in ſolio ſibi conveniente a reliquis Epiſcopis collocetur,* ἐνθρονιζέσθω. Joannes Curopalates in Conſtantino, μὴ καταδεξαμένων τῶν μητροπολιτῶν προκαθῆσθαι αὐτοῦ τοὺς συγκέλλους ἐν τῷ συνθρόνῳ, *non tolerantibus Metropolitis Syncellos in Synthrono ante ipſos ſedere,* quæ verba à Cedreno mutuatus eſt p. 597.

21. *Pacem precatur.* εἰρηνεύει τὸν ἀπόστολον. hoc eſt, lecta Epiſtola Ordinatus Lectori dicit εἰρήνη σοι, *Pax tibi.* S. Clemens eodem loco jubet his verbis pacem hoc peracto univerſæ dari Eccleſiæ, *Poſt lectionem legis, & Prophetarum, & Epiſtolarum noſtrarum, & actorum, atque Evangeliorum, ſalutet Eccleſiam Ordinatus, dicens, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis. Et omnes reſpondent, & cum Spiritu tuo.* Hoc honoris cauſa Ordinato conceditur propter recentem Spiritus ſancti gratiam qua per Ordinationem donatus eſt: alioquin ad Metropolitam ſeu celebrantem pertineret.

22. *Faciente autem Protopapa.* Protopapas primus eſt Presbyter, πρῶτος ἱερεύς. vel una voce πρωτοπρεσβύτερος. Presbyter Cardinalis, Parœcus, ſed ampla gaudens poteſtate. Canones Nicæni à Turriano editi can. 57. *Protopapas verò, id eſt, Archipresbyter, honoretur in abſentia Epiſcopi, tanquam Epiſcopus, quia eſt loco ejus, & caput Sacerdotum qui ſunt in Eccleſia.* Codinus ſic eum definit cap. 1. *Protopapas defenſor eſt, & primus in Altari, ſecundus à Patriarcha obtinens.* In notitia Officiorum Eccleſiæ, ὁ πρωτοπαπᾶς ἐκδικος τῶν χριστιανῶν, *Protopa-*

topapas judiciorum vindex. Alia notitia, *Protopapas præficitur officiis ſiniſtri chori cum ſacra facit Epiſcopus, eique ſanctam communionem tradit, ſimiliter Epiſcopus Protopapæ, & in omnibus primas in Eccleſia obtinet.* Tertia notitia, *Protopapa cum Miſſam celebrat Epiſcopus, ſtat ſuper omnes in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, & in divina Miſſa communionem tradit Epiſcopo, & Epiſcopus ipſi. Primas etiam obtinet in Eccleſia privilegiis, vicem Epiſcopi in Eccleſia obtinens.* Phranzes lib. 3. cap. 19. *Magnus Protopapas palatii benedictionem pronuntiabat* In Palatio erat Protopapas, Princeps Eccleſiaſtici Cleri in palatio, ut ait Codinus. B Illius mentionem faciunt Zonaras & Cedrenus. Vide Meurſium in Gloſſario Græcobarbaro. Jacobus Goartius Græcorum morum ſcientiſſimus, in notis ad Euchologium p. 287. ſic ejus officia deſcribit, *Archipresbyter eſt, & antiqui Chorepiſcopi, ſi non nomine, ſaltem poteſtatis ſucceſſor. Nam & inſulis Venetorum Lectores inſtituit, & de rebus Eccleſiaſticis dijudicat. Ubi plures Sacerdotes concelebrant, primas ipſe tenet, & ἐκφωνήσεις Exclamationes profert, &c. Unde & in vicis, Epiſcopo abſente, reliquis Sacerdotibus ſemper præeminet, & in eos jus* C *exercet.* Idem alibi ex uſu Græcorum hodierno ſic diſtinguit, *πάπας παροξύνως* Romanum Pontificem ſignificat, *περισπώμενον* autem in ultima, *παπᾶς*, Sacerdotem ſecularem: Hieromonachus autem, Monachum Sacerdotem.

23. *Orationemque poſt ambonem recitat.* Oratio illa in fine Liturgiæ dicitur, ut videre eſt in Liturgiis S. Chryſoſtomi, S. Baſilii, & Præſanctificatorum; adnoturque in Rubricis, *ἐνταῦθα ὀπισθάμβωνον ἐκφωνεῖν τὴν ἐκ τοῦ ἱερέως ἔξω τοῦ βήματος. Oratio retro Ambonem à Sacerdote extra Sanctuarium alta voce pronuntiatur.* Orationes apud Orientales ſecretò pro- D nuntiari ſolent: fine ſeu concluſione excepta, cui in Euchologiis additur *ἐκφώνως*, ſive *ἐκφώνησις*, hoc eſt, elata voce. Orationem igitur iſtam principalis celebrans pronuntiaturus, primò extra velum & cancellos Sanctuarii egreditur, deinde in media Eccleſia, poſt Ambonem tamen, totam orationem alta voce pronuntiat. Honorificum hoc eſt, ideo Presbytero recens ordinato defertur. Hujus facti rationem reddit Symeon in fine Ordinationis Presbyteralis quam adire potes. Eam quoque enarrat Nicolaus Cabaſilas in fine Expoſitionis Liturgicæ, & S. Germanus in fine Theoriæ de rebus Eccleſiaſticis E dicit orationem iſtam eſſe *quaſi ſigillum omnium petitionum, & ſummam ordine compoſitam, primis & præcipuis epilogis convenientem*; qua ratione autem hoc fiat fuſiùs ibidem explicat.

24. *Cum illud facienti Patriarchæ, &c.* Lacuna eſt in titulo, quam replere ex textu conati ſumus. Quæ ſpecialia adnotantur, Patriarcham ſpectant & Archidiaconum. Hinc quæ titulo deſunt refarcivimus. Si cui non ſatisfecimus, aliter corrupta verba reſtituat. Non eſt hic *ἀκολουθία* ſive officium Ordinationis, ſed admonitio tantum ſive expreſſio eorum quæ ſunt agenda Archidiacono, cum Ordinationem Patriarcha celebrat, cætera eodem modo agenda ſunt quo explicatum eſt capite præcedenti.

25. *Citateriam à Chartophylace acceptam*; Græcè *κιτατήριον*. Idem eſt hoc loco quod in præcedente Ordinatione Epiſcopi & in aliis Ordinationibus ὁ *χάρτης*, Charta, diploma electionis quod à Chartophylace acceptum Patriarcha omnibus audientibus legit. Cedrenus in Artemio Anaſtaſio de S. Germani è Cyzico Conſtantinopolim tranſlatione verba faciens *κοιτατήριον μεταθέσεως ἐκπεφώνηται, ἡ θεία χάρις. Decretum tranſlationis ejus pronuntiatum eſt, Divina gratia, &c.*

26. *Omophorion tradit Archidiacono.* Ut ſcilicet in magno introitu cum ſancta dona ad altare deferuntur, illud deferat. Solet enim Epiſcopi pallium in illa pompa ſolemniter à Diacono præferri.

27. *Tum permittit Diacono, &c.* Hæc verba, ἢ ὑποκλὶθ τῷ ἱερῶτι ἐν τῷ ἄμβωνι ἀλαλάζων. Subobſcura ſunt. Ita illa accipio, ut ſignum faciat Patriarcha, vel Archidiaconus qui ipſi aſſidet Diacono qui eſt in Ambone ut exclamare pergat ea quæ in Liturgia ſequuntur, ſcilicet *πληρώσωμεν τὴν δέησιν ἡμῶν τῷ κυρίῳ*, &c. Officium enim quotidianum Liturgiæ propter ordinationem interpoſitam fuerat interruptum. Tum igitur illi ſignificat, tempus eſſe officium reſumendi.

28. *Sed Archidiacono prius.* Græcè, *ἀφ' οὗ ἐφθάσῃ ὁ ἀρχιδιάκονος*, à quo prævenitur Archidiaconus. ἐφθάσῃ Aoriſtus primus à φθάνω, ſive φθάω, ſicut à φάω, πέφασθαι & πεφασμένος.

29. *Sanctæ doctrinæ.* Intelligit Symbolum Apoſtolicum quod tum à populo dicitur: Nam aliàs iſtud τὸ ἅγιον μάθημα nunquam in Liturgiis pronuntiatur.

30. *Indutus Stycharium, & cinctus, & deſuper Phenolio amictus.* Phenolion illud eſt veſtis Lectorum propria, *καμίσιον* aliàs dicta, de qua fuſè numero 7. Prodit igitur in medium Lector in Subdiaconum Ordinandus cum veſte Lectorali, quam poſtea juxta hunc Ordinationis typum exuit, & remanet cum Stichario veſte Subdiaconali. Reliqui typi melius. Prodit Lector cum Phenolio ante Epiſcopum, qui jubet eum ſe Phenolio exuere, & Stichárium induere. Stichárium Græcè στιχάριον dicitur, & στιχάριν. Nonnulli derivant ab antiquo nomine Latino, *ſtica*, quod gloſſæ Iſidori interpretantur tunicam. Gloſſæ veteres Græcolatinæ στιχάριον dicunt Tunicam. Quidam ἀπὸ τοῦ στίχου, ordine, verſu, linea, quod veſtis illa ſit in longum protenſa, & unius modi ſive tenoris, ſicut linea. Nomen, illiuſque ſignificatio certa ſunt, ſed etymologia incerta. Stichárium veſtis eſt Subdiacono & Superioribus ordinibus communis, quæ Subdiacono in ipſius Ordinatione primùm datur, ut teſtantur Euchologia, & Symeon Theſſalonicenſis, capite de Ordinatione Subdiaconi. Coloris eſt Albi: *Illum autem Stichárium*, inquit ibidem Symeon, *demonſtrat puriores gloriæ Dei radios, amiſſumque perturbationis expertem.* Et de templo, *πρότερον τὸ στιχάριον περιβάλλεται, ὁ δὴ στιχάριον λαὸν φωτεινὸν τῶν ἀγγέλων ἐμφαίνει περιβολὴν.*

Pri-

Primùm Stichario induitur: Sticharium autem lucidum Angelorum amictum demonſtrat, &c. S. Germanus alium myſticum ſenſum tradit. πρῶτον μὲν τὸ στιχάριον λευκὸν ὂν τῆς θειότητος τῷ ἀγγελικῷ ἐμφαίνει, καὶ ὃ ἱερεὺς τῷ λαμπρῷ πολιτεύεται. *Primum quidem Sticharium cum album ſit, divinitatis ſplendorem indicat, & Sacerdotis ſplendidam converſationem.* At Subdiaconos, aut etiam Diaconos, ſpectabat Gregorius Nazianzenus cum ſcripſit in ſomnio Anaſtaſiæ, *Miniſtri autem in ſplendidis veſtibus aſſtabant, fulgoris Angelici imagines*: Codinus de officiis Eccleſiæ CP. cap. 9. de Archidiacono Palatii verba faciens. Φορῶν μὲν τὸ σύνηθες αὐτῷ στιχάριον, φορῶν δὲ καὶ αὐτῷ τὸ φαιλόνιον, οὐ μὴν τὸ ἐπιτραχήλιον, ἀλλ' ὠράριον, *geſtans conſuetum ſibi ſticharium, & ſuper ipſum Caſulam, phelonium, non tamen Epitrachelium, ſed Orarium.* Caſulam Archidiaconus Palatii portat, ſed ex privilegio. In Quadrageſima Sticharia erant purpurea præterquam in diebus Annuntiationis, Palmarum, & magni Sabbati, ut notat idem Codinus.

31. *Facitque Pœnitentias tres.* μετάνοια Græcis eſt ab aliquot ſeculis reverentiæ quoddam genus; μετάνοιαν ποιῶν, eſt coram aliquo ſe proſternere. Eſt autem μετάνοια μεγάλη, & μικρὰ, pro ratione proſtrationis. Unde quælibet corporis inclinatio, & genuflexio à Monachis præſertim dici ſolet μετάνοια. Unde etiam pro Pœnitentia in Confeſſione centum, plureſve μετάνοιαι imponi ſolent. In Euchologiis, Typicis, & Pœnitentialibus frequentiſſimus eſt τῶν μετανοιῶν uſus.

32. *Et Deputato.* Variè legitur apud Græcos hæc dictio, δεπουτάτου, δεπουτάτος, δεπουτάτου. Deputati munus non erat dignitas ſed miniſterium, multo minus ordo. Joannes Epiſcopus Citri in reſponſis, Juris Orientalis lib. 5. p. 328. Ἡμεῖς τὸν καλούμενον δεπουτάτον, οὐ καμισάτον ἔχε ἰσον ἐφφίκια, ἀλλὰ διάκονον ἔχει τὸ ἅγιον βῆμα τούτοις λειτουργοῦντα, *Vocales, Deputati, & Camiſati non ſunt officia, ſed miniſteria circa ſacrum altare ipſis convenienter tributa.* Similiter Symeon Theſſalonicenſis capite de Lectoris Ordinatione. Sed latius nomen officii ſumit, ſub eo complectens & miniſteria. Ipſius enim propoſitum erat de ſolis ordinibus verba facere. *Sunt & alia officiorum χειροθεσίαι, videlicet, Deputati, ſive ut ita dicam, Ceroferarii, qua ante Lectorem celebratur. Iſta neſcio qua ratione non ſit amplius, & nunc veluti defecit. Vigebat autem ante paucum tempus in Theſſalonicenſium Eccleſia, & in Tabularis, antiquiſque archetypis, deſcribitur.* Iſtius officii ſive miniſterii inſtitutionem nobis exhibet vetus hoc Euchologium. Ex oratione colligitur ipſius miniſterium eſſe ſacris lampada ſive Cereum ardentem præferre; qua in re cum Latinorum Acolytho convenit, licet à Græcis ordo ſive χειροθεσία non cenſeatur. Joannes Citri ubi ſupra hoc miniſterium diſertiùs explicat, μανδυοφορῶν, *pallium*, inquit, *geſtans præit cum Cereo ardente cum Evangelium ad Ambonem legendi cauſa defertur; cum ſancta dona ad altare ſolemniter portantur, & cum ad menſam propoſitionis referuntur.* Deputatus lampada deferens ſanctuarium ingrediebatur, ut ex Codino cap. 17. ubi agens de coronatione Imperatoris refert Imperatorem pretioſiſſimis veſtibus ornatum, ſceptrumque manu geſtantem ad prothefin ſeſe conferre, ἐκεῖ γὰρ τότε ἔχει ἐκκλησιαστικὸν, ὃν καλοῦσι δεπουτάτον. *Tunc*, inquit, *locum Eccleſiaſticum habet quem vocant Deputati.* Idem Cantacuzenus lib. 1. cap. 41. cum deſcribit Andronici junioris coronationem. Alii ex antiquis notitiis dignitatum Eccleſiaſticarum tribuunt illi miniſterium in publicis ſolemnitatibus, plebeculam è via ſemovendi, cum procedit Epiſcopus. Interrogatur Nicetas Metropolita Theſſalonic. lib. 5. Juris Orientalis, An Deputatus qui ſecundas nuptias contraxit debeat ſimul cum Epiſcopo introire? Reſpondet hoc illi gratioſe poſſe concedi poſtquam Pœnitentiam bigamis canonicè impoſitam compleverit.

33. *Capita*, κεφαλὰς, ſubaudiendum κλίνει, inclinate, ſcilicet ad benedictionem, ut ſæpius illud diſertè exprimitur.

34. *Et dicit*, videlicet, Propoſitum illius diei ex Pſalterio.

35. *Magnas templi portas.* Eas intellige quæ aliàs ſpecioſæ dicuntur: de quibus lege quæ ſupra n. 15. non autem Eccleſiæ valvas, quibus ab Area in Eccleſiam eſt ingreſſus. Sic & infra in Ordinatione Subdiaconi ex Vaticano codice: Symeon in Ordinatione Subdiaconi eas vocat regias.

36. *Afferri quoque maluvium.* Græce χειροβόξιον, Maluvium, Vas manibus lavandis. Pleraque Euchologia hac dictione utuntur: Apud tamen antiquos autores Græcos non occurrit. Athenæus in fine lib. 9. χέρνιβον dixit ſuo tempore uſurpari pro vaſe quo aqua manibus lavandis effuſa excipitur. Cumque Deipnoſophiſtarum aliquis dubitaret an eſſet dictio antiqua, profertur ex Homero verſus in quo continetur. Attice χερνίβιον dici autor eſt, ut & Phavorinus. Epicharmus χερόνιζα vocavit. Tragicos & Comicos Poëtas notat Athenæus περιξυπνως efferre χερνίβον. Phavorinus quoque maluvium interpretatur, ſed & ipſam aquam quæ manibus funditur: Homerum notat ſemel tantum χέρνιβον pro vaſe ſumpſiſſe, ſæpius pro aqua è vaſe fuſa. Heſychius aquam tantum manibus effuſam interpretatur. Verùm iſtud nominis χειροβόξιον non leges. Si compoſitionis rationem, ut par eſt, habeas, vas politum & fabrefactum aquæ excipiendæ aptum ſignificabit, ut dixit Homerus ξεστὸν τρηπέζαν, menſam politam, lævigatam,

ὣς δ' ὅτε τις ξεστὸν ἐπὶ νόον τρήπεζαν.

Heſychius & Phavorinus ξεστὸν, per γλυπτὸν, λεῖον, ποιητὸν, *ſculptum, lævigatum, confectum* explicant. Compoſitionis hanc rationem & ſignificationem apud Græcos vulgarem eſſe diſertè docent: Joannes Curopalates in Theophilo, *Adhæc dedit vaſa duo, auro, lapilliſque pretioſis ornata, ἅπερ ἡ καινολεξία καλεῖ χειροβόξεια, qua vulgato ſermone dicuntur Chernibexeſta.* Ita quoque Nicetas lib. 3. in Iſacio Angelo.

37. *Et mantile.* Græcè καὶ μανδήλιον. Mappula, manutergium, χειρόμακτρον. Linteum ma-

manibus abſtergendis poſtquam lotæ ſunt. Rectè & neceſſariò cum malluvio conjungitur. Utrumque geſtare ad Græcum Subdiaconum ſpectat. μανδύλιον dictio à Latino mantili derivata. Codinus c. 6. Imperator manu ſiniſtra fert pannum ſericum codici ſimile, δεδεμένον μὲ μανδυλίου, cum mantili ligatum. Moſchopulus μαμδύλιον explicat χειρόμακτρον, manutergium. Heſychius verò, Suidas, & Phavorinus explicant χειρόμακτρον per μανδύλιον, mantile. Huc uſque apud Græcos ſudariolum vulgari dialecto vocatur μανίλι. Sed μανίλια, ſignificant præmium aliquod grati animi argumento datum, non in laboris juſtam mercedem.

38. *Infirmitates*, Græce ἀσθενήματα, mendum eſt, & reponendum τὰ ἀσθενῆ, infirma, ut alibi ſemper. Eſt enim hæc formula in omnibus ordinum & dignitatum promotionibus uſitatiſſima.

36. *Ordo, & officium ad tondendam comam.* Græci non habent, ut Latini, ſolemnem tonſuram à primo gradu Ordinationum diſtinctam. Solent tamen Parvulos tondere, & veſte Clericali induere, ut hac ratione Parentes oſtendant ſe filios ſuos Eccleſiæ conſecrare. Hanc tonſuram tradit Presbyter, nec aliquid operari cenſetur. At ſi Epiſcopus eam conferat, illâ Tonſura Lector creatur, juſque habet ſacras Lectiones in Eccleſia legendi. Hoc nos docet canon. 14. Conc. Nicæn. II. *Quoniam videmus nonnullos à pueris Cleri Tonſuram accipientes, nondum accepta Epiſcopi manuum impoſitione, & in Synaxi in Ambone legentes, id contra canones facientes, fieri in poſterum prohibemus.* Clariùs hoc explicat Balſamon in hunc canonem, *Quoniam, inquiunt Patres, videmus nonnullos à pueris, nigris veſtibus indutos tanquam Deo conſecratos, tonſuráque ſuſceptâ non per ſui Epiſcopi manuum impoſitionem, audentes, poſtquam ad ætatem pervenerunt, divinas Scripturas in ſuggeſtu legere non canonice, ſtatuimus ne hoc fiat, &c. Neve quis divinas Scripturas aliter in Ambone legat, quam ſi Tonſuræ characterem acceperit per Epiſcopalem manuum impoſitionem.* Eadem ratio Tonſuræ Monachalis quæ & ſecularis. Clericis propter crimina canonica, Mœchiam, &c. à gradu ſuo depoſitis, ſi pœnitentiam agant, priorem Tonſuram deferre licet, non autem poſteriorem, cujus virtute Lectoratu defungi poſſunt. Hoc docet canon 21. in Trullo. Si autem Pœnitentiam de crimine non egerint, exteriorem illum Clerici habitum geſtare eodem canone prohibentur. Tonſura illa dicebatur παπιλήτρα, ut autor eſt Balſamon in eundem canonem. Sic etiam antiquitus puelli per capillorum Tonſuram militiæ Eccleſiaſticæ vovebantur, cujus rei fidem faciunt antiqui divinorum officiorum Ordines, & antiqua Sacramentaria, ut videre potes in ordine Romano, & Hugonis Menardi Sacramentario Gregoriano. Gregorius Turonenſis in Nicetio Trevirenſi Epiſcopo ſui temporis conſuetudinem teſtatur, *Nicetius ab ortu ſuo Clericus eſt deſignatus. Nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo puerorum, à capillis nudum quidem cernebatur; in circuitu verò mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Hactenus hic mos pueros & adoleſcentes militiæ Eccleſiaſticæ per Capillorum Tonſuram ab omnibus ordinum Eccleſiaſticorum gradibus diſtinctam conſecrandi per univerſum Occidentem obſervatur. Sed ab annis forſan quingentis, aut aliquot minus, Tonſuræ ejuſmodi Clericali ingentia privilegia in Eccleſia Latina concedi cœpta ſunt, quæ nullus non novit. Tonſura autem in eo textu quem illuſtramus, Lectoralis eſt, qua in Lectorem ab Epiſcopo tondetur & ordinatur. Titulus Tonſuram dicit, ſed Lectoratum conſequenter complectitur, cum ſub hoc titulo Lectoratus ordinatio contineatur: niſi forſan aliquid deſit, nam nonnihil è folio abruptum eſt.

40. *Vas aneum.* Idem eſt quod ſupra χερνιβόξεον, malluvium. χαλκόξεον vocat, eo quod æneum plerumque erat. ξεὸν additur eadem ratione qua χερνιβόξεον, eo quod politum erat, & affabrè factum. Vide quæ dicta ſunt n. 36. Apud nos vile eſſet & indecorum lavare Epiſcopum in æneo vaſe, ἀργυρόξεον eſſe debet, atque etiam κεχρυσωμένον.

41. *Mappam.* Græcè μαζηλόν. Alibi nuſquam legi hanc vocem. E re ſubjecta neceſſariò colligitur manutergii ſpeciem aliquam eſſe à mantili diſtinctam: niſi forte dicas eſſe aqualem, ſive guttum urceolum, quo aqua manibus infunditur; χαλκόξεον malluvium quod aquæ excipiendæ ſubjicitur; & μανδύλιον quo manus abſtergitur.

42. *Connexam precem.* Græcè σωματὴ ſubaudiendum δέησις, vel, αἴτησις, connexa, conjuncta, continua oratio. Ex materia ſubjecta facilè intelligitur quid ſit. Sunt enim variæ & breviſſimæ oratiunculæ ſimul conjunctæ pro diverſis, quales Parochi in Miſſis ſolemnibus, Dominicalibus præſertim, habere ſolent lecto Euangelio, & eo enarrato. Sed habendi modus eſt diverſus: Apud Græcos enim Diaconus hortatur populum ad orandum pro pace, pro Imperatore, pro Exercitu, Patriarcha, Epiſcopo, urbe, &c. ut det illis pacem, victoriam, ſalutem, &c. Clerus autem, reſpondet tantùm, Κύριε ἐλέησον, vel in quibuſdam aliis, σὸν δοῦναι Κύριε, *concede Domine*: Nihil eſt quod apud nos ad ejuſmodi orationum genus accedat magis quàm quæ dicuntur preces, & ad Laudes & Veſperas diebus quadrageſimalibus, Adventus, & Vigiliarum recitantur. Idem dici poteſt de precibus quæ iiſdem diebus ad Primam dicuntur. Preces ejuſmodi ſunt proprie σωματὴ. Eſt autem hæc σωματὴ duplex, μεγάλη, καὶ μικρὰ, magna & parva. Magna, cum plurimæ ejuſmodi oratiunculæ conjunguntur: Parva, cum paucæ. Itaque magna συναπὴ eſſent preces jam notatæ; Parva verò, eæ quæ ad Tertiam, Sextam, & Nonam dicuntur. Eædem orationes frequentiſſime dicuntur τὰ διακονικὰ, eo quod à Diacono ſemper pronuntientur, niſi forſan ob certam aliquam & magnam ſolemnitatem id fiat à Presbytero, aut etiam Epiſcopo, ſi in ea ſolemnitate multi Epiſc. ſimul con-

concelebrent. Dicuntur & εἰρηνικὰ à pace quam ſemper initio petunt. Ejuſmodi preces non mihi videntur aptè ſatis dici collecta. Nam collecta ab autoribus Eccleſiaſticis dicitur oratio ſolitaria quæ in fine alicujus actionis dicitur, quaſi præcedentium collectio & breviculum, ut ait Alcuinus de divinis officiis. cap. de celebratione Miſſæ, Valfridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. Sic dicuntur omnes prope orationes in Miſſalibus & Breviariis aſſignatæ. Sed συναπὴ eſt plurimarum precunicularum globus, aggregatio. Si Græcum morem cum Latino comparemus, Collecta eſt, δέησις quæ poſt συναπὴν dicitur, & in univerſum αἱ δέησις ab iis vocatæ. Sed ut verbis Græci multò magis abundant quàm Latini, ita eorum δέησις orationes, Latinis Collectis ut plurimùm ſunt longiores. Exemplum connexæ precis Latinæ prorſus Græcæ ſimilis habes in Miſſali Ambroſiano inter Liturgica Pamelii ad Dominicam. 2. Quadrageſimæ & Dominicis ſequentibus. Iſtæ preces ſive materiam, ſive pronuntiandi formam, ſive eos qui pronuntiant, aut exhortantur, & reſpondent, nihil habent à Græcis diſſimile. Non ſolùm in Provincia Mediolanenſi erant uſitatæ ejuſmodi preces, ſed etiam in pleriſque aliis locis, ut probari videtur ex can. Vaſenſis Concilii, *Quia tam in ſede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias; dulcis & nimium ſalubris conſuetudo eſt intromiſſa, ut Κύριε ἐλέησον frequentius cum affectu grandi, & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſiis noſtris iſta conſuetudo ſancta, & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperas Deo propitiante admittatur.* Quando autem parva vel magna facienda eſt, adnotant rituales Libri. Frequentiſſimæ autem ſunt apud Græcos ejuſmodi preces: Vix aliquod officium peragunt ſine ejuſmodi precibus, & aliquando ſæpius in eodem officio eas repetunt.

43. *Miniſtrorum.* In textu ſcribitur λειτουργῶν, melius judicamus λειτουργῶν.

44 *Ambas extremitates.* In textu Græco ſcribebatur βαρχάς. Error videtur, pro ἀρχάς, ut jam bis in eadem cauſa Diaconiſſæ ſuperius lectum eſt. Si ſincera lectio ϛαρχὰς, erant alicujus rei extremitates. Aliàs nomen eſt incognitum.

45. *Imponit quoque Epiſcopus omophorion.* Ceremonia eſt peculiaris cujus cæteri codices mentionem non faciunt. Epiſcopus pallii ſui extremitatem quæ intra genua protenditur ſuper ordinandi caput imponit, ſicque precatur. Idem facit quod ſæpe Presbyteros de ſtola ſua hîc facere videmus, unam ſcilicet illius extremitatem ſuper genuflexi caput imponunt, & precantur, vel aliquid è ſacro Euangelio legunt. Idem de pallio ſuo Archiepiſcopus Latinus facere non poteſt.

46. *Sermonem ſanctum, & ſacrum.* In textu Græco genitivi ſunt plurales, ſed legendum judicamus, per accuſativos ſingulares, vel aliquid deëſt. Poteſt ἐν παντὶ ἔργῳ referri ad præcedens, ita ut ſit ſenſus, eiſque fidem in omni opere irreprehenſibilem dedi- A ſti. Menda quoque videtur in ſequentibus, & legendum, τῷ δούλῳ ϛου τῷδε, & eo ſenſu interpretati ſumus. Similiter paulò poſt τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ λεγομένων, legendum τὸν ἐν τῇ κεφαλῇ λογιαμόν.

47. *Sancti Thomæ conſtitutio*, &c. Ordinatio iſta, & quæ ſequuntur, tribuuntur Apoſtolis, ſed immeritò, niſi quatenus fons & origo, ipſaque rei ſubſtantia ab Apoſtolis emanant. Sed vel ex ipſo Clemente conſtat ſacras Ordinationes ceremoniis multò minus abundaſſe, ut utraſque legenti manifeſtiſſimum eſt, nec opus eſt in re tam clara bonas horas malè collocare.

B 48. *Induitur ſervus Dei.* Hæc loquendi formula eſt Græcis frequentiſſima cum de actionibus ſacris ſermonem inſtituunt, imò vix unquam aliam deprehendes, ut vel ex hoc capite & ſequentibus evidenter conſtat. Humilitatis cauſa nunquam ſibi actionem ſacram attribuunt, ſed eam ſemper in Deum referunt, vel manifeſtè & rectà, ut cum dicunt, Divina gratia promovet hunc, &c. quod videmus in omnibus Ordinationibus, nec unquam aliter. Sic apud Codinum de Electione Patriarchæ c. 20. *Sancta Trinitas quæ nobis imperium conceſſit, conſtituit te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Oecumenicum*
C *Patriarcham.* Ita quoque ſæpius Symeon Theſſal. c. 9. & 10. de Sacramento Ordinis, ubi de electione & promotione Patriarchæ. Cedrenus annis multis ante Codinum, & Theſſalonic. ubi de tranſlatione S. Germani è Cycico Conſtantinopolim verba facit, ſcribit tranſlationis Decretum fuiſſe ejuſmodi, *Suffragio & approbatione Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, Divina gratia quæ ſemper infirma curat, & deficientia ſupplet, tranſfert Germanum ſanctiſſimum Cycizena Metropoleos Antiſtitem in Archiepiſcopum hujus à Deo conſervatæ regnatricis urbis.* Vel indirectè, cum Deo, vel divinâ gratiâ non nominata, in tertia perD ſona actionem efferunt, in prima eam efferre reveriti. Hujus reverentiæ multa hîc proſtant exempla; in ritu Baptiſmi, χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, *Ungitur ſervus Dei N. oleo exultationis in nomine Patris, &c.* Et paulò poſt, ἐνδύεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, *induitur ſervus Dei tunica juſtitiæ in nomine Patris*, &c. Κείρεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ. *Tondetur Servus Chriſti N.* Euchologium in officio parvi habitus, *Frater noſter N. tondetur comam capitis ſui in nomine, &c.* Et paulò poſt, *Frater noſter N. induitur tunica jucunditatis, &c.* Cum igitur ſic baptizant, *Baptizatur Servus Dei*, &c. moE rem ſuum perpetuum ſequuntur, qui efficientiam rerum ſacrarum modeſtiæ cauſâ nunquam per primam perſonam ſignificare ſolent.

50. *Et egrediuntur à menſa propoſitionis.* In Sanctuario Eccleſiarum Græcarum præter altare majus, ὑπαπαντίον, τὸ βῆμα, eſt à latere ſiniſtro ſive boreali aſpicientis in altare, menſa propoſitionis, ſive altare quoddam minus, quod τράπεζαν τῆς προθέσεως vocare ſolent, in quo ſancta dona ſolemni ritu à Sacerdote & Diacono præparantur, variis ceremoniis cum particulis ab integro pane excidunturque, Deo præſentantur, thuris odore cum

ſacris

ſacris velis ſuffiuntur, multáque alia fiunt quæ initium Liturgiæ S. Chryſoſtomi minutim docet. Rurſus in eodem Sanctuario tres ſolent eſſe portæ, ſaltem dũæ, porta ſancta quæ maxima eſt, & media, & ſecunda Borealis qua à Choro ad Protheſin itur. Tertia dicitur Auſtralis quæ commoda eſt, ſed non neceſſaria. Diaconus cum Euangelium lecturus magna cum pompa illud ad ſanctam menſam defert, ut à Sacerdote benedicatur, è protheſi & Sanctuario egreditur, & per medium Eccleſiæ gyrans tandem ad portas Sanctuarii medias regreditur. Hanc ſolemnitatem vocant parvum introitum; magnum verò cum longè auguſtiori cum pompa Sacerdos & Diaconus ſancta dona ad altare deferunt. Tum ſimiliter è protheſi proficiſcuntur, & per portam Borealem è Sanctuario egrediuntur, per Eccleſiam gyrant in chorum, ſi ſit aliquis, per portas ſpecioſas ingrediuntur, & in Sanctuarium per portas Sanctas. Ex prædictis facile eſt verba textus intelligere, *Et egrediuntur à menſa propoſitionis.* Specioſæ portæ de quibus hîc fit mentio, jam explicatæ ſunt n. 15. In Liturgiis explicatur quæ ſit utriuſque introitus ſolemnitas quas quiſque poteſt conſulere. Interim huc referam quæ de minori introitu ſcribit Symeon Theſſalonicenſis in Libello de Templo & Miſſa, ut hinc quæ de magni introitus pompa credere par ſit, conjiciatur. *Dum præferuntur faces, & Diaconi bini, iterumque bini præcedunt, ſacrumque Euangelium deſcendit manibus delatum, Pontifex ipſe hinc inde à Diaconis ſtipatus, & ſuſtentatus deducitur; mox autem à tergo Sacerdotes reliqui ſequuntur, & illud, Venite Chriſtum adoremus, clariſſima voce cantant, & Pontificis ſanctæ acclamationes fiunt, paulò ante Diacono, poſt introitus orationem, Euangelium geſtante, & Sapientia Recti, exclamante, reſurrectio Domini, & Aſcenſio adumbratur, &c.* Paulo poſt Græcè habetur ὁ θεὸς εὐλόγησαί σε. Legendum in tertia perſona Imperativi εὐλογησάτω, vel pro pronomine ſecundæ perſonæ legendum αὐτὸν.

51. *Ante ipſum ſtat cum Tricerio.* Græcis Epiſcopis ſolemne eſt benedicere cum Cereo bicipiti ſive biſulco, atque etiam cum Cereo tricipiti, ſive triſulco, cujus unus eſt ramus, ſive capulus & manubrium, duo verò vel tres è ramo ſeu trunco in lineam rectam ramuſculi pullulant. Ramuſculi & Cerei illi duo vel tres accenduntur; Epiſcopus autem certis & ſtatis Liturgiæ locis dicerion vel tricerion accenſum per truncum & capulum capit, & facto crucis ſigno benedicit populo. Dicerion dicitur, ſi truncus & capulus duos tantùm cereos geſtet; Tricerion ſi tres. Symeon Theſſalonicenſis initio Ordinationis Epiſcopi ſic paucis de Tricerio & ejus inſtitutione diſſerit, *Ante divinam Chriſti imaginem Cerei tres accenduntur in gloriam & typum Sanctæ Trinitatis, & quod ab ea nobis veniat omnis illuminatio, & multo magis hæc divinißima. Ideo hinc incipit Tricerium, cujus uſus viget in omnibus ſacris Epiſcopi operationibus, quo evidenter indicatur perfectam illuminationem à ſola & perfecta Trinitate emanare.* Et poſtea, *factoque per tricerium in crepidine ſanctæ menſæ crucis ſigno, non autem in ſynthrono propter Ordinationem, tum Ordinandus à Presbyteris præſentatur.* Idem autor in Libello de Templo & Miſſa, *Verum & bicipiti quodam cereo ſignans Euangelium Pontifex, illuminationem à Jeſu unplici natura conſtante in cœlo & in terra factam, per aſſumptam ab eo humanitatem docet.* Deinde paucis poſt hæc verbis, *Quod ipſum Pontifex declarat, dum rurſus tricipiti cereo Euangelium ſignat, & in eodem Trinitatis prædicationem contineri indicat.* Iterum Pontifex in parvo introitu, cum Euangelium ſolemniter defertur; tricerium geſtat, & Euangelio lecto populum tricerio ſignat, ut verbis ſequentibus idem autor docet. Archieratici pag. 6. *tenenſque* Patriarcha *Bicerium, dextra facit tres cruces ſuper Euangelium in menſa repoſitum dicens tacitè, &c.* Et paulò poſt: *Patriarcha accipiens Tricerium à Canſtriſio facit rurſus tres cruces ſuper Euangelium in menſa repoſitum.* Deinde iterum, *Patriarcha tenens Tricerium, dextra convertitur ad Occidentem benedicens etiam populum, &c.* quod tertia vice ſtatim paulò poſt præſtat. Nec tot benedictionibus cum Cereo bicipiti & tricipiti contentus ſæpius intra Miſſæ quæ ſuperſunt ſolemnia, illas repetit. An autem Tricerii uſus antiquus ſit, difficile eſt divinare. Sanè Triceri mentionem nec in Sancto Maximo, nec in S. Germano reperio. Paulò poſt legitur in textu, ὡς τῇ πρώτῃ, legimus ὡς ἡ πρώτη.

52. *Stat in Solea ordinandus.* Græcè vario modo ſcriptum reperitur, ὁ σωλίας, ἡ σωλία, ἡ σωλέα, τὸ σωλεῖον, ὁ σωλεὺς, aliquando etiam pro σω, ſcribitur σο. Locus eſt in Eccleſiis Græcorum intermedius inter Sanctuarium & chorum. A choro ingreſſus eſt in Sanctuarium, vel à Sanctuario in chorum per mediam Soleam. Altior eſt, & eminentior choro. Illuc uſque procedunt qui corporis Chriſti participes eſſe volunt. Ex una igitur parte cancellis Sanctuarii contiguus eſt, ex altera, choro. Colligi videtur hoc ex loco quem illuſtramus. Codinus c. 17. n. 22. *Imperator ex Ambone, non ex ea parte qua aſcendit; ea ſcilicet quæ ad ſpecioſas portas reſpicit, ſed ex altera qua ſoleam, & ſanctum altare.* Et n. 37. ejuſdem capitis. *Circumeuntes, ut ſolitum eſt vaòν Clerum, veniunt μεχρὶ τῆ σωλεῶς, omnibus aliis extra adſtantibus, Solus Imperator διαχίμενος τὸ σωλία, tranſita Solea reperit Patriarcham in ſanctis ſtantem.* Cantacuzenus ſimiliter, *Ipſe ſolus Imperator tranſita Solea Patriarcham in ſanctis ſanctis ſtantem invenit, in ſacris cancellis ſtantem invenit.* Sæpius idem ex Archieratico colligere eſt, ut initio partis 7. *Exeuntes per oſtium Secretarii, Præpoſito cæremoniis antecedente, progrediuntur per Soleam quouſque ad ſanctas januas perveniant.* Vide quoque initio p. 7. & 9. Hinc evidenter colligitur quo Eccleſiæ loco ſit Solea. Simeon Theſſalonic. ὑπὸ διακόνους καὶ ἀναγνώστας καθῆσθαι χρὴ ἔξωθεν τῆ βήματος ἐπὶ τὸ σωλέα. *Subdiaconos & Lectores ſedere oportet extra Sanctuarium, circa Soleam* Euchologium in Ordinatione Diaconi. *Egrediuntur duo Diaconi è Sanctuario,*

assumuntque Diaconum ordinandum, ἑστῶτα ἐν τῇ σολέᾳ, stantem in Solea, & introducunt eum in Sanctuarium. Et in Ordinatione Presbyteri, *Presbyter ordinandus, ἑστὼς ἐν τῇ σολέᾳ stat in solea, & egredientes duo Diaconi, eum assumunt ex utroque latere, & deducunt eum usque ad sanctas portas, ibique dimittunt Diaconi, & assumunt eum duo Presbyteri.* Ex his non modo constat Soleam spatium esse inter Chorum & Sanctuarium, sed etiam spatium illud esse amplum & extensum.

In originibus Constantinopolitanis refertur Soleam à Justiniano conditum, fornice & camera Ecclesiæ decidentibus confractum fuisse, atque à Justino successore reparatum, sed non cum eodem splendore, ἡ τὸ σολέαν μὴ δυνάμενον πᾶσαν καθὼς ἦταν ποῆσαι, ἐποίησε ὡς ἐσῴζετο νῦν, ἀφωρίσθησαν. Qualia verò prius erant describit Cedrenus, *Trulla sancta Dei magnæ Ecclesiæ quæ fornicata erat cecidit, πέντε ἀμβωνα ἡ τοῦ σολέας ἐξ ὀνυχίτου λίθου ἔντεχνος συνέτριψε, ἡ εἰς χεῦν ἀπεπάλεσε, & ambonem, soleasque qui erant ex lapide Alabastrite contrivit, & velut in terram & rudera illuc agesta convertit.* Soleas, vel solea non videtur illic esse solum, pavimentum, τὸ ἐπίπεδον, licet altius & editius solo contermino, quod vicem teneat alicujus itineris continui inter Sanctuarium & Chorum: Sed sicut ambo, aliquid arte factum in loco jam assignato ex onychino lapide constructum, quod Justinus cum ex simili lapide in integrum restituere non posset, argento, ut & Ambonem, incrustavit. Quid sit Solea in Græcorum Ecclesiis ex locis prolatis judicet Lector.

53. *Et legit Contacion.* Variè à Græcis recentioribus sumitur. Aliquando enim tomum, sive volumen aliquod, sed breve significat; aliquando brevem aliquam Sancti viri laudem, aut brevem de eodem orationem. Ideo rectè à κοντὸς derivant nonnulli quod vulgari idiomate Græco, breve, arctum & pusillum significat. In omnibus enim significatis inest brevitatis & compendii connotatio. In fine Missæ S. Chrysostomi, μετὰ ταῦτα τὸ κοντάκιον, *Postea contacium sive breviculum illius diei legit.* Codinus de officiis Constantinop. Ecclesiæ in tertio quinario ponit Hieromnemonem, Suggestorem, Memorialem cui hæc tria munera tribuit, *ponè Patriarcham preces inspicere, præesse ad ipsius enthronismum, & ad Contacion Ordinationis*, hoc est, Librum ritualem in quo Ordinationes continentur, Patriarchæ suppeditare, atque etiam dicenda indicare. Joannes Episcopus Citri lib. 5. juris Orientalis in responsis ad Constantinum Cabasilam, inter officia Lectorum recenset illud, Præfectum esse τῶν κοντακίων. Idem Codinus c. 7. n. 13. *Ingrediuntur Cantores, multosque annos cantando precantur, psallentes postea Contacium illud, Virgo hodie supersubstantialem parit.* Contacion eo loco hymnus est aliquis brevis in Virginis laudem. Balsamon Juris Orientalis lib. 5. respon. 5. ad Marcum Alexandriæ Patriarcham, interrogatus si gens aliqua Græcæ linguæ ignara est, an illi liceat sacrum lingua vernacula celebrare, Respondet illi licere ἀνάγεσθαι ἐχόντως τὴν εὐωχίαν ἁγίων εὐχῶν ἀποδέχεσθαι, ὡς μεταγεγραμμένα ἐκ κοντακίων καλλιγεγραμμένων διὰ γεγραμμάτων ἑλληνικῶν. *Modo habeat exemplaria sanctarum precum consuetarum invariata, transcripta de contaciis Græce elegantèr scriptis*, hoc est de codicibus. Jacobus Gretserus lib. 1. cap. 7. observationum in Codinum refert ex quodam origine Græco Contacia à vernaculo idiomate Græco κοντῷ esse dicta, & à quodam Romano Diacono Emeseno regnante Anastasio Imperatore, primum inventa, qui ejusmodi Contacia millena composuit, ut refertur in Græcorum Menæis 1. Octobris. Alius Græcus Chius originem ducebat ἀπὸ τοῦ κοντοῦ, jaculo, hasta, unde Homerus Odyss. 1.

Αὐτὰρ ἐγὼ χίρνησι λαβὼν ἐρεμνῇσι κοντὸν.

Quasi contacion esset brevis quædam oratio jaculatoria, vel hymnus quidam brevis in Dei aut alicujus sancti laudem fusus.

54. *Amplior, & locupletior.* Hic ordo prior in paucissimis est præcedente amplior, ut comparanti manifestum est. Sed Amanuensis eum nactus, vel inconsideratè, vel ut falleret, hunc titulum imposuit, Epithetum sonorum suo marte fingens, πλουσιοπαροχωτέρα.

55. *Ut compugnemus, & subjiciamus.* Hoc est, Deum oremus pro auxiliaribus nostris, atque ut hostes nostros superemus.

56. *Et qui illo dono præditi sunt & honore.* In Græco textu, ἐνδομένους, lego ἐνδυομένους, vel ἐνδυομένους, paulò post, αὐτὸν vel abundat, vel αὐτὸς legendum.

57. *Decrevisti regere, &c.* Omissum est in textu Græco participium καθιζόμενον, καταξιούμενον, καταξίους, vel quid simile, vel horum aut similis verbi præteritum, quod interpretando supplevimus. Vel simplicius, pro τοῦ αὐτὸν ἐνδυομένους legendum τῷ, ut referatur ad infinitiva sequentia διατάττει, καὶ διακοσμῶν.

58. *Induit eum hypomanica.* Legendum ἐπιμάνικα. Nam aliàs ubique inter Sacerdotalia vestimenta & ornamenta, recensentur ἐπιμάνικα, sive ἐπιμανίκια, brachialia, supermanicalia, eo quod Sacerdos Missam celebraturus ea imponat brachio super tunicam, non autem toti brachio, sed à carpo manus ad cubitum usque. Græci illa gestant ampla & soluta; ideo loris fericis ea brachio constringunt. Cum dextrum supermanicale accipit Sacerdos dicit, *Dextera tua Domine glorificata est in virtute: Dextera tua Domine confregit inimicos, & multitudine gloriæ tuæ adversarios contrivisti.* Cum verò sinistrum, *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me.* Symeon Thessalon. τῶν ἐπιμανικίων mysticum sensum tradit, *Supermanicalia virtutem divinam omnia efficientem significant, & Jesum suis manibus sacrificium corporis & sanguinis sui per se obtulisse, &c. Quinetiam vincula manuum Salvatoris, quibus ad Pilatum deductus est, quidam hæc supermanicalia exprimere asserunt.* Eandem rationem reddit Balsamon Juris Orient. lib. 5. resp. 37. ad Marcum Alexandr. Patriarcham: Et lib. 7. de privilegiis Patriarcharum circa medium, *Sanctorum Patriarcharum supermanicalia* τὰς χειροπέδας τοῦ κυρίου δοξάζουσιν *catenas manibus Domi-*

Domini injectas celebrant quas volens propter ſalutem noſtram ſuſtinuit, quum inſtar Verberonis ad Caiphan ducereiur.

59. *Troparium Sancti qui eſt in templo.* Vox illa accommodatur prope univerſis Græcæ Eccleſiæ Canticis. Facta eſt ἀπὸ τοῦ τρέπειν, à vertendo, vel eo quod varia ſit vocis in eo cantando modulatio: Vel eo quod Canonarcha cum illius prima commata adnuntiat Choro, variè convertatur. Zonaras, *Troparia dicuntur quia ad tractuum modos inflectuntur, & canuntur,* πρὸς τὸν εἱρμὸς τροπάρια: *vel quod Cantorum voces ad ſonum & numerum tractuum modificant. Niſi enim ad eorum normam modulantium vox dirigatur, nuſquam erit conſonus cantus, aut ſuavis harmonia.* Ita quoque cenſet Arcudius propter eandem rationem. εἱρμὸς autem eſt nexus, ſeries, ab εἴρω, necto. Accedit ad Eccleſiaſticum Latinorum tractum. Ita Zonaras interpretatur. *εἱρμὸς tractus dicitur quod ſeriem quandam & connexionem cantus & conſonantiæ tribuat conſequentibus poſt ſe Troparüs. Nam ad cantum τῶν εἱρμῶν conformantur, & temperantur Troparia; & ad eos relata decantantur, eorumque harmoniam & melodiam imitantur.* Alii deducunt ἀπὸ τῦ τροπαίου, quaſi τροπαιάριον, quod ſit hymnus Sanctorum trophæa & laudes enarrans. Teſtatur Cedrenus in Zenone Anthimum & Timoclem primos τῶν τροπαρίων autores fuiſſe, & ante Cedrenum annis multis idem vulgaverat Theodorus Lector Ecloge 1. S. Germanus in explicatione Liturgiæ ſcribit Troparium ſecundi Antiphoni opus eſſe Ioſephi & Nicodemi, alios dicere à Juſtiniano Imperatore primum eſſe vulgatum. Græcorum Menæa & ritualia Tropariorum mentione plena ſunt. Codin. c. 6. *Canuntur igitur horæ, ut moris eſt, Prima, Tertia, Sexta, Nona cum Troparüs.* Poſt acclamationes factas Imperatori, *Canitur illud Troparium Deus, &c.* Deinde, *Si feſtum in Sabbatum aut Dominicam diem inciderit, cum horæ & Troparia concinuntur.* Innumera ſunt ejuſmodi. A materia nanciſcuntur varia Epitheta, ἀναστάσιμα ἱερατέλεια, in reſurrectionis honorem. σταυροαναστάσιμα in laudem crucis & reſurrectionis, τριαδικὰ Trinitatis: μαρτυρικὰ, Martyrum. ἀνατολικὰ, quæ mane dicuntur: νεκρόσιμα, in defunctorum requiem, &c.

60. *Theotocion.* Troparium eſt in Laudem beatæ Virginis. Poſt Oden ſolent Troparium ejuſmodi cantare. Hujus rei exemplum inſigne videre eſt in Euchologio, in officio ſancti Olei. Plures ibi Odæ ſunt, & poſt unamquamque Oden θεοτόκιον ſequitur, quo ſimul diſces quid ſit Troparium.

61. *Inſerviens.* In illa textus pericope mendum eſt quod illam obſcuram reddit. Ut verba jacent verbum οἰκονεμῶν vel οἰκονομεῖ abundat. Deinde perperam ſcribitur ὀρθοκατάθου, lego ὀρθοκαλάθης. Poſt διέποντα, ſupplevimus ἡ.

62. *Induit eum veſtem decretam,* &c. τὸν πεπυπωμένον στολὴν. Stola non eſt Eccleſiaſtico Latinorum more intellecta, ſed veſtis integra. πεπυπωμένη, ſignificare poſſet, figuratam, variegatam. Sed figuratas veſtes, πολυσταυρίοις, πολυμιτιδίοις geſtare apud Græcos Epiſcoporum eſt & Patriarcharum, non Miniſtrorum & infimorum, ut eſt Deputatus de quo hic agitur.

63. *Induit omnem ornatum Epiſcopalem.* Græcè ἀλλάσσει, mutat, permutat, ornatum Epiſcopalem ſuo, hoc eſt, aſſumit, induit: Recentiores Græci abſolutè etiam ἀλλάσσεσθαι ſumunt pro induere, veſtire ſe, & ἄλλαγμα pro veſtimento: Codinus c. 10. n. 3. ἵνα ὁ ἱερεὺς ψαλλομένου ἀλλάσσῃ ὁ βασιλεὺς, ἐξίῃ τοῦ κελλίου αὐτοῦ μὲ τῶν προρρηθέντων ἀλλαγμάτων. *Dum matutinum officium decantatur veſtit ſe Imperator, atque è Conclavi ſuo egreditur cum prædictis veſtimentis,* & n. 4. ἀλλάσσεσθαι αὐτοὺς καὶ οἱ ἄρχοντες τὰ συνήθη Ἰουδαϊκὰ ἀλλάγματα. In Euchologio initio ordinis baptiſmi, εἰσέρχεται ὁ ἱερεὺς, καὶ ἀλλάσσων τὴν ἱερατικὴν στολὴν, *Ingreditur Sacerdos, & induens veſtem Sacerdotalem,* &c. Hinc quoque ἀλλαξιμάριον Veſtiarium; ut autor eſt Codinus c. 5. n. 15.

64. *Et omnes Calogeri.* Græcorum vulgus Monachos vocat Calogeros; quaſi bonos ſenes, καλογέρους, & contractè καλογήρους, ſive καλογήρους. Probabile eſt Monachos ætate provectos primum ſic vocatos, & eorum Superiores, & paulatim honorificum hoc nomen ad omnes prorogatum. Hæc nominis compoſitio antiqua eſt, & Monacho ſeni tributa: Palladius in hiſtoria Lauſiata c. 103. Innocentium ſenem Monachum vocat καλόγηρον. Eadem ratione Monachæ Græcis vulgo dicuntur καλογρίαι, quaſi καλαὶ γερῶσαι, ſive γερόντισσαι.

65. *Sapientia recti.* Exclamatio eſt quam pronunciat Diaconus cum Euangelium lecturus eſt. In Liturgia S. Chryſoſtomi, *Completo ultimo troparo in medium procedit Diaconus, & ſtans ante Sacerdotem paululum attollit manus, & demonſtrans ſanctum Euangelium alta voce dicit,* Σοφία ὀρθοί. *Sapientia recti.* S. Germanus hæc verba ſic interpretatur, *Sapientia, ſermo Dei. Recti audiamus ſanctum Euangelium, id eſt, erigamus mentes noſtras cum operibus a terrenis, & intelligamus bonorum declarationem,* &c. Hæc Nicolaus Cabaſilas c. 21. Liturgicæ expoſitionis multis explicat. *Hæc quoque acclamatio, Recti, habet adhortationem. Quæ eſt autem adhortatio? Vult nos eſſe certamini intentos, qui ad Deum & divina myſteria accedimus, & non ſocorditer, ſed cum ſtudio & diligentia, omnique reverentia in eis verſari, &c. Et hoc primum ſignum oſtendere hujus ſtudii & reverentiæ corporis erectionem, ut non ſedentes, ſed recti hoc agamus.* In textu Græco eſt σοφία ὀρθή, *Sapientia recta,* ſed ὀρθοί frequentius legitur, & illud interpretantes ſequi maluimus.

66. *Ut ordinetur in Epiſcopum & Præpoſitum, &c.* In textu Græco ſuperflua eſt repetitio tam nominis πίστως quàm pronominis infiniti, τῦ δεῖνα, ut etiam infra.

67. *Uſque ad candam Aquilæ.* In Ordinatione Epiſcopi ſolent Græci deſcribere in ſolo Sanctuarii æres fluvios; ſupra fluvios urbem; ſupra urbem, Aquilam. Simeon de ordinatione Epiſcopi. *Cum verò electus tres fluvios pertranſiit in ſolo per gypſum figuratos qui doctri-*

doctrinæ donum ad quod vocatus est, significant, subjicit super urbem ob oculos descriptam, quæ ipsius Episcopatum indicat. In cujus summitate aquila similiter describitur, puritatem, velocitudinem, & altitudinem Theologiæ subindicans, &c. Cætera apud eum legi possunt, cum præsenti Ordinationum syntagmati sit insertum. De hac Aquila textus loquitur. In principio Archieratici graphicè describuntur paucis verbis, istorum locus, situs, & ordo: *Anabathram Patriarchæ præparant intra templum ad januas regias, vel etiam in ferula. In extremis autem gradibus ex utraque parte Pontificias sedes ponunt. In medio verò sedium ab extremo gradu ceremoniæ Præpositus Aquilam cum luminari depingit, caput illius ad partem Anabathræ statuens; circa pedes verò ejusdem figuram civitatis pingit, & subter civitatem fluvios tres. Quæ quidem cum speciosè instruxerit, collocat Ministros extra sedes qui pictturam custodiant, ne qui pertranseant, & ejus contemnant.*

68. *Et Spiritus sanctus à Patre procedit.* Symeon Græcus errorem Græcorum sequitur, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Putant enim hoc si non concedatur, duo fore sancti Spiritus principia, Patrem & Filium. Sed non animadvertunt Patrem & Filium unicum esse Spiritus Sancti principium, unicamque esse Patris & Filii spirationem, sive processionem activam, qua Pater & Filius ut unum principium spirant & producunt Spiritum sanctum. Cum autem sit hæc doctrina apud Latinos vulgata, non opus est in ea explicanda diutius immorari. Sæpe etiam animadvertes in hac confessione Patrem non modo dici Filii & Spiritus sancti principium ἀρχὴν, sed etiam αἴτιον, causam, quod Latini refugiunt. Verùm ipsi Latini Græcos excusant, prætexentes αἴτιον amplius significare quàm Latinè causam. Ideo ἄιτιον commodè dici posse de Patre respectu Filii & Spiritus sancti, quia hoc modo denotatur tantùm principium & origo à quibus res emanat, & procedit. At causa Latinè dicitur effectus, & rei creatæ. Quapropter si de Filio aut Spiritu Sancto diceretur, consequeretur Filium, aut Spiritum Sanctum esse creaturas. Ut ambiguum igitur sensum vitaremus αἴτιον Latinè originem transtulimus.

69. *Defert Electo subgenuale.* ὑπογονάτιον, Ornamenti sacri genus est Græcorum proprium, cujus nullus usus apud Latinos commemoratur. Illius figura est quadrangula, latitudinis sesquipalmi, vel circiter; à Zona dependet, & super femur ad usque genu fluitat; inferius enim nullo loro constringitur. Symeon de templo, *Pontifex insuper à Zona dependens supergenuale fert, quod Victoriam adversus mortem, nostræque naturæ immortalitatem, & vires Salvatoris contra maligni Dæmonis tyrannidem robustissimas ostendit. Quamobrem & Romphææ similis est, & lunulis alligatur.* Eandem rationem reddit Symeon in Ordinatione Episcopi: Et eo videntur tendere verba quæ pronuntiare jubetur is qui illud sibi accingit, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, &c. Sanè videntur Græci in hac comparatione ἀλλοσχοπῆ laborare. Quid enim cœcius quàm supergenuale ensi comparare? Nulla prorsus intercedit similitudo, nisi forte quod supergenuale ab angulo lateri suspendunt, unde fit ut angulus inferius propendeat, & sic quandam aciei imaginem repræsentet. Ornamentum hoc solis Episcopis deferre licet. Ita ordo sacræ Liturgiæ, εἶτα λαβὼν τὸ ὑπογονάτιον, ἐν ἐσῃ πρωτοσύγκελ- τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἢ ἄλλος τις ἔχων ἀξιότητα τοιαύτην. *Sumit postea subgenuale, si est Protosyncellus magnæ Ecclesiæ, aut aliqua alia dignitate ornatus est.* Severior est Balsamon in resp. 37. ad Marcum Alexandrinum Patriarcham: A gestatione enim Subgenualis ita excludit Abbates, & Protopapas, ut eo honore solos Episcopos dignetur. Aliud tamen fert Græcorum praxis, ut ex Liturgiis eorum, & usu quotidiano colligitur. Vulgo vocant ὑπογονάτιον, Subgenuale; Malè: Illud enim supra genu gestant. Itaque propriè est ἐπιγονάτιον, sive ἐπιγονάτιον, quod posterius nomen aliquando usurpant. In Archieratico p. 2. ὁ ὢν ἐπὶ τῶ γονάτων λαβὼν τὸ ἐπιγονάτιον, & alibi.

70. *Illud tenent super faciem*, ἐπὶ κεφαλῆς, referri potest vel ad antecedens, vel ad consequens. Utroque modo difficilis est sensus: Nam Euangelium ponitur super partem faciei obversam, cervicem scilicet, non super faciem. Sed intelligendum videtur, super faciem poni, vel teneri Euangelium; eo quod cum ordinandus inclinat cervicem, inclinat quoque faciem, ideo Euangelium sub quo facies inclinatur, meritò dicitur super faciem imponi, hoc est faciei obversum.

71. *Manuum impositiones.* Græcè χειροθεσία, & χειροθεσίαι non semper sumuntur pro ordinatione quæ characterem imprimit, & Sacramentum sit. Sed pro benedictione qua orationi conjungitur manus impositio, & dignitas, vel officium aut ministerium aliquod Ecclesiasticum confertur, aut illius exercitium restituitur. Sic à plurimis sumitur can. 8. Nicæno, in quo de Novatianis dicitur, *Sanctæ magnæ Synodo visum est, ut impositis eis manibus sic maneant*, ἄρα χειροθετούμενοι αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Ita censuit & publicè hunc canonem interpretatus est Thamasius CP. Patriarcha actione 1. Concilii Nicæni II. Et can. 14. ejusdem Concilii, per χειροθεσίαν, qui est Presbyter, Monasterio præficitur, quod & testatur eo loco Zonaras. Deinde in præcedentibus promotionibus Abbatum, Archidiaconorum, Archipresbyterorum, &c. Episcopi manuum impositione semper usi sunt. Idem etiam antiquitus in Abbatum & Abbatissarum benedictione usurpabatur. Nihil mirum igitur si Symeon Thessal. hoc nomen eodem modo ampliat. Non est igitur statim concludendum, manus imposuit, ergo ordinavit, & consecravit. In omni Ordinatione sacra fit manus impositio, sed non in omni manus impositione qua confertur aliqua dignitas Ecclesiastica, fit ordinatio. Legendus Symeon libri sui capite ultimo, ubi utramque ordinationem optimè & multis verbis distinguit.

72. *Nihil enim Minister.* In textu Græco menda

menda videtur, & legendum λειτυργὸς, non λειτυργικός.

73. *Postea obsignatur.* Apertè distinguit inter benedictionem per signum crucis datam, & σφραγίδα, sigillum, obsignationem. Sigillum enim appellat Tonsuram Capillorum in figuram crucis factam. Itaque quum Græcis περὶ τῆ σφραγίδος, de sigillo sermo est, non est simplex crucis signum intelligendum, sed Tonsura in figuram crucis facta, quæ in causa ordinationis ab iis dicitur primum sigillum; ut paulò post in eadem Ordinatione non semel Tonsura illa dicitur absolutè σφραγίς.

74. *Ut ipsius sanctificatio.* In textu scribitur, ἵν' αὐτὸ, lego ἵν' αὐτὸς, ut referatur ad ἁγιασμὸς, quod sequitur, ut supra sæpius dicitur Christus ipse, κορυφὴ, σημεῖον, κεφαλή.

75. *Nonnulli verbis lectis attendunt, &c.* Consuetudo illa de verbis libri Scripturæ fortuitò aperti conjiciendi futura, & quasi prophetandi, antiqua est. Refert Gregorius Turonensis histor. l. 4. 16. Chramnum regis Clotarii I. Filium contra Patrem bellum meditantem, quid ipsi eventurum esset inquirere voluisse, *Positis Clerici tribus Libris super altarium, id est, Prophetiæ, Apostoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret, ostenderet; aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, divina potentia declararet. Simulque unam habentes conveniendam, ut unusquisque in Libro, quod aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret.* Id factum est, sed apertis Libris omnia Chramno infausta occurrerunt. Celebre aliud ejusdem moris exemplum legitur ejusdem historiæ lib. 5. c. 14. de Meroveo Chilperici filio contra Patrem bellum parante, qui similiter tribus Libris supra tumulum S. Martini positis, post triduum jejunii eos aperuit, sed legenti nihil nisi sinistrum & ominosum contigit. Contra ejusdem historiæ lib. VIII. c. 4. ut omen felicissimum acceptum est in Childeberti nativitate, quod eodem prorsus momento nuntiatum est Patri Missam audienti filium illi natum esse, quo Diaconus Euangelium legens hæc Euangelii verba proferebat, *filius natus est tibi.* Quo concursu, & Rex & circumstans populus ingenti lætitia perfusus est. Longè ante hoc tempus idem fecit S. Euvertus Episcopus Aurelianensis cum morti proximus S. Anianum sibi succedere procuraret. Propositis tribus Libris, iisque apertis, omnia fausta lecta sunt, quibus Clerici & Cives persuasi in S. Aniani electionem consenserunt, ut refert autor antiquus in vita S. Aniani 17. Novembris. Hoc prædicendi genus non fuit S. Augustino incognitum, sed illi non placuit: Sic de eo censet Ep. 119. *Hi qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut id potius faciant, quam ad Dæmonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam, divina oracula velle convertere.*

76. *Fervidam Sacerdoti affert.* Solent Græci post consecrationem, cum jam sunt communicaturi, aquam fervidam calici miscere quam τὸ ζεὸν, fervens, seu fervidum, atque etiam ζέσιν fervorem, nuncupant; ut in eorum Liturgiis videre est. Hoc faciunt ut gratiam Spiritus sancti in sacrificio præsentem significent, atque ut Communicantes videantur sibi sanguinem & lac è Christi vivi mammis sugere & potare, vivificumque Christi corpus mansisse, licet anima à corpore separata. Videndus S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Symeon, Libro de Templo, & Nicolaus Cabasilas c. 37. Liturgicæ expositionis. Hanc aquam calefacere propriè pertinebat ad eos quos Camisatos vocabant, ut testatur Joannes Episcopus Citri Juris Orientalis lib 5. *Camisati ut circumferendis ad altare carbonibus ignis, & sacris cacabis calefaciendis occupati sunt, ut illinc more solito aqua fervens sacris poculis infundatur.*

77. *Sive canonem incipit.* Græcè ἤτοι κανονάρχει. Κανονάρχης officium est Ecclesiasticum in choro quod paucis verbis explicat Symeon, scilicet divinos hymnos psallentibus περιλέγειν prædicere, præcinere. Canonarches igitur ille est qui certis hymnis & Tropariis longioribus cantandis præcinit. Cum enim Græci non habeant, ut Latini, magnos & expansos Libros in quibus non modo textus cantandus, sed etiam toni Musici majoribus literis descripti sunt, ad quos cantus causâ magna Chori pars confugere possit, istius adminiculi loco Canonarchas habent, quorum munus est universo choro præcinere, & quid cantandum sit, & quo tono cantandum. Dicuntur autem Canonarchæ, eo quod eorum munus sit canones, id est, certos hymnos multis tropariis constantes, & canones dictos, aliis præcinere. Quid sit canon facilè disces ex eo quod refert Gretserus lib. 3. Observat. in Codin. c. 7. ex Græcorum Triodio, ut explicet vigiliam magni canonis: sic ille Græca interpretatur, *Appellatur autem magnus canon, ut forte quispiam dixerit, propter sententiarum pondus & gravitatem, quarum ferentissimus est Canonis hujus autor in his componendis præclarè exercitatus: cumque cæteri canones, triginta aut paulò amplius, Troparia contineant, iste ad ducenta & quinquaginta progreditur, quolibet ex illis ineffabilem stillante dulcedinem.* Qui Canonarchorum primus erat, dicebatur ὁ πρωτοκανονάρχης de quo mentionem facit Codinus c. 1. in octavo dignitatum Quinario. Nonnulla alia recenset Codinus c. 6. Canonarcharum Palatii munera, *Canonarcha imagines adferunt, & tabulatum erigunt, ex quo pendent sanctæ imagines Nativitatis Christi, & alia tres, vel quatuor.* Protopsaltes autem à Canonarcha plurimùm differt, quantum scilicet canon à promiscuis hymnis & cantibus. *Protopsaltæ officium*, ut referunt officiorum Ecclesiasticorum notitiæ à R. Patre Goartio in lucem editæ, *est inter duos Choros, dextrum & sinistrum, medium stare. Exordium verò psalmodiæ ipse aggreditur, quem sequuntur Cantores cuncti.* Itaque universim loquendo, Protopsaltes idem prope est qui Latinis Præcentor.

78. *Pontifice igitur stante, &c.* In textu additur, ἐλλαγμένε, irreptitium videtur; quapropter dictionem illam non transtuli: nisi forsan de veste dicatur, ut sit sensus: Pontifice igitur stante & vestito, &c. ab ἐλλάσειν vestire

ſtire ſe; induere, vide ſupra n. 63. Paulò infra, poſt ϖεϱιζωννύναι τὴν, ſupplendum videtur, ὡς.

79. *Et porphyreum camiſium.* Vide quæ dicta ſunt n. 7.

80. *Manibus autem malluvium tradit.* Textus, χεϱνιβίσιν ἢ ξεϱὴν ϖαϱίχει. Euchologia una voce hoc enuntiant χεϱνιβόξεϱον. De quo vide quæ ſcripſimus n. 36. Quid hîc ξεϱὴ aut ϖαξυτονῶς ξέϱη ſignificet, difficile dictu eſt. Nota eſt reſpectu Etymi ſignificatio, de qua eodem loco diximus. Suidas ξεϱὸν dicit eſſe liquidorum menſuram: Alludit ad Latinorum Sextarium. Quidquid ſit Symeon ξεϱὴν ſumit pro vaſe. Quo ſenſu ξεϱὴ commodè pro aquali quo aqua infunditur, ſumitur, & χεϱνίβιον pro malluvio ſive pelvi, quæ aquæ effuſæ ſupponitur. Uno nomine malluvio, contenti fuimus. Poſtea quoque Symeon in Ordinatione Diaconi dictionem compoſitam, non dividit, jubet, inquit, Epiſcopus, τὸ χεϱνιβόξεϱον δοπίδεσθαι. Vide que de μανδύλιῳ dicta ſunt Num. 37.

80. *Epiſcopus autem manus extendit, &c.* Græcè ὁ ἱεϱοϱχὴς ὑ ὑφαπλοῖ τὰς χεῖϱας, ἢ τύπτα διχέται. Vix dubium eſt legendum eſſe τὰ νόμιμα. Sed quo feratur hæc Pericope non video, aliquid deeſſe videtur, quo iſta cum Superioribus conjungantur.

81. *Cruces quoque in capite geſtant.* Omnia prope officia magni momenti in Græcorum Eccleſiis Cathedralibus per Diaconos adminiſtrantur, iiſque conferuntur maximæ quæque dignitates Eccleſiaſticæ, ut hîc teſtatur Symeon. Ii autem quibus convenit judicia exercere, liteſque dirimere, cruces in capite geſtant, ut ab aliis diſtinguantur, dicunturque ϛαυϱοφόϱοι. Alibi Symeon idem clarius hoc explicat, τινὲς ὧν τῶ ϖϱώτων ϖϱεσβυτέϱων, ἤτοι οἱ ϛαυϱοφόϱοι τῶ ἀϱχιμανδϱιτῶν τί τινες ἢ ὑπεϱνάϖια ἔχουσι. τοῦϖ ἢ κατὰ δωϱεὰν ἐσὶν ἀϱχιεϱατικὴν, ὡς ὁ ϛαυϱός. ἰδεὶς γὰ πλὴν τοῦ ἀϱχιεϱέως, τὸν ϛαυϱὸν ϖι ἐν τῷ φαινολίῳ, ἢ ἐϖὶ κεφαλῆς, ἢ ὑπεϱνάϖιον φέϱειν δύναται. τούτοις ὧν ὅμως ἀϕ' τῶν ϖϱώτων τῶν ἄλλων χειϱοτονεῖσθαι, τὸν ὑπὸ κεφαλῆς ἔχειν ϛαυϱὸν μόνον, ἢ ὑπεϱνάϖιον ἐν τῇ ἱεϱωσύνῃ Φοϱεῖν δίδοται. ἐϖὶ μετὰ τὴ ἱεϱοσύνης ἢ πϱώτῃ χειϱοτονίαν οἱ μὲν ἔχουσι, ἢ ἀϱχιμανδϱίας μεγίσης ἐκκλησιαστικῆς τινος. οἱ ὧν ϖϱεσβύτεϱοι ψυχῶν ἢ Οἰκονόμοι καθίσανται. ἢ σημεῖά τινα ϕέϱουσι τῶ ϖϱώτου ϖϱεσβυτέϱου, ὡς ἂν ἐκεῖνον ἢ ἐκμιμοῦνται. *Primorum Presbyterorum quidam, qui videlicet cruces in capite geſtant, Archimandritarum quoque nonnulli Supergennalia habent, eo autem privilegio gaudent, ut & cruce, ex beneficio Epiſcopali. Nullus enim præter Epiſcopum geſtare poteſt cruces, nec in Phœnolio, neque in capite, nec etiam ſupergennale. His tamen quia aliorum primi ordinati ſunt, conceſſum eſt crucem ſolam ſuper caput habere; & Supergennale ferre cum ſacris operantur, eo quod alii cum Sacerdotis & Judicis Ordinatione, maximam aliquam adminiſtrationem Eccleſiaſticam habeant: Alii vero Paſtores animarum, & Oeconomi conſtituantur. Unde inſignia primi Paſtoris gerunt, ut & ipſum imitentur.* Horum Crucigerorum, ut pote poſt Epiſcopos, maximæ dignitatis, ſæpiſſimè mentio fit in Concilio Florentino, ut initio ubi deſcribitur adventus Patriarchæ Ferrariam: *Die verò Dominico mane, juſſu Patriarchæ celebrata eſt Miſſa per quindecim circiter Sacerdotes in ejus Palatio, aſſantibus ordine Epiſcopis, ἢ τοῖς ϛαυϱοφόϱοις & crucigeris.* Et paulò poſt ſub eodem titulo, poſtquam relatus eſt Epiſcoporum conſeſſus, *Deinde ſederunt cruce ſignati ϛαυϱοφόϱοι ἀϱχοντες, viri principes, ſive dignitatibus primis illuſtres circum Patriarcham.* Poſtea ſæpius, atque ut hîc, eorum locus circa Patriarcham aſſignari ſolet. Sæpe ſolent Græci tegumenta capitis crucibus inſignire in autoritatis argumentum. Refert c. 3. Cod. de officiis aulæ CP. Pileos generorum Imperatoris, ſi ſint Deſpotæ, inſigniri crucibus ex Margaritis: eorumque Imperator in antiquis Picturis nobis repræſentatur in vertice capitis crucem geſtans. Imò notat idem Symeon in fine cap 5. de Sacramento ordinationis, omnia prope Diaconorum veſtimenta, ſed præcipuè capitis umbellas ſive pileos, crucis figuram exprimere.

82. *Quia unius, ſcilicet divini miniſterii.* illic ἑνὸς neutraliter ſumitur, unius rei, & ſubauditur δηλαδὴ, vel ἤτοι.

83. *In quibus ipſe habitat.* Græcè, ἐν αἷς αὐτὸς ἐν οἰκεῖ, Præpoſitio ἐν ſaltem redundat.

84. *Et gratiam producit.* In textu legebam, ἐϖαίϱει, reſtitui ϖοιεῖται. Si retinendum eſſet ἐϖαίϱει, ſignificaretur Epiſcopum gratiam pulſare, excitare, provocare, à αἴϱειν, quod coactum mihi videtur. Paulò poſt, ἢ τὴν, legendum ἢ τῶν κατὰ τόϖον, &c.

85. *Multos fratrum, &c.* ſcribebatur ἀδελφετῶν, ſcribendum videtur, ἀδελφῶν. Nam ἀδελφετῶν nec Græcum eſt antiquum, nec hodiernum. ἀδελφάτον quidem dicitur, & eo nomine ſignificatur quædam Eccleſiaſtica hominum conſociatio, ſeu congregatio, quæ varia bona poſſidebat, ex quibus annua penſio unicuique Collegæ ſeu Confratri pendebatur: Penſio ipſa ſeu reditus annuus ἀδελφάτον dicebatur. De his Adelphatis & aliis ejuſmodi beneficiis, extat Alexii Comneni Imperatoris conſtitutio, referente Balſamone lib. 2. Juris Orientalis p. 138. & in Concil. 6. c. 37. & de Privilegiis Patriarcharum, qua permittitur ἀδελφάτα poſſidentibus, cum ad Epiſcopatus eliguntur, ἀδελφάτα retinere. Nonnulli enim Epiſcopatus refugiebant, ne ἀδελφάτων ſe abdicare cogerentur. Sed iſta textui noſtro non conveniunt.

86. *Sed materia expers.* Ita ex ſenſu conjeci; nam cum hoc deſcribebam, lectionem ſenſui commodam aſſequi non potui, nec ex litteris quæ ſuperſunt quid vocabuli ſit, divinare.

87. *Presbyter qui à Dionyſio.* Græcè ὁ ϖϱεσβύτης ὁ, Nihil ſequitur à quo regi poſſit Genitivus ille, niſi ſubaudiatur χειροτονία, & referatur nominativus ille ad verbum longè poſitum, ἕτω ἀναβὰν ἐπεϱχῆται.

88. *In oblatione quæ in ea fit, offertur.* Duplex apud Græcos in Miſſa fit offertorium, minus & majus. Minus in Menſa τῆ ϖϱοθέσεως, *Propoſitionis*, ante Miſſam inceptam, cujus multæ ſunt ceremoniæ, quæ initio Liturgiarum Græcarum deſcribuntur. Offertorium enim

enim illud est ad Missam Græcam præparatorium S. Germanus illud vocat προσκομιδὴν oblationem, offertorium: Non enim aliter possunt intelligi hæc verba, τὸ δὲ σκεπαστήριον ἔχει ἡ προσκομιδὴ ἅπλωται. Habet etiam oblatio ista precem suam, quam vocant εὐχὴν τῆς προθέσεως precem propositionis: *Domine Deus noster, &c. ipse benedic hanc propositionem, & suscipe eam in supercœleste tuum altare. Memento ut bonus & benignus, eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt, &c.* Ejusmodi oblatio apud Latinos non est in usu, nec ulla earum ceremoniarum quibus peragitur. Offertorium majus fit post Euangelium Lectum, expulsos Catechumenos, & magnum introitum celebratum, hoc est, post sancta dona in mensa Propositionis oblata & benedicta, & ad sanctum altare, magnificè delata. Postquam enim reposita sunt in sancta mensa, Deo primùm, ut apud Latinos, offeruntur; deinde consecrantur. Hæc oblatio propriè nobis est offertorium, & oratio quam tunc habet Sacerdos, à Græcis dicitur εὐχὴ τῆς προσκομιδῆς, *Oratio oblationis.* Ait igitur author panem secundum, qui Presbytero ordinato datur, ut videbitur postea, in mensa propositionis, id est, in prima oblatione, Deo, antequam ordinatio incipiat, offerri.

89. *Et velo quod aër dicitur, sive agnus.* Græci in Missa triplici velo ad tegenda sancta dona utuntur. S. Chrysostomi Liturgia, duo priora non aliter distinguit, quàm unum vocando πρῶτον καλυμμα, alterum δεύτερον κάλυμμα. Primum etiam dicitur διακοκάλυμμα, disci operculum, tegumentum. Primo discus sive patina in qua panis consecrandus ponitur, & consecratus quiescit, tegitur; Secundo calix. Tertium velum quod utraque tegit, ἀὴρ aer dicitur. S. Germanus in Theoria Liturgiæ, τὸ καταπέτασμα, ἤγουν ὁ ἀὴρ, *Velum, sive aer, est & dicitur esse vice Lapidis quo munivit Joseph monumentum, quod obsignavit tabella custodiæ.* De velo autem disci philosophatur, τὸ διακοκάλυμμα *est pro sudario quod super ejus facie erat, circumtegens ipsam in sepulchro.* In Typico Sabbæ c. 30. dicitur hanc veli istius sacri appellationem ab usu Hierosolymitano derivatam esse, atque innuitur in aliis Græciæ locis velum illud ἀναφορὰν vocatum esse, per synedochen, nomine rei rectæ cum tegente communicato. περὶ δὲ ὁ ἱερεὺς τὸ καλύμμα ἐκ τῆ ἁγίων, ᾧ σκεπάζει αὐτὰ μετὰ τῆς ἀναφορᾶς, ἤτοι τῷ ἀέρι. ὅτε γὰρ καλεῖν εἰώθασι αὐτὰ ἐν τοῖς τῆ ἱεροσολύμων μέρεσιν. Symeon Thessalonicensis velum illud ἀμνὸν vocat, quod ipsi est speciale. Ita velum illud in ea Provincia vocare solebant.

90. *Exclamatione ad Deum, &c.* Sæpissimè hoc occurrit, ἐκφωνήσας, ἐκφώνησις, ἐκφώνως. Quibus verbis nihil aliud significatur quàm orationis conclusionem alta voce esse efferendam. Sæpissimè enim Græci preces Ecclesiasticas submissa voce recitant, sed conclusio semper alta & sonora voce profertur.

91 *Quod indumentum est album, &c.* Vide quæ de Phenolio diximus n. 7. De eo enim eo loco multis dictum est.

92. *Quod tunc est perfectum Epitrachelium.* Duo sunt diversa Sacerdotum ornamenta, Orarium & Epitrachelium, ut videre est in Græcorum Liturgiis, ubi Sacerdotes separatim illa assumunt, iisque cum induuntur verba Scripturæ diversa tribuuntur. Id quoque videre est apud S. Germanum, Codin. c. 9. de Archidiacono Palatii, *seu super ipso Phelonem,* ἀμὴν ἢ ἐπιτραχήλιον, ἀλλ' ὠράριον, *Non tamen Epitrachelium, sed Orarium.* Idem observat Symeon in Libro de Templo, Epitrachelium est stola Sacerdotalis: Orarium, stola Diaconalis Epitrachelium soli Sacerdotes deferunt: Orarium verò deferunt & Sacerdotes & Diaconi; Sacerdotes super utrumque humerum; Diaconi super humerum sinistrum. Multùm autem stola una differt ab altera. Epitrachelium est latius Orario; Deinde Sacerdos Epitrachelium stringit ante pectus, sed Orarium gestat solutum & fluitans, neutrâ partium adstrictâ. Denique Orario ter inscriptum est ἅγιος, Epitrachelio verò nihil. Vide quæ de Orario diximus n. 6.

Epitrachelium verbum è verbo sonat supercollare. Eadem ratione Orarium Sacerdotis dici posset ἐπιτραχήλιον, eodem enim modo super & circa collum gestatur. S. Germanus illud etiam vocat, περιτραχήλιον, cujus mysticum hunc sensum rimatur. *Pertrachelium est fascia, qua producebatur a Pontifice vinctus & tractus in anteriorem partem per collum Christus, ad patiendum ipse proficiscens. Epitrachelis dextera pars denotat arundinem quam dederint illudentes dextere Christi. Leva pars, crucis est gestatio super humeris ejus.* Idem paucis verbis Balsamon de Privilegiis Patriarcharum, τὰ ἐπιτραχήλια, τὸ φελόνιον τὸ ἱλικώσει τὴν ζωὴν πρὸς τὸν θάνατον. *Epitrachelia, lorum illud quod vitam ad mortem traxit.* Symeon Thessalon. de Templo, *Stola Sacerdotalis* ἐπιτραχήλιον, *imitatrix & è cœlo descendentem Spiritus gratiam menti fulgens. Ob hoc enim & Pontifex illam induens, Benedictus Deus, inquit, qui effundit gratiam super Sacerdotes suos. Unde ea quibus utitur Sacerdos, quando quamlibet actionem Sacerdotalem aggreditur.* Vide quanti fiat à Græcis ἐπιτραχήλιον. Utramque mysticam significationem hoc loco conjunxit Symeon.

93. *Et divina fiat salutatio.* Hoc fit post magnum introitum, allataque ad altare sancta dona, cum dicit Diaconus, diligamus nos invicem. Post factam salutationem inclinatur perpetuò Ordinatus super sanctam mensam, donec sanctorum donorum consecratio perfecta fuerit. Tum ipsi tradit panem consecratum, verba proferens, quæ habet textus. Confer quæ adnotata sunt n. 8.

94. *Ideo hic & in omnibus innovant Latini.* Latinos Græcus Schismaticus accusat quòd ungant Presbyteros, cum ordinantur: contendit sine unctione iis sufficere, quod post Ordinationem corpus Christi in eorum manus traditur. Sed frivola ratio, Græcis potissimum, apud quos sæpissimè multi Sacerdotes concelebrant. Qui enim celebrans potior est, aliis corpus Christi in manus tradunt. Imò non tantùm Presbyteris illud tradunt, verumetiam Diaconis. Hoc Latinorum & Græcorum

rum diſcrimen quæſtione ſeparata diſcutimus.

95. *Sic cum hoſtiæ diviſionem peregit.* Solent Græci panem conſecratum in quatuor partes dividere, quarum unam Latinorum more cum calice miſcent, ut in Liturgiis eorum videre eſt. Tum igitur Sacerdos recens ordinatus panem ſanctum ipſi datum Epiſcopo reddit, cum jam exaltandus eſt, adorandus, & dividendus.

96. *Poſt depoſitionem divinorum donorum, &c.* Poſt actam communionem, ut nos docent Græcorum Liturgiæ, Diaconus diſcum ſanctum, ſive Patinam in calice cum ſpongia diligenter abſtergit. Deinde Sacerdos diſcum imponit ſuper Diaconi caput; ipſe verò adorato calice eum manibus ſumit, amboque ad menſam Propoſitionis accedunt, & utrumque in ea reponunt. Poſthæc ultima oratio quam ὀπισθάμβωνον vocant, à Sacerdote recens ordinato alta voce pronuntiatur. Diaconus quoque novus rogationes ſive αἰτήσεις, de quibus vide n. 4. & 42. recitat. His actis Diaconus ad menſam Propoſitionis revertitur, & quæ de Sanctis donis in calice ſuperſunt, piè & reverenter ὁλοκαύτως conſumit, & ne ulla Margarita ſive particula in calice remaneat, diligenter attendit.

97. *Indeſinenter.* In textu ἀδιαστάτως, ſed ſenſus poſtulat negationem, ideo reſtituimus, & interpretati ſumus quaſi ſcriptum eſſet ἀδιαστάτως, indeſinenter, ſine interruptione, ſeptem diebus continuis, & non interruptis.

98. *Et ſecundum veſtem ἱμάτιον dictam adaptata.* Conſuta, aſſuta. Subobſcurus ſenſus. Videtur mihi author hoc ſibi velle. Si Secularis ordinatus eſt Presbyter, Ordinatione peracta & depoſitis ſacris veſtibus, togam ἱμάτιον dictam aſſumit, quia toga iſta bene convenit & accommodatur ſacris & ſecularibus veſtibus. Ideò eam geſtant Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, non tantùm Lectores.

99. *Ut ait aurea loquens,* S. Chryſoſtomum intelligit. Cæteri vocant eum Chryſoſtomum, os aureum, ipſe Chryſoremonem, aurea loquentem.

100. *Eſt divinum Chriſti opus.* In textu poſt ἔργον ſubaudiendum ἐστιν. In periodi ejuſdem membro quod ſequitur, aliquid deeſt. Transferendum κατὰ λέξιν, *ſic decretum eſt in eum ſuſcipientibus operari*, ita ut operatio referatur ad actionem Epiſcopatus in eos qui illum ſuſcipiunt, non ad modum agendi quo conferatur, quod abſurdum & ſequentibus adverſum.

101. *Ut in Chriſto pauperis.* Quid nominis ſit πηνὴν quod eſt in textu neſcio. Legi πένητος, ut aliquis ſenſus commodus erueretur. Paulò poſt, *ſecundum divinum præceptum*, Græcè omiſſum eſt κατά.

102. *Propterea qui primus.* Scribitur, ὁ τοῖ, ſed lego ὅπποι, propterea, vel ὅποι, ſeu ὁ cum conjunctione ποι, expletiva & enclitica.

103. *Nec irritatur.* textus Græcus, ἀβέβαιος ἀθετῶν, lego βέβαιος ἐστι, ἢ οὐκ ἀθετῶν. Nam ut jacet, dat textus ſine mente ſonum.

104. *Anabathra ponitur.* Anabathra Symeoni Tabulatum eſt aliquod ex aſſeribus & tabulis conſtructum quo qui illud inſidet, circumſtantibus ſpectabilis redditur. Tabulato ſedes imponitur, in qua ſedet qui cæteris eſt ſpectabilior. Hanc ſedem occupat Archiepiſcopus, inferiores verò ſedes cæteri Epiſcopi. Dicitur ἀναβάθρα ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν, ab aſcendendo, quia per aliquot gradus ad illius planiciem, in qua thronus eſt, aſcenditur: Unde quidam alibi ſcalam interpretantur. Codinus c, 17. n. 15. *Prope ædiculam ligneam de qua jam diximus, ædificata eſt lignea anabathra,* ἀναβάθρα, *pannis rubris veſtita, in qua pro numero Imperatorum ponuntur aurei throni.* Et numero 30. de Imperatore & Imperatrice, *aſcendentes ſimul in Anabathram, rurſus conſident in thronis, &c. Cum autem utraque ex parte templi lignea Anabathra hunc ipſum in uſum exſtructa ſint, quas occupant Protopſaltæ, Domeſtici, & Lectores.* Et cap. 20. n. 3. *Exſtructa lignea anabathra ad initium Triclinii, opertaque coccineis ſericis in quaſtat imperatoris thronus, &c.* Et n. 8. *Deinde Patriarcha in anabathram aſcendit.* Alibi quoque eadem ſignificatione eandem dictionem uſurpat, quid ſit Anabathra facilè colligitur. Eadem eſt apud Symeonem acceptio.

105. *Cùm verò Electus tres fluvios pertranſiit.* Jam numero 67. de his fluviis, urbe, & Aquila dictum eſt. Nec ullus autor mihi lectus qui plura quàm Symeon de his ritibus referret; Quapropter omnis hujus rei illuſtratio ex ipſo textu deſumenda eſt. Harum autem ceremoniarum nulli antiqui Libri mentionem faciunt: à poſterioribus Græcis ut Epiſcoporum inauguratio anguſtior eſſet, adinventæ ſunt.

106. *Electus autem in Secretario, &c.* Eo loco φορήσας barbarè ſumitur pro veſtimentum induere. Hoc enim recentioribus Græcis φορεῖν, & φόρημα, φορεσία, veſtis, indumentum.

107. *Licet enim factus ſit Sponſus Epiſcopatus.* Diſtinguunt Græci, ut Latini, inter Sponſalia, & matrimonium, & diverſis ſacris ritibus utrumque peragunt, ut in eorum Euchologiis videre eſt. Sponſaliorum ritum vocant, ἀκολουθίαν ἐπὶ μνήσεσι, ἤγουν τῆ ἀρραβῶνος. *Officium in Sponſaliorum celebratione, ſeu nuptiarum Arrhabone.* Nuptiarum verò ſive matrimonii celebrandi ritum vocant ἀκολουθίαν τῆ στεφανώματος *officium coronationis*, à corollis olivæ quas tum matrimonio junctis imponere ſolent. Singulæ ceremoniæ ab Euchologio ſub his titulis peti poſſunt. Sponſalia vocant μνῆσες, matrimonium γάμον; Sponſum μνηστῆς, maritum, νυμφίον, καὶ ἀνδρὸς. Symeon Theſſalonicenſis diligenter & fusè iſtam ſponſaliorum à matrimonio diſtinctionem explicat, & perſequitur, cum ſingulas Epiſcopalis conſecrationis minutias diſcutit, & illius rationes myſticas enarrat: Perpetuò enim ad utriuſque ritus diſtinctionem alludit. Itaque Græcis, ut & Latinis, Epiſcopi conſecratio verum eſt cum Eccleſia ſua matrimonium, quod Sponſalia præcedunt, variæque ceremoniæ, carnalis matrimonii ritibus proportione quadam reſpondentes. Cum autem Symeonis textus ſingula dilucidè explicet, in iis non

eſt

eſt diutiùs immorandum. Itaque cum interpretati ſumus, *licet factus ſit ſponſus Epiſcopatus perfectus, &c.* Sponſum propriè accipimus oppoſitè ad Maritum pro eo cui puella nondum nupta eſt, ſed tantùm ſponſa, ſive promiſſa. Perfectus ſponſus in cujus ſponſalibus peracta ſunt omnia quæ ad contrahenda ſponſalia legitimè requiruntur. Hoc & ſequentia verba demonſtrant, & Græca quibus Symeon utitur.

108. *Nam illic quidem Martyres, &c.* Mihi eſt obſcura ratio propter quam in Ordinationibus neceſſariò decantandus hymnus, Gloria tibi Chriſte Deus, niſi forſan ab hymni materia deſumpta ſit: eo quod ſcilicet in hymno, *Sancti Martyres*, Sancta Trinitas non glorificetur, ſed tantùm ſancti Martyres invocentur: In Priore verò & ſancta Trinitas, & unus de Trinitate incarnatus glorificentur, quod facere neceſſarium illi videtur. Ut cognoſcatur an hoc verum ſit, hymni integri videndi ſunt.

109. *Et ala portata, &c.* Videtur alam vocare quod alii appellant τὸ χάρτιον, chartam, tabellam, in qua ſcriptum eſt illud celebre apud Græcos, Divina gratia, &c. ſupra legimus eam vocatam κλαπάγιον. In Archieratici p. 7. *Magnus autem Chartophylax tradit Patriarchæ quod vocatur ala, & clamat: Attendamus. Patriarcha vero manu ſiniſtra Alam accipiens, &c. Legit ea, quæ in Ala ſcripta ſunt; omnibus audientibus, hunc in modum: Electione & comprobatione Dei dilectiſſimorum Metropolitarum, &c. Divina gratia quæ infirma ſemper curat, &c.* Ex his verbis manifeſtum eſt Alam iis locis nihil aliud eſſe quàm quod diximus. Ala forſan dicta eſt, quod ad figuram alæ formata fuerit. Figuræ rationem reddit, quod ala iſta columbæ figuram gerat, & per columbam Spiritus ſanctus repræſentetur.

112. *Per manum meam.* Supplevi pronomen poſſeſſivum μου, quod ſenſus neceſſariò exigit.

111. *Donis gratiæ Apoſtolicis, &c.* Scriptum erat χάρις μεγαλύνεται, lego, χαρίσματα κέκτηνται.

112. *Atque è Doctoribus eſt.* Obſcurè philoſophatur, & alludit ad vulgare & tritum S. Dionyſii effatum: Angelos ſuperiorum ordinum omnia complecti & noſſe quæ inferiores, Et minimum ſuperioris ordinis præſtare maximo inferioris ordinis. Idem quoque, ut S. Dionyſius, fieri docet in Eccleſiaſtica Hierarchia. Hujus autem Oeconomiæ fontem in ſancta Trinitate ſtatuit, in qua nihil eſt confuſum, ſed ipſa eſt ordo primigenius è quo omnis bonus ordo emanat in cælo & in terra. Ideo in Hierarchia inferiore ſeu Eccleſiaſtica, Doctores ſunt & Patres Patrum, ex quibus alii generantur & procedunt: ut in ſancta Trinitate Pater eſt ἀναίτιος ſine principio; & ab ipſo αἰτιατὰ, principiata, Filius & Spiritus ſanctus. Suboſcurum eſt in textu & ambiguum, διδασκάλων εἶσι. Videtur idem ſignificari quod ſequentibus verbis, καὶ ἐκ ἐκείνων διδάσκαλοι, niſi dicamus priore membro ſignificari ordinem illum à Doctoribus efformatum; & poſteriore, Doctores in eo vigere.

113. *Pater quidem ſine principio eſt*, &c. Græcè ſcriptum, ἀναίτιος, *ſine cauſa.* Rectè quidem, ſi ſolitariè poſitum eſſet, diceretur. Deus enim omnium cauſa jure optimo ſui cauſam nullam habere dicitur. Verùm ſic loquitur Symeon comparatè ad Filium & Spiritum ſanctum, quorum Pater ſecundum ipſius mentem αἰτία ἐστι, *cauſa eſt*, ipſi verò αἰτιατὰ, *cauſata*, quod loquendi genus refugiunt aures Latinæ, licet Græcis ſit familiare. Ideo pro cauſa ſubſtituimus *principium*, & pro cauſato Scholaſticum nomen *principiatum.* Hujus acceptionis cauſam reddit S. Thomas q. 33. primæ partis art. 1. reſp. ad primum, & cum eo Theologi omnes Scholaſtici, *Græci utuntur in divinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principii. Sed Latini Doctores non utuntur nomine cauſæ, ſed ſolum nomine principii. Cujus rei ratio eſt, quia principium communius eſt quam cauſa; ſicut cauſa communior quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, ſed non cauſa* &c. Et ad ſecundum, *Dicendum quod apud Græcos invenitur de Filio vel Spiritu ſancto dici quod principientur. Sed hoc non eſt in uſu Doctorum noſtrorum.* Concilium quoque Florentinum in Decreto de proceſſione Spiritus ſancti probat Græcorum phraſin, ſed apud Latinos non admittit, *Declarantes quod id quod ſancti Doctores & Patres dicunt ex Parte per Filium procedere Spiritum ſanctum; ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam; ſecundum Latinos verò principium Spiritus ſancti, ſicut & Patrem.* Hac ratione perſuaſi cauſam & cauſata in principium & principiata convertimus. Non ita tamen ſcrupuloſi fuerunt antiqui Patres Latini, ut Scholaſtici noſtri. Sæpe enim Patrem Filii cauſam dixerunt, ut S. Hieronymus in c. 3. Epiſt. ad Epheſ. v. 15. S. Auguſtinus l. 7. de Trinit. c. 1. & lib. 83. quæſtionum, quæſt. 15. & alii.

114. *Pontifex oſculatus iterum*, &c. Vel dicto ἔτι irrepſit, vel legendum τὸν.

115. *Sic perficitur divina Miſſa.* Legendum eſt, πλέκεται paſſivè, non activè.

116. *Sacrum antidorum.* Græcorum ἀντίδωρον eſt panis ille fermentatus è quo excitæ ſunt ſacræ particulæ, quæ poſtmodùm in Miſſa conſecrantur, & in corpus Chriſti convertuntur. Panis ille ut plurimùm rotundus eſt, & ab iis vocatur προσφορὰ, Oblatio, ſive Oblata. Crucem habet in medio effictam, & intra latera crucis hæc verba Ἰησοῦς χριστὸς νικᾷ, *Jeſus Chriſtus vincit.* Figura crucis cum his verbis Oblatæ impreſſa, iis vulgo σφραγὶς ſigillum dicitur. Cum Sacerdos Miſſam celebraturus eſt, primam particulam quæ major eſt ex hoc ſigillo exſcindit, deinde alias. Hoc autem facit in menſa ſive altari propoſitionis, iis benedictionibus & ritibus qui initio Liturgiæ explicantur. Panis igitur ille, vel panes (poſſunt enim plures Sacerdoti à populo offerri, & ab unoquoque particula conſecranda exſcindi) qui προσφοραὶ initio dicuntur, poſtquam hoc factum eſt, dicuntur ἀντίδωρον Antidorum, hoc eſt, vice doni: Corpus enim Chriſti & ſanguis vocari ſolent

ἅγια δῶρα, *ſancta dona*, Ideo panis ille non conſecratus in locum corporis Chriſti traditus, ab iis vocari ſolet ἀντίδωρον. Sic autem tradi ſolet: In varias & minutas partes frangitur, ut in Gallia panis qui dicitur benedictus. Ideo abſolutè ab aliis vocatur κατάκλασις. Deinde finita Miſſa Sacerdos ad portam Sanctuarii meridionalem ſtans, omnibus accedentibus antidori particulam porrigit, & diſcedentes eo accepto manum Sacerdotis oſculantur. Illud poſtea quiſque ſi jejunus eſt comedit: religio eſt enim illis cibo aliquo paſtos iſtum comedere. Si jejunus non eſt, vel honorificè ſervat, vel vicino abſumendum donat. Qui pœnis canonicis propter peccata ſubjiciuntur, & ideò à communione Euchariſtica arcentur, non ideo tamen Antidori participatione multantur, ut conſtat can. 5. Nicephori Confeſſoris, Juris Orientalis lib. 3. *Monachos canonicis pœnis obnoxios cum cæteris & comedere, & precari oportet; Eulogia quoque participare, hoc eſt, comminuto, ſimul ac confeſſionem ediderint.* Legendum eo loco κατακλάσῃ non κατακλάυσι. Vide initium & finem Liturgiæ S. Chryſoſtomi Arcudium lib. 3. de Concord. Eccleſiæ Orient. Leonem Allatium l. 3. c. 9. de perpetua Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali conſenſione. Jacobum Goartium adnotationibus in Euchologium p. 154. & quæ ſcripſimus lib. 6. c. 23. ſect. 13. de Adminiſtrat. Pœnitentiæ.

Balſamon in can. 2. Concilii Antiocheni, qui prohibet ne Eccleſiam ingreſſi ante Liturgiæ finem, & myſteriorum participationem diſcedant, probabiliter conjicit ex eo canone antidori diſtribuendi conſuetudinem emanaſſe, hac ratione perſuaſus: *Puto autem ex hoc canone eſſe inventam & excogitatam antidori diſtributionem, ut neceſſe haberent ii etiam qui non poſſunt ſanctorum & vivificorum myſteriorum eſſe participes, ad finem uſque divini miniſterii perſeverare, & ipſum è manu Sacerdotis ad ſanctificationem accipere.* S. Germanus in fine myſticæ explicationis Liturgiæ, altiùs & diviniùs hujus rei originem arceſſit, *Virginalis*, inquit, *corporis typus eſt diviſio Eulogiæ, & oblationis. Frangitur quidem ut panis, diſtribuitur autem ut ineffabilis benedictionis communicatio, communicantibus cum fide. Ut oblatio autem ſanctimoniæ plena iis qui eam tulerunt, vice ſanctorum donorum offertur. Et ita ex participatione quidem immaculati corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti Dei noſtri qui ex ea natus eſt, ſanctificatio & filiorum adoptio fidelibus adveniunt; ſpiritualis verò benedictio, & alia quævis bonorum larga ſuppeditatio ex diſtributione panis corporis Deiparæ, Chriſtianorum generi fieri creditur.* De eodem antidoro ſic Nicolaus Cabaſilas cap. ultimo Liturgicæ expoſitionis. *Deinde oblatum panem ex quo ſacrum panem abſcidit, in multa diviſum tradit fidelibus, ut qui ſanctus factus ſit, eo quod Deo fuerit dedicatus & conſecratus. Illi autem cum omni reverentia ſuſcipiunt, & dextram oſculantur, ut qua ſanctiſſimum ſervatoris corpus recenter tetigerit, & quæ ex eo procedit ſanctificationem & ſuſceperit, & ut qui attingunt imperturi credatur.* Symeon quoque Theſſalonicenſis in fine libelli de Templo & Miſſa, Antidori uſum & ſanctitatem ex eo emanantem explicat. Finito ſacrificio, & quæ de ſacris donis ſuperſunt ad Prothefin delatis, ibique à Diacono abſumptis, Sacerdos egreditur, τὸ καλούμενον ἀντίδωρον μεταδιδὰς τῷ λαῷ, *ut participem faciat populum illius panis qui vocatur Antidorum.* Sacerdos, inquit, & viri ſacerati, in ſacrificii actione, corporis Chriſti participes facti ſunt; oportet etiam populum ſanctificationi participare. *Id per Antidorum præſtatur: Illud autem eſt panis ſanctificatus, ſuper quo in Propoſitionis menſa preces fuſæ ſunt, ex quo media pars exſecta, precibus conſecrata eſt. Qui poſtea, ut lanceola ſignatus, & divinis verbis ſuper ſe factis loco tremendorum donorum, Sacramentorum videlicet, iis qui non communicarunt, diſtribuitur. Quod Pontifex ubi fecit, & populo bene precatus eſt, Miſſæ finem imponit.* Codinus c. 17. de officiis aulæ CP. n. 4. *finita Liturgia, & ſanctificatione, quam ἀντίδωρον appellamus, populo diſtributa, de qua participans Imperator à Patriarcha benedicitur*, &c. Tanti faciunt Græci Antidorum ſuum: Quid de ipſo dono cujus vicem antidorum gerit?

117. *Et præſentibus Epiſcopianis omnibus*, &c. In Codino editionis regiæ, ex antiquis codicibus eruti ſunt Officialium Eccleſiæ CP. catalogi, in quorum 5 Quinario recenſentur οἱ ἐπισκοπιανοί, & explicantur, Chartophylacis ſcribæ. Balſamon in meditato de Officio Chartophylacis & primi Defenſoris, Juris Orientalis lib. 7. invehitur in quoſdam nimium prorogantes Defenſoris autoritatem, & ipſi tribuentes quod eſt Chartophylacis: *Quin*, inquit, *& Epiſcopianos ut Epiſcopi rationalis, ſibi vindicare conabitur.* Epiſcopiani Chartophylaci ſubditi erant. Et ſæpius in Novella Iſaaci Angeli Imperatoris Juris Orient. l. 2. *Varie monitus eſt a Reverendo Epiſcopiano D. Conſtantino, nec ejus denuntiationi parere voluit.* Et paulò poſt, *attendentes Epiſcopianos quoque juſſu religioſiſſimi Chartophylacis de more miſſos ad cellas in quibus commorabatur.* Officiales erant à Chartophylacis nutu pendentes. In Archierat. p. 6. *Cum autem Diaconus dixerit, Sapientia recta, exclamant οἱ ἐπισκοπιανοὶ, ad multos annos Domine.*

118. *Accipit quoque Mandyam ſive Pallium*, &c. μανδύας ſive μανδύον quatuor diverſa apud Græcos ſignificare deprehendo. Heſychius & Phavorinus dicunt Mandyam genus eſſe veſtimenti quo Perſæ in bello utuntur. Suidas & Phavorinus ajunt veſtis illud genus λωρίκιον loricam vocari. λωρίκιον interpretatur Achmes apud Meurſium, thoracem. Hæc Mandyæ ſignificatio nihil aut parum facit propoſito noſtro. Secundò Mandyas apud Græcos præſertim recentiores, Pallium eſt regium oblongum totum corpus tegens, Viris & mulieribus commune. Codinus de officiis aulæ CP. c. 17. n. 34. Imperator *extra Prothefin ſtans, induit ſuper ſaccum & diadema Mandyam aureum.* Et n. 41. *Imperator ſalutato Patriarcha*, λαμβάνει χρυσοῦν μανδύαν, *exuit aureum Pallium.* Et num. 25. de Imperatrice vidua, *fert indumentum nigrum dictum himation, ἢ μανδύαν ἐξὸν, & pallium violaceum.* Nec hæc ſignificatio ea eſt quam nunc quærimus, cum ad Eccleſiam non pertineat.

Tertiò

Tertiò Mandyas eſt pallium amplum & longum à Monachis ſuper reliquas veſtes geſtari ſolitum. Euchologium in Ordinatione Lectoris, *Adducitur Ordinandus ad Epiſcopum: Si ſecularis quidem eſt, cum himatio, & capite aperto. Si verò Monachus*, μετὰ μανδύου *cum Mandyo.* In Euchologio, ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος, ἤτοι τοῦ μανδύου. *Officium parvi habitus, ſive Mandyæ.* Et iterum in antiquo Cryptoferratenſi codice, ἀρχὴ ἐπὶ τῷ μέλλοντι λαμβάνειν μανδύαν S. Germanus in contemplat. rerum Eccleſiaſt. de veſtibus Monachalibus loquens, *Mandyon*, inquit, *per liberam & ſolutam ſuam amplitudinem & explicationem, imitatur alatam Angelicam naturam; ſecundum quod Angelicus habitus dicitur.* τὸ δὲ μανδύον ἱμάτιον λέγει τὸ ἀπαλελυμένης ἁπλώσεως τιμὴ ἱερωνικὴν τὸ τῶν ἀγγέλων μιμήσεως, καθὸ ἀγγελικὸν σχῆμα λέγεται. Jacobus Goartius familiæ Dominicanæ Monachus doctiſſimus, harum rerum curioſus, & peritus, quique cum Græcis in ipſa Græcia multis annis vixit, de Mandya & aliis veſtibus quibus Monachi Græci diſtinguuntur hæc ſcitu digna docet, Euchologii à ſe Latinitate donati p. 488. *Ut tres ſunt Monaſticæ vitæ gradus penes Græcos; ita & tria veſtium ſunt genera, triplici ſolemnitatis precumque ritu in Eccleſia ſuſcipienda.* ἀρχαρίων, *Novitiorum eſt* ἐσθὴς, *tunica, cingulum, & pileus.* πηλίων καλογήρων, *religioſorum perfectorum; id eſt votis perennibus adſtrictorum, eſt* μανδύας, *Pallium. Aliorum rurſus ſublimiorum eſt* κουκούλιον, *Cucullus.* τίτλοις καλόγηροι μανδύαν *gerentes in ſublimiorem ordinem cui ſanctior habitus debetur, nondum aggregati, habitu minori τοῦ μανδύου contenti,* μικρόσχημοι vel τοῦ μικροῦ σχήματος *appellantur. Supra illos tamen virtutis ſtudio provectiores, & amplioris perfectionis profeßione magis adſtricti, ſunt Cucullo donati; & hi τῷ μεγάλου ἢ ἀγγελικοῦ σχήματος, ſive* μεγαλόσχημοι *vulgo dicuntur.* Monachi enim Græci per familias, ut apud nos, in infinitum non diſtinguntur, ſed per ſtatus ſui tres tantum gradus, Novitios, quos ἀρχαρίους appellant, Incipientes: Perfectiores quos μικροσχήμους dicunt parvi habitus; & perfectiſſimos, μεγαλοσχήμους vocant, magni habitus, ſive ἀγγελικοῦ σχήματος, Monachos ἀγγελικὴν πολιτείαν προσδεξαμένους, qui Angelicam vivendi rationem amplexi ſunt. Unicuique ſtatui conveniens datur habitus ſuo tempore, ſed magna cum ſolemnitate quæ in Eucholog. ſub ſuo quæque titulo legi poteſt. Illa diſtinctio Monachorum Græcorum in μικροσχήμους, & μεγαλοσχήμους antiqua eſt. Cum vivebat Theodorus Studita jam obtinuerat, hoc eſt, circa annum Chriſti 800. licet Theodorus eam non probaret, ut apud Baronium videre eſt ad ann. 826. n. 57. in Theodori Studitæ teſtamento, *Non dabis parvum habitum quem vocant, poſtea veluti magnum. Unus eſt enim habitus, ſicut & baptiſma, quemadmodum in more fuit Sanctorum Patrum.* Horum igitur μικροσχήμων Monachorum veſtis peculiaris qua δοκὸ τῶν ἀρχαρίων ab incipientibus diſtinguntur, eſt μανδύας, Pallium tunicæ impoſitum nigri coloris & talare, hominem totum involvens, à parte tantùm anteriori apertum, prorſus ſimile Monachorum noſtrorum cappis, quas tunicis ſuis injicere ſolent.

Denique μανδύας, Pallium eſt Epiſcopale, ſed à præcedente plurimum differt. Monachale enim ſimplex eſt, & uniuſmodi, è lana contextum: Verùm Epiſcopale, ut hîc ait Symeon μετὰ τῶν ποδαμῶν, fluviis ornatur. Codinus c. 20. de officiis Eccleſiæ CP. n. 16. *Epiſcopi quidem ad honorem Imperatori habendum profecti, venerantur illum* μετὰ μανδύων αὐτῶν τῶν ἐχόντων ποδαμούς, *Mandyis ſuis fluvios habentibus.* Idem Symeon Theſſalonicenſis iſtorum fluviorum rationem reddit hoc loco quem illuſtramus, & in Libello de Templo: *Vocantur autem flumina propter vocem Salvatoris in Evangelio dicentis, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc idem Pontificio oſtenditur Mandya ſive pallio. Flumina quidem habet propterea quæ diximus: Poculo verò pro typo veteris & novæ gratiæ, quæ etiam fluminibus quaſi immutant. Quod non aliud ſibi vult quàm Magiſtro ſive Doctori, ex duobus teſtamentis ad docendum, hauriendum eſſe.*

Non fruſtra quæret in his regionibus Lector, quid ſit pallium habens fluvios, undulatum, fluctuoſum, quave ratione in eo undæ & flumina notentur? Hoc deſcribit Jacobus Goartius adnotat. in c. 20. Codini, qui ſæpius iſta in Græcia vidit, & diligenter conſideravit: *Superius Pontificum indumentum extra Miſſarum ſolemnia eſt Mandyas, pallio quàm ſimili, ad fauces fibula nexus, ſinibus & rugis ampliſſimus, & omnino inſignis. Ad ejus latera circa ventrem affixæ ſunt taeniolæ albi rubrique coloris tenuæ, quibus undequaque variatur, & adornatur. Taeniolæ illæ ſunt* ποταμοὶ *de quibus in præfatis, eamque gratiam & ſcientiam deſignant quam intellexit Chriſtus ipſe Dominus, dicens flumina de ventre ejus fluent, &c. ac propterea circa ventrem appictæ. Superius ad collum & angulos inferiores ſunt* πίναξ, *quatuor nimirum additi panniculi quadri.* Panniculi illi ſunt veluti ſcatebræ de quibus fluvii illi ſcaturiunt. Eadem ratio τῶν ποδαμῶν redditur in Turco-Græcia p. 189. ἀφὸ τὸ διδάσκαλον; Teſtatur quoque idem autor eodem loco fluvios illos eſſe κοκκίνους καὶ ἀσπρους, coccineos & albos. Quæri poteſt an veſtes illæ Eccleſiaſticæ undulatæ ſint apud Græcos antiquæ. Demetrius Chomatenus Bulgariæ Epiſcopus lib. 5. reſpondet. *Conſuetudo Eccleſiæ purpurea Pontificalia indumenta ſimpla vult eſſe, & ſine prædictorum fluminum, cruciumque adjectione. Saccum autem purpureum nequaquam novit.*

119. *Velut Doctor ejus*, &c. textus corruptus. Sic lego, ὡς διδάσκαλον τοῦ ὃν τῶν θεσπῶν δέξασθαι τιμὴ θείαν χάριν λεγομένου. Et paulò poſt, δοκὸ τὸ ἐγκόλπιον, vulgaris idiotiſmus, quo omnes præpoſitiones accuſativum regere ſolent, hoc eſt, διὰ τοῦ ἐγκολπίου. Eſt autem ἐγκόλπιον Græcis neotericis parvula crux reliquias continens quæ collo appenditur, & in ſinum deſcendit; vel etiam arcula quædam in qua crux illa concluditur, quæ ſimili modo in ſinum è catenula demittitur. Illa Epiſcopo poſt ordinationem, & Pallii

acceptionem dari ſolet, ut ex hoc loco colligitur, atque etiam ex cap. 9. ubi dicit Symeon Imperatorem electo Patriarchæ Pallium & ἐγκόλπιον mittere.

120. *Hoc ordo prius decenter, &c.* Ut verba ſenſui reſpondeant, aut legendum κατὰ τάξιν, non ἡ τάξις, quæ dictio, ut verba jacent, videtur ſuperflua: vel retrahenda dictio τάξις, & hoc modo legendum, ἤ τε τάξις καὶ πρέπον, &c.

121. *Quinta die nova.* Dies illa eſt feria quinta poſt Paſcha. Septimanam Paſcha ſequentem vocant ἑβδομάδα διακαινήσιμον, *Septimanam renovationis*; & Dominicam quam vocamus in Albis, quæ Septimanam διακαινήσιμον claudit, appellant illi ἀντίπασχα, καινὴν ἢ νέαν κυριακὴν, Antipaſcha, novam Dominicam, diem quintam iſtius hebdomadæ νέαν πέμπτην. Hoc & ſingula quæ hic leguntur, confirmat Codinus cum cap. 14. de officiis aulæ CP. n. 19. ſcribit Patriarcham eo die ſolere in Palatium ſe conferre, Imperatorem ſalutare, & ſuffitu perfundere, καθ' ἣν πέμπτην ἡμέραν τῆς ἑβδομάδος ἣν καλοῦσι διακαινήσιμον, *Feria quinta Septimanæ quam vocant διακαινήσιμον, renovationis, abit Patriarcha in Palatium cum Epiſcopis & Eccleſiæ Primoribus, &c. thuris ſuffitu honorat Imperatorem; deinde tradit thuribulum Archidiacono. Ipſe verò accedens benedicit, & oſculatur Imperatorem in ore, eodemque modo fert ipſe oſculum ab Imperatore. Poſtea ſtat Patriarcha vicinus Imperatori. Epiſcopi porro duo ſimul accedentes obſculantur & ipſi Imperatorem, primùm quidem manum, deinde genam. Poſtea idem faciunt omnes Eccleſiæ proceres, Archimandritæ, & Monaſteriorum Præfecti.* Itaque ex Codino manifeſtum, cum paulò poſt dicit Symeon Lectores & cæteros Clericos cum Patriarcha manum genaſque Imperatoris deoſculari, hoc eſſe intelligendum de Primoribus ordinis & officii ſui, ut de Primicerio Lectorum, Protopſalta, Protocanonarcha, Eccleſiarcha, de Præfecto Contaciis, & ejuſmodi, non de promiſcua Clericorum turba.

122. *Imperator quidem Chriſmate ſanctus eſt.* Imperatores Græcos ungi recentius eſt. Græcorum hiſtorici ut quid novum & inuſitatum retulerunt unctionem Caroli magni in Imperatorem à Leone IV. Pontifice factam. Primi Romanorum Chriſtiani Imperatores Epiſcopos aut Patriarchas ad inaugurationem ſuam non admiſerunt. Primùm in renuntiatione Martiani Imperatoris hoc factum eſt, Pulcheria quæ ipſum promovebat, Patriarcham & Senatum convocante: ideo dictus eſt divinio ſuffragio electus. Sed hæc convocatio politica fuit, non religioſa. Leo primus qui ipſi ſucceſſit ab Anatolio Patriarcha coronatus eſt. Anaſtaſium ſucceſſorem coronavit Euphemius Patriarcha. Juſtinum verò illi ſuffectum Joannes Pontifex Conſtantinopoli coronavit. Juſtinum alterum coronat Joannes Patriarcha. Tiberium ſucceſſorem Eutychius, & Mauricium Joannes jejunator, & Phocam Mauricii interfectorem Cyriacus Patriarcha, ſublatoque Phoca tyranno, Heraclius à Sergio coronam Imperii accepit. Ita fere qui ſecuti ſunt quos longum enumerare. Repetet eos curioſus Lector è Theophane, Anaſtaſio, Cedreno, & Zonara, unde iſta deprompta ſunt. Cum Imperatores, filios, nepotes, aut aliquos alios Auguſtos renuntiabant, ipſi eos coronabant, Patriarcha aliquando preces fundente. Leo Imperator, Leonem nepotem, Zenonis & Ariadnes filium coronavit, & Imperatorem ſalutavit. Idem Juſtinus Juſtiniano fecit. Heraclius filios duos, Heraclium & Conſtantinum coronavit. Imperatricem de more coronabat Imperator, ut teſtatur Codinus cap. 17. Sic Juſtinus primus Lupiciam uxorem corona donavit; Juſtinus ſecundus Sophiam; Tiberius Anaſtaſiam, Phocas Leontiam: Aliter tamen aliquando factum eſt: Epiphaniam Heraclii uxorem coronavit Sergius Patriarcha, & Martinam poſteriorem Heraclii uxorem. Non fuit in hac obſervatione regula certa. Nonnulli enim ſine ullo Patriarchæ interventu poſt illa tempora Imperatores renuntiati ſunt, & coronati. Precum typum & ordinem referunt Euchologia. Vide Euchologium Græco-Latinum pag. 924. Subſequentibus tamen ſeculis à Patriarchis non modo coronati ſunt, ſed etiam uncti. Quando, quáve occaſione unctio illa cœperit, mihi difficile dictu eſt. Illius non modo mentionem facit Symeon Theſſalonicenſis, verumetiam Codinus de officiis aulæ CP. cap. 17. quo omnes Ceremoniæ fuſè deſcribuntur. Ea verba tantùm referemus quæ textum noſtrum directè illuſtrant not. 17. *Legit Patriarcha ad unctionem Imperatoris compoſitas preces, partim tacitè, partim clara voce. Supplicat autem Deo pro illo qui in Imperatorem inungendus eſt, eumque eidem propitium reddere ſtudet. Poſthac tollit novus Imperator capitis tegumentum, qualecunque illud fuerit. E veſtigio autem quotquot in Templo reperiuntur, apertis capitibus adſtant. At Patriarcha crucis in formam caput Imperatoris divino unguento inungit, accinens elata voce illud, Sanctus. Omnes porro qui ſunt cum Patriarcha in Ambone excipientes vocem, canunt & ipſi tertio illud, Sanctus. Quos ſimiliter reliqua populi multitudo ſubſequitur, ter illud, Sanctus admodulantes.* Hinc vides quamobrem dixerit Symeon Imperatorem chriſmate ſanctum eſſe. Eo enim adulationis deveniunt Græci, ut Imperatorem ſuum ſacro unguento ungentes, ſe ſanctificare credant.

Unctionis quoque Imperatoriæ & energiæ ipſius mentionem facit Balſamon, & Codino & Symeone antiquior, monumentiſque certis illius praxim apud Græcos multò eſſe vetuſtiorem teſtatum facit in can. 12. Ancyranum, ut habetur in tranſlatione Latina an. 1571. apud Morelium Pariſiis edita, & refertur quoque in ſupplementis ad Balſamonem Græco-Latinum. *Nota quod præſenti canone uſus illè quoque ſanctiſſimus Patriarcha Dominus Polyeuctus, primum quidem ex ſanctiſſima Dei magnæ Eccleſiæ ſacris ambitibus Imperatorem Dominum Joannem Tzimiſchen expulit, ut qui Imperatorem Phocam interfeciſſet: Poſtea autem ſuſcepit. Dixit enim cum ſancta Synodo in Synodalibus actis quæ tunc habita fuerunt, quæ in Chartophylacio ſeu Tabulario repoſita ſunt, quod quoniam ſanctis*

ſancti baptiſmatis unctio, omnia quæ ante baptiſmum fuerunt, qualia & quantacunque ſunt peccata delet omnino Imperatoris quoque unctio, eadem quæ ante eam ab Tzimiſce facta eſt, delevit, &c. In eundem finem Patres illius Concilii argumentantur ex Ordinatione Epiſcoporum, & illius cum unctione Regum comparatione. Hæc ſunt ampliori, & accuratiori conſideratione digna, quæ non eſt hujus loci. Sed ex eo loco conſtat Imperatorum Græcorum unctionem aliquot ſeculis ante Codinum, Symeonem, & ipſum Balſamonem uſurpatam fuiſſe. Nam Joannes Zimiſces in Imperatorem creatus eſt circiter annum Chriſti 970.

123. *Ipſe manibus ligatur.* In textu διεμᾶ, meliùs forſan paſſivè διεμᾶτ.

124. *Ei enim qui ceremoniis agendis Præpoſitus eſt.* Græcè ὁ ἐπὶ τ῀ ἱερᾶς καθιστάσεως, εἰς τὸ ποιεῖν διταξίαν ἐντὸς τ῀ βήματ⊙. *Qui Præfectus eſt diſciplinæ, ut intra Sanctuarium bonum ordinem obſervari curet.* In aliis iſtorum officiorum catalogis Ceremoniarum Magiſter eodem modo deſcribitur: Qua deſcriptione non tantum ceremoniarum obſervandarum ratio, verum etiam modeſtia, & morum decus intelliguntur. In alio catalogo ὁ ἐπὶ διταξίας ἵσταται, καὶ δέχεται τὸν ἀρχοντας, ἢ φησὶ αὐτοῦ κατὰ ἴλιν τάξιν μᾶλλον ἢ καὶ νὰ καθίσουν. *Præfectus boni ordinis præſto eſt ad ſuſcipiendum viros Principes ſecundum uniuſcujuſque ordinem & dignitatem, præſertim autem ut ſedeant.* Hoc poſtremum munus ſpectat Symeon.

125. *Bulla propria obſignat.* Hoc eſt, ſigillo ſuo. Ita ſigillum ſuum vocant βοῦλλαν, & βουλλίζειν Imperatores Græci, & Patriarchæ, imitati Latinos Imperatores, & Pontifices ſummos. Erant autem quatuor generum, χρυσόβουλλον, ἢ ἀργυρόβουλλον, μολιβδόβουλλον, & κηρόβουλλον, Aurea Bulla, argentea, plumbea, & cerea. βουλλοῦν bullare, ſigillum imprimere βουλλάτ⊙ Bullatus. βουλλωτήριον, Bullatorium. De eo Balſamon lib. 7. Juris Orientalis in meditato de Chartophyl. & Defenſore, dicit Patriarcham tradere Chartophylaci in manum annulum aureum, Et quiſnam is eſt? τὸ πατριαρχικὸν βουλλωτήριον, τὸ ⟨ὃ⟩δὲ λεγόμενον ἐπὶ τῷ χαρτοφύλακ⊙ ἀπιωρημένον εἰς ἑαυτὸν. *Patriarchicum Bullotorium de more ſuſpenſum Chartophylacis pectori.* Itaque Bullatorium propriè eſt ſigilli Patriarchici Archetypum quod ſervat Chartophylax; & Bulla, iſtius ſigilli Ectypum, ſive ἐκτύπωμα, βουλλοῦσθαι verò ἐκτυπῶν, ex Archetypo figuram exprimere. βουλλάτον, quod eſt iſto ſigillo inſignitum. Meurſius ex Harmenopulo hæc citat. μετὰ ταῦτα ἡ καλουμένη τὸ δεχίτουρον σφραγιστήριον. ἢ βουλλωτήριον. Iſta nonnunquam metonymicè permutantur. Juris Orientalis lib. 4 in fine Diplomatis Conſtantini Lichudis. *Hæc ita ſancita, & Eccleſiaſtico more perſcripta, & obſignata, τῷ διὰ μολίβδου βουλλωτηρίῳ, per Bullam plumbeam.* Sæpe etiam χρυσόβουλλον ſumitur, pro Imperatoris diplomate, mandato, & Conſtitutione. Dignitatum ſive Officiorum catalogus, ὁ λογοθέτης τῶν σημειωτῶν τῆς βοῦλλας τῆς ἀρχιερέως ἢ ὅτι ἐν γράφῃ ὁ ἀρχιερεὺς σφραγίζει παρ' αὐτοῦ. ὁμοίως ἢ εἰς πᾶσαν ἄνωθεν τ῀ ὑπηκόων. *Epiſcopi Bullam, ſive ſigillum tenet Logotheta; & ſiquid ſcripſerit, ſigillatur ab eo. Similiter & in omni Rationali Libello cenſuum Epiſcopalium.* Ita in aliis Epiſcopatibus; ſed in CP. hoc jure fruitur Chartophylax. Exemplum huic ſigillo illuſtrando commodum legitur Juris Orientalis lib. 3. in fine diplomatis Germani Patriarchæ: *Pendebat autem inferne μολιβδίνη βοῦλλα plumbea Bulla habens in una parte ſanctiſſimam Deiparam in ulnis geſtantem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ex altera autem has literas; Germanus Dei miſeratione Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha.* Hactenus iſti ſimiles ſunt Patriarcharum CP. Bullæ. Patriarchales autem, ut ex hoc Libro & ſequente ſæpius colligere eſt tantùm ſunt plumbeæ, vel cereæ. Harum dictionum uſus apud recentiores & anteriorum ſeculorum autores Græcos tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares eſt frequentiſſimus.

126. *Et monumento, & abſolutione*, μνημοσύνου, καὶ τ῀ ἀπολύσεως. Græcis recentioribus μνημονεύειν, eſt parentare, exequias defunctis facere, μνῆμα & μνημοῦς, Tumba, ſepulchrum, μνημόσυνον, Parentatio, exequiæ. Significatio ab Eccleſiaſtica conſuetudine deſumpta, quæ μνημονεύειν, in officiis perpetuò uſurpat, cum de precibus & commemoratione mortuorum agitur. μνῆμα quoque ſæpius in officiis mortuorum ipſum ſepulchrum ſignificat, quod antiquorum autorum Græcorum teſtimoniis nititur; & Euangelii Joannis cap. 11. & 19. ubi μνημεῖον ſæpe pro ſepulchro, autoritate comprobatur. Itaque cum dicitur, *monumento & Abſolutione ſeu dimiſſione ab Epiſcoporum prima perfecta*, videtur intelligendum compendioſum aliquod officium in gratiam defuncti tum ab Epiſcopis illis congregatis fuiſſe celebratum. Dici etiam poteſt verſiculi eſſe initium, qui in Agenda mortuorum decantari ſolet. Græci vocant στίχον, ut initio officii pro funere Monachorum, στίχ⊙. Καὶ τὸ μνημόσυνον αὐτὸ εἰς γενεὰν ἐ γενεάν.

127. *Ideo virgam*, &c. ῥάβδον ſimpliciter pedum paſtorale vocat. Alias Græci virgam illam cui incedentes Patriarchæ innituntur δικανίκιον vocant, ita Codinus cap. 20. & in Turco-Græcia ſæpe. Euchologium ἀρχιερατικὸν ῥάβδον & Gregoras lib. 6. ποιμαντικήν. Vulgus vocat πατερίτσαν, & δικανίκι. Longè eſt minor pedo paſtorali Latinorum; ita ut Epiſcopus incedens facilè poſſit ſuper ipſam manu ſeſe fulcire. Summitas ejus ſeſe in longum extendit, & verſùs extremas partes incurvatur, finitque velut in faciem duorum ſerpentum ſeſe ex adverſo aſpicientium. Mahometes Gennad. Patriarchæ, ἰδίαις χερσὶ δίδωσιν δικανίκιον πολλῆ ἀξίαν, ἤτοι ῥάβδον. ἀρχιερεῖ πεπεισμένῳ, ὑπερτίμιον. *proprias manibus dedit pedum paſtorale longe pretioſum, videlicet virgam argenteam, undique deauratam;*

& pulchritudine ſpectandam. Dicanicion etiam A geſtant Abbates, ipſiſque ab Imperatoribus olim poſt electionem tradebantur, ut eodem capite 20. teſtatur Codinus. Multis Magnatibus aulæ Imperialis Conſtantinopolitanæ δικανίκια tribuit Codinus, ut videre eſt toto capite quarto.

128. *Supplicationem protenſam pronuntiat.* τὴν ἐκτενῆ δέησιν. Si ſpectes etymon, explicari poteſt protenſam, extenſam, prolixam, ut interpretati ſumus ex Vulgata c. 22. v. 4. Lucæ, *Et factus in agonia, prolixius orabat* ἐκτενέστερον προσηύχετο. Ita quoque 1 Petr. c. 44. v. 8. *Ante omnia autem mutuam in voſmetipſos charitatem continuam habentes,* ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες. Poſſent etiam iſta interpretari, aſſi- B duam, intentam, & vehementem, exemplo ſumpto ex cap. 12. Act. v. 5. ubi de S. Petro in carcerem conjecto dicitur, *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς γινομένη. In Græcorum officiis videtur primò ſignificare, extenſam & prolixam orationem. Ubicunque enim dicitur ἐκτενῶς δεηθῶμεν, vel Diaconus dicit, τὴν ἐκτενῆ, aut quid ſimile, ſequitur brevium precum accumulatio, & concatenatio, ut videre potes in Euchologio in fine matutini officii, & in Liturgia S. Chryſoſtomi poſt Euangelii lectionem. Cum eadem C oratio paucioribus precunculis conſtringitur, dicitur μικρὰ, parva; cum in plures diffunditur, dicitur, μεγάλη. Eadem ratio ἐκτενῆς iſtius orationis quæ συναπῆς: Aut nihil aut leviſſimè differunt. Itaque vide ſupra adnot. 42. quæ de συναπῆ diximus. His jungere potes quæ de συναπῆ ſcribit Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro.

129. *At Gregorius Theologus.* Mendum in textu: legendum, Καίτοι γε χρηγέι ὁ θεόλογος φωνῆς, &c. Hanc lectionem interpretati ſumus. Textûs ut jacet, nullus eſt ſenſus.

130. *Cum ſacco induitur.* Saccus eſt veſtis D ſummorum Pontificum Græcorum, atque etiam Imperatorum propria, cujus figuram & ſignificationem, qua Eccleſiam reſpicit, paucis deſcribit idem Symeon Theſſalonicenſis Libello de Templo & Miſſa, *Sacrum Phenolion ſublimiorem & ſupernè collatam Spiritus virtutem demonſtrat. Imprimis ſaccus quo per ludibrium Salvator indutus eſt. Ideirco & ſacci formam habet. Nec enim in eo ſunt, quæ appellantur Manicæ. Manifeſtius hoc confirmat, quod eo veſtiuntur è Pontificibus ſelecti, & primi, ipſaque ſacci appellatio.* Itaque ſaccus manicis caret, corpori adſtrictus eſt, ut ſaccus; E nullis ſtriis aut undis laſciviens, Metropolitarumque eſt & Patriarcharum ornamentum. Ideo Symeon illum imprimis Patriarchæ tribuit, non Epiſcopo. Tanti etiam ab iis æſtimatur iſtud ornamentum, ut ſingulis annis ter tantum à majoribus Epiſcopis deferri licitum ſit, & ideo purpureum eſſe non poſſit, ut ex Juris Orientalis lib. 5. conſtat, ubi Demetrius Bulgariæ Archiepiſcopus à Conſtantino Cabaſila Dyrrachii ſimiliter Archiepiſcopo interrogatus, An ſaccum fieri oporteat purpureum, reſpondet, Eccleſiam *purpureum ſaccum nullo modo agnoſcere: Quandoquidem ſaccus in tribus duntaxat anni celebribus Dominicis feſtis ſui uſum præbet, nimirum magno Paſchatis Dominico, Pentecoſte, & Natali Chriſti. Hoc igitur ſatis plenam fidem facit ſaccum purpureum eſſe non debere. His accedit quod purpurea veſtimenta ſunt luctus indicia in ſolis jejunii diebus, & mortuorum memoriis uſitata.* Saccus etiam ornamentum erat imperatorium, ut videre eſt apud Codinum libello de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ cap. 6. *Quando Imperator fert ſtemma, aliud indumentum non geſtat præter ſaccum & diadema.* Capite verò decimo, *Hoc autem palmarum feſto nihil aliud fert niſi ſtemma & ſaccum.* Nicephorus Gregoras lib. 5. verſus finem, ſcribit Joannem Deſpotam Michaelis Palæologi fratrem accepta clade ſaccum à ſe abjeciſſe. Jacobus Goartius in Codinum ex antiquis picturis conjicit purpureum fuiſſe, rubrum vel violaceum: In membranis tamen regiis quas exſcripſit, legitur, Δι' ὃ σάκκου μέλανος ἐντὸς τὸ τῆς βασιλείας κρύφιον δείκνυσι. *Per ſaccum qui niger eſt, ſignificatur regni ſecretum.*

131. *Extra Sanctuarium illud pſallitur.* Græcè ἡ πάλιν δὲ τρὶς, &c. lego ἡ πάλιν τοῦτο τρὶς. Ter in thronum collocatur Patriarcha, & unaquaque vice ter pſallitur, *Dignus*, intus & extra Sanctuarium.

132. *Diaconi ſicut Angeli ſacras ſtolas, &c.* Per ſtolas Symeon intelligit Sticharia alba, quæ geſtant Diaconi, qua de cauſa Angelis comparari ſolent, eo quod ſit veſtis talaris hominem à collo ad pedes uſque ambiens. Longe ante Symeonem hanc comparationem eâdem de cauſa inſtituit Gregorius Nazianzenus in ſomnio de Anaſtaſia,

Οἱ δ' ὑποδρησσῆρες ἐν ἥμασι πυμφαείοισιν
Ἑσσεύα ἀγγελικῆς εἰκόνες ἀγλαΐης.

Sic ſcripſit Nazianzen. divina oracula imitatus quæ Angelos nobis deſcribunt, ſtolis albis, ſeu tunicis, totum corpus tegentibus indutos, ut Marci 16. 5. apparet ad monumentum Angelus περιβεβλημένον στολὴν λευκὴν. Notum eſt ſtolam ſignificare tam Græcè quàm Latinè veſtimentum longum, hominem ambiens. Sæpe uſurpatur in novo Teſtamento, præſertim in Apocalypſi, ſed in ea ſignificatione ſemper. Nonnunquam Græcè pro ornamento univerſè ſumitur, & Latinè pro veſte muliebri longiore. Sed Latinis Eccleſiaſticis pro Orario quo nunquam utuntur Subdiaconi. Ideo addidimus *ſive tunicas*, ne ſtolas Latinorum, ſive Oraria Lector intelligeret. Stolæ autem illæ, ſive Sticharia, ſunt ſimillimæ veſtibus lineis ſacris quas *Albas* vocare ſolemus. De Stichariis ſupra adnotatione 30.

133. *Oblationem de more fecerit, Miſſa inchoatur.* Oblatio iſta ea eſt quæ fieri ſolet in menſa propoſitionis ante Miſſam, quæ dici poteſt minus offertorium. Poſtea magna & principalis oblatio fit in altari poſt lectum Euangelium & cantatum hymnum Cherubicum, ut videre eſt in Euchologiis & Græcorum Liturgiis.

134. *In ala ſeu ſpiritu deſcripta.* Alam, ſive chartam alæ figuram habentem, vocat ſpiritum,

tum, eo quod columbæ figuram imitetur, quæ Spiritus ſancti eſt hieroglyphicum.

135. *Manu Ordinantis impoſita.* Scriptum erat, ἐπκειμένης manifeſtum τυπογράμμα. Correximus, ἐπκειμένης. Referri debet ad χειρὸς quod ſequitur. Similiter paulò poſt, τὰς χειροτονίας, reſtituimus τῆς χειροτονίας.

136. *Numularios è templo ejecit.* Ii qui Joan. 3. κερματισταὶ καὶ κολλυβισταὶ, Numularii dicuntur, voce barbarâ vocat ζηκαμπίλους. Unde derivatum nomen neſcio, niſi ex ipſa barbarie Græciam vaſtante. Forſan quis alluſione vocis perſuaſus ἀπὸ τῆς κάμψεως deducet, undo καμπύλος, curvus, καμπύλα ξύλα, ligna curva; ſed ſcribendum eſſet per υ, non per η, deinde derivationis ratio longè petita videtur.

137. *Ex iis Oeconomus ordinatur.* De Oeconomis, Chartophylace, & Defenſore vide quæ diximus Exercitatione 16. cap. 4, 5. & ſequentibus, ubi de his ampliſſimè.

138. *Ideo & hic ordinationes ſiunt.* De hac Symeonis ſententia fuſè diſputatum eſt cap. 3. Exercitationis 14. cui etiam junge cap. 2. & 4. ejuſdem Exercitationis.

139. *Univerſale aliquod, &c.* Iſta explicata habes eadem Exercitatione 14. caput 3.

140. *Si canones hoc tam attentè, &c.* Scribitur ποσμυχὴ καὶ λαβυρὴ, ſed legendum ποσμυχὴ καὶ λαβυρὴ.

141. *Anabathra.* Vide quæ dicta ſunt adnotatione 104.

142. *Cæruleo throno.* ἱεροῦ nomen adjectivum à recentioribus Græcis frequentatum, ut vel ex ſolo capite tertio. Codini de officiis aulæ CP. deducitur ἀπὸ τοῦ αἴρω, Poëtice ἴημι, unde ἱέμενος, & ἱέμενοι Poëtis frequentes. A Recentioribus Græcis pro colore ſumitur cæruleo. Malè vertitur aëreo, nullus enim color aëreus eſt, niſi per ſimilitudinem cæruleus, ſive cœleſtis. Talis eſt enim color ille qui cælo ſereno in ſummo æthere conſpicitur, & oculorum aciem terminat: color ille cæruleus eſt, καὶ ἱεροῦ, aut certè ad hunc colorem proximè accedit. Citat Meurſius ex Orneoſophio hæc verba, quæ videntur colorem iſtum medium ſtatuere inter citrinum & praſinum χλοῦ δηλαδὴ, καὶ ποτὲ μὲν κίτρινα, ποτὲ δὲ ἱερὰ, ποτὲ δὲ πράσινα.

143. *Duplici obſignatione.* Lege quæ de verbis iſtis Codini diximus cap. 4. Exercitationis 14.

144. *At Archimandrita, &c.* Archimandritas à Monaſteriorum Præfectis diſtinguit, & illis non modo præfert Archimandritas, verum etiam inter utroſque medios collocat Protoſyncellos, veluti cæteros Monaſteriorum Præfectos Archimandritæ longè antecellerent. Archimandritas olim idem fuiſſe cum Monaſteriorum Præfectis, & ratio nominis oſtendit, & uſus, ut videre eſt Novella 5. & 123. & in Zenonis Imperatoris Henotico, & alibi ſæpius. Unde & ἀρχιμανδρίτης Abbatiſſa. In Oriente poſtea factum eſt ut in Occidente, multiplicatis Monachis multiplicata ſunt Monaſteria, pluribuſque Monaſteriis unus præpoſitus eſt, qui Archimandrita vocabatur. In ſacro monte plurima ſunt Monaſteria, omnibus præeſt unus Archimandrita quem Cantacuzenus l. 1. c. 33. ſacri montis Præfectum vocat. Balſamon in Photii Nomocanonem tit. 1. c. 20. Pantocratorenorum mentionem facit qui pluribus Monaſteriis Præfecti erant. *Quod autem Pantocratorenus Præfectus præſit multis Monaſteriis, canoni non adverſatur. Multa enim Monaſteria ut unum reputantur, quod per acceſſionem ad Pantacratorem redeant.* Marianus etiam Monachus Monaſterii S. Dalmatii Archimandrita ſubſcribit in Concilio ſub Mena Patriarcha, *Et Exarchus ſanctorum Monaſteriorum hujus regiæ urbis*: Archimandrita erat, & inſuper ſub titulo Exarchi omnia Monaſteria regiæ urbis regebat.

145. *Et Protoſyncelli.* Reperies nonnunquam dictos Syngelos, & Protoſyngelos, Græcè σύγκελοι, πρωτοσύγκελοι. Guilielmus Tyrius lib. 14. cap. 12. Concellos vocat: occurret etiam *Cellulanos, & Concellaneos*: Propriè tamen Syncelli, & Protoſyncelli dicendi ſunt, cætera veri etymi corruptelæ ſunt. Syncellatus eſt dignitas Eccleſiaſtica apud Græcos frequens, & ambitioſè appetita: Unde præ eorum multitudine inter eos creati ſunt Protoſyncelli. Ita dicuntur à Cella nomine Latino quod jamdudum Græci adoptarunt, ut ab eo derivata κέλλιον, κελλαρέον, κελλάριον, κελλαρικὸν, κελλαρίτης, Penetrale, ſeu cubiculum reconditum, Cellarium, Cellarius. Monachorum cellæ, κέλλαι dicuntur, ut & Monachis Latinis, ſed potiſſimum κέλλια. Sozomenus lib. 6. hiſtoriæ cap. 31. οἰκοῦσι δὲ ἐν τοῖς κελλίοις, ὅσοι φιλοσοφίας εἰς ἄκρον ἐλήλυθασι. *Has cellas, κέλλια, incolunt ii qui ad id quod in hac diſciplina Monaſtica ſummum eſt, pervenerunt.* Ideo dicit ibidem locum in quo habitabant illi Monachi, κέλλια dictum fuiſſe. Et Theodorus Collectaneorum lib. 1. *Timotheus Aelurus, antequam occideretur, Proterium, nigra veſte indutus νυκτὸς* ἐν τοῖς τῶν μοναχῶν κελλίοις περιερχόμενος, ἐξ ἑνὸς ματος ἑκάλει ἕκαστον μοναχόν, *in cellis Monachorum noctu circuibat, & unumquemque Monachum ex nomine vocabat.* Et hoc ipſo Codini capite quod illuſtramus, Imperator, &c. Sedet in throno, egreſſus è Conclavi ſuo, ἐξελθὼν ἐκ τοῦ κελλίου αὐτοῦ, & alibi non ſemel. Sumi ſolet etiam apud eos pro quovis cubiculo. Moſchopulus, κοιτὼν, κυρίως, μὲν ὁ ἔχων πολλὰς κοίτας ὡς οἱ ξενῶνες. καταχρηστικῶς δὲ τὸ κοινῶς λεγόμενον κέλλιον. *Propriè κοιτὼν domus eſt continens multos Lectos, ut Xenodochia: Abuſivè autem, id quod vulgo dicitur cella, κέλλιον.* Palladii hiſtoria Lauſiaca in Apollonio, πασῶν ἰατρικὴ καὶ κελλαρικὴ ἀμεριζόντων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πάσῃ τῇ ἀδελφότητι εἰς τὰς νόσους ἐπιμελ. Typicon S. Sabæ, ὁ δὲ κελλαρίτης διανεμάτω τὰς ἄρτους ἑκάστῳ τῶν ἀδελφῶν. *Celerarius fractis panibus tradit fratribus.* Et Euchologium in fine Lucernarii, ὁ δὲ κελλαρίτης προτιθήτω ἐν τῷ ἀναλογίῳ ἄρτους πέντε ἐξ ὧν ἐσθίομεν ἐν τῇ τραπέζῃ. ὡσαύτως καὶ οἶνον μετὰ εἶναι. *Celerarius autem exponit in pulpito quinque panes in menſa comeſo ſolitos; ſimiliter vas optimo vino plenum.*

Syncellus idem igitur eſt quod Concellaneus, ejuſdem cellæ incola, contubernalis,

commenſalis. Ita κατ' ἐξοχὴν dicebatur Clericus qui in Patriarchæ domo ipſi miniſtrandi cauſa habitabat, & ideo plerorumque negotiorum ad Patriarcham ſpectantium conſcius erat. In memoriam Lectori revocandum eſt, Patriarchas, ut & pleroſque Epiſcopos, è Monachis eligi ſolitos. Unde ad Patriarcheium tranſlati aliquos ſibi aſciſcebant Monachos, cum quibus vitam Monaſticam colerent, quibus ideo in Patriarcheio cellas concedebant. Eorum ſemper aliquis, ut pote præ cæteris induſtrius, & in rebus gerendis acer, familiarius cum Patriarcha verſabatur, ipſique erat ab intimis conſiliis. Quapropter cæteris propius ad Patriarcham accedebat, & habebatur veluti Patriarchæ contubernalis: Hinc Monachi συνάδελφοι confratres dederunt illi Syncelli Συγκέλλου nomen, quaſi Cellæ Patriarchalis ſocium. Talis erat Neſtorio Patriarchæ Conſtantinopolis Anaſtaſius quidam Presbyter, quem ſecum Antiochiâ duxerat, cujus opera potiſſimum in diſſeminanda hæreſi utebatur, ut teſtantur Socrates lib. 7. cap. 32. & Euagrius lib. 1. cap. 2. Hunc Neſtorii fidum Conſiliarium vocant Theophanes & Anaſtaſius hiſtorici ad annum Chriſti 423. Neſtorii Syncellum, ſed eo nomine abſtinent Socrates & Euagrius; nondum puto in vulgus nomen eruperat, ſed tamen Syncelli officio apud eum fungebatur: Brevi tamen poſtea qui præ cæteris Patriarchæ familiaris erat, Syncellus dictus eſt. Theophanes & Anaſtaſius ad annum Chriſti 510. teſtantur Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo mortuo Joannem Cappadocem Syncellum ipſi ſuffectum, eoque brevi mortuo ſucceſſiſſe Epiphanium ejuſdem Eccleſiæ Presbyterum & Syncellum. Iidem in Leone Iconomacho ad annum ejus 13. ubi referunt qua ratione Leo S. Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum in ſuam hæreſim irretire ſatagebat. *Habuit in hoc comparticipem Anaſtaſium diſcipulum & Syncellum ejus, cui ſpopondit, nipote impietatis ſuæ conſentaneo, throni cum adulterum ſucceſſorem futurum*, quod & paulò poſt præſtitit, S. Germano Patriarchatui, quem annis quatuordecim ſanctè adminiſtraverat, renuntiante. Eadem teſtatur Cedrenus in hiſtoriarum compendio ad eundem Imperatorem.

Tantopere autem crevit, & amplificata eſt iſta dignitas, ut fratres & Cæſarum filii magnum beneficium ſibi præſtitum exiſtimarent, ſi ea ornarentur. Nec abs re ejuſmodi deſiderium eos inceſſebat. Eò enim tandem deventum eſt, ut qui Protoſyncellus eſſet, ſpem haberet prope certiſſimam capeſſendæ poſt Patriarchæ mortem tantæ dignitatis. Zonaras enim & Cedrenus in Monomacho Imperatore referunt antiquum fuiſſe Conſtantinopoli morem, ut qui Syncellus creatus eſſet, Patriarchæ defuncto ſuccederet: Sultanus *Legatum ad Imperatorem miſit, quem illi Seriphen vocant. Cujus eadem fere conditio fuit, quæ olim apud nos Syncelli. Nam ut is Patriarchæ mortui locum occupabat; ſic etiam Seriphes Caliphæ defuncto ſuccedebat.* Similia, & eadem occaſione Cedrenus. Ideo Leo Sapiens Imperator, ut idem ait, Stephano fratri ſuo hanc Syncellatus Conſtantinopolitani dignitatem procuravit, & poſtea expulſo Photio, Patriarchatu eum decoravit. Paucis poſt annis Euthymius Syncellus, procurante eodem Leone Imperatore Patriarcha creatur. Eandem dignitatem filio ſuo natu minimo procuravit Romanus Lecapenus Imperator, ut his verbis refert Cedrenus, *duos ſuos filios Stephanum & Conſtantinum coronat in magno templo; reliquum Theophylactum Patriarcha tondet, ac Clericum facit, & Subdiaconum, ac Syncellum deſignat, cum prius in Sanctuarium intraſſet officio Subdiaconi functurus.* Eadem Zonaras adnotat in rebus à Romano Imperatore geſtis.

Syncellatus dignitas erat ad maximas & ſupremas quaſque dignitates gradus & præparatio. Inde eſt quod Romanus Imperator alter, Argyrus dictus, Syncellos tres ad Metropoliticas dignitates evexit. Ita idem Cedrenus, *fecit etiam tres Syncellos Metropolitas, Cyriacum Epheſi, nipote, conſanguineum Patriarchæ; Demetrium Cyzici, quem etiam antequam fieret Imperator, admodum dilexerat; & Michaelem Euchaitarum, ut genere huic propinquum.* Mentionem quoque in Baſilio Porphyrog. Romani filio, facit Stephani Syncelli, & Nicomediæ Præſulis. Tanta Syncellatus dignitas eos aliquando impulit ad movendam Metropolitis litem de honorifico in Liturgia celebranda conſeſſu, ut autor eſt idem Cedrenus in Romano Argyro, *Die Pentecoſtes, inquit, tumultuatum eſt ob ſeſſionem in ſacro officio, Metropolitis non ferentibus ſuperiore loco Syncellos ſedere.* Qua ratione lis compoſita fuerit, aut quis causâ ceciderit, non enarrat Cedrenus. Quidquid tamen contigerit, ipſa audendi confidentia maximam arguit Syncellorum autoritatem.

Aula Imperatoria videtur etiam Syncellos habuiſſe, qui aliquando ſub Imperatoribus negotia publica magna cum autoritate adminiſtrarunt. Talis erat Leo Syncellus, dictus Strabo Spondylus, quem Theodora Imperatrix ſola imperio potita rerum civilium adminiſtrationi præfecit, ut referunt Zonaras & Cedrenus. Deinde Theodora defuncta autor fuit renuntiandi Imperatorem Michaelem Stratioticum, ſub quo etiam rempublicam adminiſtrabat: Sic de eo Zonaras, & ſimilia Cedrenus, *Cæterum Orientales duces injuriis affecti, denuo fortunam periclitaturi Protoſyncellum Leonem communia negotia procurantem adeunt, eo interceſſore Imperatorem precaturi, ne ſoli negligerentur, cum cæteri omnes liberalitatis ejus fructum aliquem percepiſſent.* Inde tamen hoc neceſſariò non evincitur. Objici enim poteſt Leonem Cleri Eccleſiæ CP. Protoſyncellum fuiſſe, ſed Reipublicæ gubernaculis ob inſignem rerum gerendarum peritiam à Theodora admotum; deinde eadem de cauſa, & gratitudinis ergò, à Michaele in hoc officio continuatum. Eadem videtur ratio Gregorii magni Protoſyncelli quem Phrantzes ait Imperatorem ad Concilium Florentinum euntem eſſe comitatum.

Quum igitur Syncellatus dignitas tanti haberetur, mirum videri non debet ſi à Græcis præ cæteris nationibus ambitioſis, magnopere affectaretur.

retur. Hinc factum est ut brevi Patriarchæ cogerentur plures hoc honore decorare. Tempore Heraclii Imperatoris in tantum numerum jam in Ecclesia Constantinopolitana excreverant, ut rogante Sergio Patriarcha ad duos eos constitutione sua redegerit, ut videre est Juris Orientalis lib. 2. Heraclii Novella 2. Sed non obstantibus Imperatorum Constitutionibus, numero crescente factus est inter eos, ut ordo servaretur, πρωτοσύγκελλος Protosyncellus, primus Syncellus. Deinde cum hoc non sufficeret ambitioni hominum exsaturandæ μέγας πρωτοσύγκελλος, magnus Protosyncellus creatus est. Protosyncell. ille jus habet hypogonation sive subgenuale, cum sacrificio assidet, gestandi, ut nominatim adnotat Euchologium initio Liturgiæ S. Chrysostomi. Ad ipsum quoque spectat orationem pronuntiare quæ fieri solet pro Patriarcha inter sacrificandum cum ipse est qui sacris operatur. Aliis locis ubi Episcopus aut Metropolita in suis Diœcesibus Missam celebrant, ipsi eam non pronuntiant, sed Presbyter aliquis ex honoratissimis. Indecorum enim existimant Græci aliquem publice pro seipso orationem pronuntiare: Ideo verecundæ modestiæ causa ab ista pronuntiatione abstinent Episcopi.

Hic difficultas cieri potest quæ alicui forsan videbitur maxima: Cum tanta sit Syncellatus dignitas, & apud Græcos tam frequens, Unde est quod Codinus qui dignitates magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ tanto studio & accuratione enumerat & describit, inter eas tamen Syncellatum nunquam commemorat? Unde est quod Joannes Citri easdem dignitates qua potest diligentia inquirens & explicans Juris Orientalis lib. quinto, Syncellorum non meminit? Unde est quod tam variæ expositiones & ordines Officialium magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex Bibliotheca regia & aliis decerptæ, & in Euchologio Græco-Latino descriptæ alto silentio Syncellatum omnes prætereunt? Nihil mihi occurrit hac in causa dicendum, nisi Syncellatum, nec esse officium, nec ministerium, οὐκ εἶναι ὀφφίκιον, οὐδὲ ἀρχοντίκιον, οὐδὲ ἀξιώνυμα, ut illi vocare solent, sed puram putam dignitatem honorificam quæ Patriarcharum arbitrio conferebatur, qua Syncellus Collegis præibat, & multis in causis anteferebatur. Notitiæ autem illæ omnes sunt officiorum & ministeriorum in Ecclesia magna ab unoquoque clerico clientelari obeundorum, ut ex Notitiarum titulis, & uniuscujusque officii seu ministerii descriptione manifestum est. Hæc de Syncellis dicta sunto.

146. *Epirrhiptariis, seu capitum tegminibus.* Quid sit Epirrhiptarion verba sequentia declarant. Pileus est usualis, quem Græci vulgari idiomate neutro genere efferunt καπέλο, vel σκιάδι. Sic dicitur ἀπὸ τῆς ἐπιῤῥίπτου, à superjiciendo, quod capiti veluti superjiciatur: Evidenter colligitur hæc significatio ex cap. 6. de officiis aulæ CP. ubi dicitur Lectores stare in medio triclinio è conspectu Imperatoris μὴ τῶν ἱματίων καὶ ἐπιῤῥιπτασίων, A *cum tunicis & Epirrhiptariis*, paulò post, *Canonarcha autem cum solis tunicis*, ἀσκεπὴς *& detecti*, hoc est, & aperto capite oppositè ad id quod paucis ante verbis dixerat, & *Epirrhiptariis*. Stare igitur cum Epirrhiptario, est capite operto, sive pileatum. Curopalates in Constantino Leonis filio, *Simeone caput inclinanti ut Patriarchæ benedictionem acciperet, Patriarcha, ut dicunt, imposuit αὐτῷ ἀντὶ στεφάνου τὸ ἴδιον ἐπιῤῥιπτάριον, pro corona proprium pileum.*

147. *Et Exarchi Patriarchici.* Metropolitæ olim apud Orientales quandoque dicebantur Exarchi, ut pluribus exemplis lib. 1. Exercitationum Ecclesiasticarum, Exercit. 9. demonstravimus. Postea Concilium Chalcedonense mediam quandam Magistratus Ecclesiasticam dignitatem instituit inter Patriarchas & Metropolitas, cui non modo Exarchatus nomen attribuit, verumetiam appellationum à Metropolitis cognitionem, ut videre est istius Concilii canonibus 9. & 17. & pluribus docuimus eodem loco, Exercitatione 15. jamdudum est cum Exarchorum istorum potestas in Oriente penitus extincta est, ut in can. 17. Chalcedonensem testatur Balsamon, & Blastares cap. 9. literæ δ, διοικήσεις λέγεται, ἡ ὑπαρχίας πολλὰς περιέχουσα καὶ τὸν ἐξάρχου φερόμενον τὸ νῦν ἔχον, οὐκ ἀνεγράφη, οἱ γὰρ καὶ λέγονταί τινες τῶν μητροπολιτῶν ἔξαρχοι, ἀλλὰ σὺν τοῖς διοικήσεσι ἑτέρους μητροπολίτας οὐκ ἔχουσιν ὅλως ὑποκειμένους αὐτοῖς. *Diœcesis dicitur, quæ plures Provincias complectitur. Exarchorum autem privilegium hoc tempore non amplius viget. Licet enim Metropolitarum quidam Exarchi dicantur; alios tamen Metropolitas sibi subjectos in diœcesibus nullos omnino habent.* Abhinc sexcentis annis superbi tituli nonnullis Metropolitis ab Imperatoribus concessi sunt, quibus annexum est Exarchi Epitheton. Cæsareæ Cappadociæ Metropolita dicitur hypertimorum hypertimus, honoratissimorum honoratissimus, & totius Orientis Exarchus. Ephesinus autem hypertimus, & totius Asiæ Exarchus. Heracleensis Hypertimorum Præsul, totiusque Thraciæ & Macedoniæ Exarchus. Hunc superbum titulum adhuc retinet idem Præsul, ut videre est apud Crusium adnotat. in Librum secundum Turco-Græciæ, pag. 191. Sic & Thessalonicensis nunc subscribit, ὑπερτίμου, καὶ ἐξάρχου πάσης Θετταλίας, quem titulum illi tribuunt antiquæ notitiæ, ut eodem loco legitur.

Plures sunt alii in Notitia apud Codinum Hypertimi dicti & Exarchi, quos inter tertius recensetur Philadelphiensis Metropolita, ὁ Σαρδέων, πάσης Λυδίας. καθ' οὗ ἔνι νῦν ὁ φιλαδελφείας, ὃν μὲν πρότερον ἐπίσκοπον ὄντα Σαρδέων, γενόμενον μητροπολίτην, ἔχει νῦν καὶ τὸν τόπον, καὶ τὴν ἐξαρχίαν τῶν Σαρδέων, ἐν ταῖς λοιπαῖς ἐπισκοπαῖς ὑφ' ἑαυτόν. *Sardicensis, universæ Lydiæ* (nempe Hypertimus Exarchus) *cujus locum tenet nunc Philadelphiensis, cum prius esset Episcopus Sardicensi subjectus. Factus autem Metropolita, nunc possidet & locum, & Provinciam, & Episcopatus Sardicensi subjectos.* Ideo tamen Gabriel noster non se vocat Exarchum Patriarchicum: Exarchi enim illi nunquam se Patriarchicos vocarunt, sed simpliciter hujus vel illius

Provinciæ Exarchos. Nec erant à Patriarchis ad hanc dignitatem evecti, ſed ab Imperatoribus, id probantibus Græcorum Conciliis, ſaltem non improbantibus. Ideo Cruſius iis locis Exarchum malè interpretatur, *Legatum aut Vicarium Patriarchæ*, pejus addit, *aut Metropolitæ*. Erant enim ipſi non modo Metropolitæ, ſed Metropolitarum primi, cæteris ratione iſtius tituli præeuntes. Deinde Exarchatus ille nec à Patriarcha concedebatur nec ab eo pendebat. Sunt alii apud Neotericos Græcos Exarchi Patriarchici dicti, qui frequenter à Patriarchis Conſtantinopolitanis in varias Provincias velut Viſitatores mittuntur, ut Monaſteria ſibi ſubdita viſitent, Monachorum querelas audiant, definiant, quæ in iis contra diſciplinam Monaſticam commiſſa ſunt, caſtigent, & reforment, variaque munera obeant juxta delegationis Litteras ipſis conceſſas. Longum eſſet ſingulos articulos autoritatis à Patriarcha ipſis conceſſæ hic inſerere. Qui hujus rei curioſus erit, adeat librum 3. Juris Orientalis pag. 232. & ſequentibus, in quibus habetur Germani Patriarchæ decretum contra Naupacti Metropolitam, qui jure Metropolit. contendebat alterius Diœceſis Monaſteria ſibi vendicare. Deinde duo conſequenter referuntur diplomata, quorum alterum eſt ejuſdem Germani Patriarchæ. In iis abunde docebitur nullomodo ad Metropolitas, ſed ad ſolos Patriarchas, pertinere Monaſteria & Eccleſias extra propriam Diœceſim ſui juris habere, σταυροπήγια in alieno ſolo figere, ea per Exarchos regere, & adminiſtrare: Quæ ſint inſuper iſtorum Exarchorum ſeu Viſitatorum Patriarchalium, jura, officia, privilegia, autoritas: Maxima enim ſunt, & longa præſcriptione in toto Patriarchatu Conſtantinopolitano uſitatiſſima. Sed qui munera Exarchis ejuſmodi concedi ſolita articulatim deſcripta videre cupit, Librum ejuſdem Juris ſextum adeat, & caput cui titulus eſt, ἔνταλμα διδόμενον τοῖς ἐξάρχοις, *Mandatum Exarchis datum*, nihil præterea deſiderio ſuo explendo requiret.

Matthæus Blaſtares in canonum ſyntagmate nondum edito, cap. 9. elementi Π, hoc privilegium non modo aſſerit Patriarchæ Conſtantinopolitano, verum etiam videtur aliis Patriarchis denegare, τῷ Κωνσταντινουπόλεως πρόεδρῳ ἔξεστιν, καὶ ἐν ταῖς τῶν ἄλλων θρόνων ἐπαρχίαις, ἐν αἷς οὐκ ἦν προκαθήρωσις ναῶν, σταυροπήγια δοῦναι. *Conſtantinopoleos Præſuli licet in aliorum thronorum Paræciis, in quibus nulla præcedit Eccleſiæ conſecratio, Stauropegia concedere.* Et alio loco cui titulus eſt, Quod ſoli Conſtantinopolitano Patriarchæ permiſſum ſit Stauropegia ubique mittere, μόνῳ τῷ Πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως ἐν συνηθείᾳ ἰσχύει μακρᾷ, σταυροπήγια δοῦναι, καὶ τὴν ἀναφορὰν, καὶ μνήμην δ' ἐνάμα αὐτὰ ἔχειν, ἀ μόνον ἐφ' οἷς κέκτηνται ἰδίοις χωρίοις, ἐπαύλεσι κειμένοις, ἢ πᾶσι ἀκινήτοις κτήμασι τῶν ὑποκειμένων τούτῳ μοναστηρίων· ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶν μητροπόλεων αὐτοῦ ἐπαρχίαις, ἐνθα ἂν θέλῃ ὁ τῶν ὅλων ἀνεγείρουσι δηλαδὴ προσκλήσει. *Soli Patriarchæ Conſtantinopolitano ex longa conſuetudine permittitur Stauropegia ſtatuere, & in iis oblationem & memoriam ſui nominis facere, non ſolum in iis locis quæ poſſidet; ubicunque illa ſita ſint, & in bonis immobilibus Monaſteriorum ipſi ſubjectorum, ſed etiam in paræciis Metropoleon ſuarum, ad quamcunque ab eo qui templum fundat, & erigit, vocatus fuerit.*

Stauropegion Patriarchicum recentioribus Græcis non modo ſignificat crucis fixionem à Patriarcha, vel ejus mandato factam, ut ſola nominum conſideratio poſtulat, ſed crucis fixionem in alieno ſolo, extra ſcilicet diœceſim propriam, in Diœceſibus videlicet Epiſcoporum & Metropolitarum ſibi ſubditorum. Unde ſæpe Stauropegia ſumuntur abſolutè pro Monaſteriis & Eccleſiis Patriarchæ ſubditis extra Diœceſim, ejus mandato aut nunc aut olim conditis, quæ Latini vocarent exempta, & ad ſedem Apoſtolicam nullo medio pertinentia. Ita paſſim Stauropegion ſumitur, & ita Eucholog. ubi titulus περὶ σταυροπηγίου, & alibi, ἀκολουθία τῆς σταυροπηγίου, in quo ritus omnes in illa crucis fixione obſervandi præcipiuntur. Quapropter rectè Cruſius Turco-græciæ lib. 1. pag. 300. interroganti quid ſit Stauropegium, reſpondet, Πατριάρχης μοναστήριον, παλαιὸν κείμενον ἄλλῃ ἐπαρχίᾳ· οἷς ἐν ναυπλίῳ, εἴθηναις, ἢ ἀλλαχοῦ. Rectè quoque diſtinguit inter Eccleſiam ἐνοριακὴν, & σταυροπηγιακὴν. Eſt, inquit, ἐνοριακὴ quam Metropolitæ adminiſtrant: addere debuerat, & Epiſcopi. ἐνορία enim Græcis hodiernis nomen vulgatum, quo ſignificant id quod vulgo Parochiam vocamus; unde ἐνορίτης, Parochianus. σταυροπηγιακὴ Eccleſia quæ regitur à Patriarcha, aut ejus mandato. Significat etiam aliquando ſimpliciter crucis fixionem ab Epiſcopo aut illius mandato factam, ut apud Iulianum Anteceſſorem, Conſtitut. 61. & Baſilic. Ecloga 4. περὶ εἰκοδομῶν βελόμενον μοναστήριον προσκαλεῖν δεῖν φασι τὸν ἐπίσκοπον, καὶ πῆξαι σταυροπήγιον. *Volentem ædificare Monaſterium ajunt teneri Epiſcopum advocare, & Stauropegium facere.* Sic & apud Balſamon. in c. 17. ſeptimæ Synodi. Exarchus Patriarchicus ejuſmodi Monaſteriorum & Eccleſiarum potiſſimum curam habet, & hæc eſt præcipua illius inſtituendi & delegandi cauſa: Cui jam inſtituto nonnulla alia Patriarchæ demandare ſolent, ut eleemoſynarum collectionem, quibus & ſeſe ſuſtentent, & tributa ſibi impoſita ſolvant. Exempla iſtius muneris Exarchicis Patriarchicis demandati habes Turco-Græciæ l. 4. p. 293. Gabriel igitur noſter talis erat Exarchus, & ideo verè Patriarchicus, ut ſeſe inſcribit, id eſt, Monaſteriorum & Eccleſiarum exemptarum, ſeu σταυροπηγίων Viſitator & Corrector, atque ut ipſe explicat ἐπίτροπος, Curator, à Patriarcha Conſtantinopolitano inſtitutus. Cura enim ejuſmodi, ut & crucis figendæ, & Monaſterii fundandi, non modo Presbyteris, ſed etiam Epiſcopis mandari ſolebat, ſicut ex Euchologio in eodem titulo colligitur.

Huic Patriarchæ CP. autoritati aliquando ſeſe oppoſuerunt Epiſcopi Græci, ſed causâ Concilio judicante ceciderunt, ut teſtatur Balſamon in can. Apoſtolicum 31. *Hoc canone, & reliquis qui eadem decernunt, freti Metropolitani, & Epiſcopi, murmurant adverſus eos*

eos qui quærunt ut cruces Patriarchales, σταυροπήγια πατριαρχικὰ, in ſuis regionibus figantur: & ideo ſæpe quoque nonnulli Imperatoris & Patriarchæ aures obtuderunt, quærentes ut Patriarchalium aſſigendarum crucium conceſſio auferretur; utpote, quod qui ea quærerent, & de his ad univerſalem Patriarcham referrent, eorum nullam rationem haberent. Sed non ſunt exauditi: & cum poſtularent proferri canones, qui crucium ejuſmodi figendarum τῶν πηκτῶν σταυροπηγίων conceſſionem permitterent, ſanctiſſimæ Eccleſiæ parti, eorum inſtantiam rejecit per longam non ſcriptam Eccleſiaſticam conſuetudinem, quæ pro canonibus ſervata eſt, tanto tempore, quanti memoria haberi non poteſt, & in hodiernum uſque diem. In aliis exemplaribus manuſcriptis nonnulla à Balſamone adduntur ex quibus tria colligi poſſunt: Primum, hoc privilegium eſſe canonibus conveniens. Secundum, idem eſſe cæteris Patriarchis permiſſum, quod Blaſtares ſupra negare viſus eſt. Tertiò unicuique Patriarchæ in proprio Patriarchatu non extra, hoc eſſe licitum; ideo verba illius referemus, quæ habentur in additionibus ad Balſamonem f. 1120. *Animadverti hæc jure & canonicè fieri, & Epiſcopos hæc fieri ſruſtra queri. A divinis enim canonibus nec Metropolitano, nec Archiepiſcopo, nec Epiſcopo data eſt regio, ſed quinque Patriarchis diſtributæ ſunt regiones totius orbis terrarum: & ideo ab omnibus qui ſunt in ipſis, nomina ad eos referuntur, ut clarum eſt ex can. 6. & ſeptimo primæ Synodi, &c. Cum autem ipſi eos Antiſtites, qui earum curam gerunt, judicent, & canonicè corrigant, jure etiam dabunt jus figendi cruces in earum civitatibus & Parochiis; earum quoque Clericos impunè ſibi proprios efficient, quoties voluerint. Cum autem hæc ita ſe habeant, nulli Patriarchæ licebit in alterius Patriarchæ provinciam mittere jura figendi crucem, nec ejus Clericum abducere, ne confundantur jura Eccleſiarum.* Ideo Theophylactus in Epiſtola quadam refert quendam Monachum in Diœceſi ſua Eccleſiam ſe inſcio ædificandam ſuſcepiſſe, ſed quia hoc contra canones aggrederetur, prohibuiſſe, donec Stauropegion Patriarchicum accepiſſet.

148. *Sacerdotium eſt ordo.* Græcum ἱερωσύνη latius à Gabriele ſumitur, quàm Latinis Sacerdotium. ἱερωσύνη, enim illi non eſt modo Sacerdotium, ſed etiam quilibet ordo. Definitio quoque τῇ ἱερωσύνῃ data, unicuique ordini adaptari poteſt. Symeon Theſſalonicenſis ſæpe ἱερωσύνην in eadem ſignificatione uſurpat. Deſcriptio illa ordinis vera eſt, licet nonnulla ad veram definitionem poſtulari poſſent. Sed in his adnotationibus à Scholaſticis ſubtilitatibus longè abſumus.

149. *Sacerdotium dicitur ab ἵημι.* Etymologia prior longè petita eſt. Senſus equidem commodus eſt, ſed verba non correſpondent. Utramque tamen aſſignat Etymologicon magnum, & ab eo videtur noſter illas accepiſſe. Priorem probat exemplo, ἱερὸς, inquit ab ἵημι, ut ταχερὸς à τήκω.

150. *Septem ſunt ordines.* Hanc ſententiam amplectitur Gabriel ut ſe demonſtret in antiquitate Eccleſiaſtica verſatum. Licet enim breviſſimus ſit tractatulus, magnam illius partem in hoc ex antiquis autoribus probando occupat. Nam non tantùm hodierna Græcorum conſuetudo Janitores, Exorciſtas, & Acolythos penitus ignorat, verum etiam ab annis mille ſupra centum tres iſti ordines apud eos prorſus inuſitati fuerunt, ut demonſtravimus Exercit. 14. c. 1. & 2. in quo teſtimoniis quæ allegat, reſpondetur, & oſtenditur, Janitores & Exorciſtas apud iſtos autores non fuiſſe τῇ χειροτονίᾳ inſtitutos. Cæterùm in unum ordinem Janitores cum Acolythis confundit, qui apud Latinos diſtinctiſſimi ſunt; apud Græcos autem licet Janitorum fiat mentio, à Latinis tamen ſunt diverſiſſimi, ut videre potes c. 1. Exercitationis noſtræ jam citatæ. Acolythi verò nuſquam gentium apud eos comparent, nomen eſt illis miniſterio Eccleſiaſtico ſignificando prorſus incognitum. Itaque Gabrieli, nec cum Latinis, nec cum ſuis Græcis bene convenit.

151. *Materia quidem ſacrati ordinis.* Vult Gabriel aliquo modo ſe Latinis accommodare, qui conſtituere ſolent Sacramenti ordinis materiam in inſtrumentorum porrectione. Sed maxima eſt hac in cauſa inter Græcos & Latinos differentia, quam explicamus Exerc. 11. c. 7. Deinde videtur ille materiam ſumere alio ſenſu quàm ſoleant Scholaſtici & Ariſtoteles; videlicet, pro aliquo ſenſibili, materiato, & palpabili, quod ſpirituali opponitur, non prout materia, rei ſubſtantia eſt totius compoſiti, quodcunque illud ſit, pars conſtitutiva, quæ cum forma ipſam definiente, & determinante, neceſſariam habet relationem. Ideo quamvis de materia aliquid dixerit, formæ tamen prorſus non meminit, nec etiam potuiſſet: nam materiæ quam indicat, nulla eſt more Latinorum adjuncta verborum formula. Sed in hæc abſurda eum præcipitem egit Latinæ Scholaſticæ affectatio.

152. *Diaconis autem conceſſa eſt, &c.* Exiliter valde & diminutè uniuſcujuſque ordinis officia & miniſteria recenſet, & quæ præcipua ſunt, nonnunquam omittit. Sed de uniuſcujuſque ordinis officiis & miniſteriis tam ſecundum Græcos quàm Latinos accuratè diſputavimus. Itaque ſi curioſus es, Exercitationes noſtras his adnotationibus adjunctas conſule.

153. *Politicè verò per reditus, &c.* Canones quos autor citat de Epiſcopo loquuntur, & de Diœceſi Epiſcopi; ipſe vero ad Metropolitas & Provinciam detorquet. Sed nihil horum in canonibus Apoſtolicis deprehenditur, nec ut opinor in quibusvis aliis. Diœceſis propria Metropolitæ ad ſuſtentandum Epiſcopum ſuum, qua Epiſcopus eſt, non qua Metropolita, tantùm tenetur, nec aliud præcipiunt canones ab autore citati. Imò nec Archiepiſcopi, nec Metropolitæ in univerſis canonibus Apoſtolicis fit mentio: Solummodò præcipitur c. 33. *ut Epiſcopi uniuſcujuſque gentis noſcant eum qui in eis primus eſt, & exiſtiment ut caput, nihilque agant quod ſit arduum, aut magni momenti præter illius ſententiam, &c. Sed nec ille abſque omnium ſententia aliquid agat.*

154. *Sunt & quidam Epiſcopatus, &c.* Plures ſunt ejuſmodi Archiepiſcopatus in Patriarchatu Conſtantinopolitano. Notitia Imperatoris

Leonis Sapientis, 39. ejuſmodi Archiepiſcopatus enumerat, & 81. Metropoles. Alia notitia poſterior Juris Orientalis lib. 3. inſerta, eundem numerum recenſet. Eſt & alia notitia in fine Georgii Codini typis regiis cum commentariis an. 1648. elegantiſſimè editi, quæ poſt enumerationem omnium Metropolitarum quibus titulus Exarchi, aut ſuperior aliquis eſt tribuendus, deſcribit Archiepiſcopos & Epiſcopos ad Metropoliticam dignitatem evectos. *Sunt & alii Metropolitæ extra illos qui veteri deſcriptione comprehenduntur, quibus ex Archiepiſcopis & Epiſcopis honor Metropolitæ diverſis temporibus obtigit. Et quidem ex Archiepiſcopis Metropolitæ effecti ſunt ſequentes, Bizyæ, Mileti,* &c. Duodecim ejuſmodi Archiepiſcopatus enumerat, quorum tamen duo in unum Archiepiſcopatum primùm conjuncti ſunt; deinde Archiepiſcopatus ille ad Metropoliticam dignitatem evectus: Epiſcopatus verò 19. qui eadem dignitate & jure Metropolitico donati ſunt. Admonet eadem Notitia Patriarcham Metropolitas & Archiepiſcopos, cum ad eos ſcribit, vocare ſacratiſſimos ἱερωτάτους: Sed Archiepiſcopis titulum hypertimi non dari, ſed tantùm appellari fratres, & Conſacerdotes, ἀδελφὺς καὶ συλλειτουργούς, eandemque Metropolitarum rationem eſſe. Verùm id de Metropolitarum vulgo intelligendum, qui ſcilicet ab eo ſupra recenſiti non fuerunt. Omnes enim ab eo recenſiti, Exarchi nomine gaudent, & eorum plures inſuper hypertimi ſalutantur, & quidam ὑπερτίμων ὑπέξιμοι, honoratiſſimorum honoratiſſimi, de quibus vide adnotationem 147.

Tantæ in dignitatibus Eccleſiaſticis mutationis, & tam frequentis, cauſa fuit inconſiderata Græcorum Imperatorum voluntas: Ab iis enim pendebat dignitatum Eccleſiaſticarum creatio, ſaltem conſequenter. Dignitate enim politica urbium ab Imperatore immutata, mutabantur & dignitates primæ Eccleſiaſticæ; ita ut civitas Metropolis facta, Epiſcopum quoque efficeret Metropolitam, ut docetur c. 17. Chalcedon. & 38. in Trullo. Lege de hac re Commentarium Balſamonis in hunc poſteriorem canonem. Huic immutationi primùm occaſionem dedit Epiſcoporum ambitio quorum quidam in aula gratioſi, pragmaticas Imperiales emendicabant quibus Provincia ſua in duas divideretur, ipſique hac diviſione ex Epiſcopis Metropolitæ crearentur. Ambitionem iſtam ne longius ſerperet; graviter coercuit Concilium Chalcedonenſe, ita tamen ut dignitatem Metropoliticam ab Imperatore jam obtentam non omnino abrogaret, ne pragmaticam Cæſaream videretur planè neglexiſſe, ſed hoc temperamento plurimùm emolliret. Statuit enim Metropolitas ſic creatos ſolo honore & dignitate Metropolitica frui, autoritatem verò & juriſdictionem Metropoliticam integram penes priorem Metropolitam, ut antea, reſidere. Si tamen Imperator ſponte ſua, propter cauſas ab Epiſcopis non emendicatas, civitatem in Metropolim evehebat, ſtatum politicum imitaretur Eccleſiaſticus. Hinc primum ebulliit fons & origo iſtorum Archiepiſcoporum; qui Leonis Sapientis tempore ad 39. in ſolo Patriarchatu Conſtantinopolitano excreverant. Iſti autem Archiepiſcopi ad uſque Alexium Comnenum Imperatorem à Metropolita ſuo ordinabantur, eique in omnibus ſubjecti erant. Primus eſt Alexius qui Archiepiſcopos illos à Metropolitarum poteſtate exemit. Iniit autem ille imperium anno Chriſti 1081. Imperatori facile conſenſit Patriarcha; eo quod Alexius Archiepiſcopos Metropolitis eximens eorum ordinationem illi attribuit, & conſequenter omnem in eos juriſdictionem. Hæc fuſiùs explicata & demonſtrata lege l. 1. Exercit. noſtrarum Eccleſiaſticarum Exercit. 10. & 18.

155. *Tria crucis ſigilla.* Dictum obſcurè. Velle videtur eum qui ter ab Epiſcopo ſigno crucis benedictus fuerit, miniſterialium officiorum quodlibet, ad tempus ſaltem, exequi poſſe: Et hoc privilegium Epiſcopo concedi neceſſarium eſſe, ut habere poſſit Epiſcopus qui illi miniſtret; eo quod apud Græcos non liceat Presbyterum miniſterialibus officiis & ordinibus defungi. Totius iſtius periodi phraſis barbara eſt, & Græcorum recentiorum idiotiſmo enuntiata. Ἀπὸ τὰς τρεῖς σφεγγίδας, lingua vulgari Græcorum omnes præpoſitiones regunt accuſativum. Legendum videtur ἐμπρεῖ, *poteſt*, vel *poſſibile*, non ὑπορεῖ. Vulgatiſſima apocope νὰ pro ἵνα.

156. *Officio & Clericoto.* Aliàs Clericatum. Clerici apud Græcos, ut apud Latinos, latiſſimè ſumuntur pro quovis ordine & dignitate Eccleſiaſtica, ut ca. 2. Conc. Chalced. Sed primùm oportet eos Tonſuram ab Epiſcopo ſuſcepiſſe. Ita Concil. in Trullo c. 33. Balſamon in hunc canonem. *Nota autem, quod ſimul ac acceperunt aliqui Tonſuræ charakterem de manu Epiſcopali, eos pro Clericis habet canon.* Si ab alio Tonſuram acceperunt quàm ab Epiſcopo, Clericorum numero eos non habet Conc. 7. can. 14. Neque etiam Tonſuram Monachalem æquivalere vult Tonſuræ ab Epiſcopo acceptæ, Canonem lege, & quæ in eum commentatur Balſamon. Clericatum autor notitiæ uſurpat pro Eccleſiaſtica dignitate. Et Clericati ſunt quælibet Eccleſiæ dignitates, aut etiam miniſteria. Scribitur hic Clericoton κληρικώτον, alibi, κληρικάτον.

157. *Ratiociniorumque curam habet.* λογοθεσίας, ratiocinium, ſupputatio vulgo Græcis eſt. Antiqua tamen apud Græcos dictio, ſicut λογοθετεῖν, & λογοθεσίας eadem ſignificatione. Ea utuntur Codinus, Gregorius Lecapenus, Suidas, Scholiaſtes Sophoclis, & alii.

158. *Expenſas Monaſteriorum examinat.* ἀναγραφῶ & γραφῶ Græco-barbaris eſt, inveſtigo, inquiro, examino. γραφὺς, Inquiſitor. Gloſſæ Græco-barbaræ, ἐξετάζω, ἠγραφώμην, ἢ γραφίγι. Græcis, circumago, incurvo; eo ſenſu Neoterici dicunt γυρίζειν. Utitur ſæpe ἀλλαχῆς, ἢ ἀλλάσειν veſtis mutatoriæ ſignificatione, quod ipſi commune eſt cum Euchologio, Typicis, Codino, & cum multis aliis iſtorum temporum.

159. *Tenens calamarium ſuum.* Atramentarium. Vulgo nunc Græcis dicitur καλαμάρι. Nicetas de rebus poſt excid. Οἱ δὲ καλαμάρια, ἢ δοχεῖα μέλανος φέροντες, πόμους εἰς τὸ χεῖρας

χεῖρες ἐδίδοσαν, *illi calamaria, & atramenti receptacula ferentes, tomos in manus tradiderunt.* Paulò poſt nomine διατάξεως utitur ſignificatione ſpeciali, & Græco-barbara, pro teſtamento.

160. *Et veſtium Pontificis cuſtos eſt.* Exemplar noſtrum habet, ἀλλαξίματα, quod, *veſtes*, tranſtulimus. Notum eſt, & jam non ſemel adnotavimus, ἀλλάσσειν vulgo Græcis nunc eſſe veſtire ſe, & alia induere veſtimenta, mutare veſtimenta, ἀλλαγὴ, & ἀλλάγματα veſtes, & ἀλλαξιμάδιον, veſtiarium, locus in quo conſervantur, ut apud Codin. c. 5. n. 15. *Quandocunque Imperatorem equitare oportet, calceos adfert puer ex Veſtiario, quod vulgo vocant Allaximarium.* Eodem modo formatum ἀλλάξιμα aut compoſitum ex ἀλλάξαι, & ἱμάτιον ἀλλαξιμάδιον ἀλλαξιμάπια. Hæc ſignificatio optimè convenit muneri quod Caſtrenſio tribuitur. In exemplari de iſtis officiis edito legitur ἀξιώματα, quod mihi videtur ſenſui non ſatisfacere. Paulò ante διάταξις vulgari Græcorum idiomate uſurpaverat pro teſtamento.

161. *Cum ſanctο antidoro.* Alia lectio habet μετὰ τοῦ ἁγίου δώρου, quod mihi videtur convenientius. ἅγιον enim δῶρον, abſolutè poſitum, & in plurali ἅγια δῶρα eſt ſanctiſſimum Chriſti corpus. Alia quoque lectio mihi convenientior videtur quàm quæ in textu. Antidori enim fractio non convenit Epiſcopo. Vide quæ ſupra adnotatione 116. de antidoro ſcripſimus.

162. *Cum duobus Judicibus.* Noſtra lectio, cum centum. Altera mihi videtur convenientior. Improbabile prorſus videtur primo Defenſori centum Aſſeſſores ad minutias dijudicandas datos eſſe. Deinde hæc lectio contradicit iis quæ infra dicuntur, *Duo Defenſores judicant cauſas parvi momenti cum primo Defenſore.* Itaque pro ϛ legendum β.

163. *Ut deſcribat antimenſia.* Utraque Eccleſia Occidentalis & Orientalis convenit, non licere in altaribus non conſecratis ſacrificium celebrare. In utraque tamen Eccleſia hoc fit ſæpiſſimè, variis cauſis ad hoc faciendum adigentibus. Verùm ne canoni fiat injuria, utraque Eccleſia providit, ſed diverſo remedio. Occidentalis enim permiſit altaria parvula lapidea conſecrari, hucque & illuc deferri in Eccleſias & Oratoria nondum dedicata, ut altaribus nondum conſecratis impoſita, Miſſa ſuper iis poſſit celebrari; & Chriſti corpus conſecrari, ut omnibus notum eſt. Orientalis autem certos pannos in eundem finem uſurpat, quos vocat ἀντιμίνσια, *Antimenſia*, quaſi ſint vice & loco ſacræ menſæ, ſeu altaris: vel ut ait Nicephorus Confeſſor, καλοῦνται τὰ ἀντιμίνσια, ὡς ἀντὶ τραπέζης, καὶ ἀντίτυπα τῶν πολλῶν μυστηρίων, τῶν καταρτιζόντων τὴν ἁγίαν τράπεζαν. *Vocantur Antimenſia, ut multorum ferculorum quæ ſacram menſam perficiunt, vices & figuram exprimentia.* quoſque magnis ceremoniis conſecrat, ut videre eſt in Euchologio, in quo conſecrationis ritus deſcribuntur. Pannos iſtos ſacro chriſmate perfundit, & reliquiis ſanctorum ditat, & ſanctificat. Euchologium, εἶτα προσαγομένων τῶν λειψάνων, καὶ ἐμβαλλομένων τῷ κηρομαστίκῃ, ἐπιχεῖ τύπτει ὁ ἀρχιερεὺς μύρον. καὶ ἐνθέμενος αὐτὰ ὄπισθεν τοῦ ἀντιμινσίου ἐν τῇ ὑπομασ- A τίσει θήκῃ, καὶ ἀσφαλισάμενος καλῶς ἔχεται τοῦ ἄχλω τούτου. *Poſtea prolatis reliquiis & cum ceromaſtice permixtis, Epiſcopus chriſma in eas infundit. Deinde in poſteriori Antimenſii, parte, in loculo ad id præparato eas reponit, iiſque benè & ſecurè concluſis ſic precatur, &c.* Pannos ſic conſecratos unuſquiſque Presbyter accipit, & iis altari non conſecrato appoſitis, licet Miſſam celebrare, ut Latinis altari portatili ſuppoſito: ſine his autem celebranti depoſitionis pœna infligitur. Iſtos pannos conſecrat Epiſcopus cum Eccleſiam aliquam dedicat valentque non in Diœceſi, aut Provincia ſua tantùm, ſed ubique. Nolunt autem Epiſcopos ſuper ejuſmodi Antimenſia conſecrare, ſed ſolos Presbyteros, eo quod hoc facto Epiſcoporum autoritati deroguretur. B *Cæterùm Antiſtites ſacra non faciunt in Oratoriis quæ non ſunt conſecrata; quoniam Antiſtitis autoritas, dignitaſque deprimitur, ſi non ſit templum, in quo Apoſtolicè conſecretur, & alia quæ Templi conſecrationem, decoremque conſtituunt*, ut ſcribit Balſamon in c. 7. ſeptimæ Synodi. Plura de his Antimenſiis lege apud eundem Balſamonem eodem loco, & in can. 31. Synodi in Trullo, ſed præſertim l. 5. juris Orientalis in reſponſis Joannis Citri Epiſcopi ad Conſtantinum Cabaſilam, & Euchologium in titulo de Conſecratione Antimenſium.

164. *Exarchus ut inquirat, &c.* Alia notitia longè plura tribuit Exarcho, ἵσταται πλησίον τοῦ διακρίνοντος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, μεριδὴ ἢ καὶ πᾶν ἐνδύσῃ, καὶ ἀλλαγὰς τὰ ἀμφιεσῆς τὰ βασιλικά. *Stat in Eccleſia prope ſecundum Presbyterorum; omniaque vaſa, veſtes, & ornamenta Epiſcopalia examini ſuo & curæ commiſſa ſunt.* Illi etiam tribuit antimenſia ſcribendi autoritatem, & inſuper, ἀναγνῶναι ἢ καὶ τῶν ἀνδρογάμων τὰ κωλύματα, *ipſius eſt examinare, & inquirere matrimoniorum impedimenta.* ἀνδρόγαμον vulgari idiomate Græco, matrimonium dicitur.

165. *Immerſor cum preces, &c.* βαπτιστὴς, lingua Græcorum vulgari, Immerſor. βαπτίω, & βαπτίζω, immergo. Alia Notitia hanc actionem clariùs explicat, ὁ βαπτιστὴς ἵσταται ἐν τῇ ἁγίᾳ κολυμβήθρᾳ· καὶ ὁ ἱερεὺς λέγει τὰς εὐχὰς· ὁ δὲ ἀρχιερεὺς σταυρωτὶ τὸ ὕδωρ, ὁ δὲ βαπτιστὴς βαπτίζει τὸν μέλλοντα βαπτισθῆναι. *Immerſor ſtat ad ſanctam piſcinam; Sacerdos autem recitat preces; Epiſcopus verò crucem ſignat aquam! Deinde immerſor baptizandum baptizat.* Immerſor autem ille publicus, Sacerdos eſt. Itaque ad baptiſmi actionem tres Perſonæ concurrunt, Epiſcopus, & duo Sacerdotes. Epiſcopus aquam benedicit; Sacerdos fundit preces baptiſmales, & Exorciſmos facit: Immerſor baptizat.

166. *Ceremoniis obſervandis Præfectus.* Altera Notitia tribuit huic Officiali munera planè alia, δέχεται τοὺς ἄρχοντας, καὶ ϛήσει αὐτοὺς κατὰ τὴν τάξιν· μᾶλλον ἢ νὰ καθίσωσι. *Ad eum pertinet Magnates recipere, & procurare ut ſtent ordine ſuo, maximè ut ſedeant.* Id verò quod noſtra tribuit ceremoniarum Præfecto, altera tribuit τῷ κατηγοριαῖῳ. Quo poſito, difficilis eſt hujus nominis ſignificatio, quæ tamen à verrendo, aut ab accenſione vel lotione lampadum Eccleſiæ ſumi debet.

167. *Me-*

167. *Menſtruæ diſtributiones, &c.* Hæc Arithmetica diſtributio variis modis intelligi poteſt. Primum, ut Quinarius primus duplum accipiat ſecundi, & quadruplum tertii: hoc eſt, ſi aſſem habeat primus, ſecundus ſemiſſe donabitur, & quadrante tertius. Verbi gratia menſtrua ſumma integra in Clerum hoc modo diſtribuenda, ſit Aureorum mille ducentorum; Primò Quinario obvenient Aurei 685. & ½ hoc eſt. Aſſes 42. cum decem denariis. Secundo Quinario, aurei 342. cum unius aurei, $\frac{5}{10}$ hoc eſt, Aſſes 51. & Denarii 5. Tertio 171 aurei cum ½ hoc 25. ſ. 8. d. Eliditur Denarius unus: Partes enim Denariis ſuperſtites, hæ videlicet $\frac{3}{10}\frac{4}{10}\frac{5}{10}$ quæ ſimul Denarium unum componunt, proportione non reſpondent Monetæ noſtræ, nec cum ea ſunt *σύμμετροι*. Deinde ita ſunt leviculæ, ut nulla nobis ſint *κερμάτια* adeo minutula. Sumatur mille & quadringentorum Aureorum ſumma, nullæ interſerent ſe fractiones: Primus Quinarius 800. ſortietur, Secundus 400. Tertius 200.

Secundo poteſt intelligi, ut primus habeat duplum, ſive duas partes: Secundus unam partem cum ſemiſſe: Tertius ſimiliter unam partem, ſed cum quadrante. Hoc pacto, ſi portio contingens primi ſit 2 Secundi erit 1½ & Tertii 1¼. Summa 4¾. Sit igitur ſumma diſtribuenda 3800. Aureorum. Secundum hanc proportionem diviſa: Primo obveniunt aurei 1600. Secundo aurei 1200. Tertio aurei 1000. Utraque interpretatio ſecundum textus verba probabilis eſt. At prior Perſonarum dignitati magis convenit. Improbabile eſt enim vilium & honoratiſſimorum Officialium mercedem & ſtipendia tanta cum æqualitate fuiſſe diſtributa. Ideo priorem interpretationem amplexi ſumus. Notabit Lector Scriptorem iſtum omiſiſſe in hac ſupputatione quod præcedere neceſſariò debebat, & quod conjicere ex ejus verbis non poſſumus; Diſtributionem ſcilicet generalem inter Officiales dextri Chori, & ſiniſtri. Nam oportuit fructus Eccleſiaſticos in duas partes generales dividi; Unam pro choro dextero, alteram pro ſiniſtro, qui ut prior in Pentades dividebatur. Fructibus igitur omnibus bifariam diviſis, una quæque pars in Pentades ſingulas modo explicato diſtribuebatur. At nihil nos docet autor de prima illa diſtributione, nec de illius proportione. Nam videtur prope neceſſarium propter perſonarum dignitatem, portionem dextro choro data multo exceſſu ſiniſtri chori partem ſuperaſſe.

Nihil ille ſcriptor de portione Epiſcopi, & ejus cum cæteris proportione: Nihil de reditibus Eccleſiarum fabricæ inſtaurandæ conſervatis. Alius erat Eccleſiarum Occidentalium uſus. Omnia bona Eccleſiaſtica in quatuor partes ex antiqua conſuetudine dividebantur. Una cedebat Pontifici ad ſui ſuſtentationem: Secunda Presbyteris, & omni Clero: Tertia Eccleſiarum impenſis, luminaribus, & reparationi: Quarta pauperibus, & peregrinis. Ita jubent multi canones, & Pontificum decreta, S. Sylveſter in Synodo, can. 4. Gelaſius Epiſt. 1. c. 29. Pariſienſis Synodus ſub Ludovico & Lothario lib. 1. cap. 15. Vormatien. c. 47. Triburienſ. cap. 13. Sanctus Gregorius ad Auguſtin. interrog. 1. *Mos Apoſtolicæ ſedis eſt, Ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut ex omni ſtipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: Una videlicet Epiſcopo & familiæ propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem; alia Clero, tertia Pauperibus, quarta Eccleſiis reparandis.* Greg. II. Epiſt. 3. Conc. Mogunt. ſub Rabano c. 10. Nannet. c. 10. Tres tantùm partes in Hiſpania fieri ſolebant: Pauperum & Peregrinorum pars Epiſcopis & Clero credebatur, eorumque ſuſtentatio illis committebatur. Imò tertiam partem Eccleſiis conſecratam Epiſcopi Hiſpani aliquando uſurparunt. Hæc videre eſt Concilio Bracar. II. c. 2. Emeritenſi c. 16. Toletan. XVI. c. 5. Si quis hæc introſpicere velit multæ ſcaturient difficultates. Sed hæc occaſione data breviter & obiter adnotata ſunt.

Cæterùm *μηνάια* dicuntur, ut *τὰ ψαλτικὰ*, *τὰ ἐμφανιστικὰ*, ſupplendum *τέλη* merces, ſive munus, pro cantu, pro inſinuatione, ſeu jucundo adventu. Munera ſunt quæ novi Clerici dant veteribus, cum in eorum numerum ab iis recipiuntur, *τὰ ἀλφίτια* pro unius diei victu, retributione, aut etiam ſingulis unius anni diebus; unde *ἐκ ἐνιαυτῆ ἀλφίτια. τὰ κανονικὰ*, quod regulariter & ex conſuetudine in mercedem, aut grati animi ſignificationem tribuitur. *τὰ ἐνθρονιστικὰ*, quæ Epiſcopi, Metropolitæ, aut Patriarchæ dare ſolent pro collocatione in thronum ſuum, aliis Cathedraticum vocatur. Ita *μηνάια* ſunt quæ ſingulis menſibus pro victu Clericis in mercedem laboris tribuuntur. Conſule Juſtiniani Novell. 56. & 123. & Iſaaci Comneni Novellam Juris Orientalis lib. ſecundo.

PRÆ-

PRÆFATIO

IN RITUALES LATINOS SACRARUM Ordinationum, ex antiquis variarum Provinciarum codicibus exſcriptos, & nunc primùm editos; qua Autoris Scopus in Ritualium iſtorum inquiſitione & editione explicatur.

CUM ordinationum Græcarum tenorem & formulas meditarer, eaſque cum Latinis vulgatis compararem, diſcrimen inter utraſque maximum deprehendi, potiſſimum in inſtituta comparatione innixus multorum & celebrium Scholaſticorum axiomatis. Videbam enim ex iis neceſſariò conſequi Orientales omnes prorſus Sacerdotio deſtitui; cum nihil eorum quæ ſubſtantialia credunt ordinibus magni illi & famoſi Scholaſtici, à Græcis, cæteriſque Orientalibus in ordinum collatione obſervetur. Hoc tamen abſurdiſſimum, & dictu horrendum mihi videbatur; contrarium inſuper Eccleſiæ Romanæ menti, & ejus quotidianæ praxi, ut ex iis quæ tota parte prima hujus operis demonſtravimus, manifeſtiſſimum eſt. Mihi præterea viſa eſt abſurditas multò major, cum oculis vidi antiquiſſimorum rituum Græcorum cum hodiernas conformitatem, qui non minus à vulgatis Latinis diſſentiunt quàm recentiores. Secundum enim iſtorum Doctorum principia ſequeretur antiquos Patres qui Conciliis generalibus interfuerunt, non minus eſſe Sacerdotio ſpoliandos quàm neoterici Græci, cum eadem ſint utriuſque ordinationis formulæ. Videbam etiam paucos quoſdam Doctores, ſed recentiores, quibus hoc diſcrimen innotuit, iſtorum Scholaſticorum ſententias amplectentes, difficultatem hanc conciliare equidem, ſed ita ut in multis aqua, ut dicitur, illis hæreret. Alios longè plures, recentiores quoque, rationem inire qua res tam diſpares ad concordiam non difficulter adducunt; ſed rationem illam novam eſſe, & inventam videri, magis ut avertatur difficultas, quàm ut diſſolvatur, velut apud Tragicos Poëtas Dii ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφαίνεται, cum argumenti exitum explicare non poſſunt.

Quum hæc animo verſarem, tandem judicavi confugiendum eſſe ad antiquiſſimos Latinorum rituales, mihi perſuadens vix fieri poſſe, vel potius fieri non poſſe, ut in rebus ſubſtantialibus ab antiquis Græcis differrent. Speravi quoque hac arte me in fontes diſcriminis quod maximum putatur, & revera tale eſt ſi Scholaſticorum ſyllogiſmis ſtatur, digitum intendere poſſe. Nec in utroque me fefellit opinio. Antiquiſſimi enim rituales Latini Græcis antiquis ſunt ſimillimi: Nihil eſt in illis quod ſubſtantiale cenſeri poſſit, quod in his ſimiliter non reperiatur; ita ut argumentorum quibus Scholaſticè ordinationes Græcæ impugnantur, nullum veſtigium, nulla umbra in antiquiſſimis Latinorum ritualibus appareat. Hodierni quoque diſcriminis fons & ſcaturigo eadem opera recluditur. Hoc enim factum eſt, eo quod Pontifices Romani poſteriores, atque etiam Græci, nonnullas ceremonias antiquis ritibus addiderunt, ut ordinationis ritum magnificentiorem, auguſtiorem, & commendatiorem redderent, quas poſtmodum Scholaſtici nonnulli in vulgatis Pontificalibus deprehendentes, & more ſuo materias & formas Ordinationum indagantes, ſuperadditas illas ceremonias Apoſtolis coævas judicarunt, & verè Apoſtolicis in ſcriptura à Spiritu ſancto laudatis prætulerunt. Hæc animadverſio non conjecturis ſed certiſſimis argumentis & experientia demonſtratur. Tota enim à Scholaſtice

petita argumentatio non veritate, ſed imaginario fundamento nititur: unde nonnunquam factum eſt, ut in ejuſmodi rebus neque cœlum neque terram, ut dicitur, attigerint. Si codices antiquos Latinos cum Græcis antiquis, & utroſque cum recentioribus Latinis & Græcis: Si hos omnes iterum cum Latinorum & Græcorum Patrum & canonum dictis comparemus, evidentiſſimè deprehendemus antiquos Latinos eodem modo ordines contuliſſe quo antiqui Græci; Utroſque præterea eodem modo nunc quo Majores ſui: Ritualeſque recentiores Latinos & Græcos, non tantùm cum antiquis conſentire, verumetiam cum Patrum & canonum dictis & ſententiis. Nihil eſt enim in antiquis vel leviſſimi momenti, quod recentiores tam Latini quàm Græci non contineant. Sed multa ſunt in recentioribus prudenter & religiosè ſuperaddita, quæ licet ad rei ſubſtantiam nullo modo ſpectent, imprudenter tamen, præteritis & contemptis ſubſtantialibus, à nonnullis & magni nominis Scholaſticis ut ſola neceſſaria in ratiociniis ſuis habita ſunt & deprædicata.

Hæc nunc monuiſſe ſufficiat; pluribus enim iſta erunt nobis explicanda in diſputationibus quas his Ritualibus ſubjungemus: Erunt enim Rituales iſti libelli, quibus mirificè conſonant omnia Patrum canonumque dicta, diſputationum noſtrarum certiſſimum & indubitatum fundamentum. Rituales autem ſive Pontificales ejuſmodi libellos Latinos nacti ſumus permultos, & variorum ſeculorum; quoſdam etiam ſumma antiquitate admodum venerandos. Iſtorum ritualium comparatione quæ ſunt Apoſtolicæ traditionis facilè diſtinguuntur ab adſcitis poſtea: Adſcitorum quoque varia ſecula non difficilè dignoſcuntur. Duos jam editos propter ſummam antiquitatem, & quia breves ſunt, huc tranſtulimus, ut ex opere noſtro, velut ex fœcundo penu, depromat Lector quæcunque ad hanc materiam pertinere poſſunt. Ab omnium antiquiſſimo viſum eſt nobis initium ducere, licet ſolam ordinum ſacrorum materiam nobis repræſentet; formas autem nomine tantùm benedictionis indicet. Preces enim quibus concipiebantur vulgatiſſimæ erant, nec ulla tum erat in ea Provincia de precibus ejuſmodi controverſia, ſicut in materia, quam ideo definiunt, ut ſit omnibus Epiſcopis unus idemque ordinandi ritus. Ritualis ille liber, vel qui Ritualis vicem tenere poteſt, deſumitur ex Concilio Carthaginenſi quarto, quem tanti Rituales ſubſequentes fecerunt, ut omnes illum citent, & ab ejus canonibus ne latum quidem unguem diſcedant. Interrogationes præterea continet Presbytero in Epiſcopum ordinando faciendas, ejuſque fidei profeſſionem. Cætera omittuntur ut in formulis Ordinationum communibus contenta, & canonum brevitati parum commoda, qui, vel nova tantùm ſtatuunt, vel antiqua corrigunt, vel dubia explicant, & definiunt.

Ritualium noſtrorum textum non ſemper integrum repræſentamus, ut opus noſtrum minore pomœrio definiamus, neve ſæpius idem repetendo Lectori faſtidium creemus. Ideo paſſim initia orationum, Præfationum, Admonitionum, aliorumque ſermonum exſcripſiſſe contenti, Lectorem ad Rituales præcedentes remittimus, in quibus ea quæ ibi omittimus, integrè deſcribuntur: Remiſſio illa fit potiſſimum ad Ordinem antiquum Romanum, quem ſæpe præ oculis habebamus cum Ritualium iſtorum deſcriptioni vacaremus. Denique liber ille ſæpiſſimè editus eſt, omniumque manibus teritur: Quapropter cætera ejuſdem generis quiſque cum eo facile comparare poterit. Quanquam nec hoc ſit neceſſe, cum prope omnia quæ prætermittimus, in Ritualibus præcedentibus hîc inſertis verbum è verbo exprimantur.

SACRARUM ORDINATIONUM
Ritus ex Concilio Carthaginenſi quarto depromptus.

QUI Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur, ſi natura ſit prudens, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis cavens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus; & ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem, & A Filium & Spiritum S. unum Deum eſſe confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans: ſi ſingularem quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas unum Deum. Si incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu S. factam, ſed in filio tantùm credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipſe fieret in

in homine hominis matris filius : Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationalem; simul in eo ambæ naturæ, id est, Deus & homo, una persona, unus filius, unus Christus, unus Dominus, creator omnium quæ sunt, & autor, & Dominus, & rector cum Patre & Spiritu sancto, omnium creaturarum. Qui passus sit vera carnis passione; mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, si novi & veteris Testamenti, id est, legis, & Prophetarum, & Apostolorum unum eundemque credat autorem & Deum. Si Diabolus non per conditionem, sed per arbitrium sit malus. Quærendum etiam ab eo si credat hujus quam gestamus, & non alterius, carnis resurrectionem. Si credat judicium futurum, & recepturos singulos pro his, quæ in carne gesserunt, vel pœnas vel gloriam. Si nuptias non improbat; Si Secunda matrimonia non damnet; si carnium perceptionem non culpet; si Pœnitentibus reconciliatis communicet; si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur; Si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur.

Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum, & Laïcorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximéque Metropolitani vel autoritate vel præsentia ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatu non suæ delectationi, nec suis motibus, sed his Patrum definitionibus acquiescat. In cujus ordinatione etiam ætas requiritur, quam sancti Patres in præeligendis Episcopis constituerunt. Dehinc disponitur, qualiter Ecclesiastica officia ordinantur.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem supra caput, & cervicem ejus; & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.

Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.

Acolythus quum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo, Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam atque ingenium. Posthæc spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum; Accipe & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverint.

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus probes.

Sanctimonialis Virgo quum ad consecrationem suo Episcopo offertur; in talibus vestibus applicatur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
éx antiquiſſimo & venerando undecim ſeculorum codice decerptus.

In Bibliotheca viri ampliſſimi D. Petavii Senatoris Parlamenti Pariſienſis integerrimi codex eſt omnium codicum ritualium quos nobis videre contigit, antiquiſſimus: Accuratè admodum ſcriptus, literis uncialibus majoribus, bene quadratis, & ſplendidè efformatis. In gratiam Eccleſiæ Pictavienſis videtur olim deſcriptus: Nullius enim Sancti præter Hilarii Miſſam ſpecialiter continet, ipſius nomine in orationibus, in Præfatione, & infra actionem, expreſſo; cæteræ communes ſunt. In memento quoque poſt Coſmam & Damianum Hilarii fit memoria & Martini. Codicem illum Gallicum fuiſſe dubitari non poteſt, cum in Miſſa pro Regibus Francorum, & in variis orationibus imperium Romanum nunquam commemoretur, ſed perpetuò Deus in eo pro Regni Francici proſperitate exoretur. Itaque mihi videtur codex ille poſt annum 511. ſed ante annum 560. in Gallia ſcriptus, Galliſque nondum in unum populum cum Francis coaleſcentibus. Ter enim pro Regno Francorum nominis *preces fiunt: alias* pro Francorum principatu, *alias* pro Principibus Francorum, *& ſemel*, pro ſalute & incolumitate Regni Francorum. *Codex ille vetuſtate, & characteris magnificentia adeo venerandus, è Gallia migravit Stokolmium, Suecorum Regiam, à Chriſtina incomparabili Suecorum Principe cum innumeris aliis auro redemptus. Magna illa Regina Vernante juventutis flore mortalium genus exemplo ſuo docuit glorioſius eſſe regnum faſtidire, quàm poſſidere. Non placuit illi hoc maximi Regis decretum:* Nunquam imperium vivus amittam; idemque erit regni mei, qui & Spiritus finis. *Nemo tamen hactenus regno ſe lubens abdicavit, cui eventus omnes ex ſententia proceſſerint, quemque facti tandem non pœnituerit. Conſilia enim hominum magis moderatur fortuna quàm humana ſapientia. Ideo rectè Poëta;* Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ. *An caſuum quibus humana rotantur, gnara, omnibus caverit, poſteri narrabunt. Incipit antiquiſſimus ille & pulcherrimus codex à ſacris Clericorum ordinationibus, ſed initio aliquid deeſt. Dictio iſta ſupereſt,* recluduntur, *ex præcedentibus periodis deperditis. Poſtea ſequitur totius Ordinationis ritus integer in hunc modum. Admonitus eſto, Lector, nos multa verba, atque etiam phraſes quæ non abs re judicari poſſent Scribarum errata, & allucinationes non correxiſſe, Exemplaris vetuſtate & καλλιγραφία cohibitos. Deinde earum repetitio ſuaſit, nobis id factum eſſe, non ſcribæ incogitantia, aut paragrammate, ſed ex vulgato idiomate Gallico, quod tunc Latinum erat, necdum, quod poſtea contigit, univerſum Germanicorum populorum barbarie fœdatum.*

A Colythus cum ordinatur ab Archidiacono quidem doceatur qualiter officio ſuo agere debeat. Sed ab ipſo Archidiacono accipiat ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, & orciolum vacuum ad ſuggerendum vinum Euchariſtiæ corporis Chriſti.

Exorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper inherquiminum, ſive baptizatum ſive Catecuminum.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui ei benedicit, manum ſuper caput illius ponat.

Presbyter cum ordinatur, Epiſcopus ei benedicat, manum ſuam ſuper caput ejus teneat, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi manus eorum ſuper caput ejus ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſupra cervicem ejus: Et unum ſuper eum infundentem benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis ſuper caput ejus teneant.

Benedictio Uſtearii.

Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hunc famulum ſuum benedicere dignetur quem in officii Uſtearii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima cura

in

in diebus ac noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. Per.

Alia. Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc Uſtearium, ut inter Janitores Eccleſiæ paret obſequia, & inter partem tuam mereatur habere mercedem. Per Dominum, &c.

Benedictio Acolythi.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui Moyſen & Aaron locutus es, ut accenderetur lucerna in tabernaculo teſtimonii; ſic benedicere & ſanctificare digneris hunc famulum tuum ut ſit Acolythus Eccleſiæ tuæ. Per.

Præfatio Lectoris.

ELegunt te fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei tui, & agnuſcas officium tuum, ut impleas illud: Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Per.

Benedictio Lectoris.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc nomine illo in officium Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtinctus, atque ordinatus curis modolis ſpirituali devotione lingua reſonet Eccleſiæ.

Præfatio Exorciſtæ.

DEum Patrem omnipotentem ſupplices deprecamur, ut hunc famulum ſuum nomen ill. benedicere dignetur in officio Exorciſtæ, ut ſit ſpiritualis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Per, &c.

Benedictio Exorciſtæ.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris, famulum tuum hunc nomen ill. in officio Exorciſtæ, ut per impoſitionis manuum, & honoris officium eum elegere digneris, & imperium habeat ſpirituum immundorum cohercendorum, & probabilis ſit Medicus Eccleſiæ, tunc gratia curationum virtute confirmatus.

Allocutio ad Subdiaconum ordinandum.

EXhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena, & Calix vacuus, & dicat ei Epiſcopus, Vide cujus miniſterium tibi traditur. Et ideo ſi uſque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, à modo debes eſſe aſſiduus. Si uſque nunc ſomnolentus, à modo vigiles; ſi uſque nunc ebrioſus, à modo ſobrius: ſi uſque nunc inhoneſtus, à modo caſtus: Oblationes quæ veniunt in altario panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in altario poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid potridum in ſacrario maneat. Pallæ verò, quæ ſunt in Subſtraturio, in alio vaſe debent lavi, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum lenteamentum ibidem aliud debet lavi: Ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo te admoneo, Tu ita te exhibe ut Deo placere poſſis, & trades ei Calicem & Patenam.

Præfatio ordinationis Subdiaconi.

ORemus Deum & Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ſuum nomine ill. quem ad Subdiaconatus officium evocare dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, deſtinata ſanctis præmia conſequatur. Per Dominum.

Benedictio Subdiaconi.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc, nomen ill. quem ad Subdiaconatus officium elegere dignatus es, uti eum ſacrario tuo ſancto ſtrinuum, ſolicitumque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtret, & requieſcat ſuper eum Spiritus Sapientiæ & intellectus; Spiritus conſilii & fortitudinis; Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui, ut eum in miniſterio divino confirmes, ut obediens atque dicto parens tuam gratiam conſequatur. Per Dominum.

Allocutio ad populum in ordinatione Diaconi.

DIlectiſſimi fratres, quamlibet poſſint ad ordinationem Eccleſiaſtici miniſterii promovendam ſibi ipſa ſufficere privilegia Sacerdotum; attamen quia probabilior, & noſtra apud Dominum converſatio eſt, & eorum quorum honor augetur, major eſt gratia, ſi id quod arbitria noſtra elegunt, etiam veſtra elegat dilectionis adſenſus. Idcirco filio noſtro illo cupio ad officium Diaconatus in conſortium noſtrum divinitatis auxilium promovere, an eum dignum hoc officio cenſeatis ſcire deſidero. Et ſi veſtra apud meam concordat electio, teſtimonium quod vultis, vocibus adprobate. Per, &c.

Oratio ad Diaconum ordinandum.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum quem ad officium Diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ clementer effundat, & conſecrationis adulta propitius dona conſervet, ut preces noſtras clementer exaudiat, & quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, ſuo benigno proſequatur auxilio, & quem ſacris miniſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendum, ſua potius electione juſtificet. Per Dominum.

Conſecratio.

A Deſto quæſumus omnipotens Deus honorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor, qui in te manens, innovas omnia, & cuncta diſponis per verbum, virtutem, ſapientiamque tuam Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſempiterna providentia præparas, & in ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas; cujus corpus Eccleſiam tuam cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſcretione membrorum per legem totius mirabilem compagis unitam in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris, ſacri muneris ſervientem trinis gradibus Miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Levi filiis qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent; ſuper hunc famulum tuum quæſumus Domine placatus intende, quem tuis ſacris ſerviturum in officium Diaconi ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini ſenſus & ſummæ rationis ignari hujus vitam quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem Domine quæ nobis ſunt ignota non tranſeunt; Te occulta non fallunt. Tu cognitor peccatorum: Tu ſcrutator es animarum. Tu veraciter in eum cœleſte potes adhibere judicium, & velut indignis donare quæ poſcimus. Emitte in eum quæſumus Domine Spiritum S. in opus miniſterii fideliter exequendi munere ſeptiformis tuæ gratiæ roboretur. Abundet in eum totius forma virtutis, autoritas, modeſtia, pudor, conſtans innocentiæ, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ: in moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctæ plebis acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium perferens in Chriſto firmus & ſtabilis perſeveret, digniſque ſucceſſionibus de inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereatur. Per Dominum noſtrum.

Exaudi Domine ſupplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi, ut nullis perturbationibus impediti liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per Dominum noſtrum.

Ad confirmandum Diaconatus Officium.

COmmune votum, communis proſequatur oratio, ut is totius Eccleſiæ prece qui in Diaconatus miniſterio præparatur, * Levitice benedictioni & ſpirituali converſatione præfulgens gratia ſanctificationis eluceat. Per Dominum.

Benedictio ſequitur.

DOmine Sancte, ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum munerator, qui in cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis ubique diſpoſitis per omnia elementa voluntatis tuæ A defendes affectum; hunc quoque famulum tuum illo ſpeciali dignare illuſtrare aſpectu, ut tuis obſequiis expeditus, ſanctis altaribus miniſter purus adcreſcat; ut indulgentia purior eorum gradu quos Apoſtoli tui in ſeptenario numero, Beato Stephano duce ac prævio, ſancto Spiritu autore elegerunt, dignus exiſtat, & virtutibus univerſis quibus tibi ſervire oportet inſtructus compleat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Allocutio ad populum in Ordinatione Presbyteri.

B QUoniam dilectiſſimi fratres, Rectori navem & navigium deferendis eadem eſt vel ſecuritatis ratio, vel timoris, communis eorum debet eſſe ſententia quorum cauſa communis exiſtit, nec fruſtra à Patribus reminiſcimur inſtitutum, ut de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur. Quia de actu & converſatione præſenti quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis. Et neceſſe eſt ut facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui adſenſum præbuerit ordinando. Fratris noſtri & Compresbyteri, converſatio quantum noſſe mihi videor probata, ac Deo placita eſt, & digna, ut arbitror, Eccleſiaſtici C honoris augmento. Sed ne unum fortaſſe vel paucos, aut decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt expectanda multorum. Itaque quid de ejus actibus aut moribus noveritis, quid de meritis ſentiatis Deo teſte conſulemus. Debet hanc fidem habere caritas veſtra quam ſecundum præceptum Euangelii & Deo exhibere debetis & proximo, ut huic teſtimonium Sacerdoti magis pro merito quàm pro affectione aliquid tribuatis. Et qui devotione omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus. Scimus tamen quod eſt acceptabilius Deo, aderit per Spiritum ſanctum conſenſus unus omnium animorum, & ideo electionem veſtram debetis voce publica profiteri. Per Dominum. D

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem ad Presbyterii munus eligit, cœleſtia dona multiplicet, & quæ ejus dignatione ſuſcipit, ejus exequatur auxilio. Per Dominum.

Item alia. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem Spiritus S. & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis ſuſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate perſequaris. Per Dominum. E

Conſecratio.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum omnium, dignitatum quæ tibi militant, diſtributor, per quem cuncta

cuncta firmantur, amplificatis ſemper in me- A
lius naturæ rationalis incrementis per ordinem congruam rationem diſpoſitum, unde Sacerdotalis gradus & officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt, ut cum Pontifice ſummos regendis populis præfeciſſes ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentes ordines viros, & ſecundæ dignitatis elegeris, ſic in eremo per 70. virorum prudentium mentis Moyſi Spiritum propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus in populo, innumeras multitudines facilè gubernavit. Sic & Eleazaro & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, & ad hoſtias ſalutaris, & frequentio- B
ris officii Sacramenta ſufficeret meretum Sacerdotum. Hac providentia Domine, Apoſtolis filii tui Doctores fidei Comites addediſti, quibus illi orbem totum ſecundis Prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores ſumus, tanto his plurius indigemus. Da quæſumus, omnipotens Pater, in hoc famulo tuo illo Presbyterii dignitatem: Innova in viſceribus ejus Spiritum ſanctitatis acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineat, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuet. Sit providus cooperator ordinis noſtri, eluceat in eum totius for- C
ma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia conſequatur.

Conſummatio Presbyteri.

SIt nobis fratres communis oratio, ut his qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eligetur, Presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris conſequatur, & S. Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impar loco deprehendatur, obtineat per ſuum. Per. D

Item Benedictio.

SAnctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio, plena benedictio eſt, Tu Domine ſuper hunc famulum ill. quem Presbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictionis in eum infunde, ut gravitate actuum, & cenſura vivendi probet ſe eſſe ſeniorem, his inſtitutus diſciplinis quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, ut in lege tua die ac nocte, omnipotens, meditans quod elegerit, credat; quod crediderit, doceat; quod docuerit, meditetur: juſtitiam, conſtantiam, E
miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat, exemplum probet, admonitionem confirmet, ut purum, atque immaculatum miniſterii tui donum cuſtodiat, & per obſequium plebis tuæ corpus & ſanguinem filii tui immaculata benedictione transformet, & inviolabili caritate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, Spiritu S. plenus perſolvat. Per Dominum.

Conſecratio manus.

COnſecrentur manus iſtæ, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur. Per Dominum.

Item alia.

VNguantur manus iſtæ de oleo ſanctificato; & chriſmate ſanctificationis, ſicut unxit Samuël David in Regem & Prophetam, ita unguantur & conſummentur in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. facientes imaginem ſanctæ Crucis Salvatoris Domini noſtri J. Chriſti, qui nos à morte redemit, & ad regna cœlorum perducit. Exaudi nos pie Pater omnipotens æterne Deus, & præſta quod te rogamus & oramus. Per Dom.

Exhortatio ad populum cum Epiſcopus ordinatur.

SErvanda eſt, dilectiſſimi Fratres, in exceſſu Sacerdotum, antiqua Eccleſiæ conſuetudo; ut decidentibus alii quidem digniſſimè ſubrogentur per quorum doctrinam fides Catholica, & Religio Chriſtiana ſubſiſtat, ne ovile Domini præda violentus inrumpat, & diſperſas abſque Paſtore oves fur nocturnus invadat. Recepto itaque diſpenſatione Dei Sacerdote veſtro ſolicitè vobis agendum eſt ut in locum defuncti talis ſucceſſor præparetur Eccleſiæ, cujus pervigili cura, & inſtanti ſolicitudine ordo Eccleſiæ, & credentium fides in Dei timore melius convaleſcat. Qui præcipienti Apoſtolo in omni doctrina formam boni operis ipſe præbeat; cuique habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina, virtus ſit. Qui nos ut Paſtor bonus fide inſtruat, exemplum patientiæ doceat, doctrinam Religionis inſtituat, in omni opere bono confirmet caritatis exemplum. Secundum voluntatem ergo Domini in locum ſanctæ memoriæ, illi nomen virum venerabilem ill. teſtimonio Presbyterorum, & totius Cleri, & conſilio civium ac conſiſtentium credimus elegendum, virum ut noſtis natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide ſtabilem, miſericordia abundantem, humilem, juſtum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis quæ Sacerdoti elegenda ſunt, bonis omnibus exuberantem. Hunc ergo, dilectiſſimi fratres, teſtimonii boni operis electum, digniſſimum Sacerdotio, conſonantes laudibus clamate & dicite, dignus eſt.

Oratio & precis de Epiſcopis ordinandis.

ORemus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendis benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum.

Exaudi Domine ſupplicum preces, ut quod noſtrum gerendum eſt miniſterium tua potius virtute firmetur. Per Dom. noſtr. J. Chriſtum.

Pro-

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinatus ſuper hos famulos tuos cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Coll. ſequitur.

Deum totius ſanctificationis ac pietatis actorem, qui placationem ſuam, & ſacrificia & ſacra conſtituit, Fratres dilectiſſimi, deprecemur, ut hunc famulum ſuum quem ex altari in Eccleſia, & ſeniorum cathedra concordibus ſua inſpiratione judiciis, & effuſis ſuper plebem ſuam votis fidelibus, ac vocum teſtimoniis voluit imponi, collocans eum cum principibus populi ſui, ad eorum nunc precem univerſam, eundem ſummum Sacerdotium debita honoris plenitudine chariſmatum gratia ſanctificationum ubertate hac, præcipuè humilitatis virtute locupletet, ut Rector potius non extollatur, ſed in omnibus ſe quantum eſt major humilians, ſit in ipſis quaſi unus ex illis, omnia judicii Domini noſtri non pro ſe tantum, ſed & pro omni populo qui ſollicitudini ſuæ creditur contremiſcens, ut qui meminerit de ſpeculatorum manibus omnium animas requirendas pro omnium ſalute pervigilet, paſtorali erga creditas ſibi oves Domini diligentiæ ejus ſemper ſe flagrantiſſimum approbans. Te delectorum * adigitur præfuturus ex omnibus electus, ex omnibus univerſis ſacris, ſacrandiſque idoneus fiat ſub hac quæ eſt homini per hominem poſtrema benedictio conſummata atque perfecta ſuæ conſecrationis noſtræ ſupplicationis attentiſſimè concordiſſimiſque omnium precibus adjuvemur, omnium pro ipſo oratio incumbat, cui exorandi pro omnibus pondus imponitur. Impetret ei affectus totius Eccleſiæ virtutem, pietatem ſanctificationem, & cæteras ſummi Sacerdotii ſacras dotes univerſæ Eccleſiæ profuturas, Domino Deo noſtro qui ſacrorum munerum profluus fons eſt, qui dat omnibus affluenter quod Sacerdoti pro affectu poſcitur ad exundandam in omnibus ſanctificationem ſuorum omnium promptiſſimè ac pleniſſimè conferente. Per Dominum noſtrum.

Conſecratio.

DEus honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur honoribus: Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affectu inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtire inter ſacra juſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati, cum & apud veteres reverentiam ipſam ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii interioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalis gloria non jam nobis honorem commendat veſtium ſed ſplendorem animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus ea potius quæ ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco famulis tuis, quæſumus, quos ad ſummum Sacerdotium elegiſti, hanc quæſumus, Domine gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & multimodi operis varietate ſignabant, hoc in horum moribus clareſcat. Comple, Domine, in Sacerdotibus tuis myſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum cœleſtis unguenti flore Sanctifica. Hoc Domine copioſè in eorum caput influat, hoc in oris ſubjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus & interiorum ora repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in his conſtantia fidei, paritas dilectionis, ſinceritas pacis. Sint ſpecioſi munere tuo pedes horum ad Euangelizandum pacem, ad Euangelizandum bona tua. Da eis Domine miniſterium reconciliationis in verbo, & in virtute & ſignorum, & prodigiorum. Sit ſermo eorum & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Da eis Domine claves Regni cœlorum: utantur nec glorientur poteſtate quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcunque ligaverint ſuper terram ſit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolverint ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerint peccata, detenta ſint, & quorum dimiſerint, tu dimittas. Qui benedixerit eis ſit benedictus, & qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint ſervi fideles & prudentes quos conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, ut dent illis cibum in tempore neceſſario, ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint ſolicitudine impigri, ſint Spiritu ferventes, oderint ſuperbiam, diligant veritatem, nec eam unquam deſerant, aut laſſitudine aut timore ſuperati. Non ponant lucem ad tenebras, nec tenebris lucem; non dicant malum bonum, nec bonum malum. Sint ſapientibus & inſipientibus debitores, & fructum de profectu omnium conſequantur. Tribuas eis Domine Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis eis autoritas, ſis eis poteſtas, ſis eis firmitas. Multiplices ſuper eos benedictionem, & gratiam tuam, ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam tuo munere idonei, tua gratia poſſint eſſe devoti. Per Dominum noſtrum, &c.

Super Oblata.

SUſpice Domine munera quæ tibi offerimus pro famulo tuo illo, & propitius in eodem tua dona cuſtodi.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro illo famulo tuo quem ad Pontificalem gloriam promovere dignatus es, quæſumus Domine placatus accipias, ut quod divino munere conſecutus eſt, tua in protectione firmetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Adeſto

Adeſto miſericors Deus ut quod actum eſt A noſtræ ſervitutis officio, tua benedictione firmetur. Per.

Item alia. Eccleſiam tuam Domine benignus illumina, ut & gratis tui proficiant ubique ſucceſſus, & grati fiant nomini tuo te gubernante Paſtores. Per Dominum. B

Orationes illa poſtrema titulum ſuper oblata, *ſequentes, ſunt orationes ordinatione facta ad Miſſam complendam dicendæ. Poſtea ſequitur in antiquiſſimo illo codice ritus conſecrationis Virginum, in cujus fine datur ei Pallium cum his verbis*, accipe puella pallium quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum. *Succedit benedictio & conſecratio veſtimentorum viduæ. Deinde ritus Viduæ caſtitatem profitentis. De Abbate nihil habet codex.*

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
Ex Codice nongentorum annorum ætatem ſuperante decerptus.

Poſt hunc codicem antiquiſſimus eſt Sacramentarium quoddam Gelaſianum, ex eadem Bibliotheca Petaviana depromptum, & nobis perhumanè commodatum. Antiquiſſimum iſtum Sacramentorum librum deſcripſimus in fine Commentarii noſtri hiſtorici de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, ubi varios manuſcriptos libros quibus in eo opere uſi ſumus, enarramus: Ideo plura hic non addimus.

In iſto codice poſt Miſſam Sabbati ante ſecundam Dominicam Quadrageſimæ ſic legitur.

ORdo qualiter in Romana ſedis Apoſtoli- C cæ Eccleſia Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi eligendi ſunt. Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die in duodecim lectiones ad Sanctum Petrum ubi Miſſæ celebrantur, poſtquam Antiphonam ad introitum dixerint, data oratione adnuntiat Pontifex in populo dicens: Auxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Iterum dicit, Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, Elegimus in ordine Diaconi ſive Presbyteri illum Subdiaconum ſive Diaconum de titulo illo. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Et poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon. Cum Letania hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis: Et benedicit eos à quo vocati ſunt, & deſcendunt. Stant in ordines ſuos benedictione percepta.

Sequitur oratio de bened. require ipſam in quarto aut decimo menſe.

Ad ordinandos Presbyteros.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & qui ejus dignationem ſuſcipiunt, ejus exequantur auxilio. Per Dominum.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem S. Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetuam muneris tui largitatem conſequantur. Per.

Conſecratio.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum omnium, dignitatum quæ tibi militant diſtributor, per quem proficiunt univerſa, &c. *Omnia prorſus ut in Sacramentario S. Gregorii, ſed hæc pluraliter enuntiantur. Verùm ubi in Sacram. Gregorii legitur*, ut ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum, *mal. in antiquo illo codice*, & ad Hoſtias ſalutaris officia Sacramenta ſufficeret meritum Sacerdotum *Et pro*, probus cooperator, *legitur* providi cooperatores.

D *Sequitur in codice, Conſummatio Presbyteri.*

SIt nobis fratres communis oratio, ut ii qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem divinæ indulgentiæ munere conſequantur, ut S. Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impari loco deprehendantur, obtineant. Per.

Item Benedictio.

SAnctificationum omnium autor, cujus E vera conſecratio, cujus plena benedictio eſt, Tu Domine ſuper hos famulos tuos quos Presbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictionis his infunde, ut gravitate actuum & cenſura vivendi probent ſe eſſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, ut in lege tua die ac nocte ** meditantes, quod elegerint & credant; quod crediderint doceant; quod docue-

rint imitentur. Juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendant, & exemplo probent, admonitionem confirment, ut purum atque immaculatum miniſterii tui donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ corpus & ſanguinem filii tui immaculata benedictione transforment, & inviolabili charitate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ æterni judicii, conſtantia pura, fide plena, Spiritu S. pleni perſolvant. Per.

Plura non habet eo loco de Presbyterorum ordinatione, ſed infra iterum, quæ exhibebimus, cum quæ ſequuntur relata fuerint. Succedit Diaconi Ordinatio cui præponitur capitulum ex S. Gregorio excerptum, Sicut qui invitatus renuit, &c. *Quod alia Sacramentaria & Pontificalia ordinationi Subdiaconi præponere ſolent. Sequitur ſtatim.*

Ad Ordinandos Diaconos.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem ut ſuper hos famulos ſuos quos ad officium Diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ ſuæ clementer effundat, & conſecrationis adultæ propitius dona conſervet.

Oremus, ſequitur Oratio.

DOmine Deus preces noſtras clementer exaudi, ut quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo benignus proſequaris auxilio, & quos ſacris miniſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices.

Conſecratio.

ADeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, &c. *proſſus ſimilia ſunt iis quæ habentur in Sacramentario S. Gregorii. Unica periodus diverſimode legitur,* Tu es ſcrutator animarum, Tu veraciter in eis cœleſte potes adhibere judicium, & velut indignis donare quæ poſcimus. Emitte, &c. *ἀμήτους* ſequitur.

Ad conſummandum Diaconi officia.

COmmune votum, communis oratio proſequatur, ut ii totius Eccleſiæ prece qui in Diaconatus miniſterio præparantur Leviticæ benedictionis, & ſpirituali converſatione præfulgentes, gratia ſanctificationis eluceant. Per Dominum.

Sequitur Benedictio.

DOmine ſanctæ ſpei, fidei, gratiæ, profectuum munerator, qui in cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis ubique diſpoſitis per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis affectum, hos quoque famulos tuos noſtri ſpeciali dignare affectu, ut tuis obſequiis expediti ſanctis altaribus miniſtri puri adæreſcant, & indulgentia puriores, eorum gradu quos Apoſtoli tui in ſeptenarium numerum Beato Stephano duce atque prævio, ſancto Spiritu autore elegerunt, digni exiſtant, & virtutibus univerſis quibus tibi ſervire oportet, inſtructi complaceant. Per.

Hæc tantùm de Ordinationibus eo manuſcripti loco, ſed poſt ritum dedicationis Eccleſiæ cap. 95. de ordinationibus hæc iterum leguntur.

Incipit Ordo de ſacris Ordinationibus benedicendis.

HÆc autem ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora. Si ab infantia Eccleſiaſticis Miniſtris nomen dederit, inter Lectores uſque in viceſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si majore ætate jam acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſiderat mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur, & exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis ſtet, & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi mereatur, accedat. In quo ordine quinque annis, ſi inculpatè ſe geſſerit, hærere debet, & ſuffragantibus meritis ſtipendiis per tot gradus, datis propriæ fidei documentis, Presbyterii Sacerdotium poterit promereri. De quo loco ſi illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit, hac tamen lege ſervata, ut neque bigamus, neque Pœnitens ad hos gradus poſſit admitti. Sanè ut etiam Defenſores Eccleſiæ qui ex Laïcis fiunt, ſupradicta obſervatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine Clericatus. Epiſcopus cum ordinatur duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt manibus ſuis caput ejus tangant. Presbyter cum ordinatur, Epiſcopum eum benedicentem etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt. * Diaconus cum ordinatur ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, reliqui verò Sacerdotes juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius ponant, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. Subdiaconus cum ordinatur, quia manuum impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, & aquamantile, ac manutergium. Acolythus cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter ſe in officio ſuo agere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda luminaria Eccleſiæ mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtia corporis Chriſti. Exorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo; Accipe & commenda, & habe poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum ſive baptizatum, ſive Catechumenum. Lector cum ordinatur faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem atque ingenium; poſthæc ſpectante plebe tradat ei codi-

* Omiſſa ſunt nonnulla verba quæ ex aliis codicibus ſupplenda.

codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum, Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei miniſtraverunt. Oſtiarius cum ordinatur poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in Domo Dei debeat converſari, à ſuggeſtione Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari, dicens ei. Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ illis clavibus recluduntur. Pſalmiſta, id eſt, Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi; dicente ſibi Presbytero, Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus probes. Sanctimonialis Virgo cum ad conſecrationem ſui Epiſcopi offertur, in talibus veſtibus applicetur qualibus ſemper uſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.

Item. Benedictiones ſuper eos qui ſacris ordinibus benedicendi ſunt.

Præfatio Oſtiarii.

Præfationes illæ & benedictiones vix aliquo verbulo ab antiquis aliis jam enarratis aut enarrandis differunt. Imprudenter in eo codice omiſſæ ſunt quæ ad Exorciſtam ſpectabant. Quæ verò ad Diaconum & Presbyterum, hic omiſit Amanuenſis; quia ſupra retulerat: Sed poſt benedictionem Subdiaconi refert loco non ſuo conſecrationem manus Presbyteri, iiſdem prorſus verbis quæ mox in codice Corbeienſi deprehendes. Poſtea in eodem codice ſequuntur Miſſæ in natalitiis conſecrationis Diaconi, & Presbyteri.

Sequitur Oratio de Epiſcopis ordinandis.

ORemus dilectiſſimi, &c. *Omnia, ut in codice Corbeienſi ſequente, præter Epiſcopi conſecrationem quæ eadem eſt cum ea quæ in ordine Romano edita eſt, quamque ex antiquiſſimo Gallicano codice ſupra exhibuimus. Itaque nihil in eo eſt, de unctione manus & pollicis, & aliis quæ in codice Romano ſuis deſcripta leguntur. Poſthæc ſequitur in eo codice Virginum conſecratio, quæ ut illi adnotatur in Epiphania, vel ſecunda Feria Paſchæ, aut in Apoſtolorum Natalitio celebratur.*

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS ex antiquiſſimo Corbeienſi codice octingentorum annorum ætatem longè ſuperante decerptus.

Secundum duos præcedentes codices antiquiſſimus mihi videtur ille ex quo ſequentem ritum deſcripſimus. Optimus ille codex nunc pertinet ad Monachos Sancti Germani de Pratis vulgo nuncupatos in Suburbano Pariſienſi; olim Abbatiæ fuit S. Petri Corbienſis, & à Monachis illius Abbatiæ vocabatur Miſſale S. Eligii: Poſteriùs tamen deſcriptum fuiſſe, ex quorundam Sanctorum commemoratione qui poſt Eligium vixerunt, colligitur. Hunc codicem abhinc annos decem in lucem edidit, recenſuit, variſque & utiliſſimis notis illuſtravit Hugo Menardus S. Germani Monachus. Quapropter illius ampliore deſcriptione ſuperſedebimus. Antequam publici juris fieret, in eum incideramus, & quæ ad ſacras Ordinationes ſpectant, exſcripſeramus: Eas tum propter antiquitatis majeſtatem & venerationem, tum propter Lectoris commodum, aliis ejuſdem generis inſerere, licet aliunde eas recuperare poſſit, non fore inutile judicavimus.

Incipit ordo ad ſacros ordines benedicendos.

MAjores gradus ante Euangelium; Minores verò poſt communionem dantur. Et minores quidem Dominicis diebus ſi neceſſe eſt: Majores autem in Sabbatis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodò.

Ordinatio Oſtarii.

OStiarius cum ordinatur poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ, dicens, Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ illis clavibus recluduntur: Et tradat ei Diaconus oſtium Eccleſiæ.

Præfatio Oſtiarii.

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecamur, &c. *ut ſupra in primo codice.*

Benedictio ejuſdem.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum,

mulum tuum ill. Oſtiarium, ut inter Janitores Eccleſiæ pareat obſequia, & inter electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum.

Ordinatio Lectoris.

LEctor cum ordinatur, &c. *planè ut in antiquo Rotomagenſi infra.* Dei ſui, *hic*, Dei tui, *meliùs.*

Benedictio Lectoris.

DOmine Sancte Pater. *ut in eodem Rotomag.* ornatus, *hic*, ordinatus.

Ordinatio Exorciſtæ.

EXorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum.

Præfatio Exorciſtæ.

DEum Patrem omnipotentem ſupplices deprecamur, ut hunc famulum ſuum ill. benedicere, &c. *prorſus ut in eodem Rotomag.*

Benedictio Exorciſtæ.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officium Exorciſtæ, & ad impoſitionem manuum, & oris officium eum eligere digneris, ut imperium habeat Spirirituum immundorum coercendorum, & probabilis ſit Medicus Eccleſiæ, gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dom. noſtr.

Ordinatio Acolythi.

AColythus cum ordinatur, primùm ab Epiſcopo doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat; ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, ita ſibi dicente.

Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis Adverſariorum tenebras effugare, & veriſſimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, fideliter invenire.

Accipiat & Urceolum vacuum ad fundendum vinum in Euchariſtia corporis Chriſti.

Benedictio Acolythi.

OMnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, lumen verum, mundum illuminaſti, ejuſque paſſionis myſterio redemiſti, benedicere dignare hunc famulum tuum, quem in Acolythi officium conſecramus, poſcentes tuam clementiam, ut ejus mentem, & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum miniſterium peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereamur. Per eundem Dominum noſtrum.

Ordinatio Subdiaconi.

Cap. S. Gregorii.

SIcut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus removendus: ſic qui ultro ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat. Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur, qui ad hoc, ut fiat Hæreticus, promovetur?

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: De manu Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium. Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena, & Calix vacuus, & dicat Epiſcopus.

Vide cujus miniſterium tibi traditur, &c. *cætera prorſus ut in Rotom. ſequente.* Pallæ quæ ſunt in Subſtratorio, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales Pallæ. Ubi Pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari: Et ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo te admoneo: Tu talem te exhibe, ut Deo placere poſſis. Et tradat ei Calicem & Patenam.

Ordinatio Subdiaconi.

ORemus Deum ac Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ſuum ill. quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, prædeſtinata Sanctis præmia conſequatur, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit, & regnat Deus.

Benedictio Subdiaconi.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, &c. *ut in Rotomag. & præcedentibus.*

ORDO QUALITER IN ROMANA Eccleſia Diaconi & Presbyteri ordinandi ſunt, Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die in duodecim lectionibus ad Sanctum Petrum, ubi Miſſæ celebrantur.

POſtquam Antiphonam ad introitum dixerint, data oratione venit Archidiaconus, & offert eum, qui ordinandus eſt Pontifici, ita dicens.

Poſtulat Sancta mater Eccleſia Catholica, ut hunc præſentem Subdiaconum ad onus Dia-

Diaconii, vel Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis.

Interrogat Epiſcopus: Scis illum dignum eſſe? Reſpondet offerens. Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio & teſtificor ipſum dignum eſſe ad hujus onus officii.

Et tunc annuntiat Pontifex populo, dicens, Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Iterum dicit, Auxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus in ordinem Diaconii, ſive Presbyterii ill. Subdiaconum ſive Diaconum de titulo ill. ill. Presbyterum de titulo ill. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, B & dicat: Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.

Et poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon cum Litania. Hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati ſunt: & deſcendentes ſtant in ordine ſuo benedictione percepta.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium ſed ad miniſterium conſecratur. Ad ordinandum Diaconum & Presbyterum prima oratio dicitur legendo: Et ſequitur oratio. Et non dicitur, Vere dignum in Conſecratione.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eique donum conſecrationis indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui cum eo vivit & regnat. *Oremus.*

EXaudi Domine preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditatus, & tuæ gratiam poſſit Majeſtatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum noſtrum, &c. in unitate ejuſdem, D &c.

Conſecratio.

ADeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor. Qui in te manens innovas omnia, & cuncta diſponens per verbum, virtutem, ſapientiamque tuam Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cujus corpus Eccleſiam tuam cœleſtium gratiarum varie- E tate diſtinctam, ſuorumque connexam diſcretione membrorum per legem mirabilem totius compagis unitam in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris, ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus Miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens. Electis ab initio Levi filiis, qui in myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hunc quoque famulum tuum, quæſumus Domine, placatus intende, quem tuis ſacrariis ſerviturum in officium Diaconi ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini ſenſus, & ſummæ rationis ignari, hujus vitam quantum poſſumus exiſtimamus. Te autem Domine, ea quæ nobis ſunt ignota, non tranſcunt: Te occulta non fallunt. Tu cognitor ſecretorum, Tu ſcrutator es cordium: Tu ejus vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Emitte in eum Domine quæſumus, Spiritum ſanctum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi, ſeptiformis gratiæ tuæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, autoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervatio diſciplinæ. In moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſancta plebs acquirat; & bonum conſcientiæ teſtimonium proferens, in Chriſto firmus, & ſtabilis perſeveret; digniſque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Quando ſtolam eum induis, dices.

C PEr hoc ſignum vobis Diaconatus officium humiliter imponimus, ut firmamentum menſæ divinæ, tanquam ſuſtentacula columnarum eſſe poſſitis, & præcones regis cœleſtis irreprehenſibiliter exiſtere mereamini.

Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ejus teneant.

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

D ORemus Dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet: & quæ ejus dignatione ſuſcipit ipſius exequatur auxilio, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Oremus, Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per Dominum.

Conſecratio.

E DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt univerſa, per quem cuncta firmantur, &c. *ut in præcedentibus. Sed in iis legitur*, ſufficeret meritum Sacerdotum, *hic verò*, miniſterium ſufficeret Sacerdotum. *Ibi* pluriùs, *hic* pluribus. *Ibi*, providus cooperator, *hic* probus cooperator. *Ibi*, cenſuraque, *hic* cenſuramque. *Ibi*, qui tantò magis, *hic*, quia tantò magis.

His veſtis & caſulam.

BEnedictio Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, ut ſis benedictus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo. Cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Conſecratio manus.

COnſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur. Per.

Epiſcopus cum ordinatur.

DUo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.

Oratio ad ordinandos Epiſcopos.

ORemus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendam Electis, benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Benedictio Epiſcoporum.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, virtutis impleatur effectu. Per.

Alia.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris: Et inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

Conſecratio.

DEus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu, inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis Priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: Cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum: quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco huic famulo tuo quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus moribus actibuſque clareſcat. *Hic accipit chriſma.* Comple Domine in Sacerdote tuo myſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, cœleſtis unguenti flore ſanctifica. † *Hic mittatur Chriſma ſuper caput ejus.* Hoc Domine copiosè in ejus caput † influat, hoc in oris ſubjecta † decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis: tribuas ei Domine Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis ei autoritas, ſis ei firmitas, ſis ei poteſtas. Multiplices ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere ſemper idoneus, tua gratia poſſit eſſe devotus. Per.

Si Papa ordinatus eſt, hæc addi debent in loco ubi ſcriptum eſt, Et idcirco huic famulo tuo quem Apoſtolicæ ſedis Præſulem & Primatem omnium qui in orbe terrarum ſunt Sacerdotum, ac univerſalis Eccleſiæ tuæ Doctorem dediſti, & ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris.

Super Oblata.

HÆc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per Dominum noſtrum, &c.

Infra actionem.

HAnc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo ill. quem ad Epiſcopatus ordinem promovere dignatus es; quæſumus Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, ut quod divino munere conſecutus eſt, divinis effectibus exequatur, dieſque noſtros, &c.

Ad Complendum.

HÆc nos communio Domine, purget à crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum.

Oratio in Nat. Papæ.

DEus qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſus operaris in minimis, concede mihi indigno famulo tuo, ſacris convenienter ſervire myſteriis: atque in omnibus tua miſericordia protegat, quem conſcientiæ reatus accuſat. Per Dominum.

Alia.

Alia.

DEus qui populis tuis indulgentia conſulis, & amore Dominaris, da Spiritum ſapientiæ, quibus dediſti regimen diſciplinæ, ut de profectu Sanctarum ovium fiant gaudia æterna Paſtorum. Per Dominum noſtrum.

Super Oblata.

HOſtiam tibi Domine laudis exolvo, ſuppliciter implorans, ut quod immeritò mihi contuliſti, intercedente Beato Petro Apoſtolo tuo, propitius exequaris.

Præfatio.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus; ut quia in manu tua, dieſque noſtri, vitaque conſiſtit, ſicut honorem nobis indignis largiris miniſterii, ſic quoque tribuas rationabilis obſequii propitius incrementum; & tua dona in nobis cuſtodias, ut ejus ſuffragiis apud te ſemper reddar acceptus, cujus me vice hodie Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad complendum.

CORporis ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus Domine Deus noſter, ut gratiæ tuæ munus quod nobis immeritis contuliſti, intercedente Beato Petro Apoſtolo tuo propitius muniendo cuſtodias. Per Dominum.

Sequitur in eodem codice Miſſa propria in die Ordinationis quotannis dicenda. Sed quia editus eſt codex integer, eam prætermittimus.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS ex antiquiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ codice decerptus.

Codex ille Sacramentorum de circulo anni à S. Gregorio expoſitus, unde Ordinationum iſte ritus decerptus eſt, antiquus plurimùm fuit, ut teſtatur qui illum edi curavit Angelus Rocca Apoſtolici Sacrarii Præfectus; ferebatque codex ille in ipſo limine, deſcriptum fuiſſe ex authentico Bibliothecæ cubiculi. *Scilicet Pontificalis. Idem etiam præfert codex præcedens: Quo ſanè demonſtratur duos illos antiquos codices ex libris ſecretarii Baſilicæ Sanctorum Petri & Pauli deſcriptos eſſe, quibus Romani Pontifices ad officiorum Eccleſiaſticorum operationem utebantur. Itaque de illius fide & ſinceritate non ſecus ac de præcedente nullus eſt dubitandi locus. Liber ille Sacramentorum reperitur tomo, 5. operum S. Gregorii editionis Romanæ, anni ni fallor, 1593. & Pariſienſis, anni 1605. quas poſteriores imitatæ ſunt. Tanta eſt utriuſque conformitas in omnibus Ordinationibus præterquam in Epiſcopali, ut verba, ſyllabæque omnes, & verborum ordo ubique prope ſint eadem, vixque tantilla compareat examinantibus differentia. Quapropter uno deſcripto cenſeatur & alter deſcriptus. Utriuſque ſimiliter idem eſt titulus.*

Incipit ordo ad ſacros ordines benedicendos.

MAjores gradus ante Euangelium; Minores vero poſt Communionem dantur, & minores quidem Dominicis diebus ſi neceſſe eſt: Majores autem in Sabbatis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodò.

Cætera ſimiliter, hæc admodum pancula ſi tantùm excipias. In Ordinatione Acolythi omittuntur verba quæ Ceroferario dicuntur cum ipſi cereus traditur; Accipite hoc geſtatorium luminis, &c. *Ideo in titulo Ordinationis Acolythi uno tenore dicitur poſt*, mancipari, Accipiat & Urceolum vacuum ad fundendum vinum in Euchariſtia Corporis Chriſti, *quæ in præcedente referuntur poſt hæc verba*, Accipite hoc geſtatorium.

In Ordinatione Subdiaconi poſt hæc verba, & tradat ei Calicem & Patenam, *non additur titulus.*

Ordinatio Subdiaconi.

IN Ordinatione Subdiaconi, Etenim dicitur, Verè dignum in Conſecratione. *In præcedente*, Et non dicitur verè dignum in Conſecratione. *Quæ videntur contradicentia. Poſtea Conſecratio incipit*, Verè dignum, &c. *quæ præcedens codex omittit, in Conſecratione. In Conſecratione Diaconi*, bonorum dator *præcedens*, honorum. *Iterum*, tuis ſacris altaribus, *præcedens* tuis ſacrariis. *In Vaticano omittuntur verba in traditione ſtolæ prolata, atque ipſa ſtolæ traditio. In quo procul dubio aberravit & ceſſitavit Amannenſis.*

In

In Ordinatione Presbyteri; in Conſecratione, A bonorum autor, *precedent,* honorum autor. *Poſtea,* ſecundis prædicatoribus. *Hallucinatio Librarii, legendum* Prædicatoribus. *Iterum* Hic imponitur ei Caſula. *precedent,* Hic veſtis & Caſulam. *Poſtea ſequitur Ordinatio Epiſcopi in codice Vaticano in hunc modum.*

Examinatio in ordinatione Epiſcopi ante Litaniam facienda.

ANtiqua Sanctorum Patrum inſtitutio docet & præcipit, ut is qui ad ordinem Epiſcopatus eligitur, maximè, ut legimus in B canone Carthaginienſi, antea diligentiſſimè examinetur cum omni charitate, de fide ſanctæ Trinitatis, & interrogetur de univerſis cauſis, vel moribus quæ huic regimini congruunt, & neceſſaria ſunt retinere ſecundum Apoſtoli dictum: Manus nemini citò impoſueris. Et ut etiam is qui eſt ordinandus, antea eruditatur qualiter ſub hoc regimine conſtitutum oporteat etiam verſari in Eccleſia Dei; ut inexcuſabiles ſint, qui ei manus ordinationis imponunt.

Eademque autoritate & præcepto interrogamus te, dilectiſſime frater, charitate ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, divinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris? Reſp. ita: Ex toto corde volo in omnibus conſentire & obedire.

Interr. Vis ea quæ ex divinis ſcripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis? Reſp. Volo.

Interr. Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? Reſp. Volo.

Interr. Vis caſtitatem & ſobrietatem cum Dei auxilio cuſtodire, & docere? Reſp. D Volo.

Vis ſemper in divinis eſſe negotiis mancipatus, & à terrenis negotiis, vel lucris turpibus eſſe alienus, quantum te hæc humana fragilitas conſentiat poſſe? Reſp. Volo.

Interr. Vis humilitatem & patientiam in temetipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere? Reſp. Volo.

Tunc dicatur ei, Vis eſſe ſubditus huic noſtræ ſedi, atque obediens? Reſp. Volo.

Hæc & omnia cætera bona tribuat tibi Dominus, & cuſtodiat te, atque corroboret in omni bono. Et reſpondeant omnes, Amen. E

Interr. Credis ſecundum intelligentiam tuam & capacitatem ſenſus tui, ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternum, & coomnipotentem, uniuſque voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, Creatorem omnium creaturarum à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia, & inviſibilia, & ſpiritualia? Reſp. aſſentio, & ita credo.

Interr. Credis ſingulam quamque perſonam in ſancta Trinitate unum verum Deum, plenum atque perfectum? Reſp. Credo.

Interr. Credis ipſum filium Dei, Verbum Dei, & naturaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem & coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu S. & Maria ſemper Virgine, cum anima rationali, duas habentem Nativitates, unam ex Patre æternam; alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in utraque natura atque perB fectum non adoptivum, nec phantaſmaticum, unicum & unum filium Dei in duabus naturis, ſed unitas perſonæ ſingularitate; impaſſibilem & immortalem divinitate: in humanitate pro nobis & pro ſalute noſtra paſſum, vera carnis paſſione: & ſepultum, & reſurgentem à mortuis tertia die, vera carnis reſurrectione: Die Quadrageſimo poſt Reſurrectionem cum carne qua ſurrexit, & anima, aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & reddentem unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala? Reſp. Aſſentio, & per omnia credo.

C Interr. Credis etiam Spiritum ſanctum plenum & perfectum, verumque Deum à Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum Patri, & Filio? Reſp. Credo.

Interr. Credis ſanctam Catholicam & Apoſtolicam unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur verum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum? Reſp. Credo.

Interr. Anathematizas omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam Eccleſiam Catholicam? Reſp. Anathematizo.

Interr. Credis etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſtas, & vitam æD ternam? Reſp. Credo.

Interr. Credis etiam novi, & veteris Teſtamenti, legis, & Prophetarum, & Apoſtolorum, unum eſſe autorem Deum & Dominum omnipotentem? Reſp. Credo.

Hæc tibi fides augeatur à Domino, ad veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime Frater in Chriſto, & reſpondeant omnes. Amen.

Interr. Dilectiſſimi Fratres, elegiſtis hunc ill. Presbyterum ad Epiſcopum? Reſp: Ipſum elegimus omnes. Et hoc ter.

Iterum Epiſcopus: Eſt dignus & juſtus hoc E ſubire miniſterium? Reſp. dignus eſt, juſtus eſt. Et hoc ter.

Iterum Epiſcopus. Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Beato Petro Apoſtolo intercedente, volumus hunc ill. Fratrem noſtrum ordinare ad Epiſcopum, ſi vobis omnibus placet. Reſp. Placet nobis omnibus. Et hoc tertiò. Iterùm Epiſcopus, Orate pro nobis.

EPISCO-

A

EPISCOPUS CUM ORDINATUR, duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant. Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & det ei dicens, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis.

Oratio ad ordinandos Epiſcopos.

B

ORemus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendam electis, benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum.

Benedictio Epiſcoporum.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per. *Alia.*

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris: & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo C effunde virtutem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad Annulum dandum.

MEmor ſponſionis & deſponſationis Eccleſiaſticæ, & dilectionis Domini Dei tui in die, qua aſſecutus es hunc honorem, cave ne obliviſcaris illius. Accipe ergo annulum diſcretionis, & honoris, fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt, ſignes: Et quæ aperienda ſunt, prodas: Quæ liganda ſunt, liges: Quæ ſolvenda ſunt, ſolvas: utque credentibus per fidem baptiſmatis, lapſis autem ſed Pœnitentibus, per myſterium reconciliationis januas D regni cœleſtis aperias: Cuncta verò de theſauro Dominico nova & vetera proferas, ut ad æternam ſalutem omnibus conſulas, gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu S. eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Ad Baculum dandum.

ACcipe baculum ſacri regiminis ſignum; ut imbecilles conſolides, titubantes confirmes, pravos corrigas in viam ſalutis æternæ, habeaſque poteſtatem attrahendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui cum Patre in unitate Spiritus ſancti & virtus & imperium, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Conſecratio.

DEus bonorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus, Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu, &c. *Prorſus ut in præcedente codice. Sed malè hic*, ut quidquid illa vel anima. *Legendum* velamina. *Statim poſt finitæ Conſecrationis verba*, tua gratia poſſit eſſe devotus. Per. *Sequitur.*

Super oblata.

HÆc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet. Per.

Infra Actionem.

HAnc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, &c. *ut in præcedente.*

Ad Complendum.

HÆc nos communio Domine purget à crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes. Per Dominum, &c.

Statim ſequitur Miſſa in Natali Papæ, quæ ne ſyllaba quidem differt ab ea quæ ex præcedente codice deſcripta eſt.

Oratio in Nat. Papæ.

DEus qui licet ſis magnus &c. *Alia.* Deus qui populis tuis, &c. *Super oblata.* Hoſtiam tibi Domine laudis exolvo, &c.

Præfatio. Vere dignum, &c. ut quia in manu tua.

Ad Complendum. Corporis ſacri, & pretioſi ſanguinis, &c.

Sequitur quoque hic Miſſa propria in die anniv Ordinationis, eadem prorſus quæ in præcedente. Sed hîc adeſt ſolemnis benedictio. Iſta & ſimilia quia propoſitum nobis ſcopum non ſpectant, prætermittimus.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
ex antiquiſſimo Corbeienſis Monaſterii codice deſcriptus.

Quod aliis codicibus rarò, huic feliciter contigit, ut ſcilicet temporis quo ſcriptus eſt, æra adnotetur. Hæc præſtitit in ipſo libri limine ſcriptor ſimul & Collector; Ego, inquit, Rodradus miſericordia Dei indigens, victus Hilmeradi Antiſtitis juſſionibus, vinctuſque Epiſcopalis autoritatis excommunicationibus, IV. Non. Martis Sacerdotalis miniſterii trepidus ſuſcepi officium, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. Indictione I. Epacta VII. Concurrente VII. Termino Paſchali IV. Kal. April. Quicunque hanc Ordinationis meæ adnotatiunculam legeris, & per hunc codicem Dominici corporis conſecrationem recitaveris, tuis quæſo precibus adjutus, dicatum Chriſto exhibere Sacerdotium, & ſupernæ viſionis conſequi merear bravium. *Creatus eſt igitur Rodradus Presbyter anno Chriſti* 853. *tumque vel paulò ante, aut paulò pòſt, hunc Sacramentorum librum collegit, & deſcripſit. Characteres illius anni quos adſcripſit omnes præter unum anno conveniunt. Anno enim Chriſti* 853. *Indictio erat, prima: Epactæ ſeptem. Eſt enim aureus numerus* 18. *ſive penultimus cycli decemnovennalis, cum quo in antiqua ſupputatione concurrunt ſemper Epactæ ſeptem, ut altero poſt anno redeunte Enneadecaeteride, ſaltui quem vocant Lunæ ſive diei ab anno Lunari exemptili locus detur. Terminus Paſchalis, ſive Luna decima quarta tum incidit in* IV. *ante Kal. Aprilis. Eſt enim cycli Solaris annus* 22. *littera Dominicalis A, Numerus aureus* 18. *Igitur Novilunium ex antiquo computo commiſſum eſt* 17. *Kal. ejuſdem menſis, & conſequenter terminus Paſchalis incidet in* IV. *Kal. April. feria quarta, & Paſcha celebratum eſt* IV. *Non. Ap. ſed concurrens dies erat ſextus, non ſeptimus, ut vult autor. Concurrentes dies in vetuſtiſſimo computo erant vice litteræ Dominicalis, eorumque circulus annuus eodem planè modo vertebatur. Verùm littera Dominicalis diem Dominicum notat toto anno; Sed concurrens notat tantùm feriam* IX. *Kal. Aprilis, ſive diem Martis* 24. *Quando igitur ſic loquuntur; Hoc anno concurrens eſt tertius, quartus, &c. id eſt, hoc anno* 24. *dies Martis eſt feria tertia, feria quarta, &c. Hinc facile illis erat feriam termini Paſchalis, & ipſum Paſcha eruere, cum dies ille* 24. *ſit ſemper Paſchati proximus. Hæc omnia rectè anno* 853. *conveniunt, ſed* 24. *Martis illo anno fuit feria ſexta, non Sabbato.*

Collegit Rodradus magna cum diligentia quæ in libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ habebantur, ſpuriaque à legitimis pro ſententia ſua diſcrevit, ut teſtatur in præfatione ſecundæ partis. Nam multa reperit in aliis Sacramentorum libris Gregorii nomen præferentibus, quæ non judicavit eſſe S. Gregorii, ſed poſteriùs ab aliis Patribus inventa & addita, de quibus ſecundam libri partem compoſuit. Præfatio iſta eadem eſt quæ reperitur ante ſecundum librum Sacramentorum Grimoldi Abbatis quem Jacobus Pamelius in Liturgicis ſuis edi curavit. Non eſt tamen idem opus quod Rodradus compoſuit, & Grimoldus, & multis demonſtrat Hugo Menardus præfatione in Gregorianum Sacramentarium. Quidquid ſit, id quod de ſacris Ordinationibus ex Rodrado edimus apud Grimoldum non deprehenditur. Teſtatur autem in eadem Præfatione quæ de inferioribus Ordinationum gradibus in ſecunda parte refert, ea ſe non deprehendiſſe in S. Gregorii codicibus, Addidimus etiam & benedictiones ab Epiſcopo ſuper populum dicendas: nec non & illud quod in præfato codice beati Gregorii ad gradus inferiores in Eccleſia conſtituendos non habetur. *Hæc fuit Rodradi ſententia: ſed aliorum codicum Rodrado multò antiquiorum autores legitimum S. Gregorii fœtum judicarunt eos libros, qui utroſque gradus, ſuperiores & inferiores, complexi ſunt.*

Initium codicis eſt ejuſmodi, Incipit liber Sacramentorum de circulo anni expoſitus à S Gregorio Papa Romano, qualiter Miſſa Romana celebratur: hoc eſt in primis Introitus qualis fuerit, &c. *planè ut in Gregorianis quos Menardus & Pamelius ediderunt. Poſt Miſſæ præfationem ſequitur canon: Poſt canonem, videlicet poſt hæc verba,* Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, *ſemel tantùm dicta, immediatè ſequitur*, Benedictio Epiſcoporum, *quos excipit Presbyterorum, & Diaconorum. Quibus peractis ſequitur ut apud Pamelium & Menardum Miſſarum officium à Vigilia Nativitatis incipiens.*

Bene-

A

Benedictio Epiſcoporum.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum. *Alia.*

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ, Sacerdotalis benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum. B

Conſecratio.

DEus bonorum omnium; Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus: Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu, inter cætera cœleſtis documenta culturæ de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, Electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum, de exemplis Priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: Cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum C ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco huic famulo tuo quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc, quæſumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus moribus actibuſq. clareſcat.

Comple in Sacerdote tuo myſterii tui ſum- D mam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, cœleſtis unguenti flore ſanctifica, † , Hoc Domine copioſè in ejus caput influat † hoc in oris ſubjecta decurrat †. Hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Tribuas ei Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis ei autoritas, ſis ei firmitas, ſis poteſtas. Multiplices ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam miſericordiam tuam tuo munere ſemper idoneus, tua gratia poſſit E eſſe devotus. Per.

Super Oblata.

HÆc hoſtia, quæſumus Domine, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet, Per Dominum.

Præfatio.

HAnc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo ill. quem ad Epiſcopatus ordinem promovere dignatus es: Quæſumus Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, ut quod divino munere conſecutus eſt, divinis effectibus exequatur, dieſque noſtros in tua pace diſponas.

Ad Completam.

HÆc nos communio Domine, purget à crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes. Per Dominum.

Oratio ad Ordinandum Presbyterum.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit. *Alia.*

EXaudi nos, quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per Dominum. In unitate ejuſdem Spiritus ſancti.

Conſecratio.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum: per quem proficiunt univerſa; per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum: Unde & Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt. Ut cum Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in Eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentem, Moyſi Spiritum propagaſti, quibus adjutoribus uſus ille in populo innumeras multitudines facilè gubernavit. Sic in Eleazaro & Ithamar paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apoſtolis filii tui Doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis Prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæſumus pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitem. Innova in viſceribus ejus Spiritum ſanctitatis, acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineat, Cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuet. Sit probus cooperator ordinis noſtri: Eluceat in eo totius

forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia conſequatur. Per Dominum.

Oratio ad ordinandum Diaconum.

OREmus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eique donum conſecrationis indulgeat, per quod cum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo.

Alia.

EXaudi Domine preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditatus, & tuæ gratiam poſſit majeſtatis adquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

Conſecratio.

ADeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, &c. *omnia prorſus ut jam jam ex Corbeienſi codice deſcripſimus. Ibi*, exiſtimamus, *hic*, æſtimamus. *Ad finem ibi*, quo in opus miniſterii tui, *hic*, qui in opus miniſterii. *Sed ſcribendum* quo. *Paulò poſt initium ſcribitur*, unitate, *ſed menda eſt*, *legendum ut in Corbeienſi & aliis*, unitam.

Nihil præterea in hoc codice de majoribus ordinibus. Omittitur ſtolæ traditio, cum verbis quæ tunc ordinando dicuntur. Exemplaria Sacramentarii Gregoriani quibus uſus eſt Rodradus plura non continebant. Sed manca ſanè fuerunt: Nam ſtolæ traditio antiquiſſima eſt, & dintiſſimè ante Gregorium uſurpata. Deinde non modo alia Gregoriana exemplaria, verumetiam Gelaſiana, ordines inferiores complectebantur, quos ille in ſecunda parte velut à S. Gregorio præterita, & ab aliis S. Patribus ſuperaddita repoſuit. Itaque dicendum eſt Rodradum, & poſt ipſum Grimoldum, imperitè admodum eorum quæ Gregoriana erant, electionem feciſſe. In ſecunda parte Rodradus inferiores ordines, & ſplendidius multò quàm majores, & fuſius, diſtinctiuſque in hunc modum deſcripſit.

Ordinatio Oſtiarii.

OStiarius cum ordinatur poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves de altari dicens: Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ iſtis clavibus recluduntur, & tradat ei Diaconus oſtium Eccleſiæ.

Præfatio Oſtiarii.

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecamur, ut hunc famulum ſuum ill. benedicere dignetur, quem in officium Oſtiarii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima cura in diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini. Adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus, in unitate Spiritus S. per omnia ſecula ſeculorum.

Benedictio ejuſdem.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. Oſtiarium, ut inter Janitores Eccleſiæ pareat obſequia; & inter Electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum.

Ordinatio Lectoris.

LEctor cum ordinatur faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium. Poſt hæc ſpectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus eſt, dicens, Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei miniſtraverint: Eligunt te fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei tui, & agnoſcas officium tuum, & impleas illud. Potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam.

Benedictio Lectoris.

DOmine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc in officium Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtinctus atque ornatus, & agenda dicat, & opere dicta compleat, & in utroque ſanctæ Eccleſiæ conſulat. Per Dominum noſtrum.

Ordinatio Exorciſtæ.

EXorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo. Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum.

Præfatio Exorciſtæ.

DEum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur, ut hunc famulum ſuum ill. benedicere dignetur in officium Exorciſtæ, ut ſit ſpiritualis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit, & regnat.

Benedictio Exorciſtæ.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officium Exorciſtæ, ut per impoſitionem manuum & oris officium, eum eligere digneris, ut imperium habeat Spirituum immundorum coercendo, & probabilis ſit Medicus Eccleſiæ, gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dominum.

Ordi-

Ordinatio Acolythi.

AColythus cum ordinatur primùm ab Epiſcopo doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad fundendum vinum in Euchariſtia corporis Chriſti.

Benedictio Acolythi.

OMnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, lumen verum, mundum illuminaſti, ejuſque paſſionis myſterio redemiſti, benedicere dignare hunc famulum tuum quem in Acolythi officium conſecramus, poſcentes tuam clementiam, ut ejus mentem, & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum miniſterium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum.

Ordo qualiter in Romana Eccleſia Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi ordinandi ſunt.

MEnſis 1. 4. 7. & 10. Sabbatorum die in duodecim lectionibus, ad Sanctum Petrum ubi Miſſæ celebrantur; poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione annuntiat Pontifex in populum dicens.

Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Iterum dicit, Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, Eligimus in Ordinem Diaconi, ſive Presbyteri ill. ſive ill. Diaconum de titulo ill. Presbyterum de titulo ill. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Et poſt modicum intervallum, mox incipiunt omnes, Kyrie eleiſon, cum Letania. Hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati ſunt. Et deſcendentes ſtant in ordine ſuo benedictione percepta.

Capitulum S. Gregorii.

SIcut qui invitatus tenuit, quæſitus refugit, ſacris eſt Altaribus removendus. Sic qui ultrò ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur.

Subdiaconus cum ordinatur quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: De manu Archidiaconi accipiat Urceolum cum aquamanili, & manutergio.

Ad Subdiaconum ordinandum.

EXhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena & Calix vacuus, & dicat Epiſcopus, Vide cujus miniſterium tibi traditur: & ideo ſi uſque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, à modo debes eſſe aſſiduus. Si uſque nunc ſomnolentus, à modo vigil. Si uſque nunc ebrioſus, à modo ſobrius. Si uſque nunc inhoneſtus, à modo caſtus. Oblationes quæ veniunt in Altarium panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in altare poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ ſunt in Subſtratorio, in alio vaſe debent lavari: in alio corporales Pallæ. Ubi Pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari. Ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo te admoneo, Tu talem te exhibe, ut Deo placere poſſis. Et tradat ei Calicem & Patenam.

Ordinatio Subdiaconi.

ORemus Deum ac Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ſuum ill. quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem, & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens prædeſtinata ſanctis præmia conſequatur, Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus, in unitate Spiritus ſancti. Per omnia ſecula ſeculorum.

Benedictio Subdiaconi.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc quem ad Subdiaconatus officium dignatus es eligere, uti eum ſacrario tuo ſancto ſtrenuum ſolicitumque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtret, & requieſcat ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui, & eum miniſterio divino confirmes, ut obediens, facto, atque dicto parens, tuam gratiam conſequatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Quæ de ordinationibus habet eo loco ſic ſinunt, & loco vacuo relicto, Pagina ſequente, Miſſa de Sancta Trinitate ſequitur. Has ordinationes integras deſcripſimus ob exemplaris antiquitatem, & characteris elegantiam, licet à ſimilibus jam deſcriptis nulla in re differant.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
ex antiquiſſimo Rotomagenſis Eccleſiæ annorum ſaltem octingentorum codice Anglicano decerptus.

Codex ille magnificentiſſimè deſcriptus eſt. Initio inſignium feſtorum prima pagina tota literis aureis, & verſicoloribus perfectè quadratis ſcripta eſt: Rubricæ quoque omnes ſive tituli quadrato charactere & unciali. Univerſa denique ſcriptura octavi ſeculi characterem ſapit & genium. Nonnulla ex eo decerpſimus in libro noſtro de Pœnitentia, hincque data occaſione ibidem eum deſcripſimus: Quapropter nunc pauca ſufficiunt. In Anglia, & pro Anglia ſcriptum olim fuiſſe certo videtur colligi ex nonnullis Sanctis quorum in illo fit mentio, ut Sancti Suvithuni Grimbaldi, & Sanctæ Ætheldrith, Deinde ex coronatione Regis, in qua hæc habetur oratio. Super hunc famulum tuum ill. quem ſupplici devotione in Regnum Anglorum ſive Saxonum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, &c. *Quæ ſequuntur ex eo codice ante plures annos deſcripſimus.*

A

Oratio ad Capillaturam.

OMnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remiſſionem omnium peccatorum, atque ad cœleſtium donorum pervenire conſortium. Per Dominum.

Oratio ad Clericum faciendum.

ORemus, dilectiſſimi fratres, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo N. qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei ſpem ſanctam, qui habitum religionis in eo perpetuum conſervet, & à mundi impedimento, vel ſeculari deſiderio cor ejus defendat, ut ſicut immutatur in vultu, ita manus dextera ejus, ei virtutis tribuat incrementa, & ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat. Qui.

Alia. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum N. benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in Eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per.

Dum Tondes eum dicas hanc Antiphonam, Hic accipiet, &c. Sequatur oratio, Omnipotens ſempiterne Deus propitiare peccatis noſtris, & da ut ab omni, &c.

Ad Barbam tondendam.

DEus cujus Spiritu creaturæ, &c. *ut in Rom. edito.*

Oratio poſt raſam barbam.

DEus qui Eccleſiam tuam novo ſemper fœtu multiplicas, concede famulo tuo N. qui divini timoris & amoris inſtinctu exteriora pubertatis abſcidit, ut tuorum omnium intervenientibus Sanctorum meritis, carnis petulantiam non ſolùm verbo tenus, ſed intima cordis conſcientia in ſancta perſeverans converſatione, te eum ubique præcedente & ſubſequente, calcare, & contemnere * vi-
B tam mereatur æternam. Per.

Incipit ordo de ſacris Ordinibus benedicendis.

PSalmiſta, id. eſt, Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero, Vide ut quod ore cantas, corde credas, &
C quod corde credis opere probes.

Ordinatio Hoſtiarii. Primus gradus.

HOſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens.

Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro
D his rebus quæ iſtis clavibus recluduntur. Et tradat ei Diaconus ſoſtium Eccleſiæ.

Benedictio Hoſtiarii.

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hunc famulum ſuum ill. benedicere dignetur, quem in officium Hoſtiarii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima

liſſima cura in domo Dei diebus ac noctibus, A ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus, in unitate.

Alia. Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. hoſtiarium, ut inter Janitores Eccleſiæ pareat obſequio, & inter Electos tuos partem ſuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum.

II. Gradus. Ordinatio Lectoris.

LEctor cum ordinatur ſaciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium. Poſt hæc ſpectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus eſt; dicens ad ad eum: Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus ſi fideliter & utiliter impleveris officium tuum partem cum his qui verbum Dei miniſtraverunt. Eligunt te Fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei ſui, & officium tuum agnoſcas, & impleas illud: Potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre. B

Benedictio Lectoris.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officium Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtinctus atque ornatus, & agenda dicat, & dicta opere compleat, & in utroque ſanctæ Eccleſiæ conſulat. Per.

III. Gradus. Ordinatio Exorciſtæ.

EXorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum. C D

Benedictio Exorciſtæ.

DEum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur, ut hunc famulum ſuum benedicere dignetur in officium Exorciſtæ, ut ſit ſpiritualis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat.

Item Alia. Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officium Exorciſtæ, ut per impoſitionem manuum, & officium oris, eum eligere digneris, ut imperium habeat ſpirituum immundorum, coercendorum, & probabilis ſit Medicus Eccleſiæ tuæ, gratia curationum virtute confirmatus. Per. E

IV. Gradus. Ordinatio Acolythi.

AColythus cum ordinatur, primum ab Epiſcopo doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat, & ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum ad fundendum vinum in Euchariſtiam corporis Chriſti.

Benedictio Acolythi.

OMnipotens ſempiterne Deus, fons lucis & origo bonitatis, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, qui eſt lumen verum, mundum illuminaſti, ejuſque paſſionis myſterio redemiſti, benedicere dignare hunc famulum tuum ill. quem in Acolythi officium conſecramus, poſcentes clementiam tuam, ut mentem & cor ejus lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum miniſterium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur. Per Dominum. *Item alia.*

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum in hunc mundum lumen claritatis miſiſti, & in cruce paſſionis tuæ triumphans ſanguinem & aquam ex latere tuo pro genere humano dignatus es effundere, & per Apoſtolos tuos in hoc ſeculo lumen gratiæ ſpiritualis miſiſti, ita benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officium Acolythi, ut ad accendendum claritatis Eccleſiæ tuæ lumen, & ad ſuggerendum vinum & aquam ad conficiendum ſanguinis tui myſterium in offerendo Euchariſtiam ſanctis Altaribus tuis fideliter ſubminiſtret. Accende Domine ejus mentem, & cor ad amoris tui deſiderium, & gratiam tuæ miſerationis in eo tua virtute confirma. Per.

ORDO QUALITER PRESBYTERI, Diaconi, Subdiaconi, ordinandi ſunt, Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die, in duodecim lectionibus, ubi Miſſæ celebrantur. Finita benedictione antequam Euangelium legatur, annunciat Pontifex in populum dicens.

AUxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus in ordinem Diaconi, ſive Presbyteri ill. Subdiaconum, ſive Diaconum de titulo illo, ill. Presbyterum ad titulum ill. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo, & propter Dominum cum fiducia exeat, & dicat: verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Deinde accedant qui ordinandi ſunt, & proſternant ſe ante altare, & dicatur litania, qua expleta erigant ſe, & inclinati ſtent ante Epiſcopum, & benedicantur ab eo, ut in ſequentibus ſcriptum habetur.

Ordi-

Ordinatio Subdiaconi.

SUbdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat Urceolum cum aquamanili, & manutergio; Et dicat Epiſcopus Subdiacono: Vide cujus miniſterium tibi traditur, & ideo ſi uſque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, à modo debes eſſe aſſiduus. Si uſque nunc ſomnolentus, à modo vigil: ſi uſque nunc ebrioſus, à modo ſobrius: ſi uſque nunc inhoneſtus, à modo caſtus. Oblationes quæ veniunt in altari panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantùm debet in altari poni quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ in ſubſtratorio fiunt, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem lavari debet. Ipſa aqua in baptiſterium debet vergi: Ideo te admoneo, ut talem te exhibeas, ut placere poſſis Deo.

Benedictio Subdiaconi.

ORemus Deum ac Dominum noſtrum ut ſuper ſervum ſuum quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem, & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens prædeſtinata Sanctis præmia conſequatur, auxiliante D. N. I. C. qui cum eo vivit, & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti.

Alia.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus es, uti cum ſacrario tuo ſancto ſtrenuum ſolicitumque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtret, & requieſcat ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui, & cum miniſterio divino confirmes, ut obediens facto, atque dicto parens, tuam gratiam conſequatur. Per Dominum.

V. Gradus. Ordinatio Diaconi.

DIaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, reliqui verò Sacerdotes juxta manum Epiſcopi caput illius tangant, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

Oratio ad ordinandum Diaconum.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum ill. quem in ſacrum ordinem Diaconatus officii dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer infundat, eique donum conſecrationis propitius indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat, per omnia.

Alia.

EXaudi Domine preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum ill. Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditatus, & tuæ gratiam majeſtatis poſſit adquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

Alia. Domine Deus omnipotens preces noſtras clementer exaudi, ut quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo benignus proſequaris auxilio, & quos ſacris myſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices. Per.

Alia.

ADeſto quæſumus omnipotens Deus honorum dator, &c. *ut ſupra in ſecundo codice, uno aut altero tantum verbulo quod his adnotari non meretur.*

Oratio ad ſtolas, vel Planetas benedicendas.

DEus invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac ſanctificator intende propitius preces noſtras, & has ſtolas ſive Planetas Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ miniſtris tuis fruendas tuo proprio ore benedicere ac ſanctificare, conſecrareque digneris, omneſque eis utentes, tuiſque miniſteriis à nobis indignis conſecratis vel conſecrandis aptos, & tibi in eis devotè & amabiliter ſervientes, gratos efficere concedas, & nunc, & per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Poſtea imponatur ſtola ſuper humerum Levitæ, & dicatur hæc oratio.

In nomine Sanctæ Trinitatis, & unicæ divinitatis accipe ſtolam quam tibi Dominus per humilitatis noſtræ famulatum, & per manus noſtras accipiendam præparavit, per quam ſcias ſarcinam Domini Dei tui cervicibus tuis impoſitam, & humilitatem, atque in adminiſtrationem te eſſe connexum, & per quam te cognoſcunt fratres tui Miniſtrum Dei eſſe ordinatum, ut qui in Diaconatus miniſterio es conſtitutus, Leviticæ benedictionis ordine clareſcas, & ſpirituali converſatione præfulgens gratia ſanctificationis clareſcas. Sed & in Chriſto Jeſu ſtabilis perſeveres ac firmus, quatenus hoc quod per hanc ſtolam ſignificatur in die diſtricti judicii ante Tribunal Domini ſine macula repræſentari valeas, ipſo auxiliante cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Poſtea tradat ei Epiſcopus ſanctum Euangelium dicens, Accipe iſtud volumen Euangelii; lege & intellige, & aliis trade, & tu opere adimple.

Conſecratio manuum Diaconi de oleo atque chriſmate.

COnſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem, tuamque benedictionem, ut quæcunque

que benedixerint benedicta ſint; & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificata ſint. Per.

Oratio ad conſummandum Diaconatus officium.

COmmune votum permaneat, communis oratio proſequatur, ut hic totius Eccleſiæ prece qui in Diaconatus miniſterium præparatur, & Leviticæ benedictionis ordine clareſcat, & ſpirituali converſatione præfulgens per gratiam ſanctificationis eluceat. Per.

Item alia.

DOmine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum munerator, qui in cœleſtibus & terrenis miniſteriis Angelorum ubique diſpoſitis per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hunc quoque famulum tuum ill. ſpeciali affectu intueri digneris, ut tuis obſequiis expeditus, ſanctis altaribus purus Miniſter clareſcat, & indulgentia purior, gradu eorum quos Apoſtoli tui in ſeptenario numero, Beato Stephano duce atque Spiritu Sancto autore, elegerunt, dignus exiſtat, & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructus polleat. Per.

VI. Gradus. Ordinatio Presbyteri.

PResbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus ponente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper illius ponant caput.

Oratio ad ordinandum Epiſcopum.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem ad Presbyterii munus elegit, cæleſtia dona multiplicet, & qui ejus dignationem ſuſcipit, ejus exequatur auxilium. Per.

Alia.

Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum ill. &c. *ut ſupra in Corbeienſi primo.*

Hic mutatur ſtola, ſequitur oratio.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, bonorum autor, & diſtributer omnium dignitatum quæ tibi militant: Per te proficiunt univerſa, per te cuncta firmantur. *Cetera ut ſupra in Corbeienſi primo, niſi quod hic ſcribitur* Sacerdotalis ordo, mentem, ſacrum miniſterium, quæſumus hæc, qui quanto famulum tuum ill. ut acceptum, *Corbeienſem codicem hoc loco cum verbis noſtris comparans varietatis lectionem facile intelliget, ſed leviſſimæ ſunt differentiæ.*

Benedictio vel conſecratio manuum Sacerdotis ante unctionem Chriſmatis.

BEnedic Domine & ſanctifica has manus Sacerdotis tui ill. ad conſecrandas hoſtias A quæ pro delictis atque negligentiis populi offeruntur, & ad cætera benedicenda quæ ad uſus populi neceſſaria ſunt, & præſta quæſumus, ut quæcunque benedixerint benedicantur, & quæcunque ſacraverint ſacrentur, Salvator mundi qui vivis & regnas.

Conſecratio manuum Sacerdotis de oleo & chriſmate.

COnſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, de oleo ſancto, & ſanctificentur per iſtam unctionem, ſanctamque benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta B ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificata permaneant. Per.

Conſecratio capitis cum oleo.

UNgatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Sacerdotali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Pax tibi Reſp. & cum Spiritu tuo.

Tunc veſtiatur caſula. Sequitur oratio.

BEnedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & hac Sacer- C dotali veſte indutus, protectus, & munitus eſſe valeas ab omnibus impugnationibus malignorum Spirituum; & ſis benedictus, & offeras hoſtias placabiles pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria.

Ad conſummandum Presbyteri officium.

SIt nobis communis oratio, Fratres, ut hic qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eligitur, *Presbyteratus benedictionem divini muneris indulgentia conſecratur, & D ſancti Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impar loco deprehendatur, obtineat.* *Item alia.*

DEus ſanctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio plena benedictio eſt, ſuper hunc famulum tuum ill. quem ad Presbyterii honorem ad ill. Eccleſiam dedicamus, gratiam tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum probet ſe eſſe omnium ſeniorem, his inſtitutis diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus inſtituit, ut in lege tua omnipotens Deus, die ac nocte meditans, quod legerit credat, quod crediderit doceat, & E quod docuerit, imitetur. Juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat, probet, admonitione confirmet, ut purum atque immaculatum myſterii donum cuſtodiat, & per obſequium plebis tuæ corpore & ſanguine filii tui immaculata benedictione transformetur ad inviolabilem charitatem, & in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſti & æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, Spiritu ſancto plenus appareat, te largiente. Qui vivis, &c.

Incipit Ordinatio Epiſcopi. Septimus Gradus incipit.

EPiſcopum qui ordinandus eſt, duo Epiſcopi per manus de Secretario antequam Euangelium legatur, deducant ante altare, & eo inibi proſternato, ab Archiepiſcopo inchoetur Litania, qua finita, & eo erecto ponatur Euangelium ſuper ſcapulas ejus, & has dicant Epiſcopi ſuper ipſum orationes. *Oremus*, Dilectiſſimi nobis, ut huic viro ill. ad utilitatem Eccleſiæ provehendo benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum. *Alia.*

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, ut quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per. *Alia.*

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris: Et inclinato ſuper hunc famulum tuum ill. cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum.

Solus verò Archiepiſcopus hanc dicat Conſecrationem cæteris adſtantibus, & duobus Epiſcopis Euangelium ſuper ipſum qui ordinandus eſt tenentibus.

DEus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu, inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis Priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: Cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum: quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et proinde huic famulo tuo quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus moribus actibuſque clareſcat. *Hic accipit chriſma.* Comple Domine in Sacerdote tuo, myſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum eum cœleſtis unguenti flore ſanctifica. *Hic mittatur Chriſma ſuper caput ejus.* Hoc Domine copioſe in ejus caput influat, hoc in oris ſubjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis, ſint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad Euangelizandam pacem, ad Euangelizandum bona tua. Da ei Domine myſterium reconciliationis in verbis, & factis, & virtutibus, & ſignis, & prodigiis. Sit ſermo ejus & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtute. Da ei, Domine, claves regni cœlorum; utatur nec glorietur poteſtate quam tribuis in ædificationem, & non in deſtructionem: Quodcunque ligaverit ſuper terram ſit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolverit ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint, & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui benedixerit ei ſit benedictus; & qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis ſervus & prudens quem conſtituas Dominum ſuper familiam tuam, ut det illis cibum in tempore neceſſario, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſollicitudine impiger, ſit Spiritu fervens, oderit ſuperbiam, diligat veritatem, nec eam unquam deſerat, aut laſſitudine, aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: Non dicat bonum malum, nec malum bonum. Tribuas ei Domine cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis ei autoritas, ſis ei firmitas, ſis ei poteſtas. Multiplices ſuper eum benedictionem, & gratiam tuam ut ad exorandam miſericordiam tuam tuo ſemper munere idoneus, tua gratia poſſit eſſe devotus. Per.

Item alia ſuper Epiſcopum.

PAter Sancte, omnipotens Deus, qui per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab initio cuncta creaſti, & poſtmodum in fine temporum ſecundum pollicitationem quam Abraham Patriarcha noſter acceperat, Eccleſiam quoque Sanctorum congregatione fundaſti, ordinatis rebus per quas legibus à te datis diſciplinæ religio regeneretur. Præſta ut hic famulus tuus ſit miniſteriis cunctiſque fideliter geſtis officiis dignus, ut antiquitus inſtituta Sacramentorum myſteria poſſit celebrare, per te in ſummum ad quod aſſumitur Sacerdotium conſecretur. Sit ſuper eundem benedictio tua, licet manu noſtra ſit. Præcipe Domine, huic paſcere oves tuas, ac tribue ut commiſſi gregis cuſtodia ſolicitus paſtor invigilet. Spiritus huic ſanctus cœleſtium chariſmatum diviſor adſiſtat, ut ſicut ille electus gentium Doctor inſtituit, ſit juſtitia non indigens, benignitate pollens, hoſpitalitate diffuſus; ſervet in Exhortationibus alacritatem, in perſecutionibus fidem, in charitate patientiam, in veritate conſtantiam, in hæreſibus ac vitiis omnibus odium ſciat; in æmulationibus neſciat: In judiciis gratioſum eſſe ſinas, & gratum eſſe concedas. Poſtremo à te largitore diſcat, quæ ſalubriter tuos doceat. Sacerdotium ipſum opus eſſe exiſtimet, non dignitatem. Proficiant ei honoris augmenta, etiam ad incrementa meritorum, ut per hæc ſicut apud nos nunc adſciſcitur in Sacerdotium, ita apud te poſtea adſciſcatur in regnum. Per Dominum.

Bene-

A

Benedictio de ſeptiformi Spiritu.

SPiritus ſanctus ſeptiformis veniat ſuper te, & virtus altiſſimi ſine peccato cuſtodiat te, & omnis benedictio quæ in ſcripturis ſanctis ſcripta eſt, ſuper te veniat. Confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſecula ſeculorum. Amen.

Conſecratio manuum Epiſcopi ab Archiepiſcopo, oleo ſancto, & Chriſmate.

UNgantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & in te Deo deorum ordinentur. Ungo has manus oleo ſanctificato, & chriſmate unctionis purificato, ſicut unxit Moyſes verbo oris ſui manus S. Aaron germani ſui, & ſicut unxit Spiritus ſanctus per ſuos flatus, manus ſuorum Apoſtolorum, ita ungantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & conſecrentur, ut in omnibus ſint perfectæ in nomine tuo, Pater, filiique tui, atque æterni Spiritus S. qui es unus ac ſummus Dominus omnium vivorum & mortuorum, manens in ſecula ſeculorum.

Hic mittatur oleum ſuper caput ejus.

UNgatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordinem Pontificalem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi. Reſp. & cum Spiritu tuo.

Benedictio baculi ut alii volunt.

Tu Baculus noſtræ, & rector per ſecula vitæ
Iſtum ſanctifica pietatis jure bacillum
Quo mala ſternantur, quo ſemper recta regantur.

Hic detur Baculus, ſequatur oratio.

ACcipe baculum paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens; in ira judicium ſine ira tenens: Cum iratus fueris miſericordiæ reminiſcens. *Item alia.*

Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, ut imbecilles conſolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam ſalutis æternæ, habeaſque poteſtatem erigendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu S. vivit.

Cum datur annulus hæc oratio dicatur.

ACcipe ergo annulum diſcretionis & honoris, fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt prodas, quæ liganda ſunt liges, quæ ſolvenda ſunt, ſolvas; atque credentibus per fidem baptiſmatis, lapſis autem & Pœnitentibus per miniſterium reconciliationis, januas reconciliationis aperias; cunctis verò de theſauro Dominico nova & vetera proferas ad æternam ſalutem omnium Conſolator, gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat.

Additio in Conſecratione.

DEus honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur ordinibus, huic famulo tuo ill. quem Apoſtolicæ ſedis Præſulem & Primatem Sacerdotum ac Eccleſiæ tuæ Doctorem dediſti, & ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut Cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam aſcendat: Per.

Hic mittatur in Cathedram Epiſcopalem & hæc oratio dicatur.

OMnipotens Pater Sancte, Deus æterne, Tu omnem ordinem dignatus es in cœleſtibus ſedibus ordinare, in cœlo Domine in æternum permanet verbum tuum, ubi Angelos & Archangelos ſuo tibi ordine manciparis, & in veteris Teſtamenti privilegio Moyſen, & Aaron, & Samuël inter eos in Sacerdotibus tuis qui invocant nomen tuum, Patriarchas & Prophetas per unguinem ordinaſti; in novo per filium tuum Jeſum Chriſtum Apoſtolos ſanctos, & præcipuè Apoſtolum Petrum in cathedram honoris univerſæ Eccleſiæ præpoſuiſti, & Mathiam ejuſdem conſortem in Apoſtolatum atque Cathedram enumeraſti, & in numerum Sanctorum omnium Apoſtolorum evocaſti, quæſumus, pro tua immenſa miſericordia in noſtris temporibus, da tuam gratiam fratri noſtro ill. ad inſtar Sanctorum Apoſtolorum tuorum, ſedentium in Cathedra honoris & dignitatis, ut in conſpectu Majeſtatis tuæ dignus honore appareat. Per Dominum. *Alia.*

DOmine Jeſu Chriſte tu præelegiſti Apoſtolos tuos, ut doctrina ſua nobis præeſſent, ita etiam vice Apoſtolorum hunc Epiſcopum, doctrinam docere, & benedicere, & erudire digneris, ut immaculatam vitam & illæſam conſervet. Per omnia ſecula ſeculorum.

Benedictio ejuſdem Sacerdotis.

POpulus te honoret, adjuvet te Dominus, quidquid petieris præſtet tibi Deus cum honore, cum caſtitate, cum ſcientia, cum largitate, cum charitate, cum nobilitate. Dignus ſis, juſtus ſis, humilis ſis, ſincerus ſis, Apoſtolus Chriſti ſis. Accipe benedictionem, & Apoſtolatum qui permaneat in die iſta, & in die futura. Angeli ſint ad dexteram tuam, Apoſtoli coronati ad ſiniſtram: Eccleſia ſit mater tua, & altare ſit Deus Pater tuus, ſint Angeli Amici tui, ſint Apoſtoli fratres tui, & Apoſtolatus tui gradum cuſtodiant. Confirmet te Deus in Juſtitia, in ſanctitate, in Eccleſia ſancta. Angeli recipiant te, & pax tecum indiſcrepabilis per Redemptorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
ex antiquiſſimo Remenſis Eccleſiæ annorum octingentorum codice deſcriptus.

In Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Remenſis extat antiquus admodum Sacramentorum liber Gregorianus præclarè ſcriptus, atque ut facile colligitur ante annos octingentos. In codicis limine proſtat S. Gregorii imago in Cathedra ſedentis egregiè & ſplendide depicta, habens à latere verſus caput columbæ effigiem, & ſub pedibus hos verſus litteris aureis inſcriptos.

Spiritus æthereo deſcendens ſanctus Olympo
Gregorium Papam fœcundat famine ſacro
Quo valeat corpus Chriſti, ſanguiſque ſacrari.

Pallium humeris ſuper ſacras veſtes geſtat aureum, quod ſub imo ſtomacho in angulum deſinit, à quo rurſus pendet ad genua. In illa parte inferiori quæ à ſtomacho ad genua, & ultra dejicitur, tres ſignatæ ſunt cruces, & duarum partium quæ à collo deſcendentes ſubtus ſtomachum uniuntur, unaquæque duabus crucibus ſignatur; Præterea circa unamquamque crucem quatuor puncta alba & illuſtria notantur. Planeta rotunda eſt, ſuper brachia ad carpum uſque collecta, qualem non ſolum omnes antiquæ imagines Pontificum & Presbyterorum, verumetiam quæ ſuperſunt in majoribus Eccleſiis antiquæ Planetæ ſeu caſulæ nobis repræſentare ſolent. Initio Canonis eſt imago Chriſti in cruce pendentis quatuor clavis in cruce affixi cum hoc titulo IHS *Nazarenus Rex Judæorum. Similes Crucifixi imagines in locis inſignioribus ejuſdem Eccleſiæ viſuntur.*

Initio eximii iſtius voluminis ante Miſſæ Præfationem deſcriptus eodem quo cætera charactere Sacrarum Ordinationum ritus in hunc modum.

A

Ordinatio Oſtiarii.

OStiarius cum ordinatur poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in Domo Dei debeat converſare: Ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradet ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens: Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ iſtis clavibus recluduntur, & tradit ei Diaconus oſtium Eccleſiæ.

Præfatio Oſtiarii.

DEum Patrem omnipotentem ſupplicíter deprecemur, ut hunc famulum ſuum ill. benedicere dignetur, quem in officium Oſtiarii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima cura in diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini. Per.

Benedictio Oſtiarii.

C

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris hunc famulum tuum, nomen ill. Oſtiarium, ut inter Janitores Eccleſiæ paret obſequia, & inter Electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis Per.

Ordinatio Lectoris.

LEctor cum ordinatur faciat de illo verbum Epiſcopus, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſthæc ſtante plebe trade: ei codicem de quo lecturus eſt, dicens, Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei miniſtraverint. Eligunt te fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei tui, & agnoſcas officium tuum, ut impleas illud. Potens eſt enim Deus
B ut augeat tibi gratiam. Per.

Benedictio Lectoris.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, famulum tuum hunc nomen ill. in officio Lectoris benedicere digneris, ut aſſiduitate lectionum deſtinatus, atque ornatus, cujus modulis ſpirituali devotione gratiam reſonet Eccleſiæ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum.

Ordinatio Exorciſtæ.

EXorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum.

Pre-

Præfatio Exorciſtæ.

DEum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur, ut hunc famulum ſuum, nomen ill. benedicere dignetur in officium Exorciſtæ, ut ſit ſpiritualis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per.

Benedictio Exorciſtæ.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc, nomen ill. in officio Exorciſtæ, ut per impoſitionem manuum, & oris officium eum eligere digneris, & imperium habeat ſpirituum immundorum, coercendorum, & probabilis ſit Medicus Eccleſiæ, gratiæ curationum virtute confirmatus. Per.

Ordinatio Acolythi.

AColythus cum ordinatur, primum ab Epiſcopo doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, & accipiat Urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam corporis Chriſti.

Benedictio Acolythi.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum in hunc mundum lumen claritatis miſiſti, & in cruce paſſionis ſuæ triumpho, ſanguinem & aquam ex latere pro genere humano dignatus es fundere: Et per Apoſtolos tuos in hoc ſeculo lumen gratiæ ſpiritualis miſiſti: Ita benedicere digneris hunc famulum tuum ill. in officio Acolythi, ut ad accendendum claritatis tuæ * * & ad ſuggerendum vinum, & aquam ad conficiendum ſanguinis tui offerendo Euchariſtiam ſanctis Altaribus tuis fideliter ſubminiſtret. Accende Domine ejus mentem, * & cordis adam reſtitui cœleſtia, & gratiæ miſerationis tuæ virtute confirma. Per Dominum.

ORDO QUALITER IN ECCLESIA Romana Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri ordinandi ſunt.

MEnſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die in 12. lectiones ad S. Petrum ubi Miſſa celebratur, poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione adnunciat Pontifex in populo dicens, Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus in ordine Diaconii ſive Presbyterii illum Subdiaconum ſive Diaconum de titulo illo. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat: Veruntamen memor ſit communionis ſuæ. Modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon cum Litania. Hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos * à quo vocati ſunt, & deſcendunt: Stant in ordinibus ſuis benedictione accepta.

Capitulum S. Gregorii.

SIcut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt admovendus altaribus: Sic qui ultro ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat Hæreticus promovetur.

Ad Subdiaconos ordinandos.

SUbdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & Calicem vacuum; de manu Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium.

Ordinatio Subdiaconi.

EXhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena & Calix vacuus, & dicat Epiſcopus, Vide cujus miniſterium tibi traditur: Et ideo, ſi uſque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, à modo debes eſſe aſſiduus. Si uſque nunc ebrioſus, à modo ſobrius. Si uſque nunc inhoneſtus, à modo caſtus. Oblationes quæ veniunt in altario panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in altario poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ ſunt in ſubſtratorio, in alio vaſe debent lavi, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavi. Ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo te amoneo, tu ita te exhibe ut Deo placere poſſis. Et tradit ei Calicem & Patenam.

Benedictio Subdiaconi.

OREmus Deum ac Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ill. quem ad Subdiaconatus officium evocare dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, prædeſtinata ſanctis præmia conſequatur.

Item Benedictio eorumdem.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hunc famulum tuum, &c. *ut in ordine Romano edito, excepto quòd hic omnia in ſingulari leguntur. Deinde omittitur,* Excubitores. *Statim poſt hanc benedictionem ſequitur.*

Ad Diaconum ordinandum.

Diaconus cum ordinatur ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

Præfatio Diaconi.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum quem ad officium Diaconatus vocare dignatus eſt, benedictionem gratiæ ſuæ clementer effundat, & conſecrationis adultæ propitius dona conſervet, ut preces noſtras clementer exaudiat, & quæ noſtra ſunt gerenda ſervitio, ſuo benigno conſequatur auxilio, & quem ſacris miniſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendum, ſua potius electione juſtificet. Per.

Conſecratio ejuſdem.

EAdem eſt quæ ſupra in Corbeienſi primo, & in ordine Romano edito, atque etiam in aliis ſupra expoſitis, Si pauciſſima excipias. Veluti, Diſcretione membrorum, Tu ſcrutator es animarum: Tu veraciter in eum cœleſte potes adhibere judicium, & velut indignis donare quæ poſcimus. Emitte in eum quæſumus Domine, &c. *Quæ ab aliis aliquantulum variant. Omnia verò ut in Corbeienſi codice ad ſingularem perſonam diriguntur: omnia planè ut in antiquiſſimo ſupra exſcripto.*

Ad conſummandum Diaconatus officium.

COmmune votum, communis oratio proſequatur, ut hic totius Eccleſiæ prece qui in Diaconatus miniſterio præparatur, Leviticæ benedictionis ordine clareſcat, & ſpirituali converſatione præfulgnes gratia ſanctificationis eluceat. Per.

Sequitur Benedictio. Oremus.

DOmine ſancte fidei, ſpei, gratiæ & profectuum remunerator, &c. *exactè ut in Ordine Romano edito, & ſupra in antiquiſſimo deſcribitur. Finita benedictione, nullo verbo interpoſito ſequitur.*

Presbyter cum ordinatur Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Allocutio ad populum ad ordinandum Presbyterum.

QUoniam dilectiſſimi fratres, &c. *prorſus ut in ordine Romano edito, & ſupra in eodem antiquiſſimo codice. Sed poſt illa verba ad finem*, Et ideo Electionem veſtram debetis voce publica profiteri, *ſtatim ſequitur ut in antiquiſſimo codice.*

Oratio ad ordinandum Presbyterum.

ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum A ill. quem ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & quæ ejus dignatione ſuſcipiunt, ejus exequantur auxilio. Per.

Item. Oremus.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, & ſuper hunc famulum tuum ill. benedictionem Spiritus ſancti, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per.

Conſecratio. Dominus vobiſcum. Et reliqua.

B DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum omnium, dignitatum quæ tibi militant diſtributor, per quem proficiunt univerſa, &c. *prorſus ut in ordine Romano edito, atque etiam in tribus primis ſuperioribus codicibus. Finita Conſecratione ſtatim in codice ſequitur,*

Ad conſummandum Presbyteratus officium.

SIt nobis frater communis oratio, ut hic C qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eligitur, presbyteratus benedictionem divini indulgentiam muneris conſequatur, ut ſancti Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impar loco deprehendatur, obtineat. Per.

Item Benedictio. Oremus.

DEus ſanctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio, plena benedictio eſt, &c. *ut in ordine Romano edito: ſed ibi refertur ſecundò ſub titulo Conſecrationis. Supra relata eſt in antiquiſſimo codice. Habetur ut in illo codice ſingulariter, non pluraliter ut in edito Romano. Statim ſequitur.*

D

Hic induas eum Planeta dicens.

BEnedictio Patris, & Filii, & Spiritus S. deſcendat ſuper te, & ſis benedictus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populorum potenti Deo, cujus honor & gloria.

Poſthæc unges ei manus dicens, Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur. Per.

E *Sequuntur in illo Sacramentorum codice orationes Miſſa ſuper oblata, Præfatio, infra actionem; ad complendum, ſupra populum: quibus finitis additur.*

Ad ordinandum Epiſcopum.

EPiſcopus cum ordinatur duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt manibus ſuis caput ejus tangant.

Allocutio

A

Allocutio ad populum ad ordinandum Epiſcopum.

SErvanda eſt, dilectiſſimi fratres, in exceſſu Sacerdotum, &c. *prorſus ut in ordine Romano edito. Eam quoque habes ſupra in antiquiſſimo codice ſub hoc titulo.* Exhortatio ad populum cum Epiſcopus ordinatur. *Statim ſequitur in codice poſt hæc verba*, Et dicite dignus eſt.

Benedictio Epiſcopi.

B

ORemus dilectiſſimi nobis ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendis benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per. *Item alia.*

EXaudi Domine ſupplicum preces, ut quod noſtro gerendum eſt miniſterio, tua potius virtute firmetur. Per. *Item alia.*

PROpitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hos famulos tuos cornu C gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum.

Conſecratio.

DEus honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ Eccleſiæ tuæ ſacris famulantur ordinibus; Deus qui Moyſen, &c. *ut in ordine Romano edito: Sed poſt illa verba*, unguenti flore ſanctifica, *hæc ſequuntur*, Hoc Domine † copioſè in eorum caput influat. Hoc † in oris ſubjecta decurrat. Hoc † in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus, & interiorum ora repleat, & exteriora circumtegat *ut in antiquiſſimo codice ſupra habes deſcripta. Poſt poſtrema Conſecrationis verba, poſſint eſſe devoti. Per. ſubjungitur.*

Deinde ſequitur.

INunctio manuum, & dicit, Ungantur manus iſtæ, &c. *& finit ritus in hæc verba*, Præſta ut quod te rogamus, exoremus. Per. *ut in ordine Romano edita. Statim ſequitur*, Miſſa in Ordinatione Epiſcopi, *nihil poſtea quod hunc pertineat.*

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
ex antiquiſſimo Senonenſi codice decerptus.

Codex unde ſequentes Ordinationes exſcriptæ ſunt, antiquiſſimus etiam mihi videtur. Non eſt Sacramentarium integrum, ſed ſolemnes quaſdam actionum Pontificalium formulas continet, è Sacramentario ſelectas. Incipit ab orationibus ſuper Pœnitentes in capite Quadrageſimæ conceptis, quarum initium, ut & Litaniæ, magnificè admodum ſcribuntur. Sequuntur Ordinationes cum hoc titulo, Qualiter ſacri Ordines fieri debeant. *Deinde primus titulus qui eſt Oſtiarii ſplendidè ſcribitur. Multa alia ſolemnia habet à Pontificibus ſimiliter peragi ſolita. Codex ille pertinuit olim ad Eccleſiam Senonenſem, ut manifeſtum eſt ex variis locis, præſertim ex iis in quibus de Regum & Reginarum agitur coronatione. Subſcripſerunt enim manu propria iis locis, ſed variis temporibus viginti & aliquot Epiſcopi Provinciæ Senonenſis, nomenque ſuum libro inſcripſerunt, his ferè verbis omnes*, Ego Epiſcopus N. promitto debitam ſubjectionem & reverentiam ſanctæ Matri Eccleſiæ Senonum, ſuiſque Præſulibus, ore promitto, & manu confirmo. *Antiquiſſimi Præſulum ſic ſubſignatorum ſunt Giſlebertus Meldenſis, qui creatus eſt Epiſcopus anno* 1004. *& Fulbertus Carnutenſis anno* 1007. *Nominum autem illæ inſcriptiones animi gratia codici factæ videntur, non aliqua legis neceſſitate. Neque enim factæ ſunt in loco ordinationis, neque in loco alio ad id ex induſtria præparato, ſed prout ſors tulit, in margine inferiori & ſuperiori, quæ ſolent eſſe omni ſcriptura vacuæ. Longè autem codicis iſtius ſcriptura ſuperat hoc tempus; conjicerem ſub Ludovico Pio Imperatore, aut regnantibus ipſius filiis exaratum eſſe cum coronationis & unctionis Regum & Reginarum ordinem exhibeat. Olim fuit Abbatiæ Ciſtercienſis de Valle-Gratioſa nuncupatæ in agro Pariſienſi: Nunc ad virum clariſſimum & omnimodæ ſupellectilis antiquæ curioſum D. Vion d'Erouval pertinet à quo, ut quæ liberet, deſcriberem, mutuò accepi. Sic ſe textus habet.*

Qualiter ſacri ordines fieri debeant. Ordinatio Oſtiarii.

OStiarii cum ordinantur, poſtquam ab Archidiacono inſtructi fuerint, qua- D liter in domo Dei debeant converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat eis Epiſcopus claves de altari dicens, &c. *ut in Rom. edito, & aliis.*

Præ-

A

Præfatio Oſtiarii.

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecamur, ut hos famulos ſuos ill. &c. *ut in Rom. edito. Finit*; adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus S. Per. *ut antiquus Rotomag.*

Benedictio eorundem.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos ill. &c. *ut in Rom. edito, & Rotomag. antiquo, aliiſque.* B

Ordinatio Lectoris.

LEctores cum ordinantur, &c. *planè ut in antiquo Rotomag. ſed hic pluralis numerus uſurpatur.*

Benedictio Lectorum.

P*Lanè ut in antiquo Rotomag. ſed plurali numero.*

Ordinatio Exorciſtæ.

EXorciſtæ cum ordinantur, accipiant de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente eis Epiſcopo, Accipite, &c. *ut in antiquo Rotomag. & aliis.*

Præfatio.

DEum Patrem, &c. *Planè ut in antiquo Rotomag. ſed plurali numero, titulus tantùm differt.*

Benedictio Exorciſtæ.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos ill. in officium Exorciſtæ, & per impoſitionem manuum & oris officium eos elige- D re digneris, ut imperium habeant ſpirituum immundorum coercendorum, & probabiles ſint Medici Eccleſiæ, gratiæ curationum virtute confirmati. Per Dominum. *vix uno aut altero verbo à ſecunda benedictione differt, quæ in antiquo Rotomag.*

Ordinatio Acolythi.

AColythi cum ordinantur, primùm ab Epiſcopo doceantur qualiter in officio ſuo agere debeant ſed ab Archidiacono accipiant Ceroferarium, &c. *ut in antiquo Rotom.*

Benedictio Acolythi.

OMnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, &c. *planè ut in antiquo Rotomag. in priore benedictione: nam ſecunda hic abeſt.*

Capitulum S. Gregorii.

SIcut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt removendus: ſic qui ultrò ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur? Quia ob hoc ut fiat hæreticus promovetur.

Subdiaconi cum ordinantur, quia manus impoſitionem non accipiunt, Patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam, & Calicem vacuum. De manu Archidiaconi accipiant Urceolum cum aquamanili, & manutergio. B

Ordinatio Subdiaconi.

EXhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena, ac Calix vacuus, & dicat Epiſcopus: Videte cujus miniſterium vobis traditur, &c. *ut ſupra in antiquo Remenſi. Sed hic pluralis numero.* Lavari *quoque hic ſcribitur, ſed in Remenſi lavi. In fine hic*, & tradat eis.

Præfatio Subdiaconi. Oremus Dominum ac Deum noſtrum, &c. *ut in ant. Rotomag. & Remenſi, titulus tantùm differt.*

Benedictio Subdiaconi. Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos quos ad Subdiaconatus offi- C cium eligere dignatus es ut eos ſacrario tuo, &c. *ut in antiquo Rotomag. in ſecunda benedictione, ſed hic omnia plurali numero.*

ORDO QUALITER IN ROMANA Eccleſia Presbyteri, & Diaconi ordinandi ſunt.

MEnſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die, in duodecim lectionibus ad Sanctum Petrum ubi Miſſæ celebrantur. Poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione annuntiat Pontifex in D populum dicens: Auxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hos viros in Ordinem Diaconi, ſive Presbyteri. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat. Verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Et poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon, cum Litania. His expletis aſcendunt ipſi electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati ſunt. Et deſcendentes ſtant in ordine ſuo, benedictione ſua percepta.

Præfatio Diaconi.

E ORemus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eisque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit.

Oratio.

Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditati, & tuæ gratiam majeſtatis poſſint acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.

Conſecratio.

DOminus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Verè dignum & juſtum eſt, &c. æterne Deus, Honorum dator, ordinum diſtributor, &c. *ut in ordine Rom. edito, voculis quibuſdam exceptis. Ita quoque in antiquiſſimo & aliis. Quæ ſequuntur hæc verba,* Te occulta non fallunt. *Se habent prorſus ut in edito Romano, Sed pro* mitte, *habet codex noſter*, Emitte, *& pro*, obſervantia, obſervatio. *Poſt Conſecrationem ſtatim ſequitur ordinatio Presbyterorum. Nihil de ſtola: omiſerat hoc Amanuenſis, ſed folio uno ante Ordinationum initium alia manu ſed minus accurata in loco vacuo ſuppletum eſt in hunc modum.*

Benedictio ad ſtolas vel Planetas.

Deus invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator, ac ſanctificator, intende propitius preces noſtras; & has ſtolas ſive Planetas Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ miniſtris tuis fruendas tuo proprio ore benedicere, conſecrareque digneris: Omneſque eis utentes, tuiſque miniſteriis à nobis indignis vel conſecrandis aptos, & tibi devotè & amabiliter ſervientes gratos efficere concedas, & nunc & per infinita ſecula ſeculorum. Amen. *Habetur ſupra planè iiſdem verbis in antiquo codice Rotomag.*

Ad Presbyterum Ordinandum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & quod ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius exequantur auxilio, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo.

Oratio.

Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetuam muneris tui largitatem conſequantur. Per Dominum.

Conſecratio.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Verè dignum & juſtum eſt, &c. æterne Deus, honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt univerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Unde & Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt; ut cum Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentis ordinis viros, ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in Eremo per 70. virorum prudentium mentes Moyſi Spiritum propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus in populo innumeras multitudines facilè gubernavit. Sic in Eleazarum & Ithamar filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum. Hac providentia Domine Apoſtolis filii tui Doctores, fidei Comites addidiſti, quibus illi totum orbem ſecundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, hæc adjumenta largire, quia quanto fragiliores ſumus, tanto magis his pluribus indigemus. Da quæſumus, Domine Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis. Acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint probi cooperatores ordinis noſtri, & luceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejuſdem Spiritus ſancti. Per omnia ſecula ſeculorum.

Hic veſtis caſulam, ita dicendo.

Benedictio Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & ſis benedictus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria, in ſecula ſeculorum.

Conſecratio manuum.

Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem & noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificata ſint.

Statim ſequitur cum titulo ſplendido.

Benedictio Epiſcopalis ad Miſſam.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

Ad dandum Euangelium.

Accipe hoc Euangelium, & ito doce omnes gentes.

Oratio ſuper eum dicenda.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu

gratiæ tuæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem.

Consecratio.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est. Verè dignum & justum est, &c. æterne Deus honorum omnium: Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus: Deus qui per Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, &c. *prorsus ut in edito Romano ordine, atque ut superius jam relatum, (hoc tantùm excepto quod post*, velamina, *additur hic*, vestium,) *usque ad hæc verba.* Comple in Sacerdote tuo, *qua sic se habent*, Comple in Sacerdote tuo mysterii tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti flore sanctifica. † *Hic infundatur Chrisma super caput*, Hoc Domine copiosè in ejus caput influat †: hoc in oris subjecta decurrat †: hoc in totius corporis extrema descendat †, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas ei Cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem universam. Sis ei autoritas, sis firmitas, sis potestas. Multiplices super eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia possit esse devotus. Per.

Hic manet chrisma sanctum erat. Sicut ros Hermon qui descendit in Sion. Sic descendat super te Dei benedictio.

Ad virgam dandam.

Accipe virgam Pastoralem ad regendum sanctæ ill. Ecclesiæ populum, & Pastoraliter in omnipotentis Dei servitio corroborandum.

Ad annulum dandum.

Accipe annulum sacræ devotionis quo insignitus sponsum Dei sinceriter custodias, & populum sanctum Dei divinis effectibus abundare facias.

Secreta.

Hæc hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta, & ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo ill. quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, Quæsumus Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias, & quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur, diesque nostros.

Ad complendum.

Hæc nos, Domine, communio purget à crimine, & cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

His plura non habet codex. Sed aliquot postea tutulis versus libri medium hæc habentur, quæ huc pertinere possunt.

Oratio ad Capillaturam.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum ill. quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es; & tribue ei perseverantem tibi placendi famulatum, atque cœlestium bonorum consortium. Per.

Oratio ad Clericum faciendum.

Oremus, dilectissimi fratres, &c. *ut supra in antiquo Rotomag. si excipias quod pro* spem sanctam, *scribitur hic*, Spiritum sanctum, *quod melius est.*

Benedictio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, &c. *ut in antiquo Rotomag.* Dum tondes eum dic, A. Tu es Domine qui restitues hæreditatem meam. V. Dominus pars hæredit. A. Hæc est generatio. Et gloria.

Oratio post Tonsionem.

Præsta omnipotens Deus huic famulo tuo ill. cujus hodie capitis comam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetuò maneat, & eum sine macula in sempiternum custodias.

Oratio ad Barbas tondendas.

Deus cujus Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum ill. juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auspiciis ad tondendum: Præsta Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio cœlestem benedictionem accipiat, ut & præsentis vitæ prosperitate gaudeat, & æternæ. Per Dominum.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS, ex manuſcripto annorum prope ſeptingentorum codice decerptus.

Hic codex olim pertinuerat ad Monaſterium S. Petri de Corbeia ad fluvium Sommonam, & in illius gratiam, & uſum, primò ſcriptus eſt: Nunc eſt penes Monachos S. Germani in Suburbio Pariſienſi. In Calendario iſtius codicis ad Idus Martias ſcriptum eſt, ſed alia manu, alioque atramento,

Abbatis Domini ſtat mentio ſancta Ratoldi
Iſtum qui fecit ſcribere quippe librum.

Deinde in margine exteriori recentiſſima manu, hic fuit 26. Abbas hujus loci qui obiit anno Domini 986. id. Martii. *Videtur tamen eſſe nonnihil vetuſtior, aut ſaltem Ratoldum Abbatis dignitate diu potitum eſſe, & ſtatim à dignitate adepta librum hunc deſcribi curaſſe. Scribitur enim c. 26. in coronatione Regis*, Reſpice propitius ad preces noſtræ humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum, quem ſupplici devotione in Regnum N. Albionis, totius videlicet Francorum pariter eligimus: *Et paulò poſt*, & totius Albionis Eccleſiam deinceps cum plebibus ſibi annexis, ita enutriat, ac doceat, &c. regale ſolium videlicet Francorum ſceptra non deſerat, ſed ad priſtinæ fidei, pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut utrorumque horum populorum debitâ ſubjectione fultus, condigno amore glorificatus per longum vitæ ſpatium, &c. *Hæc autem de nullo alio Francorum Rege dici poſſunt, quàm de Ludovico quarto, cujus Mater erat Eadgina, ſive Ogina, Alſtani Angloſaxonum Regis filia, quæ audita Caroli Simplicis conjugis ſui in carcerem per Heribertum Comitem conjectione, in Angliam ad Patrem cum Ludovico filio ſuo confugit. Unde longo poſt tempore à Principibus Francorum evocatus, paterni regni ſceptra capeſſivit. Ludovicus autem ille ideo tranſmarinus vulgo dictus, obiit an. 955. Itaque videtur omnino codex ille regnante iſto Rege ſcriptus fuiſſe; ac conſequenter annum 955. præceſſiſſe. Nec repugnat Character: Eſt enim admodum ſimilis ei qui vulgaris erat ſeculo præcedente. Experientia demonſtratur ab anno ſeptingenteſimo ad nongenteſimum uno prope & eodem characlere ſcriptum in Europa fuiſſe, niſi quod in Italia præter Romanum characterem, uſurpatus eſt etiam character Longobardicus. Ideo ex characlere ſolo difficile eſt de codicis ætate ſpeciale judicium ferre. Pronuntiari poteſt hic codex annos excedit ſeptingentos fieri tamen poteſt per characlerem ut nongentos. Specialis annus, aut huic vicinus aliis indiciis inquirendus eſt. In codice antiquiſſimo Senonenſi de quo ſupra, legitur eadem Regis coronatio, ſed quàm quæ Rotaldi eſt, multò minus ampla. Hæc Oratio in Senonenſi reperitur, ſed quæ de Albione dicuntur ab eo codice abſunt; eo quod codex Senonenſis antequam Carolus in carcerem conjiceretur, ſcriptus eſt.*

Codex iſte Ratoldi eſt integer: Initio omnium capitum habetur index, quadringenta triginta quatuor complectens capita, quæ poſtea ſecundum indicis ordinem exponuntur. Plurimùm variat ab ordine cæterorum Sacramentariorum. Incipit ab Eccleſiæ & Altarium dedicatione: Calendarium continet multis ſanctis intertextum, ſed corpori libri inſertum, quadrageſimo ſcilicet capite. In Calendario iſto nulli numeri aurei infixi. Artificium iſtud Novilunii inveniendi, aut nondum inventum erat, aut nondum Calendaria omnia pervaſerat. Deinde quadrageſimo primo capite habet quod in aliis prope omnibus eſt principium, Nempe, In nomine Domini incipit liber Sacramentorum de circulo anni à S. Gregorio Papa Romano editus, &c. *prorſus ut in præcedentibus: Præfatio & canon Miſſæ ſequuntur, quæ 41. caput conficiunt, deinde Miſſa in Vigilia Nativitatis, & ſic deinceps; ſed Dominicas poſt Pentecoſten annuis feſtis Martyrum ordine miſcet, licet iis reſpondere non poſſint, cum modo citius modo tardiùs contingant. Iſte codex omnes Ordinationes continet, ſed diffuſiùs quàm reliqui, ut pote recentior: Capite centeſimo & ſequentibus ſic exponuntur.*

Oratio ad Clericum faciendum.

OREmus dilectiſſimi fratres, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo N. qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conſervet, & à mundi impedimento, vel ſeculari deſiderio cor ejus defendat, ut ſicut immutatur in vultu, ita manus dexteræ tuæ ei virtutis tribuat incrementa, ut ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat. Qui vivit.

Alia.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum ſacræ Religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in Eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum.

Dum Tondes eum dicis Antiphonam.

A. Tu es Domine qui reſtitues mihi hæreditatem meam. V. Dominus pars hæreditatis meæ, cum gloria. A. Hæc eſt generatio. Cum gloria. A. Hic accipiet benedictionem à Domino. *Pſal.* Domini eſt terra.

Oratio poſt Tonſionem.

Præſta omnipotens Deus huic famulo tuo N. cujus hodie capitis comam pro divino amore depoſuimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, & cum ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per.

Oratio ad Barbas tondendas.

Deus cujus Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum ill. juvenalis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis ad tondendum: Exaudi Domine ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat, & æternæ. Per.

Incipit ſermo Innocentii Papæ de 7. Gradibus Eccleſiæ.

Hæc autem ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora: Si ab infantia Eccleſiaſticis myſteriis noſtra didicerit exempla, & inter Lectores uſque in viceſimum annum continuata obſervatione perduraverit, & ..... ætati jam acceſſerit. Ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divino cultui mancipare deſiderat, & ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinque annis teneatur. Et tunc Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annis ſit; & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi meretur accedit. In quo ordine quinque annis ſi inculpabiliter vixerit hærere debet, ut melius inveniat. Exinde ſuffragantibus meritis per tot gradus, datis propriæ fidei documentis, ſi acutior vita illum ad bonos mores perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit, hac tamen lege ſervata, neque Bigamus, neque revertens, ſive Pœnitens, à maximis criminibus ad hos gradus poſſit admitti. Alioquin Defenſores Eccleſiæ, qui ex Laïcis fiunt unius uxoris viri, ſi in ſupradicta obſervatione teneantur: Et ſi vita, & moribus, & ſcientia ſcripturarum meruerint, in ordine Clericatus admittere debent.

Sabbato in duodecim Lectiones ad Sanctum Petrum. Dicit Epiſcopus, Oremus. *Et Diaconus,* flectamus genua.

Populum tuum, Domine quæſumus propitius reſpice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per.

Incipit Ordinatio Clericorum.

Hic dentur claves queat ut captare fideles. Oſtiarii cum ordinantur, poſtquam ab Archidiacono inſtructi fuerint, qualiter in domo Dei debeant converſari; Tunc vocet Archidiaconus omnes nominatim coram Epiſcopo, & ad ſuggeſtionem ejus tradat eis Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens,

Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ iſtis clavibus recluduntur. Et ducat eos Archidiaconus ad oſtium Eccleſiæ, & dicat,

Per hoc oſtium traditur vobis miniſterium, ut ſitis Janitores templi Dei, habeatiſque poteſtatem recipiendi bonos, & recipiendi indignos.

Præfatio ſuper Oſtiarium.

Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos N. benedicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt, ut ſit eis fideliſſima cura in domo Dei diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit.

Benedictio ejuſdem.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos N. Oſtiarios ut ut inter Janitores Eccleſiæ parent obſequia, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Modo legatur Lectio Deuteron. Deinde reſponſorium. Dicit Epiſcopus. Oremus. *Diacon.* flectamus genua. Deus qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: Da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum.

Ordinatio Lectoris.

Codex hic dabitur Lectori rite legendus.

Lecto-

Lectores cum ordinantur faciat de illis verbum Epiſcopus ad plebem, indicans eorum fidem ac vitam, atque ingenium. Poſthæc expectante plebe tradat eis codicem Eſaiæ Prophetæ de quo Lecturi ſunt, dicens. Accipite & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter impleveritis officium veſtrum partem cum his qui verbum Dei miniſtraverunt. Eligunt vos fratres veſtri, ut ſitis Lectores in domo Dei veſtri. Et agnoſcatis officium veſtrum, & impleatis illud. Potens eſt Deus ut augeat vobis fidem.

Conſecratio Lectorum.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos in officium Lectorum, ut aſſiduitate lectionum diſtincti, atque ordinati, & agenda diſcant, & dicta opere compleant, & in utroque ſanctæ Eccleſiæ conſulant. Per.

Modo legatur Lectio Deuteron. Deinde reſponſorium. Dicit Epiſcopus, Oremus, *Diacon.* ut ſupra.

Collecta.

Protector noſter aſpice Deus, ut qui malorum noſtrorum pondere premimur, percepta miſericordia libera tibi mente famulemur. Per.

Ordinatio Exorciſtarum.

Exorciſmalis datur hic ex more libellus.

Exorciſtæ cum ordinantur accipiant de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente illis Epiſcopo, Accipite & commendate memoriæ, & habetote poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum.

Conſecratio Exorciſtæ.

Deum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur, ut hos famulos ſuos N. benedicere dignetur in officium Exorciſtarum, ut ſint ſpirituales Imperatores ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Adjuvante Domino.

Benedictio.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos N. in officium Exorciſtæ, ut per impoſitionem manuum & oris officium eos eligere digneris, ut imperium habeant, &c. *ut in aliis omnibus.*

Lectio Machabeorum, Et reſponſ.

Coll. Adeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris ut eſſe te largiente mereamur, & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuri. Per.

Ordinatio Acolythorum.

Urceus hic vacuus tripode, denturque regendo.

Acolythi cum ordinantur, primùm ab Epiſcopo doceantur qualiter in officio ſuo agere debeant: Sed ab Archidiacono accipiant Ceroferarium cum Cereo, ut ſciant ſe ad accendendaEccleſiæ luminaria manciparijta dicente,

Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis Adverſatiorum tenebras effugare, & veriſimum lumen quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum fideliter invenire.

Detur eis urceum vacuum, Accipite Urceum ad effundendum vinum in Euchariſtia corporis Chriſti.

Benedictio Acolythorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis & origo bonitatis, &c. *ut ſupra ſæpius, ſed hic poſt* mentes, *additur*, & corda.

Conſecratio Acolythorum.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum in hunc mundum lumen claritatis miſiſti, & in cruce paſſionis tuæ triumphum, ſanguinem & aquam ex latere pro genere humano dignatus es fundere; & per Apoſtolos tuos in hoc ſeculo lumen gratiæ ſpiritualis miſiſti: Ita benedicere digneris hos famulos tuos in officio Acolythi; ut * accendendum caritatis Eccleſiæ tuæ, & ad ſuggerendum vinum & aquam ad conficiendum ſanguinem tuum in offerenda Euchariſtia, ſanctis altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent. Accende Domine eorum mentes & corda ad amoris tui * cœleſte, & gratiæ, miſerationis tuæ virtute confirma. Per Dominum.

Capitula Sancti Gregorii.

Sicut qui invitatus renuit, quæſitus reſugit, ſacris eſt altaribus removendus: ſic qui ultrò ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui innititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur? quia ad hoc ut fiat Hæreticus promovetur.

Lectio libri Sapientiæ. Reſp. ut ſupra. *Coll.*

Preces populi tui Domine, quæſumus clementer exaudi, ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per.

Hic Calicem, Patenam, cum Syndone ſiſtat & Orcam. Ordinatio Subdiaconi.

Subdiaconi verò cum ordinantur, quia manus impoſitionem non accipiunt, Patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam; Urceolum cum aqua ac manutergium. Exhibeantur in conſpectu Epiſcopi Patena & calix vacuus: & dicat Epiſcopus.

Videte cujus miniſterium vobis traditur: Et ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, modo debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc inhoneſti, à modo caſti: ſi uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles: Si uſque nunc ebrioſi,

à modo ſobrii. Oblationes quæ veniunt in A altari panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantùm modò debet in altari poni quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ ſunt in ſubſtratorio, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales. Ubi Pallæ vel corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari, & ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis. Et tradet eis Calicem & Patenam.

Ordinatio Subdiaconorum.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum ut B ſuper ſervos ſuos N. *ut ſupra, ſed hic in plurali.*

Benedictio Subdiac.

Domine Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, ut eos ſacrario tuo ſancto ſtrenuos, ſolicitoſque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtrent, & requieſcat ſuper eos Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus. Amen. Spiritus conſilii, & fortitudinis, Amen. Spiritus ſcientiæ & pietatis, Amen. Reple eos Spiritu timoris tui, &c. *ut in aliis.*

Ordo qualiter ordinandi Romæ.

Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die in duodecim lectionibus, ad S. Petrum, ubi Miſſæ celebrantur, Poſtquam Antiphonam & Introitum dixerint, data oratione, dicat Archidiaconus taliter.

Poſtulat Sancta Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Subdiaconos ad onus Diaconii, vel Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis. Interroget Epiſcopus, ſcis illos dignos eſſe. Reſpondeat Archid. Quantum humana D fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſos dignos eſſe ad hujus onus officii.

Poſtea adnuntiat Pontifex populum dicens, Auxiliante Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto elegimus in ordinem Diaconii, ſive Presbyterii, illum Subdiaconum, vel Diaconum. Tunc nominat illos de titulo S. Mariæ vel S. Petri, & aliorum. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat. Verumtamen memor ſit communionis ſuæ. *Et poſt modicum intervallum, dicat hanc orationem.*

Oremus fratres chariſſimi, ut Deus omni- E potens gratiam ſancti Spiritus ſui ſuper nos, Electoſque noſtros dignetur fundere, ut in domo illius ſancta dignè majeſtati illius deſignatis ordinibus miniſtrent, ipſo adjuvante qui vivit & regnat Deus.

Alia.

Ad preces noſtras, quæſumus Domine, propitiatus intende, & Levitæ tui ſacris altaribus ſervientes, & fidei veritate fundati, & mente ſint ſpirituali conſpicui. Per.

Incipit Clerus Litaniam.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. S. Maria ora. S. Michael ora. S Gabriel ora. S. Raphael ora. Omnes S. Ang. orate. S. Joannes ora. S. Petre ora. S. Paule ora. S. Andrea ora. Omnes S. Apoſtoli orate. S. Stephane ora. S. Line ora. S. Clete ora. Omnes S. Martyres orate. S. Sylveſter ora. S. Leo ora. S. Ambroſi ora. S. Auguſtine ora. Omnes S. Confeſſores orate. S. Felicitas ora. S. Agnes ora. S. Agatha ora. Omnes S. Virgines orate. Omnes S. orate. Propitius eſto, libera nos Dom. Per adventum tuum lib. nos D. Per Nativitatem tuam lib. nos D. Per Circumciſionem tuam lib. nos Dom. Per baptiſmum tuum lib. nos Dom. per jejunium tuum lib. nos Dom. Per crucem tuam lib. nos Dom. Peccatores te rogamus, Ut Apoſtolicum noſtrum. Ut Regem noſtrum. Ut Epiſcopum noſtrum Fili Dei, te rog. Agnus Dei, qui tollis. Chriſte audi audi nos.

Finita Litania ſurgat Epiſcopus ad orationem. Lectio. Et reſponſ. Quaſi ut ſupra.

C *Collecta.* Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram, dexteram tuæ majeſtatis extende. Per Dominum.

Ordinatio Diaconorum.

Diaconi verò cum ordinantur, ſolus Epiſcopus qui eos benedicit, manum ſuper capita illorum ponat, quia non ad Sacerdotium ſed ad miniſterium conſecrantur.

Oratio ad ordinandum Diaconum. Omnes Epiſcopi dicant has.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem ut ſuper hos famulos ſuos N. quos in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Alia.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditati, & tuæ gratiam poſſint majeſtatis adquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.

Item alia.

Domine Deus omnipotens, preces noſtras clementer exaudi, ut quæ noſtra ſunt gerenda ſervitio, tuo benignus proſequaris auxilio, & quos ſacris miniſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices. Per.

Conſecratio.

Adeſto quæſumus omnipotens Deus honorum dator, ordinum diſtributor, &c. *ut in anti-*

antiquiſſimo Corbeienſi, & ſupra ſæpius. Sed hic Diaconi pluraliter efferunt nr. hic compaginis, æſtimamus, *alii* exiſtimamus. *hic* miniſterii tui. *In aliis abeſt. Hic*, autoritas modeſtia. Malè, *legendum ut in aliis*, modeſta, *hic* per gratiam, alii *addunt*, tuam.

Benedictio ad ſtolas, ſive ad Planetas Sacerdotales, ſeu Leviticas.

Deus invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac ſanctificator, intende propitius preces noſtras: Et has ſtolas ſive Planetas Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ Miniſtris tuis fruendas, tuo proprio ore † benedicere † ac ſanctificare conſecrareque digneris, omneſque eis utentes, tuiſque myſteriis à nobis indignis conſecratis vel conſecrandis, & tibi in eis devotè & amabiliter ſervientes gratos efficere concedas, & nunc, & per infinita ſeculorum ſecula.

Modo ponendæ ſunt ſtolæ in humero.

Per hoc ſignum tibi Diaconatus officium humiliter imponimus, ut firmamentum menſæ divinæ tamquam ſuſtentaculum columnarum eſſe poſſit, & præco regis cœleſtis inreprehenſibiliter exiſtere merearis.

Benedictio poſt ſtolas ſuper omnes.

In nomine ſanctæ Trinitatis, & unicæ divinitatis: Accipite ſtolas quas vobis Dominus per humilitatis noſtræ famulatum, ſeu & per manus noſtras accipiendas præparavit. Per quas ſciatis ſarcinam Domini Dei veſtri cervicibus veſtris impoſitas, & ad humilitatem atque adminiſtrationem vos eſſe connexos; & per quas vos cognoſcant fratres veſtri Miniſtros Dei eſſe ordinatos. Ut qui in Diaconatus miniſterio eſtis conſtituti, Leviticæ benedictionis ordine clareſcatis, & ſpirituali converſatione præfulgentes gratia ſanctificationis eluceatis. Sed & in Chriſto Jeſu firmi & ſtabiles perſeveretis, quatenus hoc quod per has ſtolas ſignificatur in die diſtricti judicii ante tribunal Domini ſine macula repræſentare valeatis. Ipſo adjuvante cui eſt honor & gloria in ſecula.

Alia.

Domine ſanctæ ſpei, fidei, gratiæ, profectuum munerator, qui in cœleſtibus & terrenis miniſteriis Angelorum ubique diſpoſitis per omnia clementa voluntatis tuæ diffundis affectum: hos quoque famulos tuos ſpeciali affectu intueri digneris, ut tuis obſequiis expediti, ſanctis altaribus miniſtri puri clareſcant, & indulgentiæ prioris gradu eorum quos Apoſtoli tui in ſeptenarium numerum Beato Stephano duce, atque Spiritu S. autore elegerunt, digni exiſtant, & virtutibus univerſis quibus tibi ſervire oportet, inſtructi polleant.

Ad conſummandum Diaconatus officium.

Commune votum permaneat, communis oratio proſequatur, ut hi totius Eccleſiæ prece qui in Diaconatus miniſterio præparantur, & Leviticæ benedictionis * ſpiritualis converſationis præfulgentes per gratiam ſanctificationis eluceant. Per. *Huc uſque. V. Gradus.*

Miſſa in die Conſecrat. Diaconi.

Ad preces noſtras quæſumus Domine, propitiatus intende, & Levitæ tui ſacris altaribus ſervientes, & fidei veritate fundati, & mente ſint ſpirituali conſpicui. Per.

Super oblata.

Suſcipe, quæſumus Domine, hoſtias Levitarum tuorum quibus mentium integritates tuo nomini conſecratas, & terrenis contagiis expiari, & cœleſtibus contuliſti propinquare conſortiis. Per Dominum noſtrum.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad Diaconatus ordinem promovere dignatus es, quæſumus Domine placatus ſuſcipias, ut quod eis divino munere contuliſti, in eis propitiatus dona cuſtodi, dieſque noſtros.

Benedictio.

Benedicat vos Deus miſericordia plenus pietate immenſus, majeſtate glorioſus, virtute præcipuus. Multiplicetur pax in diebus veſtris, ſaturitas in tempore, temperies in aëre, fructus in germine, ut dum vos pius miſerator locupletat, & in ſuam hæreditatem propitius introducat. Amen.

Benedicat in vobis Dominus imagines quas plaſmavit, & det miſericordiam quam promiſit, cuſtodiatque animas veſtras quas redemit, ſervando gratiam quam profudit, ut impleatis quæ præcepit, & ille cuſtodiat quod donavit. *Amen.* Quod ipſe.

Poſtcom.

Hæc nos communio Domine, purget à crimine, & cœleſtibus remediis faciat eſſe conſortes. Per Dominum.

Legatur Lectio Danielis. Et Diac. ut ſup. *Coll.* Actiones noſtras, quæſumus Domine, & aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio & à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum.

Item ad Miſſam, dicat Epiſcopus. Dominus vobiſcum. Diaconus ut ſupra. *Coll.*

Deus qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum.

Ordinatio Presbyterorum.

Presbyteri cum ordinantur, Epiſcopo eos benedicente, & manus ſuper capita eorum tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas ſuper ſcapulas eorum tenant, & Archidiaconus nomina eorum, & Sanctorum titulorum, locis in congruis, prout decet, denominat.

Oratio

A

Oratio ſuper Presbyteros dum ordinantur.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & quæ ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius dignè exequantur auxilio. Per Dominum.

Alia.

Exaudi nos Domine Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem S. Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos perpetua muneris tui largitate* conB ſequaris. Per.

Conſecratio Presbyteri.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino. ℟. Dignum & juſtum eſt. Verè, quia dignum & juſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum, &c. *prorſus ut in antiquiſſimo Corbeienſi, ſemel tantùm hic eſt*, quæſumus, *quod à Corbeienſi abeſt. Deinde hic ubique locutio in plurali, quaſi plures* C *proponantur ordinandi; In Corbeienſi in ſingulari. Statim finita conſecratione ſequitur.*

Modo convertat ſtolam in collo, & induatur caſula.

Per hæc indumenta, ſtolam & caſulam ſalutis indui merearis, & æternæ perpetuitatis plenitudinem cum ſanctis Sacerdotibus Chriſto miniſtrante capeſcere valeas.

Benedictio poſt caſulas ſuper omnes.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & his SacerD dotalibus veſtibus induti, protecti, & muniti eſſe valeatis ab omnibus impugnationibus malignorum ſpirituum, & ſitis benedicti in nomine Domini noſtri, & in virtute Spiritus ſancti, in ordine Sacerdotali, & offeratis hoſtias placabiles pro peccatis atque offenſionibus omnipotenti Deo, cui eſt honor, & gloria.

Conſecratio manuum.

Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, de oleo ſancto, & de Chriſmate ſancto; & ſanctificentur per iſtam unctionem, E ſanctamque benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificata permaneant.

Ungatur caput.

Ungatur caput tuum, & conſecretur cœleſti benedictione in ordine Sacerdotali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Pax tibi.

Item benedictio manus Sacerdotum.

Benedic Domine has manus, & ſanctifica Sacerdotum tuorum ill. ad conſecrandas hoſtias quæ pro delictis atque negligentiis populi offeruntur, & ad cætera benedicenda quæ ad uſus populi neceſſaria ſunt, & præſta quæſumus, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque ſacraverint, ſacrentur, Salvator.

Conſummatio Presbyterorum.

Sit nobis communis oratio fratres, ut hi qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem divini muneris indulgentia conſequantur, & ſancti Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impares loco deprehendantur, obtineant. Per.

Item alia.

Sanctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio, cujus plena benedictio eſt. Tu Domine ſuper hos famulos tuos ill. quos Presbyteratus honore dedicamus, gratiam tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum probent ſe eſſe omnium ſeniores, his inſtituantur diſciplinis quas Tito & Timotheo Paulus C inſtituit, ut in lege tua omnipotens Deus, die ac nocte meditantes quod legerint, credant; quod crediderint, doceant, & quod docuerint, imitentur. Juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendant, exemplo probent, admonitione confirment, ut purum atque immaculatum miniſterii donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ* vel corpus, corpore & ſanguine filii tui immaculata benedictione transformentur, & inviolabilem charitatem, & in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, Spiritu ſancto pleni appareant. Per Dominum.

Modo legatur Epiſtola. Tractus, & Evangelium.

Et tunc offerant omnes ſacras oblationes.

Super oblata.

Præſentibus ſacrificiis Domine jejunia noſtra ſanctifica, ut quod obſervantia noſtra profitetur extrinſecus, intrinſecus operetur. Per.

Præfatio.

V. D. &c. æterne Deus, Illuminator & redemptor animarum noſtrarum. Qui nos per primum Adam abſtinentiæ lege violata paradiſo ejectos, fortioris jejunii remedio ad antiquæ patriæ beatitudinem per gratiam revocaſti, noſque pia inſtitutione docuiſti, quibus obſervationibus à peccatis omnibus liberemur. Quem laudant Angeli.

Benedictio.

Deus fons indulgentiæ ſuſcipiat propitius litationem abſtinentiæ veſtræ. Amen.

Impleat corda veſtra ſuarum delectationibus hoſtia-

hoſtiarum, & det vobis poſſe ſuis parere præceptis. Amen. A

Ut quod non poteſtis carnali ex infirmitate perficere, ipſius gratiæ ubertate mereamini adimplere. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Ad complendum.

Sanctificationibus tuis omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per.

Poſtea ſequitur in codice Miſſa in annua die Ordinationis ſive conſecrationis Presbyteri, qua propoſito noſtro nihil omnino conducit. Deinde cæteras anni Dominicas & feſta proſequitur codicis B *autor. Ordinationem autem Epiſcopi longè alio loco, & ſolam refert, capite ſcilicet 15. in ipſo fère codicis initio. Diffuſè autem & minutè admodum, ritus omnes & eorum circumſtantias explicat, quarum nonnulla, ut admodum probabile eſt, paucis antequam ſcriberetur ille codex, invalnerant. Sacramentaria enim iſto ducentis annis vetuſtiora atque etiam recentiora earum nullam faciunt mentionem. Quidquid ſit, En Ordinationis Epiſcopalis, ut continetur in illo codice, ritus integer.*

ELECTIO QUO MODO A CLERO & à populo eligitur Epiſcopus in propria ſede cum conſenſu regis, Archipræſuliſque, omniumque populo.

DOmino, Francorumque meritis coæquando Patri Patrum, Domino N. Præſuli ſummo, cunctus Clerus, omniſque populus ſanctæ ill. Eccleſiæ multimodam in Domino optamus ſalutem. Igitur quoties aliqua plebs veſtræ ditioni ſubdita à proprio fuerit viduata Paſtore, non aliunde niſi à vobis eſt implorandum auxilium, quem ad hoc divina præordinavit Majeſtas, ut non ſolum veſtros ſpecialiter paſcatis filios, ſed etiam Rectores non habentibus, & ſpirituali pabulo indigentibus Paſtores tribuatis. Quapropter ad veſtræ ſanctitatis paternitatem fiducialiter noſtras fundimus preces, poſcentes videlicet ut hunc ill. ſummæ honeſtatis humilem veſtrum famulum, nobis Pontificem ordinare dignemini. Cujus converſationem & mores in quantum cognovimus, laudamus, & ad tam dignum opus idoneum teſtificamus. Et quandiu ad benedictionem * Epiſcopali immunes ſumus, ejus doctrina & exemplo roborati, ad viam ſalutis Domino miſerante, quaſi perdita ovis & inventa, redituros nos credimus. Quod decretum noſtris manibus roboratum ill. Eccleſiæ veſtræ vobis dirigere ſtatuimus. Anno Incarnat. Domini & Epiſcopatus veſtri & Regis ill. annis illorum. Indictione tali. Datarum. tali.

Oratio ab Archiepiſcopo dicenda poſt Electionem ſuper Electum, Et ſuper ſe.

Oremus fratres, ut Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos & Electum noſtrum gratia Spiritus ſancti inluſtrare dignetur. Per Dominum.

Sequitur Ammonitio Epiſcopi.

Hæc ſolita mente, & ſtudio vigilanti conſerva, & tibi commiſſis nota facere cura, ut unanimes uno ore conlaudetis Dominum de ſuis erga vos beneficiis, cui exhibendus eſt honor & gloria, per omnia. B

Promiſſio.

In nomine Altithroni Conditoris, regis æterni ego N. humilis Chriſti famulus licet indignus ad Epiſcopalem ill. Eccleſiæ ſedem electus ad regendam eam, deoque ſervatam, ſuppliciter confiteor cum omnipotentis Dei auxilio, & quantam voluerit mihi gratiam ſuperna ſapientia revelare, & vitam commodare in hoc ſeculo, quod ego ſanctæ * Salvatoris mundi ill. & venerando Patriarchæ ill. ejuſque ſucceſſoribus, quem ſuperna prævidet gratia, C & nobis prædeſtinat in Patrem, devota & fideli mente ſemper deſervire & obedire deſidero; ſtabilemque me eſſe, permanentem ſine aliqua diſſimulatione, & deceptatione omnibus diebus, quandiu Spiritus eſt in naribus meis, & vita comes fuerit, nunquam ad dexteram neque ad ſiniſtram ab illa ſede ill. Eccleſiæ quæ caput eſt, ſed ſine aliquo ſcrupulo diabolicæ fraudis & humili devotione, & ſincera mente, illo præfato Patri ill. & ſucceſſoribus ejus, quem divina gratia ad illam ſanctam ſedem prædeſtinavit Epiſcopum, deſervire & obedire omnibus viribus meis Deo omD nipotenti confiteor. Et illam ſanctam Apoſtolicam fidem quam Patres noſtri dignè ſervaverunt, cum omni humilitate & obedientia divina ſimul & humana, ſicut Prædeceſſores mei ipſa ſede ſancta Eccleſiæ Chriſti ſubjecti ſunt, ſemper ſervare me velle humiliter per omnia fateor: Et quod illi hic & ibi juſtè plebi Dei prædicaverunt, & cuſtodiendo impleverunt, hoc prædicare, & obſervare non ceſſo, favente & volente pio Domino, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto.

Item ammonitio poſt promiſſionem.

E Memor ſis ſponſionis & deſponſationis Eccleſiaſticæ, & dilectionis Domini Dei tui in die qua aſſecutus es hunc honorem. Cave ne obliviſcaris illius.

Benedictio ad Annulum Epiſcopi.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, Tu Domine permitte tuam benedictionem ſuper hunc annulum, ut armata virtute

cœleſtis defenſionis proficiat illis ad æternam A ſalutem.

Hic detur annulus in digito.

Accipe ergo annulum diſcretionis, & honoris fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt, ſignes, & quæ aperienda ſunt, prodas, quæ liganda ſunt, liges, quæ ſolvenda ſunt, ſolvas; atque credentibus per fidem baptiſmatis, lapſis autem ſed Pœnitentibus per miniſterium reconciliationis januas regni cœleſtis aperias: cunctis verò de theſauro dominico nova & vetera proferas, ad æternam ſalutem omnibus, conſolatus gratia Domini noſtri Je- B ſu Chriſti qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat.

Benedictio Baculi.

Tu baculus noſtræ, & Rector per ſecula vitæ.

Iſtum ſanctificâ pietatis jure bacillum.

Quo mala ſternantur, quo ſemper recta regantur.

Hic detur Paſtoralis Baculus.

Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, ut imbecilles conſolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam ſalutis æternæ, habeaſque poteſtatem erigendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Item alia datio.

Accipe baculum Paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens: in ira judicium ſine ira tenens; cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens. Per.

Modo ſurgendi ſunt, & incipiatur Introitus.

Elegit te Dominus ſibi in Sacerdotem. *Pſal.* Exaudiat te Deus. *Ad R.* Mittat tibi. *Ala.* Sicut fuit cum Moyſi. *Pſal.* Exaudiat te Deus. A. Benedixit te hodie Deus. *Pſal.* Deus Deorum.

Oratio ad Miſſam in die.

Oremus dilectiſſimi nobis, ut huic viro ad utilitatem Eccleſiæ provehendo benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. E Per, *Epiſtola.* Chariſſimi, fidelis ſermo. Si quis Epiſcopatum deſiderat. ℟. Memor ſit omnis ſacrificii tui. ℣. Mittat tibi Dominus. ℟. Immola Deo. *Tr.* Deſiderium. *All.* Diſpoſuit. *All.* Diffuſa eſt gratia.

Hic ordinandus eſt Epiſcopus antequam legatur Euangelium poſt Alleluja. Et tunc debent duo Epiſcopi deducere illum per manus extra ſecretarium in præſentia Archiepiſcopi ante altare, & proſternens ſe & cæteri faciant Litaniam. Finita tenentes librum Euangelii ſuper ſcapulas, & Archiepiſcopus benedicant cum.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Alia.

Propitiare ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum.

Conſecratio ab Archiepiſcopo ſolo dicenda.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulan- C tur ordinibus: Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu inter cætera cœleſtis documenta culturæ, &c. *prorſus ut in aliis Corbeienſibus, & aliis jam ſæpius hîc editis: ſed poſt hæc verba,* Puritas dilectionis, ſinceritas pacis, *& ad finem hæc inſeruntur, quæ in duobus quoque antiquiſſimis. & in antiquo Rotomagenſi, & in Cæſtani ſimiliter referuntur.*

Sint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad Euangelizandam pacem, ad Euangelizandum bona tua. Da ei Domine myſterium reconciliationis in verbis, & factis, & virtutibus, & ſignis, & prodigiis. Sit ſermo ejus prædicatio, D non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Da ei Domine claves Regni cœlorum. Utatur nec glorietur poteſtate quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcunque ligaverit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis; Et quodcunque ſolverit ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint, & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui benedixerit ei, ſit benedictus; & qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis ei ſervus & prudens quem conſtituas Dominum ſuper familiam tuam, ut det illis cibum in tempore neceſſario, ut E exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſolicitudine impiger, ſit Spiritu fervens. Oderit ſuperbiam, diligat veritatem, nec eam unquam deſerat, aut laſſitudine, aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem. Non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit ſapientibus & inſipientibus debitor, & fructum de profectu omnium conſequatur. Tribuas ei Domine Cathedram Epiſcopalem &c. *ut in aliis omnibus ad finem uſque. Altera conſecrationis formula quæ ſequitur, habetur quoque in antiquo Rotomagenſi eodem modo*

Item

Item alia ſuper Epiſcopo.

Pater Sancte omnipotens Deus, qui per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab initio cuncta creaſti, & poſtmodùm in fine temporum ſecundum pollicitationem quam Abraham Patriarcha noſter acceperat, Eccleſiam quoque Sanctorum Congregatione fundaſti, ordinatis rebus per quas legibus à te datis diſciplinæ religio regeneretur: Præſta ut hic famulus tuus ſit miniſteriis, cunctiſque fideliter geſtis officiis dignus, ut antiquitus inſtituta Sacramentorum poſſit myſteria celebrare: Per te in ſummum ad quod aſſumitur Sacerdotium conſecretur. Sit ſuper eundem benedictio tua, licet manu noſtra ſit. Præcipe Domine huic paſcere oves tuas, ac tribue ut commiſſi gregis cuſtodia ſolicitus Paſtor invigilet. Spiritus huic ſanctus tuus cœleſtium chariſmatum diviſor adſiſtat, ut ſicut ille electus gentium Doctor inſtituit, ſit juſtitia non indigens, benignitate pollens, hoſpitalitate diffuſus: Servet in exhortationibus alacritatem, in perſecutionibus fidem, in charitate patientiam, in veritate conſtantiam. In hæreſibus ac vitiis omnibus odium ſciat, in æmulationibus neſciat. In judiciis gratioſum eſſe ſinas, & gratum eſſe concedas. Poſtremò omnia à te largiter diſcat, quæ ſalubriter tuos doceat. Sacerdotium ipſum opus eſſe exiſtimet, non dignitatem. Proficiant ei honoris augmenta, etiam ad incrementa meritorum, ut per hæc ſicut apud nos nunc adſciſcitur in Sacerdotium, ita apud te poſtea adſciſcatur in regnum. Per Dominum. *Tunc debet ei manus unguere.* Unguantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & in te Deo Deorum ordinentur. Unguo has manus oleo ſanctificato, & chriſmate unctionis purificato, ſicut unxit Moyſes verbo oris manus ſancti Aaron germani ſui, & ſicut unxit Spiritus S. per ſuos flatus manus omnium Sacerdotum; & ſicut Jeſus Salvator omnium noſtrorum ſanctas manus ſuorum Apoſtolorum, ita unguantur manus & ſanctificentur, & conſecrentur ut in omnibus ſint perfectæ, in nomine tuo, Pater, filiique, atque æterni Spiritus S. qui es unus ac ſummus Deus omnium vivorum & mortuorum, manens in ſecula ſeculorum. *Tunc debet ei caput ungere.* Unguatur, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Pontificali. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Domine Jeſu Chriſte tu præelegiſti Apoſtolos tuos, ut doctrina nobis præeſſent, ita etiam vice Apoſtolorum Epiſcopos doctrinam docere, & benedicere, & erudire digneris, ut immaculatam vitam & inlæſam conſervent, quatenus Spirtus S. ſeptiformis veniat ſuper eos, & ſuper nos omnes, & virtus altiſſimi ſine peccato unà cuſtodiat nos, & omnis benedictio quæ in Scripturis ſanctis ſcripta eſt ſuper nos pariter veniat, & confirmet nos Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ut habeamus vitam æternam in ſecula ſeculorum.

Et tunc legatur Evangelium ſecundum Lucam.

A In illo tempore facta eſt contentio. *Et cum offerat Panem & Vinum ipſe & omnes offert.* Inveni David ſervum meum. Memor ſit Dominus. *Off.* Gloria & honore.

Super oblata.

Hæc Hoſtia, Domine quæſumus, mundet noſtra delicta, & ad ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi oſferimus, etiam pro famulo tuo ill. quem ad Epiſcopatum ordinem promovere dignatus es, quæſumus Domine, ut placatus accipias, ac propitius in eo tua dona cuſtodias, ut quod divino conſecutus eſt munere, divinis effectibus exquatur, dieſque noſtros in tua.

Benedictio Epiſcopalis in die.

Deus qui populis indulgendo conſolaris, & amore dominaris, da Spiritum ſapientiæ quibus tradidiſti regimen diſciplinæ. *Amen.* Et de profectu ſanctarum ovium fiant gaudia æterna Paſtorum; & de electione eorum gaudeant ſimul in æternum. *Amen.*

C Et quidem dierum noſtrorum numeros, temporumque menſuras, majeſtatis tuæ poteſtate diſpenſas, ad humilitatis noſtræ reſpice ſervitutem, & pacis tuæ abundantiæ tempora noſtra pretende, & conſerva. *Amen.*

Collatis quoque in nos per gratiam tuam propitiare muneribus, & quem feciſti gradu Epiſcopali ſublimem, fac operum perfectione tibi eſſe placabilem. *Amen.*

Atque in eum affectum dirige cor plebis & Præſulis, ut nec Paſtori obedientia gregis, nec gregi unquam deſit cura Paſtoris. *Amen.* Quod ipſe præſtare dignetur.

D *Et tunc communicant omnes Epiſcopi ad manus Archiepiſcopi.*

Com. Lætificabimur in ſalutari tuo, & in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. *Com.* Beatus ſervus.

Ad Complendum.

Plenum, quæſumus Domine, in nobis remedium tuæ miſerationis operare, & tales nos eſſe perfice, ut propitius nos ubique fovere digneris. Per Dominum.

Tunc mittendus eſt in Cathedra, & hæc dicenda oratio.

E Omnipotens Pater Sancte, Deus æterne, Tu omnem ordinem dignatus es in cœleſtibus ſedibus ordinare, ut ait Pſalmiſta, Domine in æternum permanet verbum tuum in cœlo, Angelos & Archangelos ſuo tibi ordine mancipari; in veteris Teſtamenti privilegio, Moyſen, & Aaron, & Samuël inter eos in Sacerdotibus ſuis qui invocant nomen ejus, Patriarchas, Prophetas perungui ordinaſti: In novo per Filium tuum J. Chriſtum, Apoſtolos

ſanctos * ſuis omnibus elegiſti. Primum Petrum Apoſtolum in Cathedra honoris, & Mathiam ejuſdem conſortem in Apoſtolatum, atque Cathedra honoris enumeraſti, & in numero Sanctorum omnium Apoſtolorum evocaſti, & ut Spiritus S. ait per Prophetam; In Cathedra ſeniorum laudent Dominum, divino nutu æque de aliis hæc illis contigerunt. Et tu Domine pro tua immenſa miſericordia in noſtris temporibus: Da ſimilem gratiam fratri noſtro ill. ad inſtar Sanctorum Apoſtolorum tuorum ſedentium in Cathedra honoris & dignitatis, ut in conſpectu Majeſtatis tuæ dignus honore appareat. Per eundem.

A

Orationes quæ dicendæ ſunt à Domno Papa ſuper Archiepiſcopum ante Pallium.

Deus omnipotens Pater, qui non propriis ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabili gratiæ tuæ largitate, iſtum famulum tuum ill. populo tuo præeſſe juſſiſti, tribue ei per gratiam Spiritus ſancti tui dignè tibi perſolvere miniſterium Sacerdotalis officii, & Eccleſiaſticis convenienter ſervire miniſteriis, plebemque commiſſam ad gloriam tui nominis, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per Dominum.

B

Item alia.

Deus innocentiæ reſtitutor, & amator, dirige hunc famulum tuum ill. Spiritus tui fervore, ut in fide inveniatur ſtabilis, & operibus tuis efficax. Illuminare eum lumine ſapientiæ: munda eum & ſanctifica. Da ei conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut qui eum inter ſummos Sacerdotes voluiſti numerare: Concede ut quod humano ore eum voluiſti vocari, hoc in conſpectu tuo per gratiam tuæ pietatis poſſit fieri, ut cum Electis tuis æternæ vitæ beatitudinem percipere mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum. *Hic detur pallium.*

C

Conſecratio per Pallium.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, Rex Regum & Dominus Dominantium, Clementiam tuam humiliter exoramus, nec non & unigeniti Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui omnes æterno Pontificatu ſupereminens, ſolus ſine macula Sacerdotale miniſterium implevit, ſimulque ſancti Spiritus, cujus ſeptiformis gratia cœleſti virtute cuncta ſanctificat, ut hunc famulum tuum ill. divinæ providentiæ gratia largiente, à minoribus uſque ad majora per gradus aſcendentem ſupernæ pietatis tuo gremio gratanter ſuſcipias. Et quia nobis indignis quos ſedis Apoſtolicæ, ſummæque Miniſtros ſervitutis non exigentibus meritis, ſed dono clementiæ tuæ conſtituiſti, ſalutaribus indumentis, ad ſacri altaris officium foras veſtitus in præſenti appareat, ab omnibus criminum contagiis caſtigatus perpetua Spiritus tui ſanctificatione intus impleri mereatur; vitique fontis fluentibus irrigatum, virtutum fructibus creſcere, & coram omnibus clareſcere concedas, ut ejus vita aliis poſſit exempla præbere. Sit ei honor Pallii ornamentum animæ: Et unde advenit faſtigium viſibile, inde floreſcat amor inviſibilis. Tua divina potentia eum corroboret, tui filii virtus viſcera ejus fœcundet, tui Spiritus gratia interiora ejus impleat: Per te firmitatem fidei Catholicæ non ſolùm ſibimet ſervandi, ſed etiam alios docendi cauſa conſervet. Per te Cathedræ Epiſcopalis Eccleſiæ univerſalis ſcutum, non ſolùm à Spiritibus, ſed etiam à corporalibus hujus ſeculi adverſitatibus habere mereatur. Per te Apoſtolicæ dignitatis in cœlis & in terris, ſolvendi, & ligandi non ſolùm corpora, ſed & animas divina ditatus gratia dominium ſuſcipiat, ut ita dignis ſucceſſibus devotè degens ad deſtinata ſanctis præmia perveniens, æternam accipiat beatitudinem. Per.

D

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS
ex antiquo octingentorum annorum codice Thuano decerptus.

Hæc ex antiquo Miſſali annorum circiter octingentorum. Sanè omnino ſcriptus eſt ante ſeptingentos annos. Pertinet ad Bibliothecam Thuanam: Notatur n. 537. Inſcribitur initio, In nomine Domini incipit liber Sacramentorum de circulo anni à S. Gregorio Papa Romano editus, qualiter Miſſa Romana celebratur. *Præclarè ſcribitur, & initium quinque primis paginis magnificentiſſimè. In aliquot folis quæ initium illud præcedunt, eadem manu, charactere, & atramento deſcripta ſunt, quæ ſequuntur. Pluribus iſtum codicem deſcripſimus in Commentario noſtro hiſtorico de Sacramento Pœnitentiæ ubi varios codices quibus uſi fueramus, enarramus p. 72.*

Exhortatio & ordo Profeſſionis ordinandorum Sacerdotum.

PRimitus cum venerint ordinandi Clerici ante Epiſcopum, debet Epiſcopus inquirere unumquemque ſi natura prudens, vel ſi Electus à populo ſit, ſi literatus, ſi bene doctus, quoniam ſi cæcus cæco ductum præbet, ambo in foveam cadunt: Et Apoſtolus, ſi quis ignorat ignorabitur. Si docibilis, ſi mori-

ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi domui ſuæ bene præeſſe ſciat, ſi Sacerdotes & teſtes habeat bonos, qui eum teſtificentur ad hunc gradum dignum eſſe accipiendum. Et ante omnia, ſi fidei documenta pleniter ſciat. Et tunc demum in conſpectu Epiſcopi, vel Cleri, ſive populi, polliceri debet, quæ ſubter inſerta ſunt, id eſt, ut orationem Dominicam, & credo in Deum intelligat, & fidem Catholicam quam S. Athanaſius, & cæteri ſancti Patres compoſuerunt, pleniter ſciat, & populis rationabiliter tradat. Et ut ſacras Scripturas cotidie meditetur, & populum doceat, ut intentus ſit lectioni aſſiduæ, ut caſtitatem ſervet, ut fœminas ſecum habitare, aut domum ſuam frequentare non permittat: ut teſtes ſecum habeat aſſiduè, qui ſuum converſationis teſtimonium reddant. Ut eleemoſynarius, hoſpitalis, humilis, benignus, miſericors, largus, Eccleſiaſticus prædicator, viſitator infirmorum, & carcerum recluſorum, ſive opprimentium ſit. Inſuper ut Eccleſiam ſuam in officiis divinis, id eſt, in Miſſis, Nocturnis, Matutinis, primis vel ſecundis, tertiis, ſextis, Noniſque, Veſperis, Completoriis, frequentare non negligat, & hæc officia prout melius poteſt peragat cum Clericis religioſis, & luminariis, & fabricis, & ſignis, & inſtructuris, tam bene & pleniter, atque rationabiliter, prout poteſt, ornet. Ut populum ad eam vel ad ſe venientem bene recipiat & inſtruat. Ut baptiſmum non faciat, niſi duobus temporibus, id eſt, Paſcha, & Pentecoſten, niſi cauſa infirmitatis. Ut infirmos viſitet ungendo eos oleo ſancto, & oret pro eis oratione convenienti. Ut canones pleniter diſcat, & intelligat. Ut Eccleſia una, id eſt, ſua cui ordinatus eſt, contentus ſit. Ut ſupplantator alicujus Sacerdotis per aliquod ingenium occultè vel manifeſtè non fiat. Ut ſine juſſione ſui Epiſcopi extra ſuam Eccleſiam non proficiſcatur. Ut decimas ad alterius Eccleſiam pertinentes non uſurpet.

Incipit ordo de Sacris Ordinibus.

Oſtiarii cum ordinantur, poſtquam ab Archidiacono inſtructi fuerint, qualiter in domo Dei debeant converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat eis Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens; Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ iſtis clavibus recluduntur. Et tradat eis Archidiaconus oſtium Eccleſiæ.

Benedictio Oſtiarii. Oratio.

Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur, quos in officium Oſtiarii eligere dignatus eſt, ut ſit eis fideliſſima cura in diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus S. per omnia ſecula ſeculorum.

Item Benedictio ejuſdem. Dominus vobiſcum.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hos famulos Oſtiarios, ut inter Janitores Eccleſiæ pareant obſequia, & inter Electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum.

Ordinatio Lectoris.

Lectores cum ordinantur faciat de illis verbum Epiſcopus ad plebem, indicans eorum fidem ac vitam, atque ingenium. Poſthæc expectante plebe tradat eis codicem de quo lecturi ſunt, dicens, Accipite & eſtote verbi Dei relatores, habituri ſi fideliter & utiliter impleveritis officium partem cum his qui verbum Dei miniſtraverint. Eligunt vos fratres veſtri, ut agnoſcatis officium veſtrum, & impleatis illud: Potens eſt enim Deus ut augeat vobis gratiam.

Benedictio Lectoris. Oratio.

Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos in officium Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtincti, atque ornati, & agenda dicant, & dicta opere compleant, & in utroque ſanctæ Eccleſiæ conſulant. Per Dominum.

Ordinatio Exorciſtæ.

Exorciſtæ cum ordinantur, accipiant de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipite, & commendate memoriæ, & habetote poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſive baptizatum, ſive Catechumenum.

Præfatio Exorciſtæ. Oratio.

Deum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere † dignetur in officium Exorciſtarum, ut ſint ſpirituales Imperatores ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Benedictio Exorciſtæ. Dominus vobiſcum.

Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere † digneris hos famulos tuos in officium Exorciſtæ, ut per impoſitionem manuum & oris officium eos eligere digneris, ut imperium habeant ſpirituum immundorum coercendo, & probabiles ſint medici Eccleſiæ, gratiæ curationum virtute confirmati. Per.

Ad Acolythum.

Acolythi cum ordinantur, primùm ab Epiſcopo doceantur, qualiter in officio ſuo agere debeant, ſed ab Archidiacono accipiant ceroferarium cum cereo, ut ſciant ſe ad accen-

denda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiant & urceolum vacuum ad fundendum vinum in Euchariſtiam corporis Chriſti. A

Benediction ad Acolythum. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis & origo bonitatis, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, lumen verum, mundum illuminaſti, ejuſque paſſionis myſterio redemiſti, benedicere † dignare hos famulos tuos, quos in Acolythi officium conſecramus, Poſcentes tuam clementiam, ut eorum mentes & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum miniſterium te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eundem Dominum.

ORDO QUALITER IN ROMANA ſedis Apoſtolicæ Eccleſia, Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi ordinandi ſunt.

MEnſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, Sabbatorum die in duodecim lectionibus ad ſanctum Petrum ubi Miſſæ celebrantur. Poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, prætermiſſo Kyrie eleiſon, data oratione, adnuntiat Pontifex in populum dicens: Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hos viros ad ſacros ordines promovendos in ordinem Diaconii ſive Presbyterii, illum Subdiaconum ſive Diaconum de titulo illo: Illum Presbyterum de titulo illo. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat. Verum tamen memor ſit communionis ſuæ. Ergo quia nihil illis objicitur oremus pro eiſdem viris, ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus tribuat eis donum conſecrationis, & Spiritus ſancti, ad laudem nominis ſui, & utilitatem ſanctæ Eccleſiæ. Et poſt modicum intervallum. Mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon, cum Litania. Hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati ſunt, & deſcendentes ſtant in ordine ſuo benedictione percepta. B C D E

Capitulum S. Gregorii Papæ.

Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus removendus, ſic qui ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit quia benedictio illi in maledictum convertitur, quia ad hoc ut fiat Hæreticus promovetur. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: De manu Archidiaconi accipiat Urceolum cum aquamanili, ac manutergio.

Ad Subdiaconum ordinandum.

Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena & Calix vacuus; Et dicat Epiſcopus, Videte cujus vobis miniſterium traditur; & ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, à modo debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles. Si uſque nunc ebrioſi, à modo debetis eſſe ſobrii. Si uſque nunc inhoneſti, à modo caſti. Oblationes quæ veniunt in altari, Panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantùm debet in altari poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ ſunt in ſubſtratorio, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari: Ipſa aqua in baptiſterium debet vergi. Ideo vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis, & tradat eis Calicem & Patenam.

Ordinatio Subdiaconi.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum, ut ſuper ſervos ſuos ill. quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem, † & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſervientes, prædeſtinata ſanctis præmia conſequantur, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum.

Benedictio Subdiaconi. Dominus vobiſcum.

Domine Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, † benedicere digneris famulos tuos hos quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, ut eos ſacrario tuo ſancto ſtrenuos ſolicitoſque cœleſtis militiæ inſtituas, * & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtrent, & requieſcat ſuper eos Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eos Spiritu timoris tui, & eos miniſterio divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes tuam gratiam conſequantur. Per Dominum noſtrum.

Oratio ad ordinandum Diaconum. Dominus vobiſcum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quos ad ſacrum ordinem dignatur aſſumere † benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino Jeſu Chriſto.

Alia Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos Spiritum tuæ † benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditati, & tuæ gratiam poſſint majeſtatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

Con-

Conſecratio.

Adeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor, qui in te manens innovas omnia, & cuncta diſponis, per verbum, veritatem, ſapientiamque tuam, Jeſum Chriſtum filium tuum, Dominum noſtrum, * ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cujus corpus Eccleſiam tuam cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſcrimine membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui creſcere dilatarique largiris; ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Levi filiis qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent: Super hos quoque famulos tuos, quæſumus Domine placatus intende, quos tuis ſacrariis ſervituros in officium Diaconii ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini ſenſus, & ſummæ rationis ignari, horum vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis ſunt ignota non tranſeunt, Te occulta non fallunt. Tu cognitor ſecretorum, tu ſcrutator es cordium, tu eorum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Emitte in eos, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum quo in opus miniſterii fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, autoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervatio diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo, imitationem ſancta plebs acquirat, Et bonum conſcientiæ teſtimonium proferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent, digniſque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per Dominum noſtrum.

Oratio quando Diaconus accipit ſtolam.

Accipe ſtolam candidam, ut agnoſcas officium tuum, & impleas illud. Potens eſt enim Deus augere tibi gratiam.

Oratio ad ordinandum Presbyterum. Dominus vobiſcum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.

Alia.

Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos † benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, * perpetua muneris tui largitate conſequaris. Per Dominum.

Conſecratio.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt univerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum; unde & Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt, ut cum Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adjumentum, ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentem Moyſis Spiritum propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus in populo, innumeras multitudines facilè gubernavit. Sic in Eleazaro & Ithamar paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum. Hac providentia Domine Apoſtolis filii tui Doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores ſumus, tantò his pluribus indigemus. Da quæſumus Pater in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis. Acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint probi cooperatores ordinis noſtri. Eluceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Caſulam veſtiendam Sacerdoti.

Benedictio † Patris, & Filii, & Spiritus S. deſcendat ſuper te, & ſis † benedictus in ordine Sacerdotali, ut offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum.

Conſecratio manuum Sacerdotis.

Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & † ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram † benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint; & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur.

Item alia.

† Benedic Domine, & ſanctifica has manus Sacerdotis tui ad conſecrandas hoſtias, quæ pro delictis atque negligentiis populi offerun-

feruntur; & ad cætera benedicenda quæ ad usus populi necessaria sunt. Et præsta, quæsumus omnipotens Deus; & quæcunque benedixerint; benedicta sint, & quæcunque sanctificaverint, sanctificata sint. Qui vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum.

Mementote fratres & filii hujus diei vestræ consecrationis: habentes quoque semper memoriam mei.

Benedictio Episcoporum.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

Alia.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum nostrum.

Consecratio.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus, Deus qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum & apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est. Et Pontificalem gloriam, non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, quæsumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus, actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo mysterii tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti flore sanctifica. † Hoc Domine copiosè in ejus caput influat †, hoc in oris subjecta decurrat †, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas ei Cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam & plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis ei potestas. Multiplices super eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia possit esse devotus. Per.

Hic est in margine codicis, sed alia planè & recentiore manu, Dum datur anulus.

Accipe annulum fidei ad confirmandam Ecclesiam sponsam Dei.

Dum baculus datur. Accipe baculum salutis, ut scias timentium corda reprimere, & infirmantium relevare, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine quæsumus, emundet nostra delicta, & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo ill. quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur. Diesque nostros.

Ad completa.

Hæc nos communio Domine purget à crimine, & cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum nostrum.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS, ex codice annorum ſeptingentorum ætatem ſuperante decerptus.

Codicem illum cum Romæ eſſem, utendum mihi conceſſit ſenex venerabilis, doctus piuſque, Conſtantinus Caëtanus Abbas, vir dum viveret Literarum & antiquitatis amans. Ordinem continet divinorum officiorum ab Italo Romæ vicino compoſitum. Propriè non eſt ordo Romanus; nonnunquam enim illum refert, ab eoque ſuos diſſentire aſſeverat. Nonnunquam etiam librum Sacramentorum commemorat, eoque Lectorem remittit: Sed illius autor in Diœceſi Romæ conterminus vixit: Ideo Romanos ritus ſui temporis perpetuò explicat, & quando ſui variabant, aliquando adnotat. Idem etiam fatebitur de ordine Romano jam pluries in Bibliotheca Patrum edito, qui eum diligenter verſaverit. Noſter iſto eſt multo brevior, ſimplicior, ceremonias concisè magis & anguſtè enarrans, præcedentibus tamen multò diffuſior. Scripturæ character annis ſeptingentis non potuit eſſe minor. Ceremonias ut communes & vulgo uſitatas explicat, quæ ab annis prope ſexcentis obſoleverunt. Verbi cauſa in Sabbato Paſchæ ubi baptiſmi ritum explicat, ſic monet, Illud autem de parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent Sacramento corporis Chriſti. *Eandem admonitionem, & iiſdem verbis, & eodem loco, proponit Romanus ordo editus. Cum enarrat ritum Miſſæ ſolemnis ab Epiſcopo celebratæ Presbyteros nobis repræſentat in altari concelebrantes, & Diaconos cum Presbyteris de manu Epiſcopi celebrantis corpori & ſanguini Jeſu Chriſti communicantes, qui ritus in Oriente huc uſque celebris eſt, ſed in Occidente abhinc ſexcentos annos vix illius memoria, ſi Ordinationum ſolemnitatem excipias, in qua antiqui moris umbram aliquam videre eſt. Præter hanc ſolemnitatem poſtremi hunc morem diu obſervarunt ſummi Pontifices cum Cardinalibus in majoribus feſtis Miſſam celebrantes. Verba quibus hæc effert codex, non videtur ſupervacaneum huc referre,* Statimque Epiſcopo dicente per omnia ſecula ſeculorum accipiat *Archidiaconus* benedictionalem librum, & converſus ad populum dicat, humiliate vos ad benedictionem, & Clero reſpondente Deo gratias, porrigat Epiſcopo librum. Expleta autem benedictione, veniens Presbyter accipiat pacem ab Epiſcopo, eandem cæteris oblaturus. Diaconus verò ſumens Calicem ac Patenam porrigat, quam ille Acolytho ad tenendum præbeat. Ipſe autem Diaconus tenens Calicem & fiſtulam ſtet ante Epiſcopum uſque dum ex ſanguine & corpore Chriſti quantum voluerit ſumat, & ſic Calicem & fiſtulam Subdiacono commendet. Quo protinus in ſiniſtrum cornu altaris pergente, Acolythus ibi cum Patena coram Epiſcopo conſiſtat: Presbyteri verò & Diaconi oſculando Epiſcopum corpus Chriſti ab eo manibus accipiant in ſiniſtra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi; ore accipiant corpus Chriſti ab eo. Poſtquam verò Diaconi in ſiniſtro cornu altaris de ſanguine Chriſti communicaverint, venientes Subdiaconi ordinatim accipiant ſanguinem ab Archidiacono, manum ejus oſculantes. Et idem Archidiacono nimis cautè procurandum eſt, ne quid in Calice aut Patena ſanguinis vel corporis Chriſti remaneat. *Ex antiquo præterea more & perpetuo Epiſcopus populo benedicebat triplici benedictione, dicto ſolemniter, Per omnia ſecula ſeculorum, non autem ut nunc moris eſt, poſt ultima Miſſæ verba, cujus nunc veſtigia apparent cum corpus Chriſti in Miſſa propter tum communicaturam plebem conſecratur. Audivi in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus occurrente ſolemniore aliquo feſto Epiſcopum eodem Miſſæ loco ex antiquis libris populo benedicere. Fiſtula autem cum qua Chriſti ſanguis ſumitur, utitur nonnunquam Pontifex cum ſolemniſſimè celebrat, hocque ut inuſitatum & grande quid ſuſpicitur, quod erat antiquitus tritum & vulgatum. Plura ſunt ejuſmodi quibus codicis antiquitas commendari poteſt. Ordine Romano edito duabus de cauſis mihi videtur antiquior, primùm quod ille omnia prope hujus verba contineat, ſed pluribus in locis & fere ubique multa inſuper addat, quod in hujuſmodi libris certæ novitatis eſt argumentum. Deinde quod ille hoc ſit longè ordinatior. His accedit quod hic rituum antiquorum mentionem faciat, de quibus ille ſilet, ut pote obſoletis. Codex noſter multis erat mutilatus; atque etiam ab initio. Sacrarum tamen ordinationum præter pauca & pauci momenti nihil deperiit. Quæ ſuperſunt, ab iis in hunc modum ordiuntur, atque codex, ut nunc extat, ſic incipit.*

ORemus, dilectiſſimi fratres, Dominum A noſtrum Jeſum Chriſtum pro famulo ſuo qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conſervet, & à mundi impedimento, vel ſeculari deſiderio cor ejus defendat, ut ſicut immutatur in vultu, ita manus dextera ejus, ei virtutis tribuat incrementa, & ab omni cœcitate ſpirituali vel humana, oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat; Qui vivis.

Dum tondes eum dicis Antiphonam, Tu es Deus qui reſtitues mihi hæreditatem meam. *Verſ.* Dominus pars hæreditatis meæ, & Ca- B licis mei. Et repetant, Tu es Deus. Gloria Patri. Et repetatur, Tu es Deus. *Antiph.* Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo; quia hæc eſt generatio quærentium Dominum. *Pſalm.* Domini eſt terra, uſque in finem.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſervitute ſeculari habitus hunc famulum tuum N. emunda, ut dum ignominiam ſecularis habitus deponit, tua ſemper in eum perfruatur gratia; & ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ cum geſtare facimus in capite, ſic tua virtute hæreditatem ſubſequi mereatur æternam in corde. Per. C

Poſtquam Tonſuratus fuerit.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut hic famulus tuus N. cujus hodie comam capitis pro divino amore depoſuimus, in tua dilectione perpetuò maneat, & eum ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per Dominum.

Oratio ad barbam tondendam.

Deus cujus providentia omnis creatura in- D crementis adulta congaudet, preces noſtras ſuper hunc famulum tuum N. juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis attondendum, exaudi, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, ævoque largiori provectus, cœleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat, & futuræ. Per.

Incipit de officiis Clericorum, de ſingulis ſeptem ordinibus.

Oſtiarium oportet percutere cymbalum, & aperire Eccleſiam, & ſacrarium & librum ape- E rire ei qui prædicat.

Lectorem oportet legere ea quæ prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus novos.

Exorciſtam oportet abjicere Dæmones, & dicere populo qui non communicat, ut det locum: & aquam in miniſterio effundere.

Acolythum oportet ceroferarium ferre, & luminaria accendere, & vinum & aquam in Euchariſtiam miniſtrare.

Subdiaconum oportet præparare aquam ad adminiſtrationem altaris, & miniſtrare Diacono.

Diaconum oportet miniſtrare ad altare, & baptizare.

Sacerdotem oportet offerre & benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare.

Epiſcopum oportet judicare, interpretari, & conſecrare, conſummare, ordinare, offerre, & baptizare.

Hæc autem ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora. Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis ſtudium dedit inter Lectores, uſque viceſimum ætatis annum continua obſervatione perduret. Si majore ætate jam acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſiderat mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur, ac deinde Acolythus, vel Subdiaconus, quatuor annis ſtet, & ſic ad benedictionem Diaconi ſi mereatur, accedere. In quo ordine quinque annis inculpatè, ſi ſe geſſerit, hærere debet. Exinde ſuffragantibus meritis per tot gradus datis Presbyterii, Sacerdotium poterit promereri. De quo loco ſi illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit: hac tamen lege ſervata, ut digamus, neque Pœnitens ad hos gradus poſſit admitti. Sanè ut etiam Defenſores Eccleſiæ qui ex Laïcis fiunt, ſuper dicta obſervatione teneantur, ſi meruerint in ordine eſſe Clericatus. Paulus Apoſtolus præcipit Timotheo, manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Quid eſt, citò nemini manus impoſueris, niſi ante maturitatis ætatem, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ. Et ſicut boni operis comparat fructum, qui rectum ſcrutatur in legendo Sacerdote judicium: ita gravi ſemetipſum afficit damno, qui in ſuæ dignitatis collegio ſublimat indignum.

Pſalmiſta, id eſt, cantor, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, poteſt abſque conſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſpicere cantandi, dicente ſibi Presbytero, Videte ut quod ore cantatis, corde credatis, & quod corde creditis, operibus probetis.

Ordinatio Oſtiarii.

Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Domini converſari debeat, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ dicens ei, Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Et tradat ei Archidiaconus oſtium Eccleſiæ dicens.

Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos N. benedicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt, ut ſit eis fideliſſima cura diebus ac noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Oremus.* Et Diaconus, *Flectamus genua, levate.*

Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Oſtiarii, ut inter Janitores Eccle-

Eccleſiæ pareant obſequio, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis.

Ordinatio Lectoris.

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum ad plebem Epiſcopus, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium, poſthæc expectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum.

Accipite & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum his qui verbum Dei miniſtraverunt.

Pronuntiatio.

Eligunt vos fratres veſtri, ut ſitis Lectores in domo Dei veſtri, & agnoſcatis officium veſtrum, & impleatis illud. Potens eſt enim Deus ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum eo & Spiritu S. vivit & regnat Deus.

Præfatio Lectoris.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos N. quos in ordinem lectorum dignatur aſſumere, benedictionem ſuam clementer effundat, quatenus diſtinctè legant, quæ in Eccleſia legenda ſunt, & eadem operibus impleant. *Oremus.* Et Diaconus. *Flectamus genua. Levate.*

Benedictio ejuſdem.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Lectorum, ut aſſiduitate lectionum diſtincti ſint, atque ordinati, & agenda dicant, & dicta opere compleant, ut in utroque ſanctæ Eccleſiæ exemplo, ſanctitati ſuæ conſulant. Per Dominum noſtrum.

Ordinatio Exorciſtæ.

Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipite, & commendate memoriæ, & habetote poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive Catechumenos.

Præfatio.

Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſupplices deprecemur, ut hos famulos ſuos N. benedicere dignetur in officium Exorciſtarum, ut ſint ſpirituales Imperatores ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi, per unigenitum filium ſuum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat Deus in unitate Spiritus S. Per.

Oremus. Et Diaconus. *Flectamus genua. Levate.* Sequitur Benedictio.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Exorciſtarum, ut per impoſitionem manuum, & oris officium, poteſtatem & imperium habeant abjiciendi Spiritus immundos, & probabiles ſint Medici Eccleſiæ tuæ, gratiâ curationum, virtuteque cœleſti confirmati. Per Dominum noſtrum.

Ordinatio Acolythi.

Acolythus cum ordinatur, primùm ab Epiſcopo doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat, & accipiat ab eo ceroferarium, dicente ſibi Epiſcopo, Accipite Ceroferarium cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari.

Accipiat & urceolum vacuum, dicente ſibi, Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.

Præfatio.

Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos N. benedicere dignetur in ordinem Acolythorum, quatenus lumen viſibile manibus præferentes, lumen quoque ſpirituale moribus præbeant.

Oremus, & Diaconus, Flectamus genua. Sequitur.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, & Apoſtolos ejus, in hunc mundum lumen claritatis miſiſti, quique ut mortis noſtræ antiquum aboleres chirographum, glorioſiſſimè illum crucis vexillo affigi, ac ſanguinem & aquam ex latere illius pro ſalute generis humani effluere voluiſti; benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Acolythorum, ut ad accendendum lumen Eccleſiæ tuæ, & ad ſuggerendum vinum & aquam ad conficiendum ſanguinem Chriſti filii tui, in offerenda Euchariſtia, ſanctis altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent. Accende Domine mentes eorum, & corda, ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu ſplendoris tui fideliter tibi in ſancta Eccleſia inſerviant. Per Dominum.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ad Moyſen & Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo teſtimonii, benedicere & ſanctificare dignare hos famulos tuos, ut ſint Acolythi in Eccleſia tua. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis & origo bonitatis, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum, lumen verum, mundum illuminaſti, eumque paſſionis myſterio redemiſti, benedicere dignare hos famulos tuos N. quos in officium Acolythorum conſecramus, poſcentes clementiam tuam, ut eorum mentes, & * lumen ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum miniſterium, te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per Dominum noſtrum.

Ordinatio Subdiaconi. Capitulum Sancti Gregorii.

Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit,

fugit, ſacris eſt altaribus admovendus: Sic qui ultro ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altaria conſcendere indignus, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit quia benedictio illius in maledictum convertitur? Quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Pateram de manu Epiſcopi vacuam accipiat, ſimiliter & Calicem vacuum: De manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili, ac manutergium dicente ſibi Epiſcopo.

Videte cujus miniſterium vobis traditur; & ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, à modo debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles. Si uſque nunc ebrioſi, à modo ſobrii. Si uſque nunc inhoneſti, à modo caſti. Oblationes quæ veniunt ad altare, panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat. Pallæ verò quæ ſunt in ſubſtratorio altaris, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi autem pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet lavari, ipſa aqua in baptiſterium debet mergi. Ideo admonco ut vos exhibeatis, ita ut Deo placere poſſitis.

His dictis ſequitur præfatio.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum, fratres chariſſimi, ut ſupra famulos ſuos N. quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem ſuam & gratiam, ut in conſpectu ejus fideliter ſervientes prædeſtinata ſanctis præmia conſequantur.

Oremus. Et Diaconus, *Flectamus genua.*

Benedictio Subdiaconi.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, eos in ſacrario tuo ſancto ſtrenuos ſolicitoſque cœleſti militiæ inſtituas excubitores, ſanctiſque altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent, & requieſcat ſuper eos Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eos Spiritu timoris tui, & eos miniſterio divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes tuam gratiam conſequantur. Per.

ORDO QUALITER IN ROMANA Eccleſia Diaconi, Presbyteri, eligendi ſunt, Menſe primo, quarto, ſeptimo, & decimo.

SAbbatorum die in duodecim lectionibus ** S. Petrum ** Poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione & expletis omnibus ex more, veniat Archidiaconus, & offerat eum Pontifici qui ordinandus eſt, ita dicendo.

Poſtulat mater Eccleſia ut hunc præſentem Subdiaconum ad onus Diaconi ** vel Presbyterii ordinetis. *Interrog.* Scis illum dignum eſſe. ℟. *Off.* Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſum dignum eſſe ad hujus onus officii. Et tunc annuntiat ante Euangelium Pontifex in populo, dicens ad omnes.

Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto eligimus hunc in ordinem Diaconi. Si quis autem habet aliquid contra illum pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.

Tunc proſternat ſe Pontifex cum Archidiacono ante altare ſuper ſtramenta cum his qui conſecrandi ſunt **. Et imponat Letaniam qu***. at*. ſe, & aſcendant ... ad ſedem Pontificis, & benedicat eos ad quod vocati ſunt, & deſcendant, & ſtent in ordine ſuo. Benedictione accepta Archidiaconus imponat Euangelium, & cætera ex more: Et omnes qui ordinati ſunt, oblationes deferant ad manus Epiſcopi, & ab eo conſecratas accipiant.

Ordinatio Diaconi.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manus ſuper caput ejus ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur, & alloquitur populum his verbis.

Commune votum, communis oratio proſequatur, ut hi per totius Eccleſiæ precem, quia in Diaconatus miniſterio præparantur, Leviticæ benedictionis ordine clareſcant, & ſpirituali converſatione præfulgentes gratia ſanctificationis eluceant, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto qui cum Patre.

Præfatio.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos N. quos ad officium Diaconatus aſſumere dignatus eſt, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, & conſecrationis indultæ propitius dona conſervet, & preces noſtras clementer exaudiat, ut quæ noſtro gerenda ſunt miniſterio, ſuo benignius protegantur auxilio, & quos ſacris myſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, ſua electione juſtificet.

Oremus, & Diaconus. Flectamus genua.

Oratio.

Adeſto quæſumus, omnipotens Deus, honorum dator, ordinumque diſtributor, ac officiorum diſpoſitor, qui in te manens innovas omnia, & cuncta diſponis per verbum, virtutem ſapientiamque tuam, Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſempiterna providentia præparans, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſans: cujus corpus, Eccleſiam videlicet tuam, cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſtinctione mem-

membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris, ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, Electis ab initio Levi filiis, qui in myſticis operationibus, domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hos quoque famulos tuos N. quæſumus Domine placatus intende, quos tuis ſacrariis ſervituros in officium Diaconi ſuppliciterde dicamus Et nos quidem tanquam homines divini ſenſus, & ſummæ rationis ignari, horum vitam quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis ſunt ignota non tranſeunt, te occulta non fallunt: Tu cognitor es ſecretorum: Tu ſervator es cordium. Tu eorum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Emitte in eos, quæſumus Deus, Spiritum S. quo miniſterii fideliter exequendi, ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, autoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctæ plebis acquirant, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent, digniſque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per.

Ad conſummandum Diaconi officium cum ſtola.

Accipe ſtolam tuam, imple miniſterium tuum, potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam, qui vivit.

Alia.

Accipe ſtolam candidatam de manu Domini, ab omnibus vitiorum ſordibus purificatus in conſpectu divinæ Majeſtatis, ut omnibus vita converſationis tuæ præbeat exemplum, plebſque dicata Chriſti nomine poſſit imitando te, imitationem acquirere juſtam.

Benedictio poſt acceptam ſtolam.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos N. Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditati, & tuæ majeſtati gratiam poſſint acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.

Alia.

Domine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum remunerator, qui cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis ubique diſpoſitis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum; hos quoque famulos tuos N. ſpeciali dignare illuſtrare affectu, ut tuis obſequiis expediti ſacris altaribus miniſtraturi puri accreſcant, & indulgentia tua puriores, eorum gradu quos Apoſtoli tui in ſeptenario numero, A Beato Stephano duce ac prævio, Spiritu ſancto autore elegerunt, digni exiſtant, & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructi complaceant. Per.

Ordinatio Presbyteri.

Poſt lectionem autem & tractum, atque Letaniam, parate Electo qui Presbyter ordinandus eſt, Diaconi more orarium tantùm, & præſentantibus eum, atque ducentibus duobus Diaconibus uſque ad Presbyteros, & duo Presbyteri ducant ad ſedem Pontificis: Et ipſe ſe erigens interrogat, ſi juſtus & dignus ſit. B Illis autem atteſtantibus, eundem dignum & juſtum eſſe Dei gratia. Eo inclinato imponat manum ſuper caput ejus, & omnes Presbyteri, qui cum eo aſſunt pariter, & ille dat orationem ſuper eum.

Allocutio ad populum.

Quoniam, dilectiſſimi fratres, rectori navis, & navigio deferendis, eadem eſt vel ſecuritatis ratio, vel timoris, communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Nec fruſtra à Patribus reminiſcimur inſtitutum, ut de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur & po- C pulus: Quia de actu & converſatione præſentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis; & neceſſe eſt ut facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando. Fratrum noſtrorum & Presbyterorum N. converſatio, quantum mihi videtur, probata, ac Deo placita eſt, & digna, ut arbitror, Eccleſiaſtici honoris augmento. Sed ne unum fortaſſe vel paucos aut decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt expectanda multorum. Itaque quod decorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito cenſeatis, Deo teſte conſulimus. Debet hanc fidem charitas veſtra habere D quam ſecundum præceptum Euangelii, & Deo exhibere debetis & proximo, ut his teſtimonium Sacerdotii magis pro merito quam affectione aliqua tribuatis; Et qui devotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus. Scimus tamen quid eſt acceptabilius Deo, ſi aderit per Spiritum S. conſenſus omnium animorum, & ideo electionem veſtram debetis publica voce profiteri.

Præfatio.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos N. quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona mul- E tiplicet, & quod ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius conſequantur auxilio.

Oremus, & dicat, *Flectamus genua*, Sequitur.

Exaudi nos quæſumus, Domine Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos N. benedictionem S. Spiritus, & gratiæ Spiritualis infunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus

offerimus conſecrandos, perpetua muneris tui largitate proſequaris.

Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Dominus vobiſcum. Et cum. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum. Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum dator, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt univerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Unde & ad Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt, ut cum Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis, & operis adjumentum, ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic & in eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentes Moyſis Spiritum propagaſti: Quibus ille adjutoribus uſus, in populo innumerabiles multitudines facilè gubernavit. Sic Eleazaro & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apoſtolis filii tui Doctores fidei comites addidiſti, quibus ille orbem totum ſecundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine quæſumus hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus. Da quæſumus omnipotens Deus in hos famulos tuos N. Presbyteri dignitatem. Innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis, ut acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint providi cooperatores ordinis noſtri: Eluceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per eundem. In unitate ejuſdem.

Hic veſtiatur Orarium ſuper humerum dexterum, dicens ad eum.

Accipe jugum Dei, jugum enim ejus ſuave eſt & onus ejus leve.

Hic veſtiens eum caſula dicit,
Stola innocentiæ induat te Dominus.

Sequitur Benedictio.

Deus ſanctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio, plenaque benedictio eſt. Tu Domine ſuper hos famulos tuos N. quos Presbyterii honore dedicamus, manus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum, & cenſura vivendi probent ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur. Juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendant, exemplo probent ammonitionem, & confirment, ac purum & immaculatum miniſterii ſui donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ, panem & vinum in corpus & ſanguinem filii tui immaculata benedictione transforment, & inviolabili charitate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſti & æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, Spiritu S. pleni perſolvant. Per eundem. In unitate ejuſdem Spiritus S.

Expleta autem oratione, ac capiens oleum faciat † ſuper manus ambas ita dicendo.

Conſecrare & ſanctificare digneris Domine, manus iſtas per iſtam unctionem, ut quæcunque conſecraverint, conſecrentur, & quæcunque benedixerint benedicantur, & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, dicat, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tam pro vivis quàm pro Defunctis, in nomine Domini.

Benedictio.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in ordine Sacerdotali, & offeratis placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria, per omnia.

Poſtea ſequitur in codice, orationes ad Abbatem faciendum, vel Abbatiſſam, *quas vitro prætermittimus; Orationibus iſtis finitis ſuccedit ritus conſecrationis Epiſcopalis in hunc modum.*

In Chriſti nomine incipit ordo ad vocandum & examinandum, ſeu conſecrandum electum Epiſcopum.

Sabbati die circa Veſperam, ſedente Domino Apoſtolico in atrio juxta Eccleſiam, venit Archipresbyter indutus caſula cum Clericis illius Eccleſiæ cui electus conſecrandus eſt; & flectens genua ante Apoſtolicum, benedictionem petit dicendo.

Jube Domine benedicere. *Reſp.* Apoſtolicus, Nos regat & ſalvet cœleſtis conditor aulæ. Archipresbyter autem ſurgens procedit paululùm, & iterum petens benedictionem genua flectit, & dicit. Jube Domine *Reſp.* Nos Dominus ſervet, cuſtodiat, atque gubernet.

Tertia verò vice benedictionem ſimili modo petit, dicens, Jube Domine. *Reſp.* Gaudia cœlorum, det nobis Rector eorum.

Benedictione completa interrogat eos Dominus Apoſtolicus, Omnia rectè, quod vos fatigaſtis fratres? *Reſp.* Ut Deus & Dominus noſter concedat nobis Paſtorem. *Interr.* habetis veſtrum? *Reſp.* habemus. *Interr.* Eſt de ipſa Eccleſia, an de alia? *Reſp.* de ipſa. *Interr.* Quo honore fungitur? *Reſp.* Presbyteratus. *Interr.* Quot annos habet in Presbyteratu? *Reſp.* Decem. *Interr.* habuit

habuit conjugium? ℟. minimè. *Interr.* Diſpoſuit domui ſuæ? ℟. Diſpoſuit. *Interr.* Quid vobis complacuit in ipſo? ℟. Sanctitas, caſtitas, humilitas, benignitas, & omnia, quæ placabilia ſunt. *Interr.* habetis decretum? ℟. habemus. Et dicit Apoſtolicus, legatur. Tunc profertur decretum, & legitur hoc modo.

Beatiſſimo Papæ, & Apoſtolicæ ſedis dignitate conſpicuo, Clerus & populus illius Eccleſiæ, totius devotionis famulatum.

Credimus non latere Apoſtolatus veſtri celſitudinem, quod noſtra Eccleſia ſuo ſit viduata Paſtore, ac propter hoc ſolatio proprii ſit deſtituta Rectoris. Quapropter ne Paſtore abſente grex Dominicus perfidorum luporum morſibus pateret, & ne improbi raptoris fieret præda, communi voto atque conſenſu eligimus nobis in Pontificem illum Presbyterum noſtræ Eccleſiæ: Virum utique prudentem, hoſpitalem, ornatum moribus, caſtum, ſobrium, & manſuetum; Deo & hominibus per omnia placentem, quem ad Apoſtolatus veſtri dignitatem mittere curavimus, unanimiter poſtulantes, & obſecrantes à veſtra majeſtate nobis illum ordinari Pontificem, quatenus autore Domino nobis velut idoneus Paſtor præeſſe valeat, & prodeſſe, noſque ſub ſacro ejus regimine Domino ſemper militare poſſimus. Ut autem omnium noſtrum vota in hanc electionem convenire noſcatis, huic canonico decreto propriis manibus roborando ſubſcripſimus. Ego ill. ff. Ego ill. ff.

Hoc lecto proſequitur Apoſtolicus.

Videte ne aliquam vobis promiſſionem fecerit: ſciatis quia Simoniacum eſt, & contra canones. ℟. Abſit. Et dicit, ducatur.

Tunc venit ipſe electus, Planeta indutus, & ter benedictionem petit ſicut ſuperius. Benedictione expleta interrogat eum Apoſtolicus.

Omnia rectè quod te fatigaſti frater? ℟. Quod ego dignus non fui, iſti Confratres mei elegerunt me ſibi præeſſe Paſtorem. *Interr.* De ipſa Eccleſia es, an de alia? ℟. de ipſa. *Interr.* Quo honore fungeris? ℟. Presbyteratus. *Interr.* Quot annos habes in Presbyteratu? ℟. Decem. *Interr.* habuiſti conjugium? ℟. minimè. *Interr.* Diſpoſuiſti domui tuæ? ℟. Diſpoſui. *Interr.* Qui libri leguntur in Eccleſia tua? ℟. *T.* Eptaticus Prophetarum. Euangelium, Apocalypſis, Epiſtolæ Pauli, & reliqui. *Interr.* Noſti canones? ℟. Doce nos Domine.

Et dicit Apoſtolicus.

Vide ordinationes ſi feceris, ut certis temporibus facias, id eſt, primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis. Bigamos aut Curiales, aut de ſervili conditione, ad ſacrum ordinem non promoveas. A Simoniaca verò hæreſi te omnino cuſtodias. Tamen dabitur tibi edictum de ſcrinio noſtro qualiter debeas conſecrari. Vide autem ne aliquam promiſſionem pro hac cauſa feceris, quia Simoniacum eſt, & contra canones. ℟. Abſit. Et dicit. PP. Tu videris. Quia ergo omnium in te vota conveniunt, hodie abſtinebis, & cras Deo annuente conſecraberis.

Primo verò die progreditur Domnus Apoſtolicus cum Electo, & Clero, & cuncto populo ad Eccleſiam. *Tunc Cantores incipiunt Introitum.* Elegit te Dominus ſibi in Sacerdotem magnum, & aperiens theſaurum ſuum optimum, & abundare te faciet omnibus bonis. *Pſalmus.* Exaudiat te Dominus. *Finito Introitu* non dicatur Kyrie, ſed gloria in excelſis. *Quo finito* dicitur pax vobis. *Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, ut quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Finita Oratione.

Sedeat Domnus Papa in ſua ſede, facto ibi ſilentio fiat examinatio talis,

Antiqua Sanctorum Patrum inſtitutio docet, & præcipit, ut is qui ad ordinem Epiſcopatus eligitur, maximè ut legimus in canone Carthaginenſi, antea diligentiſſimè examinetur cum omni charitate, de fide Sanctæ Trinitatis, & interrogetur de diverſis cauſis, vel moribus, quæ huic regimini congruunt, & neceſſaria ſunt retineri ſecundum Apoſtoli dictum, manus citò nemini impoſueris: Et ut etiam is qui eſt ordinandus antea erudiatur, qualiter ſub hoc regimine conſtitutum oporteat converſari in Eccleſia Dei: Irreprehenſibiles ſint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaque autoritate & præcepto interrogamus te, dilectiſſime frater, charitate ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, divinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris. *Reſp.* Ita ex toto corde volo in omnibus obedire & conſentire. *Interrog.* Vis ea quæ ex divinis ſcripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis? *Reſp.* Volo. *Interrog.* Vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac decretales Sanctæ & Apoſtolicæ ſedis conſtitutiones reverenter ſuſcipere, docere, atque ſervare? *Reſp.* Volo. *Interr.* Vis Beato Petro cui à Domino data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, ejuſque Vicario, ſucceſſoribuſque ejus fidem & ſubjectionem exhibere. ℟. Volo. *Interr.* Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris Domino adjuvante ad omne bonum commutare? ℟. Volo. *Interr.* Vis ſemper in divinis eſſe negotiis mancipatus, & à terrenis negotiis, vel lucris turpibus alienus, quantum te humana hæc fragilitas conſenſerit poſſe. ℟. *Interr.* Vis caſtitatem & ſobrietatem cum Dei auxilio cuſtodire. *Reſp.* Volo. *Interr.* Vis humilitatem & patientiam in temetipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere. *Reſp.* Volo. *Interr.* Pauperibus & peregrinis omnibus indigentibus vis eſſe prepter nomen Domini affabilis & miſericors. *Reſp.* Volo.

Tunc

Tunc dicatur ei.

Hæc omnia & cætera bona tribuat tibi Dominus, & cuſtodiat te, atque corroboret in omni bonitate. *Reſp.* Amen. *Interr.* Credis ſecundum intelligentiam & capacitatem ſenſus tui Sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum S. unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem, coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, & ſpiritualia. *Reſp.* aſſentio, & ita credo. *Interr.* Credis ſingulam quamque in Sancta Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum, & perfectum. *Reſp.* Credo. *Interr.* Credis ipſum Filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper Virgine cum anima rationali. Duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem. Deum verum, & hominem verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, nec phantaſticum; ſed unicum & unum Filium Dei, in duabus, & ex duabus naturis, ſed in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem, immortalem divinitatem, ſed in humanitate pro nobis, & pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, ac ſepultum, ac reſurgentem à mortuis tertia die, vera carnis reſurrectione. Die quadrageſimo poſt reſurrectionem, cum carne qua reſurrexerat, cum anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris. Inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. *Reſp.* Aſſentio, & per omnia credo. *Interr.* Credis etiam Spiritum ſanctum, plenum, & perfectum, verumque Deum, à Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coeſſentialem, coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio? *Reſp.* Credo. *Interr.* Credis hanc Sanctam Trinitatem non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem. *Reſp.* Credo. *Interr.* Credis ſanctam Catholicam & Apoſtolicam unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. *Reſp.* Credo. *Interr.* Anathematizas etiam omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam Eccleſiam Catholicam. *Reſp.* Facio, vel anathematizo. *Interr.* Credis etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis quam nunc geſtas, & vitam æternam. *Reſp.* Credo. *Interr.* Credis etiam novi & veteris Teſtamenti, legis, & Prophetarum, & Apoſtolorum, unum eſſe autorem Deum, ac Dominum omnipotentem. *Reſp.* Credo.

Tunc dicatur ei.

Hæc tibi fides augeatur à Domino, ad veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime frater in Chriſto. *Reſp.* Amen. Hæc ſolicita mente, & ſtudio vigilante conſerva, & tibi commiſſis nota facere cura, ut unanimes uno ore collaudetis Deum de ſuis erga vos beneficiis, cui exhibendus eſt honor & gloria, per omnia ſecula ſeculorum. *Reſp.* Amen.

Ita quoque examinatus, & plenè inſtructus cum conſenſu Clericorum, & Laïcorum, ac conventus totius Provinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani autoritate & præſentia ordinetur. Nullis detur invitis Epiſcopus, niſi Cleri, plebis, ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur.

His ita peractis duo Epiſcopi cooperatores ordinis ſacri reducant ipſum Electum in ſacrarium. Tunc egreditur Archidiaconus cum Acolythis, & Subdiaconibus, & induit ipſum Electum Cambagos, Sandalia, Dalmaticam, Planetam, & manicas.

Interim legitur Apoſtolus de Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Chariſſime, fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum, non percuſſorem ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit. Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli. Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, ut doctrinam Dei ornet in omnibus.

Memor ſit omnis ſacrificii ... Mittat tibi auxilium ... Alleluja. Et ... Diffuſa eſt gratia. Deſiderium animæ ejus.

Quando induitur ſandaliis dicatur Oratio ab Epiſcopis.

Omnipotens ſempiterne Deus qui es initium & finis, fac iſtum famulum tuum N. fratrem ſcilicet noſtrum tua benedictione calceari pedulibus iſtis, in præparationem Euangelii pacis.

Ad manicas.

Immenſam clementiam tuam rogamus omnipotens & piiſſime Deus, ut manus iſtius famuli tui N. ſcilicet fratris noſtri, ſicut exterius obducuntur manicis iſtis, ſic interius aſpergantur rore tuæ benedictionis, ut quæcunque per eas fint benedicenda, vel conſecranda, per te benedicantur & conſecrentur. Qui vivis.

Ad Dalmaticam.

Deus bonorum omnium autor, & largitor, guberna famulum tuum hunc N. fratrem noſtrum, ut ſicut hoc typico indumento priſcorum Patrum ritu latiora veſtimenta præſentialiter * perſtringunt, ita mentis ejus vanæ & vagæ cogitationes, ne in effectum periculoſum proveniant, te protegente coërceantur. Præſtante.

Epiſcopo verò deſignato, ſolemniter præparato, duo Epiſcopi caſulis induti deportent eum ſupe-

ſuperius juxta altare : & convertens ſe Ordinator ad populum, faciat ſermonem ſi velit. Deinde imponat Clerus Litan. & proſternat ſe Ordinator Electi ſimul cum Electo, & cæteris Epiſcopis ante altare ſuper ſtramenta uſque dum dicit Schola, *Agnus Dei*. Ut autem ſurrexerint, duo Epiſcopi ponunt & tenent Euangeliorum codicem ſuper verticem ejus, & inter ſcapulas clauſum ; & uno fundente ſuper eum benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui aſſunt, manibus ſuis caput ejus tangunt, & dicat Ordinator.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis compleat effectu. Per Dominum.

Oremus, dilectiſſimi nobis, ut huic viro utilitati Eccleſiæ providens benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per eum qui.

Oratio.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum N. cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per Dominum.

Tunc incipit alta voce.

Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. V D. æterne Deus. Honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſanctis famulantur ordinibus : Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens Electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati, cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii interioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum : Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco huic famulo tuo quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate ſignabant : Hoc in ejus moribus, actibuſque clareſcat. Comple in Sacerdote tuo myſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, cœleſtis unguenti flore ſanctifica. *Hic mittatur chriſma* in capite ejus in modum † & dicatur.

Unguatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Pontificali. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo. Hoc Domine copioſè in ejus caput influat : hoc in oris ſubjecta decurrat : hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Sint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad Euangelizandum pacem, ad Euangelizandum bona tua. Da ei Domine miniſterium reconciliationis, in verbo & in factis, in virtute ſignorum & prodigiorum. Sit ſermo ejus & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis ; ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Da eis Domine claves regni cœlorum, ut utatur, non glorietur poteſtate quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcunque ligaverit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolverit ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis : Quorum detinuerit peccata, detenta ſint, & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui benedixerit ei, ſit benedictus ; & qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis ſervus & prudens, quem conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, ut det illis cibum in tempore oportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſollicitudine impiger, ſit Spiritu fervens, oderit ſuperbiam, humilitatem diligat, nec eam unquam deſerat, aut laudibus, aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem, non dicat malum bonum, ſit ſapientibus & inſipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium conſequatur. Tribuas ei Domine Cathedram Epiſcopalem, ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis ei autoritas, ſis ei poteſtas, ſis ei firmitas, multiplices ſuper eum benedictionem, & gratiam tuam, ut ad exorandam miſericordiam tuam tuo munere ſemper idoneus, tua gratia poſſit eſſe devotus. Per.

Conſecratio manuum.

Unguantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & criſmate ſanctificationis, ſicut unxit Samuël David in Regem & Prophetam, ita unguntur & conſecrentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, facientes imaginem ſanctæ Crucis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui nos à morte redemit, & ad regna cœlorum perduxit. Exaudi nos pie Pater omnipotens æterne Deus, & præſta ut quod te rogamus, exoremus. Per.

Completa benedictione confirmet pollicem conſecrati cum Chriſmate, dicens.

Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te Pontificatus ſublimari voluit dignitate, ipſe te chriſmate & myſticæ delibationis liquore perfundat, & ſpiritualis benedictionis ubertate fœcundet, ut quidquid benedixeris, benedicatur, quidquid ſanctificaveris, ſanctificetur ; & conſecratæ manus iſtæ, vel pollicis impoſitio, cunctis proficiant ad ſalutem. Per.

Benedictio annuli.

Creator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: Tu Domine permitte tuam benedictionem super hunc annulum, ut quicunque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incedit, in virtute cœlestis defensionis, ad æternam vitam sibi proficiat. Per.

Quando datur annulus, dicatur.

Accipe annulum discretionis & honoris, fidei signum, ut quæ signanda sunt, signes, & quæ aperienda sunt, perdas, quæ liganda sunt, liges, quæ solvenda sunt, solvas; atque credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem & Pœnitentibus per ministerium reconciliationis januas regni cœlestis aperias, cunctis verò de thesauro Dominico nova & vetera proferas, ad æternam salutem hominibus, consolatus gratia Domini nostri.

Ad annulum digito imponendum.

Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide, ornatè, illibatè custodias.

Benedictio Baculi.

Deus sine quo nihil potest benedici vel consecrari, hunc baculum benedicere dignare, ut quotiescunque famulus tuus illum gestando, & te in corde tenendo, per hunc sustentetur, & tuæ benedictionis ubertate repleatur. Per.

Cum datur Baculus, dicit.

Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasque potestatem eligendi dignos & corrigendi indignos, cooperante Domino nostro.

Tunc dat osculum.

Pontifici, & Diaconibus omnibus. Tenens eum Archidiaconus deportat in Presbyterium, & dat osculum Episcopis & Presbyteris. Et tunc jubet eum Dominus Pontifex in capite sedium Episcoporum sedere. Dominus verò Pontifex redit ad sedem. Dum autem sederit, lavat manus; & ponens incensum in Thymiamaterio dat benedictionem, & ille imponat Euangelium *secundum Marcum.*

In illo tempore circuibat Jesus in civitate docens, & convocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem Spirituum immundorum, & præcepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantùm, non peram, non panem: neque in Zona æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis, Quocunque introieritis in domum illic manete, donec inde exeatis. Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes prædicabant ut Pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.

Item aliud secundum Lucam. Facta est contentio.

Offertor. Benedic anima mea. *Off. Secreta.*

Suscipe Domine munera quæ tibi offerimus pro famulo tuo ill. ut propitius in eodem tua dona custodias. Per.

Alia.

Hæc hostia quæsumus Domine emundet nostra delicta, & ad sacrificium subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo N. quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, Quæsumus Domine ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur: Diesque nostros.

Benedictio.

Benedicat tibi Dominus custodiens te sicut voluit super populum suum constituere Pontificem: ita & in præsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis faciat esse consortem. ℟. Amen. Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione in tua sanctione congregari, sua dispensatione, & tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernare. ℟. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis operibus exuberantes, tuo ministerio fide obsequentes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. ℟. Amen.

Cum autem venerit ad communicandum, Domnus Pontifex porriget ei formatam, atque sanctam oblationem integram, suscipiensque eam Episcopus, ipse ex ea communicat super altare. Quod verò residuum fuerit, sibi reservat denuò ad communicandum unoquoque die usque quadraginta diebus expletis.

Et postmodum jussus à Domino Pontifice, communicat populum cum cæteris Episcopis.

Com. Messis quidem multa, Operarii autem pauci.

Rogate ergo Dominum Messis, ut mittat Operarios in Messem suam.

Col. Lætabimur.

Ad complendum.

Plenum quæsumus Domine in nobis remedium tuæ miserationis operare, & tales nos esse perfice propitius, & sic foveri, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per Dominum.

℣ *Postea sequitur Missa pro Episcopo in ipsius Ordina-*

Ordinatione; quæ finita ſequitur alia pro eodem Epiſcopo in die Ordinationis ſuæ anniverſario, quibus ſuccedit benedictio ſacrarum veſtium in hunc modum.

Item benedictio veſtimentorum.

Sacerdotalium ſive Leviticorum, atque ſequentium ordinis miniſtrantium.

Omnipotens ſempiterne Deus: qui per Moyſen famulum tuum Pontificalia veſtimenta, atque Levitica ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, & ad decorem ſeu laudem nominis tui fieri decreviſti: Adeſto propitius invocationibus noſtris; & hæc indumenta famuli, & Sacerdotis tui, deſuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſervitutem purificare, benedicere & conſecrare digneris, ut divinis cultibus, & ſacris miniſteriis apta & benedicta exiſtant. His quoque ſacris veſtibus Sacerdotes vel Levitæ tui induti, defenſi ab omnibus impulſionibus, ſeu tentationibus malignorum Spirituum eſſe mereantur, tuiſque miniſteriis aptè & condignè ſervire, & inhærere, in hiſque placidè & devotè tribue perſeverare. Per.

Benedictio ab Albam, Planetam, Stolam, & cingula.

Domine Deus Pater omnipotens, Rex & magnificus triumphator, qui per ſanctos Patres noſtros, qui tibi in Sacerdotali ordine placuerunt, diverſi ordinis ornamenta, & veſtimenta Sacerdotalia fieri, & his ornari Sacerdotes tibi ſervientes juſſiſti: Exaudi propitius orationem noſtram, Et hanc Planetam famuli tui, ac Podêrem, ac cingulum, Orariumque, dextera tua ſancta benedicere, conſecrare, ſanctificare, & purificare digneris, quatenus hæc veſtimenta Miniſtris & Levitis, ac Sacerdotibus tuis ad divinum cultum ordinandum, explendumque, proficiant, ſanctiſque altaribus tuis mundè & ornate in his ſacris veſtibus miniſtraturi, irreprehenſibiles in actu & veſtitu, interius exteriuſque appareant, tibique ſolido puro corde, & mundo corpore, omnibus diebus vitæ ſuæ, irreprehenſibiliter Sanctorum Patrum exempla ſequentes ſervire valeant, hiſque ſacris miniſteriis ſecundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cœleſtis regni gloriam cum omnibus ſibi commiſſis percipere mereantur. Per Dominum.

Benedictio Stolarum.

Deus invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac ſanctificator, intende preces noſtras, & hanc ſtolam ſive mappulam, vel Planetam Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ Miniſtris tuis fruendis tuo proprio ore benedicere ac ſanctificare, & conſecrare digneris, omneſque eis utentes, tuiſque miniſteriis à nobis indignis conſecrandos, aptos, & tibi cum eis devotè & amabiliter ſervientes, gratos efficere dignare. Per.

Item Bened. Corporalium.

Domine Deus qui jam ſanctificare dignatus es hoc genus ſpecierum, quando eo dignatus es involvi corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti unigeniti tui in beata paſſione: Concede quæſumus per eundem Dominum, nobis quanquam indignis famulis tuis, ut præſens linteum cœleſti benedictione ſanctum & aptum fiat Dominico ſepulchro, altari videlicet tuo, ut placabiliter poſſit in eo poni corpus & ſanguis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt vita omnium fideliter ſumentium, & vivit & regnat tecum Deus in unitate.

Alia.

Clementiſſime Domine, inenarrabilis virtus, cujus myſteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue quæſumus ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione ſanctificetur, ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſanguinem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum.

RITUS ANTIQUUS ELECTIONIS, examinis, & ordinationis Epiſcopalis.

Mihi ante duodecim aut tredecim annos luſtranti Bibliothecam eruditiſſimi Domini de Montchal Tholozatis Archiepiſcopi libris rariscopioſam, contigit incidere in antiquam quandam canonum collectionem, vitulina charta conſcriptam, cujus character annorum ſaltem ſexcentorum ætatem arguebat. In fine adtextus erat, ritus iſte Ordinationis Epiſcopalis, ſi bene memini, ejuſdem characteris & antiquitatis. Eo lecto dignum judicavi quem exſcribi curarem. Eoque multos poſt annos relecto, dignum quoque judicavi qui hic inſereretur. Propriè docetur in eo modus Electionis Epiſcopalis, & præſentationis Electi, qui tum fiebat Archiepiſcopo, ratioque Scrutinii & examinis Electi, ut ad Ordinationem admitteretur. Nam ea quæ ad Ordinationem ſpecialiter pertinent, obiter, & uno prope verbo ſignificantur. Plura ad Ordinationum materiam ſpectantia non adtexebantur. Hoc fragmento qualecunque ſit, Lector fruatur. Illi multis de cauſis utile fore cenſui. Nonnulla de origine, & Officiis Epiſcoporum antecedebant in illo codice quæ ſequuntur, magna ex parte decerpta verbo tenus ex c. 5. lib. 2. S. Iſidori de Officiis Eccleſiaſticis, & Rabani Mauri lib. 1. c. 4. de Inſtit. Clericorum, & nonnullis canonibus, quæ ut hic non neceſſaria prætermiſi.

Ordo qualiter in Sancta Romana Eccleſia Epiſcopus ordinatur.

Dum à civitate & loco Epiſcopus fuerit defunctus, à populo civitatis eligitur alius, & fit à Sacerdotibus, Clero, vel populo decretum; & veniunt ad Archiepiſcopum, adducentes ſecum & ſuggeſtionem, hoc eſt, rogatorias literas ut eis Epiſcopus conſecretur quem ſecum deportant. Tunc Archiepiſcopus præcipit Sacellario vel numenculatori, ut eum ad Archidiaconum dirigat, quatenus inquirat illum de quatuor capitulis, ſecundum Canones, id eſt, de Arſenoquita, quod eſt coïtus cum maſculo, pro ancilla Deo ſacrata quæ à Francis nonna dicitur: Pro quadrupedibus, & muliere alio viro conjuncta; aut ſi conjugem habuit ex alio viro, quæ à Græcis dicituf deuterogamia. Et dum nihil eorum ipſe vir conſcius fuerit, Euangeliis ad medium deductis, Jurat ipſe electus Archidiacono; & poſt hæc traditur Subdiacono, & pergit cum præfato electo ad aulam Sanctæ Matris Eccleſiæ, ibique ſupra ejus ſacratiſſimum corpus confirmat, quod non cognoviſſet ſuperius nominata capitula. Alia vero die nunciatur ab Archidiacono ſicut actum eſt. Tunc Archiep. induit ſe pallio, & ſedet in ſede; & vocatis ad ſe Epiſcopis & Presbyteris jubet eos ſecum conſedere. Stante autem univerſo Clero, præcipit Sacellario ſuo ut plebs civitatis ingrediatur: & ille dum perrexerit ad eos introducendum, eligit ex illis, id eſt, ex Sacerdotibus perſonam, qui reddat rationem, dum fuerit interrogatus; & dum fuerint introducti, interrogantur ab Archiepiſcopo ſic; Quid eſt, A fratres, quod vos fatigaſtis? Illi reſpondent, ut nobis Domine concedas patronum. Reſpondet Archiepiſcopus, habetis virum? Reſpondent, habemus. Quo honore fungitur? Reſpondent, Diaconus eſt, vel Presbyter, aut quod fuerit. Iterum interrogantur; quot annos habet in Diaconatu, aut Presbyteratu? Reſpondent quot. Tunc Archiepiſcopus dicit, de ipſa Eccleſia eſt, an de alia? Reſpondent de ipſa; & ſi dixerint de alia, dicit Archiepiſcopus; dimiſſionem habet ab Epiſcopo ſuo? Reſpondent, habet; & mox offerunt eam. Deinde Archiepiſcopus dicit; conjugem habuit, aut diſpoſuit de domo ſua? Reſpondent, ſi habuit, aut non, & ſi de domo ſua diſpoſuit. Archiepiſcopus dicit, quid vobis complacuit de eo? Reſpon- B dent, caſtitas, hoſpitalitas, benignitas, & omnia bona quæ Deo ſunt placita. Archiepiſcopus dicit, Videte fratres ne aliquam promiſſionem feciſſet vobis: Scitis quod Simoniacum & contra canones eſt. Reſpondent, abſit à nobis: Archiepiſcopus dicit; Vos videritis; & iterum dicit, habetis decretum, reſpondent, habemus; & dum eum offerunt, jubet Sacellario ut relegatur; & dum relectus fuerit, jubet Archiepiſcopus introducere electum. Dum verò introductus à Subdiacono fuerit; à longè tertia vice ſe infra proſternit. Tunc Archiepiſcopus dicit, protegat nos Dominus, Reſpondent omnes, Amen. Archiepiſcopus interrogat eum; quid te fatigaſti frater? Reſpon- C det, ad quod non ſum dignus: Iſti confratres mei me adduxerunt: & dicit, quo honore fungeris? Reſpondet, Diaconus aut Presbyter ſum; vel cujuſque gradus eſt. Et interrogat eum Archiepiſcopus; quot annos habes in Diaconatu, aut Presbyteratu? Reſpondet quot; iterum interrogat eum Archiepiſcopus: habuiſti conjugem, aut de domo

tua

tua diſpoſuiſti? Ille reſpondet, ſi habuit aut non, & ſi de domo ſua diſpoſuit. Iterum interrogatur, ſi aliquam dationem aut promiſſionem feciſſet: Reſpondet, abſit. Iterum dicit ei, quales codices in Eccleſia tua legumtur? Reſpondet Octateucum regnorum, Prophetarum, Actus Apoſtolorum, Euangelium, & Apoſtolorum Epiſtolæ, atque Apocalypſis. Et iterum interrogant eum; noſti canones, & reſpondet, doce nos Domine. Archiepiſcopus dicit, ordinationem ſi feceris, aptis temporibus fac; id eſt, primo, quarto, ſeptimo, & decimo menſe. Bigamos & curiales ad ſacros ordines ne promoveas: attamen dabitur tibi edictum de ſcrutinio quomodo debeas converſari. Tunc præcipit Archidiacono Archiepiſcopus, & relegit petitionem quam ipſe electus à populo, Archiepiſcopo offert; & dum relecta fuerit: Dicit Archiepiſcopus, quoniam vota omnium interveniunt; hodie te abſtinebis, & craſtino ſi placuerit Deo, conſecraberis: Reſpondet Archidiaconus, juſſiſti Domine; & dat ipſi electo oſculum Archiepiſcopus, & egreditur foras.

Alia verò die, quæ eſt Dominica, procedit Archiepiſcopus in Eccleſia, ibique Epiſcopi & Presbyteri cum eo, vel cæteri ordines Clericorum conſiſtunt. Et ingreditur Archiepiſcopus ſecretarium, & jubet Scholam pſallere, proceditque de ſecretario, cum omni decore in Eccleſia ipſa, ſicut mos eſt. Completo verò Introitu non dicunt tunc Kyrie eleiſon, ſed mox Archiepiſcopus dat orationem; deinde legitur Apoſtolus ad Timotheum. Chariſſime, fidelis ſermo; ſi quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat, &c. Et dum pſallitur graduale, egreditur Archidiaconus cum Acolythis & Subdiaconis, & induit eum Dalmaticam, Planetam, & Campobos, & introducit eum; dumque introductus fuerit, vocat eum Archiepiſcopus ſic: Clerus & plebs conſentiens civitatis illius cum adjacentibus Parochiis ſuis elegerunt hunc Diaconum, vel Presbyterum, Epiſcopum ſibi conſecrari: Oremus itaque pro eodem viro, ut Deus & Dominus Jeſus Chriſtus tribuat ei Cathedram Epiſcopalem, ad regendam Eccleſiam ſuam, & plebem univerſam; Deinde Schola incipit, Kyrie eleiſon cum Litania, proſtrato Archiepiſcopo cum Epiſcopis, & ipſo Electo, infra, ante altare. Completa vero Litania, ſurgunt, & benedicit eum. Benedictione expleta, dat oſculum Archiepiſcopo, & tenens eum Archidiaconus, deportat illum, & ſic dat oſculum Epiſcopis ac Presbyteris; & tunc jubet eum Archiepiſcopus, ſuper omnes Epiſcopos ſedere. Et dum ſederit, dicitur Alleluja, vel tractus, deinde Euangelium, & expletur Miſſa. Dum verò venerit ad communicandum, Archiepiſcopus porrigit ei formatam, atque ſacratam oblationem; & ea ſuſcipiens ipſe Epiſcopus, communicat ex illa ſuper altare, & exterum ex ea ſibi reſervat ad communicandum uſque ad dies quadraginta: & poſtmodum ex præcepto Archiepiſcopi communicat omnem populum.

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS, ex duobus codicibus Bellovacenſibus, quorum unus eſt ſexcentorum & quinquaginta annorum, alter paulò poſterior, decerptus.

Codex prior ſcriptus eſt circa annum Chriſti milleſimum, aut paulò poſt, regnante Roberto Rege & Conſtantia Regina, Rotgerio Bellovacenſi Epiſcopo, & Joanne Romano Pontifice, ut colligitur ex Litaniis in quibus orationes habentur pro Rege Roberto, Conſtantia Regina, Epiſcopo Rotgerio, & Joanne Pontifice. Poſterior eſt priori ſimillimus, annis forte centum aut aliquot junior. Utrumque comparavimus cum Ordine Romano edito: Ideo neutrius textum integrum referemus, ne idem ſæpius repetendo Lectori faſtidium creemus, ſed tantùm ea in quibus ab ordine Romano diſſidet, aut quæ nobis notatu digna viſa ſunt.

Incipit ordo ad ſacros ordines benedicendos.

MEnſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi; Sabbatorum die in duodecim lectionibus, ad S. Petrum ubi Miſſæ celebrantur, poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione, venit Archidiaconus, & offert eos qui ordinandi ſunt Pontifici.

Poſtulat S. Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes electos noſtros, ad quod vocati ſunt, veſtra ſanctitas promovere dignetur.

Interroget Epiſcopus: ſcis illos dignos eſſe? Reſpondet offerens. Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſos dignos eſſe.

Reſpondet Epiſcopus, non ſufficit unius teſtimonium, niſi alios interrogemus. Tunc venit Pontifex juxta Ambonem, & annuntiat in populum dicens, Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto verum dicit. Auxiliante Domino Deo, & Salva-

tore noſtro Jeſu Chriſto, Eligimus in ordinem Subdiaconi ill. Diaconii ill. ſive Presbyterii ill. Subdiaconum ſive Diaconum, de titulo ill. Presbyterum de titulo ill. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Proſequatur Pontifex ad plebem, Orate, fratres, ut nos & Electos noſtros gratia Spiritus ſancti illuſtrare dignetur. Et poſt modicum intervallum, mox incipiunt omnes Kyrie eleiſon cum Litania.

Hac expleta aſcendunt ipſi Electi ad ſedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati ſunt. Et deſcendentes ſtant in ordine ſuo benedictione percepta. *Poſterior codex omnia prope ſimiliter.*

Sequuntur Ordinationes Oſtiarii, Lectoris, & Exorciſtæ, quæ eadem ſunt cum Ordine Romano edito, & conſequenter ſæpius ſupra relata. In Ordinatione Lectoris hic eſt ordo, Lectores cum ordinantur faciat de illis verbum Epiſcopus ad plebem, indicans eorum fidem, ac vitam, & ingenium. Poſthæc ſpectante plebe tradat eis codicem de quo Lecturi ſunt, dicens, Accipite, & eſtote verbi Dei Relatores, &c. *ut in ordine Rom.* Eligunt vos fratres veſtri, ut ſitis Lectores in domo Dei veſtri, & agnoſcatis officium veſtrum, & impleatis illud: Potens eſt enim Deus ut augeat in vobis gratiam ſuam, quod ipſe dignetur adimplere. *Omittitur Præfatio. In Ordinatione Oſtiarii,* tradat eis Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari, *omittitur* de altari. *In poſteriore codice, eadem quoque. Si qua variant ab ordine Romano, ea mihi viſa ſunt nullius momenti.*

Ordinatio Acolythi.

Convenit prorſus cum ordine Romano, & jam non ſemel, ut & alia, ſuperius deſcripta eſt. Archidiaconus poſt datum ceroferarium, & cereum ait, Acolythis, Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis Adverſariorum tenebras effugare, & veriſſimum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, fideliter invenire. *Poſtea,* Accipiant & urceolum vacuum ad infundendum vinum in Euchariſtiam corporis Chriſti. *Ad Acolythos ſermo non dirigitur. Præfatio omittitur, & Benedictio ea eſt quæ in ordine Romano tertio loco collocatur,* Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, &c. *Eodem modo iſta ſe habent in poſteriore codice.*

Ad Subdiaconum ordinandum.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipiunt, Patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam, & Calicem vacuum: De manu verò Archidiaconi accipiant urceolum cum aquamanili, ac manutergium. Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi Patena & Calix vacuus, & dicat Epiſcopus, Videte cujus miniſterium vobis traditur. Et ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, à modo debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles. Si uſque nunc ebrioſi, à modo ſobrii. Si uſque nunc inhoneſti, à modo caſti. Oblationes quæ veniunt in altare, panes propoſitionis appellantur, &c. *quæ ſæpius ſupra deſcripta ſunt: tandem ſic concluditur.* Ideo vos admoneo tales vos exhibere, ut Deo placere poſſitis. Et tradat eis Calicem & Patenam. *Eadem in poſteriore codice.*

Benedictio Subdiaconi.

Oremus Deum ac Dominum, &c. *Ea eſt cui in ordine Romano præfigitur titulus.* Præfatio.

Item Benedictio Subdiaconi.

Domine Sancte Pater omnipotens Deus, benedicere dignare, &c. *Eadem quæ in ordine Romano habetur ſub titulo,* Benedictio eorundem, *ſed omittitur dictio,* Excubitores.

Ad Diaconum ordinandum.

Diaconi cum ordinantur, ſolus Epiſcopus qui eos benedicit, manum ſuam ſuper caput illorum ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur. Ad ordinandum Diaconos & Presbyteros, prima oratio dicitur legendo, & ſequitur collecta: deinde conſecratio, & non dicitur, verè dignum in conſecratione Diaconi. *Sic in poſteriore codice.*

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quos in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit.

Col. Oremus.

Exaudi Domine preces noſtras, &c. *ut in ordine Rom.*

Conſecratio.

Adeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor. *cætera prorſus ut in ordine Romano. Sæpius ſupra deſcribitur.*

Quando ſtolam eum induis, ſic dicis: Per hoc ſignum tibi Diaconatus officium humiliter imponimus, ut firmamentum menſæ divinæ tanquam ſuſtentacula columnarum eſſe poſſis, & Præco Regis cœleſtis irreprehenſibiliter exiſtere merearis. *Sic finitur ritus Ordinationis Diaconi in utroque codice. Sed in poſteriore admotatum erat in extrema margine, alia manu & charactere poſt hæc omnia,* Tunc porrigit Epiſcopus eis textum Euangelii, ita dicens, Accipite licentiam legendi Euangelium in Eccleſia Dei. Sequitur tractus à Cantore excelſa voce levatus, Et legitur Euangelium.

Orationes ad ordinandum Presbyterum.

Presbyteri cum ordinantur, Epiſcopo eos benedicente, & manum ſuper capita tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus

manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper capita eorum teneant.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, & quæ ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius exequantur auxilio. Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto qui cum eo vivit. *Sic per omnia poſterior codex.*

Oremus.

Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum.

Hic mutas Stolam, *ita quoque & in poſteriore codice.*

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habeamus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, &c. Honorum autor, & diſtribuor omnium dignitatum, &c. *ut in ordine R. ſupra ſæpius deſcribitur.*

Hic veſtis & caſulam.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & ſis benedictus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi, omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Conſecratio manus in poſteriore codice legitur, manuum.

Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur.

Nihil præterea eſt in iſto codice quod ad ordinationem Presbyteri pertineat, aut referre poſſit, licet reſiduum pagine quod amplum eſt, vacuum ſit. Longo poſt tempore aliquis in illo vacuo orationem inſcripſit, ſed quæ ad ordinationem non ſpectat. Abeſt Ordinatio Epiſcopi, poſtea ſequitur, Ordo ad benedicendum Abbatem, in cujus oratione dicitur, ut qui per manus noſtræ hodie impoſitionem Abbas inſtituitur; &c.

In Bellovacenſi poſteriore hæc addunturi, Benedictio, Benedicat in vos Dominus imaginem quam plaſmavit, & det miſericordiam quam promiſit. Amen. Cuſtodiat animas veſtras quas redemit, ſervando gratiam quam profudit. Amen. Ut & vos impleatis quæ præcepit, & ille cuſtodiat quod donavit. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, cui regnum, &c. *In margine infima, alia manu & charactere additum erat,* Poſtea dat eis Epiſcopus Calicem ita dicens, Accipite Calicem, & habetote poteſtatem, atque licentiam offerre ſacrificium Deo, tam pro vivis, quàm & pro defunctis fidelibus. *Sequitur credo in unum Deum.*

Offerunt omnes panem & vinum, & communicant ſe. *Traditio Calicis, &c. adnotabatur facienda poſt manuum conſecrationem.* Sequebatur in eodem codice, *Incipit ordo ab benedicendum Abbatem: Idem eſt ordo ille cum eo qui eſt in priore. Ideo in Oratione legitur, ut in precedente,* qui per manus noſtræ impoſitionem Abbas inſtituitur. *Idem etiam de Abbatiſſa dicebatur; eadem enim Oratio utrique accommodatur. In utroque codice omittitur Ordinatio Epiſcopi, quia forſan codices illi pertinent ad ſedem Epiſcopalem, quæ conſecrandi Epiſcopos jus non habet.*

SACRARUM ORDINATIONUM RITUS,
ex codice annorum circiter quingentorum exſcriptus.

Pertinet codex ille ad Canonicos regulares S. Victoris in Suburbano Pariſienſi. Inſcribitur, Officium Epiſcopi cum benedictionibus Epiſcopalibus. *Illi impreſſæ ſunt hæ notæ,* GG. 14. *Mihi videbatur illius ſcriptio annos quingentos ſuperare, aut ſaltem ea ætate non eſſe junior. Nam in Litaniis quas nonnunquam refert, Sanctorum Bernardi, Franciſci, & Dominici nuſquam fit mentio: Noviſſimus eſt Sanctus Dunſtanus. Multa ex eo codice in opere noſtro de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ deſcripſimus. Continet ille codex amplam rituum ſacræ Ordinationis enarrationem, in qua multa peculiaria referuntur, ex quibus præcedentia illuſtrari poſſunt, & quæ ad veram ordinationum ſubſtantiam pertinent, colligi. Quapropter mihi viſum eſt non inutile fore, ſi integrum ritum, pauciſſimis exceptis, quæ ſæpius ſupra, & ubique eadem deprehenduntur, hic inſereremus.*

Ad Clericum faciendum præfatio.

ORemus dilectiſſimi fratres, *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum N. benedicere digna-

re,

re, cui in tuo ſancto nomine ſignum ſacræ religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in Eccleſia tua perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per. *ita & R. ordo.* Dum tondes eum dices Antiph. Tu es Domine qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Conſerva me. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Domini eſt terra, cum Gloria Patri & repetatur Antiphona. Sequitur Orat.

Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare, &c. *ut in Ord. Rom. & ſupra.*

Alia.

Præſta quæſumus, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra. Sequitur.*

Oratio ad barbam tondendam.

Deus cujus providentia omnis creatura, &c. *ut ſupra, & in ord. Rom. ſed longè poſtea; peracta ſcilicet Acolyth. ordinatione.*

Dum tondes eum dices Antiph. Sicut ros hermon qui deſcendit in Sion, ſic deſcendat ſuper te Dei benedictio. Ecce quam bonum.

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, * hunc famulum N. qui tibi primitias ſuæ offert juventutis; effunde Domine ſuper eum benedictionem tuam, ut in caput, barbamque ejus tranſeat, ſicut unguentum quod deſcendit in barbam Aaron, ut in eadem benedictione, in via mandatorum tuorum ambulet, & cum eadem ad ſupremam ſenectutem perveniat. Per. *eandem habet quoque ordo Rom. ſequitur.*

Qualiter ordinandi ſunt, Pſalmiſtæ, Hoſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes.

MEnſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi; Sabbatorum die in duodecim lectionibus, in Eccleſia ubi tunc Epiſcopus Miſſam celebrat, poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint, dictis orationibus uſque dum, benedicite, cantatur, Miſſâ celebratâ Archidiaconus ſine caſula procedens, nomina eorum qui ordinandi ſunt præ manibus habens, humiliter reſpicit in Epiſcopum, & eum his verbis alloquitur.

Poſtulat hæc Sancta Eccleſia, reverende Pater, hos viros ordinibus aptos conſecrari ſibi à veſtra paternitate.

Reſponſio Epiſcopi.

Vide ut natura, ſcientia, & moribus tales pro te introducantur, imò tales per nos in domo Domini ordinentur perſonæ, per quas Diabolus procul pellatur, & Clerus Deo noſtro multiplicetur.

Archidiaconus.

Quantum ad humanum ſpectat examen, natura, ſcientia, & moribus digni habentur, & Presbyteri cooperatores effici in his Deo volente poſſunt.

Tunc annuntiet Pontifex, vel cui ipſe præcepit, in Eccleſia publicè, dicens.

Auxiliante Domino, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, præſentes fratres noſtri in ſacrum ordinem electi ſunt à nobis, & Clericis, huic ſanctæ ſedi famulantibus, alii ad officium Presbyterii, alii ad officium Diaconii, vel Subdiaconii; quidam verò ad cæteros Eccleſiaſticos gradus. Proinde admonemus & poſtulamus, tam vos Clericos, quàm cæterum populum, ut pro nobis, & pro illis puro corde, & ſincera mente apud divinam clementiam intercedere dignemini, quatenus nos dignos faciat pro illis exaudiri, & eos unumquemque in ſuo ordine eligere, & conſecrare per manus noſtras dignetur. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo, & propter Dominum cum fiducia exeat & dicat, Verumtamen memor ſit communionis ſuæ.

Deinde verò Pontifex ſuper tapetia, & qui conſecrandi ſunt ſuper pavimentum proſternantur. At tunc agatur Litania, dicatur, & inter alia,

Ut fratres noſtros ad ſacrum ordinem electos, in vera religione conſervare digneris, te rogamus audi nos.

Hac expleta, electi aſcendant ad ſedem Pontificis per nomina vocati ab Archidiacono, & benedicat eos ad quod vocati ſunt.

Ordinatio Cantorum.

Pſalmiſtæ, id eſt, Cantores, poſſunt abſque præſentia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dante illis Presbytero, vel potius Epiſcopo, Antiphonarium in manus, ac dicente,

Videte, ut quod ore cantatis, corde credatis; & quod corde creditis, operibus probetis. *Eadem prorſus ord. R. de Pſalmiſtis.*

Ordinatio Hoſtiariorum.

Finita prima oratione, & lectione, & graduali, vocentur ordinandi Hoſtiarii, ſinguli ex ſuo nomine ab Archidiacono, cum inſtructi fuerint qualiter in domo Dei converſari debeant: tradat eis Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens.

Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ Eccleſiæ vobis commiſſæ clavibus includuntur.

Et Archidiaconus ducat eos ad hoſtium, & tradat eis. *Præfatio ſuper eos inclinatos.*

Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos quorum nomina hîc recitantur, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Benedictio eorundem. Epiſcopus. *Oremus.* Et Diaconus dicat, Flectamus genua, *Sequitur, levate.*

Domine Sancte Pater, &c. *ut in ordine Rom. & ſupra.*

Ordi-

Ordinatio Lectorum.

Finita ſecunda oratione, & lectione, & graduali, vocentur ex nomine ordinandi Lectores ſinguli. Lectores cum ordinantur, faciat de illis verbum Epiſcopus ad plebem, indicans eorum fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſtea tradat eis Lectionarium in quo Lecturi ſint, dicens,

Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri ſi fideliter, & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum his qui verbum Dei miniſtraverunt.

Præfatio Lectorum.

Oremus dilectiſſimi Deum omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quorum nomina hîc recitantur, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Benedictio eorundem, Oremus, Diaconus. Flectamus genua, *ſequitur, levate.*

Oratio.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut aſſiduitate lectionum diſtincti atque ornati, earum modulis ſpirituali devotione gratiam reſonent Eccleſiæ. Per.

Ordinatio Exorciſtarum.

Finita tertia oratione, & lectione, & graduali, vocentur ex nomine ordinandi Exorciſtæ ſinguli. Exorciſtæ cum ordinantur accipiant de manu Epiſcopi libellum, 1. Officialem in quo ſcripti ſint Exorciſmi, dicente Epiſcopo.

Accipite, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Præfatio Exorciſtarum.

Deum Patrem omnipotentem fratres chariſſimi ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos quorum nomina hic recitantur, N. benedicere dignetur in officium Exorciſtarum, ut ſint ſpirituales Medici ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Benedictio eorumdem. Oremus, Diaconus, Flectamus genua, ſequitur, levate.

Oratio.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Exorciſtarum, ut per impoſitionem manuum & oris officium, eos eligere digneris, ut poteſtatem & imperium habeant ſpirituum immundorum ad coercendum, & probabiles ſint medici Eccleſiæ, gratia curationum, & virtute confirmati. Per.

Ordinatio Acolythorum.

Finita quarta lectione & graduali, ex nomine * ſinguli ordinandi Acolythi. Acolythi cum ordinantur primum ab Epiſcopo doceantur qualiter in officio ſuo agere debeant. Accipiant ceroferarium cum cereo, dicente Epiſcopo, ita.

Accipite, &c. *ut in ordine Romano & ſupra.*

Deinde accipiant urceolum vacuum ab Epiſcopo dicente, Accipe urceolum, &c.

Præfatio Acolythorum.

Deum Patrem omnipotentem fratres chariſſimi ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur in officium Acolythorum, quorum nomina hic recitantur, &c.

Sequuntur tres eadem orationes; ſed quæ in ord. Rom. & ſupra eſt prima, hic eſt tertia: duo præterea aut tria verba forſan ſcriptoris vitio omittuntur in eadem oratione.

Poſt quintam orationem, & lectionem, & vocentur ordinandi Subdiaconi. Et quia manus impoſitionem non accipiunt, Patenam vacuam, & Calicem vacuum accipiant de manu Epiſcopi, dicente eis Epiſcopo.

Videte cuius miniſterium vobis traditur, & ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, à modò debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles. Si uſque nunc ebrioſi, à modò ſobrii. Si uſque nunc fuiſtis aliquo vitio polluti, à modò puri debetis eſſe & caſti. Ideo vos moneo, ut ita vos exhibeatis, & Deo placere poſſitis.

Poſtea verò ab Archidiacono tradatur eis tangendum urceolum, cum aquamanili atque manutergio.

Sequitur Præfatio eorum, & teneant capita inclinata coram Epiſcopo.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum, fratres chariſſimi, ut ſuper hos famulos ſuos quorum nomina hîc recitantur, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra*, item benedictio, *ſed loco*, Excubitorum, *habet* miniſtrorum.

Ordinatio Diaconorum.

Finita collecta, Deus qui tribus pueris, & Epiſtola, & tractu, Laudate Dominum, vocentur ordinandi Diaconi. Epiſcopus manum ſolus ſuper capita eorum ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur.

Præfatio eorum.

Oremus dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos quorum nomina hîc recitantur N. quos in ſacrum ordinem dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat. Qui vivit.

Benedictio eorumdem. Oremus. Et Diaconus, Flectamus genua. Sequitur, levate.

Oratio.

Exaudi Domine, &c. *ut in ordine Roman.* Amen.

Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.

A

Præfatio.

Verè dignum & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum dator, ordinumque diſtributor, &c. *ut in ordine Romano & ſupra.*

Quando Epiſcopus Diacono ſtolam imponit, dicat, Accipe ſtolam tuam, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Tunc ſtola lævæ ejus circumdata, det Euangelium dicens, Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini. Amen.

B Commune votum, communis oratio proſequatur, ut hi totius Eccleſiæ prece, qui in Diaconatus miniſterium præparantur, Leviticà benedictione, & ſpirituali converſatione præfulgentes, gratia ſanctificationis eluceant. Per eundem.

Benedictio Oremus.

Domine Sancte Pater, ſpei, fidei, & gratiæ, profectuumque munerator, qui cœleſtibus & terrenis myſteriis ubique diſpoſitis, per omnia elementa virtutis tuæ diffundis effectum, ut tuis obſequiis coadunati, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Ordinatio Presbyterorum.

Lecto Euangelio vocentur qui ordinandi ſunt Presbyteri *** legitimi, natali, vita, & doctrina, perſonæ ſuæ Eccleſiæ veſtiti, ut Diaconi cum orario, & ſic ab Archidiacono præſententur Epiſcopo. Ille coram ſe inclinatis ponat manus ſuper capita ſingulorum, & Presbyteri qui aderunt omnes levent dexteras cum Epiſcopo ſuper eos. Ipſe verò fundat preces pro ordinandis ad Deum.

Præfatio.

D Oremus dilectiſſimi fratres, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quorum nomina hîc recitantur, quos ad Presbyterii munus elegit, dona cœleſtia multiplicet. Per Dominum Jeſum filium ſuum, qui cum eo vivit & regnat, in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Epiſcopus, Oremus. Diaconus, Flectamus genua, Et ſequitur, levate.

Exaudi nos quæſumus Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetuam tui muneris largitatem conſequantur. Per Dominum noſtrum.

Per omnia ſecula ſæculorum, Amen. Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.

Sequitur Præfatio.

Omnipotens æterne Deus honorum autor, & diſtributor omnium dignitatum, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Hic reflectat orarium ſuper humerum dextrum dicens ad eum, Accipe jugum Domini: Jugum enim Domini ſuave eſt, & onus ejus leve. Quando caſulam imponit illi.

Accipe veſtem Sacerdotalem per quam charitas intelligitur. Potens eſt enim Deus ut augeat tibi charitatem, qui vivit.

Præfatio ad conſummationem Presbyteri.

Sit nobis fratres communis oratio, ut hi qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eliguntur, Presbyterii benedictionem divini muneris indulgentia conſequantur, & gratia Sancti Spiritus Sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impares loco honoris deprehendantur, obtineant. Per eum qui vivit, &c.

Benedictio.

Oremus, Deus ſanctificationum omnium autor, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra: in fine,* in virum perfectum, &c. appareant. *alii legunt,* perſolvant.

Expletis benedictionibus faciat Epiſcopus C crucem in manus ſingulorum de oleo & chriſmate, dicens orationem, Conſecrare & ſanctificare, quæſumus Domine, manus iſtas, &c.

Deinde Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, de ſingulis dicens ad eos lenta vo-[illegible],

Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tam pro vivis quàm & pro defunctis, in nomine Domini.

Sequitur ultima Benedictio.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti D in ordinem Sacerdotalem, offerentes placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Et oſculetur ſingulos; & omnes qui ordinati ſunt oblationes deferant ad manus Epiſcopi.

Decretum quod Clerus, & populus firmare debet de electo Epiſcopo.

E VEocerando Sanctæ N. Eccleſiæ Metropolitano, N. Clerus & populus Eccleſiæ N. debitam ſubjectionem.

Veſtræ paternitati eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo accidentibus variis eventibus, Eccleſia N. ſuo ſit viduata paſtore, ac deſtituta rectore. Quod non ſolum ad noſtrum, verùm & ad veſtrum, ac omnis hujus diœceſeos detrimentum pertinere dignoſcitur, cum totius Provinciæ ſollicitudinem Metropolitano conſtet eſſe commiſſam. Propterea elegimus illius Eccleſiæ Presbyte-

rum nomine N. nobis ſufficientiſſimè cogni- A tum, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra.*

Ut autem omnium noſtrum vita in hanc electionem convenire noſcatis, huic Decreto canonico, promptiſſima voluntate, ſinguli manibus propriis roborantes, ſubſcripſimus.

Incipit examinatio ordinandi Epiſcopi, quæ agenda die Dominica antequam Miſſa celebretur.

Antiqua Patrum inſtitutio docet ac præcipit, ut is qui ad ordinem Epiſcopatus eligitur, maximè ut legimus in canone, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra. Sed illa omnia quæ præcedunt in ordine Rom. & ſupra, illud examen,* B *& ſequuntur decretum electionis, hic abſunt.*

Eadem autoritate & præcepto interrogavi te, dilectiſſime frater, charitate ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, divinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris.

Ita toto corde volo in omnibus obedire, & conſentire. *Interrogatio.* Vis ea quæ ex divinis ſcripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis. ℟. Volo. *Interr.* Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum potueris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare. ℟. Volo. *Interr.* Vis caſtitatem & ſobrietatem cum Dei auxilio cuſtodire & docere. ℟. Volo. C *Interr.* Vis ſemper divinis negotiis eſſe mancipatus, & à terrenis negotiis & lucris turpibus eſſe alienus, quantum humana fragilitas te conſenſerit poſſe. ℟. Volo. *Interr.* Vis humilitatem & patientiam in temetipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere. ℟. Volo. *Interrogatio.* Vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac decretales Sanctæ & Apoſtolicæ ſedis conſtitutiones veneranter ſuſcipere, docere, atque ſervare. ℟. Volo. *Interrog.* Vis ſanctæ N. Eccleſiæ fidem & ſubjectionem per omnia exhibere. ℟. Volo. *Interrogatio.* Vis pauperibus, & peregrinis, omnibuſque indigentibus eſſe propter nomen Domini affabilis & miſericors. ℟. Volo. Tunc dicatur D ei: Hæc omnia, & cætera bona tribuat tibi Dominus, & cuſtodiat te, atque corroboret in omni bono. Et reſpondeant omnes. Amen.

Interrogatio. Credis ſecundum intelligentiam tuam, & capacitatem ſenſus tui, Sanctam Trinitatem, &c. *prorſus ut in ord. R. & ſupra omnes illæ interrogationes & reſponſiones. Poſtquam dictum eſt ut in ord. Rom. & ſupra,* Hæc tibi fides augeatur à Domino, ad veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime frater in Chriſto. Reſpondeant omnes, Amen, *ſtatim ſequitur.*

Ita examinatus, & pleniter inſtructus cum E conſenſu Clericorum, Laïcorum, ac conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani autoritate aut præſentia, ordinetur in nomine Domini.

Qualiter ordinetur.

Finita examinatione, præparet ſe Dominus Archiepiſcopus, & cæteri cum eo ad celebrandam Miſſam. Interim autem qui ordinandus eſt expectet extra chorum: Finito gradali eant duo Epiſcopi, adducant per manus electum Epiſcopum ante altare, ubi Dominus Metropolitanus ſtat. Quibus iſti ſtantibus coram eo, dicat Dominus Metropolitanus.

Clerus & plebs de civitate illa, cum adjacentibus Parochiis ſuis, rogat ſibi Epiſcopum conſecrari. Nunc autem à piiſſimo Domino noſtro, N. conſentiente Clero & populo, electus eſt venerabilis frater noſter N. in hoc opus. Oremus itaque pro eo, ut & Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus tribuat ei Cathedram Epiſcopalem, ad regendam Eccleſiam ſuam, & plebem univerſam.

Tunc duo Epiſcopi incipiant Litaniam, & inter alia dicant, Ut fratrem noſtrum electum Pontificem in vera religione conſervare digneris, te rogamus audi nos.

Interim autem Dominus Archiepiſcopus, & cæteri Epiſcopi, ſi aſſunt, proſternant ſe ſuper ſtramenta coram altari, & ordinandus humilius poſt Pontifices, uſque dum finiatur Litania. Finita autem Litania ſurgat Dominus Archiepiſcopus, & cæteri cum eo, & incipiat Hymnum, Veni creator Spiritus. Quo finito accedat ſacrandus Epiſcopus, & ponat Dominus Archiepiſcopus caput ejus ſuper altare, & duo Epiſcopi ponant & teneant textum Euangelii apertum ſuper caput ejus: Et C Dominus Metropolitanus infundens benedictionem ſuper eum dicat lenta voce.

Oremus dilectiſſimi nobis, ut huic viro, N. ad utilitatem Eccleſiæ provehendo, benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem, Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium ſuum, qui cum eo & Spiritu Sancto, vivit & regnat Deus. Per. Amen. Oremus, Et Diaconus, Flectamus genua. Idem, levate. Sequitur benedictio.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum N. cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ, in eum effunde virtutem. Per Dominum.

Per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo. Surſum corda, habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt, *Præfatio.* Verè dignum. Æterne Deus. Honorum omnium Deus, omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ ſacris ſamulantur ordinibus. Deus qui Moyſen, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra. Poſt hæc verba,* ingenti rore ſanctifica, *legitur,* hic effundatur oleum ſuper caput ejus in modum crucis, *deinde ſequitur immediatè,* Hoc Domine copioſè in ejus caput influat, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra. Poſt illa verba quæ ſiniunt præfationem,* tua gratia poſſit eſſe devotus, per. *hæc ſequuntur.*

Oratio.

Pater Sancte omnipotens Deus, qui per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab initio cuncta creaſti, & poſtmodum in fine temporum ſecundum pollicitationem quam Abraham Pa-

triarchâ noſter acceperat, Eccleſiam quoque A Sanctorum Congregatione fundaſti, ordinatis rebus per quas legibus à te datis diſciplinæ religio regeretur: Præſta ut hic famulus tuus ſit miniſteriis, cunctiſque fideliter gerendis officiis dignus, ut antiquitus inſtituta Sacramentorum poſſit myſteria celebrare. Per te in ſummum ad quod ſumitur Sacerdotium conſecretur. Sit ſuper eundem benedictio tua, licet manu noſtra ſit porrecta. Præcipe Domine huic paſcere oves tuas, ac tribue ut in commiſſi gregis cuſtodiam ſolicitus paſtor invigilet. Spiritus huic ſanctus tuus cæleſtium chariſmatum diviſor aſſiſtat, ut ſicut ille electus gentium Doctor inſtituit, ſit juſtitia non B indigens, benignitate pollens, hoſpitalitate diffuſus. Servet in exhortationibus alacritatem, in perſecutionibus fidem, in charitate patientiam, in veritate conſtantiam, in hæreſibus, ac vitiis omnibus odium ſciat, in æmulationibus neſciat, in judiciis gratioſum eſſe ſinas, & gratum eſſe concedas. Poſtremò omnia à te largiter diſcat, quæ ſalubriter tuos doceat. Sacerdotium ipſum opus eſſe exiſtimet, non dignitatem. Proficiant ei honoris augmenta, etiam ad incrementa meritorum, ut per hæc ſicut apud nos, noſter aſciſcitur in Sacerdotium, ita apud te poſtea aſciſcatur in regnum. Per.

Benedictio de ſeptiformi Spiritu.

Spiritus S. ſeptiformis veniat ſuper te, & virtus altiſſimi ſine peccato cuſtodiat te, & omnis benedictio quæ in ſcripturis Sanctis ſcripta eſt, ſuper te veniat. Confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſecula ſeculorum. Amen.

Conſecratio manuum Epiſcopi oleo ſancto, & Chriſmate.

Ungantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & D in te Deo Deorum ordinentur. Ungo has manus oleo ſanctificato, & chriſmate unctionis purificato, ſicut unxit Moyſes verbo oris ſui manus ſancti Aaron germani ſui, & ſicut unxit Spiritus S. per ſuos flatus, manus Sanctorum Apoſtolorum, ita ungantur manus iſtæ, & ſanctificentur, & conſecrentur, ut in omnibus ſint perfectæ in nomine tuo Pater, filiique tui, atque etiam Spiritus Sancti, qui es unus ac ſummus Deus omnium vivorum & mortuorum, manens in ſecula ſeculorum, Amen.

Hic mittatur chriſma ſuper caput ejus.

Ungatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione, in ordinem Pontificalem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Hic imponatur capiti ejus Mitra.

Benedictio annuli: Sanctifica quæſumus Domine, annulum iſtum, ut famulus tuus geſtator illius, quem in ordinem Epiſcopalem electum ſacravimus, fide ſit plenus, operatione ſincerus, in revelandis atque claudendis ſacris myſteriis, ſalubri ſemper conſideratione diſcretus. Per Dominum.

Cum datur annulus.

Accipe annulum diſcretionis & honoris, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra. In fine*; ad æternam ſalutem, omnibus conſolatio factus, gratia, &c.

Benedictio baculi.

Suſtentator humanæ imbecillitatis Deus, benedic baculum iſtum, & quod in eo exterius deſignatur, interius in moribus famuli tui N. tuæ propitiationis clementia operetur. Per.

Cum datur baculus.

Accipe baculum Paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis piè ſæviens, judicium ſine ira tenens; cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens.

Poſtea Dominus Metropolitanus, ut incepit Miſſam, peragat. Electus autem juxta præſcriptum ordinem conſecratus, inclinet ſe ad pedes ejus gratias referendo, quem duo ex Coepiſcopis per manus adducentes in locum ubi voluerit, Miſſam celebret. Cum ad ſedem Epiſcopii ſui conſecratus Epiſcopus venerit, priuſquam in Cathedra ponatur, ab aliquo Epiſcopo, cui à Metropolitano injunctum fuerit, hæc oratio ante ipſam Cathedram dica-C tur.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur ordinibus, huic famulo tuo N. quem Apoſtolicæ ſedis Præſulem, & Primatem Sacerdotum Eccleſiæ tuæ Doctorem dediſti, & ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut Cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam aſcendat. Per.

Hic mittatur in Cathedram Epiſcopalem, & hæc oratio dicatur,

Omnipotens Pater, Sancte, Deus æterne, Tu omnem ordinem dignatus es in cœleſtibus ſedibus ordinare: in cœlo Domine in æternum permanet verbum tuum, ubi Angelos & Archangelos ſuo tibi ordine mancipaſti, & in veteris Teſtamenti privilegio Moyſen & Aaron in Sacerdotibus tuis; & Samuël inter eos qui invocant nomen tuum, Patriarchas & Prophetas ad conſulendum populo tuo ordinaſti; in novo per filium tuum Jeſum Chriſtum Apoſtolos Sanctos, & præcipuè Apoſtolum Petrum in E Cathedram honoris univerſæ Eccleſiæ propoſuiſti, & Mathiam ejuſdem conſortem in Apoſtolatum, atque Cathedram honoris annumeraſti, & in numerum Sanctorum omnium Apoſtolorum evocaſti, quæſumus pro tua immenſa miſericordia in noſtris temporibus, Da tuam gratiam fratri noſtro, N. ad inſtar Sanctorum Apoſtolorum tuorum ſedentium in Cathedra honoris & dignitatis, ut in conſpectu Majeſtatis tuæ dignus honore appareat. Per.

Alia.

Domine Jeſu Chriſte, tu præelegiſti Apoſtolos tuos, ut doctrina ſua nobis præeſſent: Tu etiam

etiam vicè Apoſtolorum hunc Epiſcopum doctrinam docere, & benedicere, & erudire digneris, ut immaculatam vitam & illæſam conſervet, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio ejuſdem Epiſcopi.

Populus te honoret, adjuvet te Deus: quidquid petieris præſtet tibi Dominus cum honore, cum caſtitate, cum ſcientia, cum largitate, cum charitate, cum humilitate, dignus ſis, juſtus ſis, humilis ſis, ſincerus ſis, A Apoſtolus Chriſti ſis. Accipe benedictionem & Apoſtolatum, qui permaneat in die iſta, & in die futura. Angeli ſint ad dexteram tuam, & ad ſiniſtram tuam, Eccleſia ſit mater tua. Sit Deus Pater tuus, ſint Angeli amici tui, ſint Apoſtoli fratres tui, & Apoſtolatus tui gradum cuſtodiant. Confirmet te Deus in juſtitia, in ſanctitate, in Eccleſia ſancta. Angeli recipiant te, & pax tecum inſeparabilis, per redemptorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. B

Poſtea ſequitur in manuſcripto benedictio Monachorum; &c.

EXCERPTA QUÆDAM E DUOBUS Codicibus, ante annos quinquaginta ſupra quadringentos ſcriptis, quæ ad ſacras ordinationes ſpectant.

Priorem codicem ab ampliſſimo viro D. Petavio ſupremæ Curiæ Pariſienſis Senatore mutuò accepi. Pertinuerat olim ad Eccleſiam Moguntinenſem, ut colligitur ex juramento quod Epiſcopus conſecrandus Eccleſiæ Moguntinæ præſtare jubetur. Vis Eccleſiæ Moguntinæ, ſucceſſoribuſque meis fidem & ſubjectionem exhibere. *Deinde prima pagina verſa extat effigies Sancti Martini ſtantis, & Pontificaliter veſtiti; à cujus latere pingitur genibus flexis, manibuſque junctis, Archiepiſcopus cum hac à latere, inſcriptione,* CHRISTIANUS ARCHIEPISCOPUS. *In fine libri figura eſt Archiepiſcopi ſtantis cum hoc ſupra verticem titulo* CHRISTIANUS ARCHIEPISCOPUS, *qui librum porrigit Monacho qui ibidem vocatur,* FRIDERICUS MONACHUS. *Iſte librum ſcripſit Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntinenſi, qui illi gratias agens his duobus verſibus inducitur*

Hunc quia ſcripſiſti, præſtet tibi dextera Chriſti
Ut pro ſudore, cœli potiaris honore.

Duo autem fuerunt eo nomine Archiepiſcopi Moguntini. Prior obiit anno 1180. *cujus duæ ſunt Epiſtolæ ad S. Hildegardem, & plures Hildegardis ad ipſum. Poſterior obiit an.* 1251. *& interfuit an.* 1248. *coronationi Wilelmi Romanorum Regis. In iſto Pontificali codice in Ordinatione Presbyteri poſt conſecrationem ita legitur.*

POſthæc Epiſcopus offert Calicem cum Patena præparata cum hoſtia & vino, duobus vel pluribus ad tangendum, dicens, Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Amen. C

Sequitur Benedictio.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, &c. *ſtatim finita benedictione jungitur hæc Rubrica,* Hic cantatur ultimus verſus tractus. Et Diaconus petita benedictione legat Euangelium, quo lecto omnes ordinati offerre tenentur. Miſſa perficitur ordine ſuo. Debent autem Presbyteri ſtantes juxta Epiſcopum ad altare attendere diligenter quando Epiſcopus ſignat Hoſtiam, ut & ipſi ita faciant, quia omnes communicabant. D Poſt Miſſam lavabunt manus cum ſale* aqua, & in piſcinam vel in ignem ablutio effundatur.

Poſt hæc verba ſtatim ſequitur:

Ordo qualiter debeat Epiſcopus conſecrari, &c. Quemadmodum in conſecratione Presbyteri nuſquam habetur in illo codice. Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis, &c. *Sic in conſecratione Epiſcopi nuſquam dicitur.* Accipe Spiritum Sanctum. *Nihil imperativè dicitur, omnia ſunt deprecatoria, exceptis.* Accipe baculum, *&c. Accipe annulum, &c. Accipe Euangelium, &c. Poſtea Epiſcopus dat oſculum Electo, & Electus Epiſcopis & Presbyteris: Et ab Epiſcopis deducitur reverenter ad ſedendum, & Miſſa continuatur. Electus offerre debet duos cereos, duas amphoras vini, panes triticeos quinque. Cum ventum fuerit ad communicandum, Electus communicabit de manu Epiſcopi,

accipiens hoſtiam integram. Si quid reſiduum A ſuerit, ſervabit ſibi ad communicandum quotidie per triginta dies. Et poſt, Communione dicta ſedent omnes, & Ordinator ad Ordinatum longiſſimam habet admonitionem.

In Conſecratione Abbatis. Cum Epiſcopus præfationem incipit, tum manum ponit ſuper caput ejus, & in fine præfationis dat ei regulam, Accipe regulam, &c. Accipe baculum, &c. *Sed in ejus benedictione hoc non fit. Poſt lectum Euangelium omnes offerunt.*

De poſteriore codice excerpta.

Poſterior codex ad Eccleſiam Rotomagenſem pertinet, atque inde mutuo accepi. Scriptus eſt tamen prò Eccleſia Rhemenſi, ut colligitur ex variis Sanctis qui in eo invocantur, ſed præſertim ex Epiſcopi conſecratione, & Abbatis benedictione, in quibus iſta leguntur. Vis beato Petro, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Vicario eſſe ſubditus ſecundum ſtatuta Patrum. ℟. Volo. Vis ſanctæ Rhemenſi Eccleſiæ, mihique & ſucceſſoribus meis obediens eſſe, & ſubditus. ℟. Volo. Vis mihi & Eccleſiæ meæ profeſſionem facere, ſicut tui Anteceſſores fecerunt? ℟. Volo, & paratus in omnibus obedire, *Eandem ſponſionem facit Abbas antequam benedicatur, & benedictione peracta.* Ego N. humilis cœnobii beati ill. Abbas promitto tibi Pater N. & ſucceſſoribus tuis, atque Matri Eccleſiæ Rhemenſi debitam ſubjectionem, atque obedientiam, ſecundum inſtituta Sanctorum Patrum. *Hunc codicem judicabam ante annos quinquaginta ſupra quadringentos ſcriptum fuiſſe. In Ordinatione Acolythorum hæc erat rubrica.*

Acolythi cum ordinantur, primùm ab Epiſcopo doceantur qualiter in officio ſuo agere ſe debeant, & ab Archidiacono accipiant Ceroferarium cum Cereo, ut ſciant ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiant & Urceolum vacuum, ad infundendum D vinum in Euchariſtiam Corporis Chriſti.

Manu recenti additum erat interlineariter ad dictionem debeant, *&c.* Epiſcopo dicente, Accipite Ceroferarium cum Cereo, &c. *Deinde in margine è regione dictionis* mancipari *ſcriptum erat charactere minutiore, ſed antiquo & textui coævo*, Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis Adverſariorum tenebras effugare, & veriſſimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum fideliter invenire. Per Dominum. *Denique recenti ſcriptura ſuper dictionem accipiant, ſcriptum erat*, Accipite Urceolum ad infundendum vinum & aquam.

Benedictio Acolythorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, &c. *ut in ordine Romano.*

ORDO QUALITER IN ROMANA Eccleſia, Subdiaconi vel Diaconi, & Presbyteri ordinandi ſunt.

Sequuntur ordinationes iiſdem prope verbis quibus in ordine Romano. Subdiaconi quia manus impoſitionem non accipiunt, Patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam, & Calicem vacuum; de manu verò Archidiacono accipiant Urceolum cum aquamanili, & manutergium. Videte cujus miniſterium, &c. *Rubrica notat.* B

Pronuntiatur ſicut lectio dicenda.

Poſt præfationem Subdiaconorum ſequitur. Tunc tradat eis Epiſcopus manipulos, dicens, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. *In margine ſcriptum charactere antiquo.* Accipe Manipulum in manibus tuis, ad extergendas ſordes cordis & corporis. *Nihil aliud illis traditur, nec Epiſtolarum liber, nec tunica, nihil prorſus, ſed ſtatim ſequitur*, Tunc legatur Epiſtola, & cantetur tractus.

Ad Diaconos ordinandos, &c.

C Ad Diaconos ordinandos facta examinatione, & accepta profeſſione, quærat Epiſcopus à circumſtantibus, Placet vobis hæc conſecratio? Quibus reſpondentibus placet, perſequitur Epiſcopus: Commune votum, communis oratio proſequatur, &c. *ut in ordine Romano, & ſæpius ſupra. Deinde*, Diaconi cum ordinantur, ſolus Epiſcopus qui eos benedicit, manum ſuper capita ſingulorum ponat, Sacerdotes verò juxta manum Epiſcopi ſupra capita illorum manus ſuas non ponant, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur. *In margine è regione verbi* ponat *alio atramento, & ſcriptura recentiore*, dicens, D accipite Spiritum ſanctum. *Sequitur Præfatio Diaconorum vulgata, quam excipit titulus.* Conſecratio Diaconorum ſicut lectio, *& immediatè poſt*, Adeſto quæſumus omnipotens Deus, *ut in ordine Rom. & ſupra ſæpius, quam ſtatim excipiunt hæc verba*, Tunc induet eos ſtola, dicens ſingulis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſtolam jucunditatis quam immaculatam perferas ante tribunal Chriſti, & agnoſcas officium tuum, & impleas illud: Potens eſt enim Deus tibi augere gratiam.

Sequitur Benedictio.

E Domine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum, &c. *ſæpius ſupra. Benedictione finita.* Tunc det illis textum Euangeliorum dicens, Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei. Tunc legatur Euangelium in Eccleſia Dei. *Sic finitur ordinatio Diaconi. Sed poſt priora hæc verba*, Eccleſia Dei, *nota eſt remiſſionis ad marginem, & in inferiori margine ſcriptura recenti, & atramento planè alio*, Tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Domini. Amen. Deinde tradat eis Epiſcopus

Dal-

Dalmaticam, dicens, Induat te Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdet te ſemper. Et tunc qui lecturus eſt Euangelium, petit benedictionem dicens; Jube Domine benedicere. Epiſcopus verò dicit; Dominus ſit in corde, & in ore tuo ad pronuntiandum Euangelium Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Lecto Euangelio antequam dicatur, Dominus vobiſcum, Dicat Archidiaconus, Recedant qui ordinati ſunt Diaconi. Quo facto injungatur eis aliqua Pœnitentia quotidiana pro obſervantia tanti myſterii.

Ordo Presbyterorum.

Facta Electione, & accepta profeſſione ordinandorum Presbyterorum, dicat Epiſcopus, Sit nobis, quæſumus fratres communis oratio, &c. *ut in ordine Rom. ſub titulo*, Allocutio ad populum. *Deinde*, Presbyteri cum ordinantur, Epiſcopo eos benedicente, & manum, &c. *ſæpius ſupra relatum. Præfatio Presbyterorum ſicut lectio.* Hac præfatione finita, ſequitur, *Conſecratio Presbyterorum*, Honorum dator, &c. *In ordine Rom. & ſæpius jam exſcripta eſt. Ea completa ſequitur.* Hic reflectat ſtolam ſuper humerum dextrum, & dicat, Accipe jugum Domini Dei dicentis: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Hic veſtiet caſula dicens, Veſte nuptiali induat te Dominus. ℟. Deo gratias. *Sequitur Benedictio.* Deus ſanctificationum omnium autor, cujus vera conſecratio, plena benedictio eſt, Tu Domine ſuper hos famulos tuos quos Presbyterii honore dedicamus, &c. *ut in ordine Rom. & jam ſæpius. Ea dicta ſequuntur*, conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque conſecraverint, &c. Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & det eis dicens, Accipite poteſtatem, &c. *ut in ordine Rom. Immediatè ſubjungitur benedictio. Sequitur Benedictio.* Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in ordine Sacerdotali, & offeratis placabiles hoſtias, &c. *ut in ord. Rom. & ſupra, ſequitur confeſtim.* Et convertat ſe Epiſcopus ad populum, & dicat, Dominus vobiſcum, & Oremus, & dicatur offerenda. Poſtea proſequatur officium Miſſæ uſque ad Pax Domini. Tunc dat ſingulis oſculum pacis dicendo, Pax tibi, & communicent omnes Presbyteri. Presbyteri verò pro Conſecratione ſua ſtantes ante altare fidem Sanctæ Trinitatis quam prædicaturi ſunt, incipiant ita. Credo in unum Deum Patrem, &c. & ſic finiatur Miſſa ordine ſuo.

Ita ſe habet in illo codice Presbyteri ordinatio.

In margine inferiore poſt benedictionem adnotatur ſcriptura recenti dicendum eſſe, Veni creator, *Deinde in margine è regione iſtarum dictionum*, Accipe poteſtatem *adnotatur ſcriptura antiqua, & ad textus antiquitatem accedente*, Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. *Et poſt completum ritum, legitur in margine manu recentiore adnotatum.* Et poſt ſumptionem corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti antequam dicatur Poſtcommunio, Tunc Epiſcopus trahat unicuique Caſulam deorſum (habetur in textu juſſum, Gallica dictio antiqua jus,) per ſcapulas; oſculans eum, & dicens, Pax Domini ſit ſemper tecum. Reſpondeat Ordinatus, & cum Spiritu tuo. Et per manus ſe commendet orationibus eorum; dicens; Ora pro me frater. Reſpondet Ordinatus, Dominus vobis retribuat.

Incipit Ordo vel Examinatio in ordinatione Epiſcopi.

Primum faciat Clerus & populus Electionem Epiſcopi. Poſtquam autem Electio Cleri & populi, Domini quoque Metropolitani autoritate, corroborata fuerit, ipſe Electus Sacerdotalibus veſtimentis induatur præter caſulam, & pro caſula induatur Pluviali: Et ſic Comprovincialas Epiſcopi deducant eum per manus coram Metropolitano ad examinandum, ipſo Metropolitano ſedente in loco examinationis, dorſo verſo ad majus altare. Sedilia verò ipſorum ſint diſpoſita ante conſpectum Metropolitani in modum coronæ à dextris & à ſiniſtris Electi. Stantes autem Epiſcopi cum Electo infra coronam, offerant eum his verbis: Reverende Pater poſtulat ſancta Mater Eccleſia ut hunc præſentem Presbyterum ad onus Epiſcopatus ſublevetis. Et Metropolitanus reſpondet, Scitis illum dignum eſſe? Epiſcopi, Quantum ad humanæ fragilitatis ſpectat examen, credimus illum dignum eſſe. Et reſpondent omnes, Deo gratias. Tunc Metropolitanus.

Antiqua Sanctorum inſtitutio docet, & præcipit, &c. *ut in ord. Rom. & ſæpius ſupra. Sequuntur interrogationes Epiſcopo de more faciendæ, ibidem relatæ.*

Ita quoque examinatus, & plenè inſtructus, cum conſenſu Clericorum & Laïcorum, ac conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani vel autoritate vel præſentia ordinetur. Poſthæc deducatur ante majus altare, & tunc faciat profeſſionem Archiepiſcopo ſuo, tenens ſcripturam in manu, & legat ſuper Sanctum altare. Tunc incipiat Cantor Introitum ad Miſſam, & Electus ad ſacrarium deductus veſtimentis & inſignibus Pontificalibus**. Lecto autem Euangelio, & toto officio uſque ad ſecretam peracto, duo ex Comprovincialibus Epiſcopis deducant eum per manus ad majus altare, ante conſpectum Metropolitani, Et ſic in nomine Domini facta Litania, fiat Conſecratio.

Hic incipit qualiter Epiſcopus ordinetur in Roma.

Epiſcopus cum ordinatur, primò progreditur Dominus Metropolitanus cum cuncto Clero ad Eccleſiam ubi ipſam vult Ordinationem fieri. Veniens autem ante altare, mox ut vult indicat Cantori, & mox incipit Introitum. *Antiph.* Benedicat te Deus hodie, cum Pſalmo, cum gloria Patri. Cumque Introitum finierint, non dicitur Kyrie eleiſon, ſed Dominus Metropolitanus dicit, Gloria in excelſis Deo. Hoc finito dicit, Pax vobis; Deinde

det

det orationem. Et duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui aſſunt, manibus ſuis caput ejus tangant. Hæ orationes dicantur mediocri voce, Adeſto ſupplicationibus noſtris, &c. Oremus dilectiſſimi, &c. Propitiare Domine, &c. *Præfatio.* Verè dignum, &c. Honor omnium dignitatum, &c. *Hæc omnia eodem modo & ordine quo in ordine Ro. & ſupra explicatum eſt. Cum dicitur illa Præfatio, unctio fit; ſed in ordine Romano unctio dicitur fieri in capite in modum crucis. In codice noſtro abſunt iſta verba. Unctione facta & verbis prolatis additur in codice.* Et omnes Epiſcopi pertingant caput ejus manibus ſuis. *Poſtea ſequitur ut in ordine Rom.* Hoc, Domine, B copioſè in ejus caput influat, &c. *Statim poſt finem Præfationis additur*, Tunc cantet Clerus communiter, unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in ora veſtimenti ejus. Mandavit Dominus benedictionem in ſeculum. *Pſalmus.* Ecce quàm bonum & quàm jucundum. Per unumquemque verſum repetit Clerus commuiter. *Hæc abſunt ab ordine Rom.*

Iſta verba ſtatim ſequitur Benedictio baculi. Tandem ſequitur Benedictio ſuper Epiſcopum, quæ additur in inferiore margine, ſed ſcriptura antiqua, & inferius adhuc charactere rubro. Hæc omnia fiunt poſt Offertorium, & ante ſecretam Miſſæ.

Cum autem venerit ad communicandum Dominus Archiepiſcopus porrigit ei formatam, atque ſacratam hoſtiam integram, ſuſcipiens eam Epiſcopus ex ea communicat ſuper altare. Quod verò reſiduum fuerit; reſervetur ſibi denuò ad communicandum unoquoque die uſque ad quadraginta dies expletos: & poſtmodum juſſus ab Archiepiſcopo communicet populum cum cæteris Epiſcopis, &c. Finita Miſſa Archiepiſcopus det novo Epiſcopo librum Euangeliorum, ita dicendo, Accipe Euangelium, & vade, &c. & dat ei oſculum, & cæteri Epiſcopi ſimiliter. Datur Epiſcopo ſcriptum quod Ordinationis acceptæ teſtimonium eſt, quod formata dicitur. *Eadem planè eſt quæ in ordine Romano. Nullibi autem in toto ritu occurrit, Accipe Spiritum ſanctum.*

ELECTA QUÆDAM MISCELLANEA

ſacras Ordinationes ſpectantia, de variis Pontificalibus, ſive Sanctorum officiorum Ordinibus, abhinc annos quadringentos ſcriptis decerpta.

In Bibliotheca Eccleſiæ Rotomagenſis conſervatur liber Pontificalis minoris formæ, & litteræ minutiore deſcriptus, cujus ætas non videtur annos trecentos excedere, in quo hæc habentur in Ordinatione Subdiaconi.

ADepturi fratres hujuſmodi officium Subdiaconatus, ſedulò attendite quale myſterium vobis traditur. Subdiaconum oportet præparare vinum & aquam ad adminiſtrationem altaris, & miniſtrare Diacono. Accedentes igitur Subdiaconi ordinandi, accipiunt Calicem vacuum cum Patena ſuperpoſita de manu Epiſcopi. Accipite poteſtatem miniſtrandi, ut augeat vobis Deus gratiam ſuam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Poſtea dicat Epiſcopus in modum lectionis quod ſequitur, legendo & ſedendo. Videte cujus miniſterium, &c. *uſque ad hæc verba.* Deo placere poſſitis. Poſtea ſtans, &c. Oremus Deum, &c. Domine Sancte Pater, &c. *hoc eſt Præfatio & Benedictio Subdiaconorum ut in ordine Romano, & ſæpius ſupra.*

Tunc imponit eis Epiſcopus manipulos in D ſiniſtris brachiis, dicens ſingulis quod ſequitur, Accipe Manipulum per quem deſignatur fructus bonorum operum: Imple miniſterium tuum. Potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam ſuam, in nomine, &c. Et Epiſcopus. Pax tibi: & Ordinatus, & cum Spiritu tuo. Et poſt exuta tunica Subdiaconi principaliter Epiſcopo miniſtrantis, Epiſcopus immittit illam cuilibet uſque ad ſcapulas, retrahens eam uſque ad ultimum qui eam totaliter indutus, dicit quod ſequitur. Induat te Dominus veſtimento ſalutis & tunica juſtitiæ circumdet te ſemper in nomine, &c. Tunc C dicitur Collecta Miſſæ diei, & Collecta ſequens cum ea pro Ordinatis ſub uno per Dominum. *In margine ſcriptum eſt alia manu.* Accipe librum Epiſtolarum, &c.

In Presbyteri Ordinatione.

Tunc omnibus Sacerdotibus ibi exiſtentibus ponentibus manum dexteram ſuper illos, ſuſpenſam tenentibus, quod eis per Capellanum debet annuntiari, & Epiſcopus ponit utramque manum ſuper caput cujuſlibet. Poſtea dicit ſuper eos hanc orationem manibus extenſis, & debet ſurgere. Oremus, &c. *ut in Pontificali.*

Poſtquam Epiſcopus dixit.

Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c. *ſubjungitur ſtatim*, Sequitur benedictio, ſuper eos planè dicenda. Benedictio, &c. *ut in Pontificali in fine ante Communionem. Dehinc Offertorium dicitur; poſtea antequam proferatur Agnus Dei*, Dicatur ſolemnis Benedictio quæ ſequitur, Omnipotens Deus ſua clementia vos benedicat, & ſenſum in vobis ſapientiæ ſalutaris infundat, & Catholicæ fidei vos documentis im-

imbuat, & in ſanctis operibus perſeverabiles reddat, & greſſus veſtros ab errore convertat, & viam pacis & charitatis vobis oſtendat, quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum. Amen. Et Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, &c. *Sequitur, Agnus Dei. Epiſcopus ſeipſum & alios communicat*, Et tunc ſucceſſivè imponit manus ſuper capita ſingulorum inclinata, dicendo cuilibet quod ſequitur, Accipe Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis, &c. Poſtmodum extendens caſulam complicatam cujuſlibet, induit quemlibet eorum manibus remanentibus junctis, dicendo ſic, Stola innocentiæ, &c. & eum oſculando dicit, Pax Domini, Amen. *Planetas, ut apparet, induuntur poſtquam ipſis dictum eſt, Accipe Spiritum S. Deinde ante dictum fuerat*, Quibus Planetas ſuper brachia plicatas tenentibus, & exiſtentibus coram Ordinatore, Epiſcopus admonet eos, &c.

Ex libro Pontificali literis Majoribus & elegantibus ſcripto, qui pertinet ad Bibliothecam Collegii de Luxo apud Toloſates, & inſcribitur, liber Pontificalis officii.

EX Ordinatione Presbyteri. Poſtea Epiſcopus ſtans imponit manus ſuper capita ſingulorum, nihil dicens ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ: Et ſimiliter omnes Presbyteri qui aſſiſtunt. Secundum verò conſuetudinem quarundam Eccleſiarum dicunt, Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis, &c. Deinde depoſita Mitra dicit cantando, Oremus dilectiſſimi, &c. *Ea pronuntiata.* Hic reflectat Orarium ſuper humerum dextrum, dicens: Accipite jugum Domini. Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve. Hic veſtit eos caſula plicata per ſingulos dicens: Accipe veſtem Sacerdotalem per quam charitas intelligitur. Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi charitatem, & opus perfectum. Deinde Epiſcopo incipiente cantatur Hymnus, *Veni creator Spiritus, &c.* Orationem ſequentem aliqui cantant in tono orationis; alii verò in tono Præfationis, Deus ſanctificationum omnium autor, cui, &c. *Ea dicta, ungit manus, quo peracto*, Accipit de altari Calicem cum vino, & Patenam cum Hoſtia Calici ſuperpoſitam, & tradit ei dicens cuilibet ſigillatim, Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis, quàm & pro defunctis, in nomine Domini. Poſt communionem explicat eis caſulas, ſive Planetas, dicens, cuilibet ſigillatim: Stolam innocentiæ induat te Dominus. Accipe veſtem Sacerdotalem per quam charitas intelligitur, Potens eſt enim Deus ut augeat tibi charitatem & opus perfectum. Si verò Presbyter fuerit Cardinalis dat ei Dominus Papa annulum, ita dicendo, Ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, committimus tibi Eccleſiam N. cum Clero & populo ſuo. *Sequitur Benedictio.* Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in ordine Sacerdotali, & offeratis placabiles hoſtias pro peccatis atque oſſenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor, &c. *Hæc verba ſtatim ſubſequitur* Ordo ad Epiſcopum faciendum. *Omnia ordinariis Pontificalibus prope ſimilia, ſi excipias*, Accipe Spiritum S. *conſecrando dictum, quod in eo codice nuſquam apparet.*

Ex Pontificali S. Mariæ Remenſis manuſcripto vix à trecentis annis, qui nigro coopertus eſt, cujus forma, minore folio. In Ordinatione Subdiaconi liber Epiſtolarum non datur, ſed Subdiacono cui tunica remanet; ſtatim legit Epiſtolam, quam ſequitur tractus.

Sic in eo de Conſecratione Virginum, Conſecratio ſacrarum Virginum, quæ in Epiphania vel in 2. Feria Paſchæ, aut in Apoſtolorum natalitiis celebratur; Omnes qui ad ſacros ordines debent promoveri, ante pronuntiationem Euangelii ab Epiſcopo debent conſecrari, quia prædicatio S. Euangelii debet per totum mundum diffundi. Virgines autem & viduæ poſt lectum Euangelium debent velari, quia decet eas, & per Euangelium prædicari. Virginem Epiſcopo Parentes cum oblatione offerant, & ille involutam manum ejus in Palla altaris recipiat, dicendo cum adſtantibus Antiphonam, &c. *In fine Conſecrationis ſic legitur*, Deinde publica voce bannum Epiſcopalem imponat, ne quis eas à divino ſervitio ſub vexillo caſtitatis impediat, & ut bona ſua cum pace & quiete poſſideant. Poſt hæc relinquentes puellis cereos, ſtent inclinatæ, uſque dum communicent, & Miſſa finiatur ordine ſuo. Poſtquam communicaverint, reſervent de ipſa communione uſque in diem octavum, & tunc communicent. *In Conſecratione Viduæ dicitur, quod à Presbytero velari poteſt; Velum autem debet ipſamet ſibi imponere. Ad Miſſam cum velatis offerat & communicet.*

In alio Pontificali, cujus forma ſemel complicata, ſive in quarto, qui ligneo operculo tantùm tegitur, & precedente videtur paulo antiquior, libri Epiſtolarum Subdiacono traditi nulla fit mentio. Nulla in Ordinatione Presbyteri iſtius formula, Accipe Spiritum S. quorumcunque remiſeritis, &c. *ſed ſtatim poſt traditionem Calicis, Patenæ & oblatæ, & verborum*, accipe poteſtatem offerre, &c. *Sequitur*, Benedictio Dei Patris, &c. Tunc oſculetur ſingulos, dicens, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Miſſa continuatur, & finita Miſſa, & data benedictione ſolemni, nullius poſtea rei fit mentio. In Ordinatione Epiſcopi ſimiliter non legitur*, Accipe Spiritum Sanctum.

In eodem Pontificali in fine Ordinationis Epiſcopi. Cum autem venerit ad communicandum Dominus Pontifex porrigit ei formatam, atque ſacratam oblationem integram: ſuſcipiens eam Epiſcopus, ipſe ex ea communicat ſuper altare. Quod verò reſiduum fuit, ſibi denuò ad communicandum, unoquoque die uſque ad quadraginta dies expletos, *reſervat.* Et poſtmodum juſſus à Domino Pontifice communicat populum cum cæteris Epiſcopis.

PRÆFATIO

IN DUOS AUXILII LIBELLOS,

qua docetur unde accepti ſint, Quis fuerit Auxilius : Multa ex iis erui poſſe ad hiſtoriam quorundam Pontificum illuſtrandam. Argumenta ipſius non ſemper ſcopum attingere. Actionem Stephani VII. Pontificis in Formoſum ancipitem eſſe. Ei Formoſum occaſionem amplam dediſſe. Nonnulla denique notantur, quæ in eo cautè legenda ſunt.

QUum anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo in itinere quod tum agebam, Toloſa occurreret, in ea octiduum commoratus ſum. Interea dum Bibliothecam Illuſtriſſimi Præſulis Domini de Montchal Archiepiſcopi Toloſani multis codicibus manuſcriptis divitem luſtro, incidunt in manus meas hi Auxilii libelli charactere antiquo, ſi bene memini, deſcripti, & ad autoris ſeculum accedente. Multa tum exſcripſi quæ mihi utilia fore prævidebam. Poſtea cum hoc opus ſub prelo ſudare inciperet, & de operis mei ſcopo cum reverendo Patre Vigniero noſtrate, & noſtræ Congregationis Presbytero, viro eruditiſſimo, & antiquitatis, qua ſacræ, qua prophanæ, indagatore ſolertiſſimo & perſpicaciſſimo colloquerer, monuit me ſe habere Auxilii libellos manu ſua exſcriptos ex codice antiquo quem forte fortuna in Monaſterio Lotharingico deprehenderat; Monaſterium indicavit, ſed illius non memini : Se poſtea apographum ſuum cum alio antiquo codice quem penes ſe habebat Reverendus Pater Jacobus Sirmondus, Doctorum nemini incognitus, contuliſſe. Exemplar ſuum mihi roganti lubens conceſſit utendum & edendum. Hinc, Lector, iſtos habui libellos quos nunc tibi publicè exhibeo. Papyrius Maſſonus poſterioris libelli titulos Cardinali Baronio Romam olim tranſmiſit, quos tanti fecit, ut eos ne perirent ultimo Annalium tomo adnexuerit. Hunc libellum vocat Cardinalis, Acta Formoſi Papæ. Eodem loco Epiſtolam Auxilii ad Leonem Nolæ Epiſcopum integram exſcribit, ut etiam libelli capita ultima 29. & 30. Codices autem noſtri triginta duo Capitula nobis exhibent, prioremque libellum Baronio & Papyrio prorſus incognitum.

Quis fuerit Auxilius non liquet. Italus non fuit, ut ipſe teſtatur l. 2. c. 31. Ita enim ſibi objicit, *Porro cum ſis homo exteræ gentis, & apud nos humanæ vitæ ſubſidiis indigeas, quid ad te pertinet noſtris reſiſtere diſceptationibus.* Et paulò poſt, *Si advenis & peregrinis, Eccleſiæ Præpoſitos accuſare licet, vel judicare, aut præjudicare, &c.* Hoc autem non diffitetur, imò reſponſo ſuo ſupponit: Dicit enim tantùm ſe eſſe ex eo genere quod Apoſtolus Petrus vocat, genus electum, regale Sacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, hoc ſibi ſufficere, ut à teſtimonio hac in cauſa perhibendo excludi non poſſit, velut eo loco pluribus legere potes. Cujas autem fuerit, difficile dictu eſt, cum hoc in libellis ſuis non indicet. Francum fuiſſe vix dubitari poteſt: Sed eo tempore Franci nomine Germani non ſecus ac Galli intelligebantur: Uter fuerit non liquet, nec de hoc magnopere laborandum: In fine tamen ejuſdem capitis videtur negare, ſe exterum eſſe, quod initio conceſſerat. Presbyter autem erat, atque à Formoſo Papa ordinatus, ut ex initio cap. 31. colligi poteſt. Deinde id videtur probare quod ab Epiſcopis de canonibus & eorum obſervatione conſulitur. Sed cap. ultimo libri primi utrumque evidenter docet, & ſe fuiſſe ſaltem Presbyterum, & à Formoſo ordinatum.

Ex his autem libellis multa erui poſſunt quibus lumen affulget nonnullis maximi momenti geſtis Pontificum, Formoſi, Stephani ſeptimi, Joannis noni, & Sergii tertii, quæ obſcurè admodum hiſtoricorum illius temporis partim negligentia, partim penuria, nobis tradita ſunt. Hinc conſtat Pontifices Stephanum & Sergium non adeo fuiſſe ſceleratos, nec Formoſum adeo ſanctum, ut multi ſibi perſuadent: Stephanum & Sergium probabiles cauſas, imò in ſpeciem graves, exautorandi Formoſi Ordinationes habuiſſe. Formoſus enim à Joanne octavo Papa propter varia crimina depoſitus, & degradatus fuerat, & ad communionem Laïcam redactus, atque ab Epiſcopatu Portuenſi expulſus. Joannis Papæ ſententia in eum edita eſt, 3. tom. Concilior. Galliæ p. 432. Accuſabatur

cum

tum nonnullis aliis in Papæ Joannis vitam conſpiraſſe, in Caroli-Calvi Imperatoris & Franciæ Regis ruinam conjuraſſe, Romam Saracenis prodere voluiſſe, ut Papam illius excidio involveret, multaque alia crimina perpetraſſe, quæ in ſententia Joannis VIII. referuntur. Ob tam horrenda crimina Pontifex fugitivum & contumacem ab omni miniſterio Sacerdotali & Clericali deponit, & anathema in ipſum pronuntiat. Nec hoc Romæ pronuntiaſſe contentus, ſententiam ſuam ad omnes Galliæ & Germaniæ Epiſcopos Pontigoné congregatos, litiſque proceſſum mittit per legatos ſuos, eoſque hortatur ut ſententiam ſuam per univerſas diœceſes ſuas publicari curent, ut videre eſt præterea tom. 3. Conciliorum part. 1. c. 5. Concilii Pontigonenſis, Cum autem Formoſus, & criminum ejus conſortes in criminibus & contumacia perſeverarent, Joannes VIII biennio poſt, Trecas in Galliam venit, ubi congregata Synodo Epiſcoporum Galliæ & Belgicæ, Excommunicationem in Formoſum renovat, & conſentientibus atque ſubſcribentibus omnibus Epiſcopis, eam iterum ipſe fulminat; ut legere eſt apud Aimonium l. 5. c. 37. & tom. 3. Concil. Galliæ, in Concil. Tricaſſ. 11. c. 4. Scribebat inſuper idem Pontifex ad varios Provinciarum Magnates, ut *à conſortio Formoſi anathematizati* diligenter ſibi caverent, ut videre eſt Epiſtola iſtius Pontificis 305.

Opponebant equidem Formoſi fautores, Marinum Papam Joannis VIII. ſucceſſorem ab anathemate Formoſum abſolviſſe, & ordinibus ſuis atque Epiſcopatui redintegraſſe. Sed quidquid ſit de hac abſolutione, regerebant præterea Formoſi Adverſarii eum iniquè & contra canones procuraſſe, ut à ſede Portuenſi ad Romanam transferretur, quod hactenus nunquam in hac ſede factum fuerat. Omnes enim Pontifices ad Formoſum uſque electi fuerunt ex Diaconis & Presbyteris Romanis. Crimen illud tranſlationis Epiſcopalis, Romanis moribus planè inſolens, aggravabat Formoſi jusjurandum, quo ſe nunquam Romam rediturum Papæ Joanni ſolemniter promiſerat: Non tantùm autem redierat, verumetiam Pontificatum ambierat, & obtinuerat. Nec ſine exemplo ordinationes Formoſi iterarunt. Exemplum Stephani IV. ſe ſequi prætexebant, qui convocato magno Concilio Italorum, Francorum, & Germanorum Epiſcoporum, cum omnium conſenſu Conſtantini Papæ ordinationem irritam & caſſam declaravit, eo quod cum Laïcus eſſet, ad Pontificatum electus fuerat, & paucis diebus, nullis prope ſervatis interſtitiis, omnes ordines ſuſceperat. Nec Conſtantini degradatione contenti fuerunt, ſed etiam omnes qui ab eo ordinati fuerant, nihil ex ea ordinatione conſecutos eſſe declararunt, ideo iterum ordinandos eſſe, ſi Eccleſiæ quibus deſtinati fuerant, eos inſtanter peterent. His & ſimilibus argumentis & exemplis Pontifices illi auſum ſuum tuebantur. Nitebantur forſan aliis rationibus quas Auxilius præterit, ut pote iſtorum Pontificum Adverſarius.

Nec eſt de illis reordinationibus & ſuperordinationibus judicandum, ut nunc judicaretur: Nondum enim in rem judicatam tranſierat, & in fidei Catholicæ axioma, quamlibet ordinationem ſecundum Eccleſiæ ritum ab Epiſcopo ſecundum eundem ritum, ordinato celebratam, validam eſſe & nullo caſu iterandam. Variæ erant & contrariæ de hac re traditiones, variæ obſervationes, varia & contraria Doctorum reſponſa. Hanc varietatem evidentiſſimè & luce meridiana clariùs docent hi libelli, nec diſceptationem inter eos de ordinum executione tantùm fuiſſe, ſed primò & principaliter de ipſa ordinum ſubſtantia. Communi equidem ſententia, quantum ex eorum actis colligere eſt, omnes fatebantur ordinationes ſecundum præſcripta canonum, & librorum Ritualium ab Epiſcopis Catholicis celebratas, nunquam eſſe repetendas. Sed de multis quæſtionibus quæ in hac materia fieri ſolent, variæ erant ſententiæ, quæ nec illo ſeculo, nec duobus ſequentibus univerſaliter definitæ ſunt, & ideo variæ de his rebus leguntur obſervationes. Verbi gratia, An Ordinatio contra canones uſurpata, eſſet ordinatio. An Epiſcopus depoſitus, degradatus, & ad communionem Laïcam damnatus, ordinare poſſet. Alia erant dubia, ſed hæc duo potiſſimum illius temporis Pontifices vexaverunt, & ingentes tumultus excitarunt. Teſtimoniorum ab Auxilio pro ſententia ſua allatorum magna pars ſcopum non ferit, multaque quorum diverſa ratio velut idem ſonarent, confundit, nec ſemper accuratè ſatis examinat, an argumenta quibus utitur rem acu tangant: Verùm iſta Lectoris judicio penſitanda relinquimus.

In Stephani Pontificis actionem, qui Formoſum Papam mortuum in judicium vocavit, exhumari juſſit, & condemnatum veſtibus Pontificalibus exui, tribuſque digitis amputatis in Tiberim projici, plurimùm invehitur: nec ipſe tantùm, ſed recentiores plerique hoc facinus tragicè exaggerant, ideoque Pontificem illum injuriis & opprobriis onerant, & dilacerant. Actio iſta anceps eſt, & pro vario conſpectu variam & contrariam ſpeciem induit. Certo conſpectu ſpectata, crudelis, inhumana, barbara videtur. Plerique omnes hiſtorici qui hactenus de hac actione ſcripſerunt, eam ſiniſtrè conſpexerunt, ideoque Pontificem Stephanum innumeris convitiis nulla tantæ dignitatis habita reverentia proſciderunt. At ſi alio conſpectu, eoque dextero, quis eam contempletur, juſta, & ſevera legum obſervatio apparebit, zeluſque pro diſciplina Eccleſiaſtica ſuſpiciendus; non ſecus ac ii laudantur qui viris principibus, aut cognatis, atque etiam filiis ſontibus non pepercerunt, ſed de eorum criminibus juxta leges vindictam ſumpſerunt. Verùm iſta in medio relinquamus neutri præjudicium facientes: Per nos ſit hac in cauſa unicuique, velle ſuum, & conſpectus. Hoc ſolùm velim Lectorem adnotare, totum iſtud Pontificum diſſidium ad fidem nullo modo ſpectaſſe. Duo tantùm ſpectabat quæ hominum opinationibus erant obnoxia, quorum unum in quæſtione ſingulari verſabatur. An Formoſi ad Papatum promotio fuiſſet canonica: Pars una hoc affirmabat; negabat altera. Alterum in quæſtione univerſali, ſed nondum deciſa, & edicto peremptorio confirmata; An Epiſcopus depoſitus & degradatus validè ordines conferret.

Monendus es præterea Lector, nonnulla eſſe apud hunc Autorem quæ evidenter à veritate aliena ſunt; lis notam inurere ſatis eſto; nam ad ea refutanda longum ſermonem texere, eſſet à ſcopo noſtro longiſſimè aberrare. Lib. 1. c. 11. Oſium accuſat Novatianiſmi, & adverſus eum invehitur

quatuor ſequentibus capitibus, ut & c. 23. lib. 2. eo quod canone 1. & 2. Concilii Sardicenſis dixiſſe refertur, Epiſcopo qui ſedem mutaverit fraude & mercede aliqua, licet excuſationem afferat quod plebs eum expetierit, ne Laicam quidem communionem eſſe concedendam. At totum Concilium Sardicenſe quod velut univerſale cenſetur, & unum cum Concilio Nicæno, Oſii ſententiam approbat, & confirmat; nec illi duo canones Oſii eſſe cenſentur, ſed Concilii. *Placetne hoc omnibus? Omnes Epiſcopi dixerunt, placet.* Deinde modus quo pœnam illam infligunt Patres, adverſatur è Diametro hæreſi Novatianorum. Oſtendit enim hanc pœnæ inflictionem, aut illius indulgentiam eſſe in eorum poteſtate; cujus veritatis negatio Novatianiſmum conſtituebat.

Præfatiunculâ in lib. 2. & in reſponſione, ſcribit ordinem per puram coactionem ſuſceptum valere, idque ſimili abſurdo probat & illuſtrat; quod iterum repetit cap. ultimo libri. *Si quiſpiam*, inquit, *nolens credere in Chriſtum per vim baptizatus fuerit, & poſtmodum in Chriſtum credere acquieſcit, numquid iterum baptizandus erit? Minime.* At ejuſmodi baptiſmus, ſic & ordo, Characterem non imprimunt, ut docent Doctores omnes, & diſertiſſimè traditur, extra c. Majores Eccleſiæ, § Item quæritur, De baptiſmo & ejus effectu. Nec facit ad rem infantium baptiſmus: Quoniam ſicut ſine voluntate propria peccarunt; ita ſine voluntate ſua baptizantur, & baptiſmo purgantur.

Lib. 2. c. 12, 13, 14, 15. parum conſideratè loqui mihi videtur de obedientia quæ ſummo Pontifici jubenti debetur. Quanquam enim id quod ſcribit verum forſan ſit in hypotheſi quam tractat; tamen generaliter pronuntiatum falſum eſt, & periculoſum: Hoc erat cautius explicandum & pronuntiandum. Eadem ratio eſt diſtinctionis quam facit c. 18. lib. 2. inter Apoſtolicam ſedem, & in ea Præſidentes; cautius erat explicanda. Prætextu enim honoris conſervandi throno Apoſtolico debiti, habenæ laxantur Convitiatoribus Pontificum, unde neceſſariò & evidenter convitia in ſedem ipſam reflectuntur.

Temerè etiam mihi videtur c. 4. l. 2. condemnare Stephani Pontificis decretum. Nihil enim de Conſtantino & ejus ordinationibus ſtatuit, niſi approbante & laudante numeroſo Epiſcoporum Concilio, quos in eam Rem ex Italia, Gallia, & Germania convocaverat. Omnes pedibus, manibuſque iverunt in Stephani & Cleri Romani ſententiam. Joannes XII. approbante Concilio Romano, annis circiter quinquaginta poſt Auxilium, longè aliter ſenſit de ſententia Stephani VI. in Conſtantinum Pſeudopapam. Nam Joannes ejus imitatione, & ejus facto in exemplum prolato, ſimilem prorſus in Leonem Pſeudopapam, & ab eo ordinatos, cum univerſi Concilii unanimi conſenſu pronuntiavit ſententiam. Poſtquam enim ab omni miniſterio Epiſcopali eum depoſuit, ita de iis quos ordinaverat, definit, *Eos verò quos ipſe Leo Neophytus, & invaſor S. Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ in quolibet Eccleſiaſtico ordine provexit, Apoſtolica atque canonica auctoritate, & Synodali decreto, in priſtinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit. Sicut olim noſter Prædeceſſor pia memoriæ Papa Stephanus ſententiam tulit de iis qui ordinati fuerant à Conſtantino quodam Neophyto, & Invaſore ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & poſtmodum quoſdam eorum ſibi placabiles Presbyteros aut Diaconos conſecravit.* Sententia autem actione prima Concilii in ordinatos à Leone Schiſmatico, ſeu VIII. lata fuerat, qua data Joannes Papa *præcepit ingredi eos in Concilium cum veſtimentis, planetis, atque ſtolis, & unumquemque eorum in chartula ſcribere fecit hujuſmodi verba, Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit. Et ſic eos exutos privavit honore, quem dederat eis ipſe invaſor & Neophytus, atque Curialis, & revocavit eos in priſtinum gradum.* Hæc præter acta Concilii diſertè refert Sigebertus ad an. 963. Sed Auxilius Argumentis Adverſariorum preſſus, qui Oſii in Concilio Sardicenſi, & Stephani Papæ in alio Concilio decreta illi objiciebant, in hæc incommoda ſeſe conjecit, attentè ut debuerat non ſatis conſiderans, ſe cum Oſio & Stephano Pontifice magna & numeroſa Epiſcoporum Concilia condemnare.

Facilius forſan excuſari poterit quod c. 25. & 27. l. 1. & c 4. l. 2. Liberium Pontificem Hæreticum vocat, & Apoſtatam. Optimos enim habet autores ſibi in hac credulitate præeuntes, ſanctos ſcilicet, Athanaſium, Hilarium, Hieronymum, & autorem vetuſtum libri vitas Pontificium continentis, à quo hauſit Auxilius quæ de Liberio refert. Tanti viri hanc de Liberio opinionem conceperant, eo quod Liberius tædio exilii, & perſecutionum ab Arianis inflictarum crudelitate dejectus, tandem Athanaſii condemnationi ſubſcripſerit, licet hæreſim Arianam nunquam fuerit profeſſus. Tria crimina commiſerat Liberius quæ famæ de ipſius hæreſi vulgandæ, ut ait Cardinalis Baronius ad Annum 357. n. 42. occaſionem dederunt, *Quod vellus labefactaverit Sacerdotalem conſtantiam, injuſtè contra S. Athanaſium ſubſcribendo: quodque communicaverit, ut ipſe fatetur, cum illis quorum communionem hactenus exhorruiſſet: Sed & quod etiam profeſſionem illi ſubſcripſerit, qua licet Catholica videri poſſet, tamen voce illa Nicena careret Conſubſtantialitatis, quam Majores omnes adverſus Arianos, magna ſemper gloria defendiſſent.* Hujus infamiæ diſſeminationem non parum auxit oppoſitio quam Clerus Romanus duce Damaſo, & cives Romani Catholici prope omnes fecerunt Liberio Papæ ab exilio Romam redeunti. Publicatis enim quæ humanitus illi contigerant, cum eo communionem colere noluerunt, ſed Felici ſecundo, ſeceſſione à Liberio facta, adhæſerunt: Unde neces, exilia, & martyria multa contigerunt, Præfectis Conſtantii Imperatoris Ariani, in eos qui Liberii communionem amplecti nollent, ſævientibus. Qui hæc ſigillatim diſcere cupit, Cardinalis Baronii Annales legat ad annum Chriſti 550. n. 32. & ſequentibus, Cardin. Bellarm. Controverſ. tom. 1. l. 4. de Pontif. Rom. c. 9. Cum igitur ſententiæ ſuæ tantos habeat Autores Auxilius, facile excuſandus eſt; ut & multi graves Autores qui ante & poſt ipſum in eandem lapſi ſunt ſententiam, quos inter Sanctus Petrus Damianus Epiſcopus & Cardinalis Hoſtienſis, doctrina, pietate, & dignitate in Eccleſia celeberrimus.

AUXI-

AUXILIUS
DE ORDINATIONIBUS A FORMOSO PP. FACTIS.

PRÆFATIUNCULA.

PRUDENS Lector, hæc de ſcripturarum copiis & Sanctorum Patrum documentis pauca defloravimus, ſcilicet, Quod ſi Epiſcopus à propria ſede fuerit pulſus, certa imminente neceſſitate vel utilitate, in alia Eccleſia quæ Præſulem non habet, Inthronizari poſſit, non tamen abſque authoritate dumtaxat Romani Pontificis: Et quod ordinatio illa quam Papa Formoſus fecit, rata & legitima eſſe probabiliter oſtendatur, etiamſi ipſe Formoſus, ut ajunt, non ritè fuerit ordinatus. Quapropter cui plurima legere mimimè vacat, hæc breviter congeſta, ſi ſenſum intendat, ubertim ſufficere poſſe non dubium eſt.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Blatio ex Epiſtola Anteri Papæ.*
II. *De Sancto Gregorio Nazianzeno.*
III. *Nomina Epiſcoporum qui tranſmigraverunt ad aliam ſedem.*
IV. *De his, & apud Chronica Græca.*
V. *Quod BB. Gregorius atque Baſilius, ignari non fuerunt Nicæni Concilii.*
VI. *De vitanda Epiſcoporum tranſmigratione de ſede ad ſedem ex Concilio Nicæno.*
VII. *Qualiter Chalcedonenſis Synodus idem Nicænum intelligat.*
VIII. *Quod authoritate S. Leonis Papæ Chalcedonenſe Concilium ſit inſtitutum.*
IX. *Unde ſupra Cap. S. Leonis Papæ.*
X. *Gelaſii Papæ.*
XI. *Oſii Capitulum.*
XII. *Quod idem Oſius non Catholicè dixerit, nec Laicam in fine communionem acciperit.*
XIII. *Sancti Auguſtini de hoc ipſo.*
XIV. *Interrogatio ſuper Oſii definitione dicentis, nec in fine Laicam communionem accipiat, & qui ſint Canones auctoritate præditi.*
XV. *Quo fine ſuum ſapere Oſius concluſit.*
XVI. *Ab hinc præclara ſequuntur teſtimonia, quibus Papæ Formoſi ordinatio rata & legitima eſſe monſtratur. S. Leonis Papæ quod Pſeudo Epiſcopi ſine abjiciendi, & quod eorum ordinatio poſſit rata conſiſtere.*
XVII. *Quia ſicut denuo baptizari quiſquam non poteſt, ita nec denuo in ipſum conſecrari, ad Joannem Epiſcopum Ravennatis Eccleſiæ.*
XVIII. *Unde ſupra in Canonibus Apoſtolorum.*
XIX. *Anaſtaſii Papæ, quod eos quos poſt damnationem ſuam vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla læſionis portio attingat, ad Anaſtaſium Imperatorem.*
XX. *Ejuſdem, quod mali bona miniſtrando ſibi tantummodò nocerent, nec Eccleſiæ Sacramenta commaculent.*
XXI. *Unde ſupra, S. Auguſtini contra Parmenianum Donatiſtam.*
XXII. *Quod Bonoſiaci Clerici cum ſuis honoribus ſint recepti. Innocentii Papæ.*
XXIII. *Nicæna Synodus Clericos qui cathari dicuntur, recipi jubet.*
XXIV. *De Anatolio licet malè ordinato, tamen non expulſo.*
XXV. *De Liberio.*
XXVI. *Quod Vigilii ordinationes nemo removere auſus fuerit.*
XXVII. *Quod excepto Liberii ſacrilegio, quod peſſimum eſt, Vigilius pejora commiſiſſe dignoſcitur quam Formoſus.*
XXVIII. *Quod qui Papæ Formoſi ſacram Ordinationem nihil eſſe vel fuiſſe cauſatur, Chriſtianæ Religioni ſit inimicus.*
XXIX. *Quod ſi æmulatoribus illi Papa Formoſus diſplicet, non externis & longinquis, ſed Romano populo imputare debent.*
XXX. *Utrum verè ſit Sacerdos aut Levita, vel Subdiaconus, qui ad ſubvertendam eandem ordinationem, ſe cuiquam juramento conſtrinxit.*
XXXI. *Ex Conc. Chalcedonenſi de conjuratione vel conſpiratione.*
XXXII. *Quod ad faciendum iniquitatem, nulli unquam ſit obtemperandum.*
XXXIII. *Quod illud Euangelicum, omnia quæ dixerint vobis, ſervate, & facite, ſolummodò in bonam partem accipiendum ſit.*
XXXIV. *Quod ad ſcelera committenda, nullius excommunicatio ſit obſervanda.*
XXXV. *De obſervanda excommunicatione.*
XXXVI. *De injuſta Paſtoralis obligatione.*
XXXVII. *Unde ſupra in Salomone.*
XXXVIII. *Item ibid.*
XXXIX. *Unde ſupra, S. Gregorii Papæ.*
XL. *De univerſali Concilio expetendo.*

A

CAPUT I.

Ablatio ex Decretali Epiſtola. Anteri Papæ.

NOn tranſit de civitate in civitatem, vel de minori civitate ad majorem, qui hoc non ſuo libitu, non ambitu, non propria voluntate facit, ſed aut vi, aut propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non ſuperbè, ſed humiliter transfertur. Non igitur migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ cauſa, non ſponte B dimittit ſuam, ſed ut jam dictum eſt, aut pulſus à ſede ſua, aut neceſſitate coactus, aut electione, aut exhortatione Sacerdotum & populorum ad aliam civitatem transfertur, & inthronizatur. Hinc eſt quod Euſebius de quadam parva civitate, Apoſtolica authoritate mutatus eſt Alexandriam. Felix quoque de civitate qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam, & bonam vitam quam habebat, communi Epiſcoporum & reliquorum Sacerdotum, ac populorum conſilio tranſlatus eſt Epheſum. Hæc Anterus.

CAPUT II.

De Sancto Gregorio.

CÆterum autem ſi quiſquam objectare tentaverit, quod idem Anterus ante Nicænum fuerit concilium, tandem diſcere non erubeſcat, quod Pater Sanctiſſimus & Doctor mirabilis, Gregorium dico verè Theologum, non paucis labentibus annis poſt Nicænum Concilium, ob Eccleſiæ utilitatem de civitate ad civitatem migravit. Nam cum prius unius civitatis Cappadociæ, quæ Samſima dicebatur, fuiſſet Epiſcopus, Beati Baſilii, & aliorum Epiſcoporum hortatu & conſenſu, Nazianzo conſtitutus eſt. Deinde Conſtantinopolim demigravit: Neque enim audiendi ſunt qui eum Synodali judicio aſſerunt à Conſtantinopolitana ſede projectum. Verùm eſt quia congregati ſunt Epiſcopi, ſed non adverſus eum, ſed magis adverſus inthronizatores ejus, videlicet, quod ſine ſuorum conſenſu eum inthronizare auſi fuerint. Ipſe nimirum Sanctiſſimus Pater teſtificatur, cujus teſtimonium utique verum eſt, quod ſedem illam ritè acceperit, eique rectè præſederit, imò & precibus pulſatus fuerit, ut eam non deſereret; ſed propter aſſiduos corporis dolores, exteraſque infirmitates, curvamque Senectam, iſtiuſmodi precibus aſſenſum præbere noluit; re- E verſuſque ad quietem & Philoſophicam vitam, quam ſemper amaverat, in qua multiplices ac ſaluberrimos fructus afferens, quievit in Domino. Hæc autem partim reperiuntur in geſtis quæ de vita ejus ſcripta ſunt, partim in ſermone ipſius qui * Syntactirius appellatur. Apertiuſque in homilia inveniuntur, quam ipſe de ſe apud Conſtantinopolim adverſus eos diſſeruit, qui eum ſedem illam deſideraſſe dicebant.

Confer hoc caput, & ſequentia cum c. 35. lib. 7. Hiſt. Socr.

C

CAPUT III.

Nomina Epiſcoporum qui tranſmigraverunt ad aliam ſedem.

VErumtamen quia de Epiſcoporum tranſmigratione facimus mentionem, reſtat ut & alios qui utilitate vel neceſſitate inthronizati ſunt, ad memoriam revocemus. Perigenes in Petris eſt ordinatus Epiſcopus, ſed quoniam Cives ejus Civitatis eum ſuſcipere noluerunt, Romanæ Civitatis Epiſcopus juſſit eum inthronizari in Corinthum Metropolim, defuncto ejus Epiſcopo, eique, donec advixit, Eccleſiæ præfuit. Doſitheum Seleuciæ Epiſcopum Alexander Antiochenus Epiſcopus in Tharſum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab arcis Phœniciæ in Tyrum migratus eſt. Joannes de Gordolyde mutatus eſt in Procoſo, & in ea præſedit Eccleſia. Palladius ab Helenopoli, mutatus eſt in Aſponiam, Alexander ab alia Helenopoli in Adriopoli mutatus eſt. Meletius prius in Sebaſtena Eccleſia præfuit, & poſtea Antiochiæ præſul eſt conſtitutus Theoſebius ab Apamia Aſiæ, tranſfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antapri- C ſtena Myſiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus eſt. Hierophylus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam mutatus eſt. Obtimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Piſidiæ migratus eſt. Sylvanus à Philippopoli Thraciæ mutatus eſt in Troada. Euſebius itaque Pamphili in ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro, Alexandrum unius Cappadociæ Civitatis Epiſcopum refert, quia cum veniſſet cauſa orationis Hieroſolymam tentus ſit ab ejus Civibus, & in locum Narciſſi Epiſcopi conſtitutus, & de cætero omni vita ſua, ipſi Eccleſiæ præſediſſet.

D

CAPUT IV.

De his autem & apud Chronica Græca ita legitur.

IMperante Romanorum, ſecundo anno, Artemio, qui eſt & Anaſtaſius, tertia decima Indictione, undecima die menſis Auguſti, tranſlatus eſt de Metropoli Cyzico Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolim, adſtante Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis Apocriſario, Reverendiſſimo Presbytero Michaëlio, Conſentientibus Epiſcopis, & omnibus Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & cuncto Clero, vel Senatu. Quibus omnibus idem Presbyter talem fecit ſermonem. Divina enim gratia quæ ſcit ſemper infirma erigere, & incompleta complere, tranſtulit, & ordinavit in ſacratiſſimam ſedem à Deo ſervatæ Civitatis Conſtantinopolitanæ, præſentem Germanum ſanctiſſimum Archiepiſcopum. Hæc autem non ideo prælibavimus, ut quaſi licitum ſit cuiquam Epiſcoporum de ſe transferre ad ſedem, niſi certa imminente neceſſitate, vel utilitate.

CAP.

CAPUT V.

Quod BB. Gregorius atque Basilius non ignari fuerint Nicæni Concilii.

His ita breviter commemoratis, revertamur ad ea quæ paulò superius de B. Gregorio Theologo dicere cœperam. Nonne si quispiam temeritate accensus, objicere præsumpserit quod Beatus Basilius, & isdem luculentissimus Doctor Gregorius, ignari fuerint Nicæni Concilii, & in hujusmodi facto à Sancta Romana Ecclesia deviaverint, etiam imperitiæ cachinnum præbebit? Sed animadvertendum est, quod in hujusmodi negotio iidem Sancti Patres, Nicænos Canones ita intellexerint, quemadmodum Chalcedonensis Synodus, nec non & Sanctissimus Papa Leo, atque Gelasius intellexisse noscuntur, quod in consequentibus liquidius apparebit.

CAPUT VI.

De vitanda Episcoporum transmutatione de sede ad sedem ex Concilio Nicæno.

PRopter multam perturbationem, & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem * omnibus amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videatur admissa, ita ut de civitate in civitatem, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, transferatur. Si quis autem post definitionem sancti & magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se hujusmodi negotio manciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus.

* Omnimodis.

CAPUT VII.

Qualiter Chalcedonensis Synodus, idem Nicænum intelligat.

CLericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius Civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet, sed contentos esse in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Si quis autem post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit, & susceptum & suscipientem communione privari, donec is qui migraverat * Clerus, ad propriam fuerit reversus Ecclesiam.

* Clericus.

CAPUT VIII.

Quod authoritate S. Leonis Papæ Chalcedonense Concilium sit institutum.

AUthoritate igitur, & Apocrisariis Beati Leonis Papæ, ut in ejus Epistolis legitur, Chalcedonense Concilium institutum est atque roboratum. Et propterea memoratus Papa, discrepare ab illo æstimandus non est.

CAPUT IX.

Sancti Leonis Papæ.

SI quis autem Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se, Plebem, quacumque ratione transtulerit, à Cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit & propria: ut nec illis præsideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.

CAPUT X.

Gelasii Papæ.

QUisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temeréque susceptus fuerit & protervus reverendorum Canonum, vel ipse, vel receptor ejus atque provector, instituta non fugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus sacri Canones præfixere servanda. Audistis, ô æquitatis judices! quomodo Chalcedonense Concilium, quod utique à Nicæno Concilio nullatenus deviat, statuerit, quod absque Provinciarum amissione, in alterius civitatis Ecclesiam demigrandum non sit. Nihilominus audistis quod Beatissimus Papa Leo censuerit, ut Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem, se, plebem transferre. Id ipsum autem & Papa Gelasius, ut supra ostensum est, definire videtur. At vero si alicujus prædecessoris Pontificis capitulum ad hæc objicere quis præsumpserit, noverit Chalcedonensem Synodum, nec non & Apostolicos Præsules, quorum testimonia prætulimus; Leonem dico atque Gelasium, cuncta præcedentium Patrum, quæ canonicè instituta sunt, melius considerasse atque tractasse, quàm homines hujus temporis, & idcirco nemo eis præferendus est.

CAPUT XI.

Ossii Capitulum.

NOnnulli tanquam validissimum murum objiciunt Osium dicentem, si quis Episcopus per avaritiam aut ambitionem, & ut dominationem agat, sedem mutaverit, nec Laïcam communionem habeat. Deinde in sequenti capitulo. Etiamsi talis extiterit ut per fraudes, & quosdam præmio & mercede corruptos, excusationem afferens, ut quasi eum populi petere videantur, nec Laïcam in fine communionem accipiat.

CAP.

CAPUT XII.

Quod idem Osius non Catholicè dixerit, nec Laïcam in fine communionem accipiat.

ATtendite, quæso, veritatis amatores, quod dicturi sumus, nam quod idem Osius ait. Si quis Episcopus per avaritiam, vel ambitionem, & ut dominationem agat, sedem mutaverit, libenter amplectimur. Quod autem subjunxit: Nec Laïcam in fine communionem percipiat, æquis auribus audire non possumus. Ubi hoc didicit Osius? præsertim cum in Synodo Nicæna, quæ inter omnes Synodos principatum tenet, in qua ipse etiam cum Sanctis Patribus consedit, tale quid non habetur? Quin potius, ut supra intimatum est, humanius definierunt dicentes. Hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. Ergo quod dictum est, nec in fine Laicam communionem accipiat, non Catholicum sed Catharum sonat. Cathari enim Græcè, mundi dicuntur, cum prorsus sint immundi. Isti nimirum sunt Novatiani hæretici, qui neminem post culpam Pœnitentiam agere posse, dogmatizant. Contra quos Dominus per Prophetam clamat; Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Sunt & alia quamplurima, quibus ostenditur quod peccator etiamsi in extremo vitæ suæ Pœnitentiam petat, non sit abjiciendus, nec desperandus.

CAPUT XIII.

Sancti Augustini de hoc ipso.

HInc est quod B. Augustinus, cujus authoritas ad instar solis in tota fulget Ecclesia, exponens ad populum quæ sit blasphemia in Spiritum S. dicit: Non omnem blasphemiam, nec omne verbum contra Spiritum sanctum prolata, debemus accipere, quæ in hoc sæculo non remittantur, neque in futuro; sed quamdam blasphemiam & quoddam verbum, videlicet cor impœnitens contra Spiritum sanctum; quo in Ecclesia peccata dimittuntur. Verbum valde malum, & nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei cum ad pœnitentiam adducit, ipse secundum duritiem cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei. Hæc impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro; quia Pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Sed quamdiu quisquis in hac carne vivit, de eo judicari non potest. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad Pœnitentiam adducit. Paganus est hodie, quid si cras efficietur Christianus? Judæus infidelis est hodie; quid si cras credet in Christum? Hæreticus est; quid si cras sequetur Catholicam veritatem? A Schismaticus est hodie quid si cras amplectitur Catholicam * veritatem?

* Unitatem.

CAPUT XIV.

Interrogatio super Osii definitione dicentis: nec Laïcam in fine communionem accipiat; & qui sint Canones authoritate præditi.

ET hoc non prætereundum existimo: nam teste B. Papa Gelasio in Epistola ad Anastasium Imperatorem, nulli alii Canones authoritate præditi sunt, nisi quos Apostolica sedes, suo judicio roboraverit. Quapropter ostendant si possint, quis ex Apostolicis Patribus, quod Osius dixit, nec in fine Laicam communionem accipiat, firmaverit. Et quia tale aliquid ostendere minimè possunt, restat ut ejusmodi definitio, non Catholica, sed ut dictum est, Cathara sonet.

CAPUT XV.

Quo fine suum sapere Osius concluserit.

PRæterea quod adhuc de Osio subjiciendum est, quoniam homines sumus, non absque gravi gemitu exprimere possumus. Iste nimirum Osius Cordubensi Ecclesiæ præfuit Antistes, qui quondam Apostolicæ sedis Apocrisarius, una cum Vincentio & Victore Presbyteris, sancto & magno Nicæno interfuit Concilio. Postmodum vero Sardicensem Synodum, cum ingenti Episcoporum numero feciisse legitur, ubi capitula quæ per eum decurrunt, statuta fuerunt. Hic autem usque ad Constantii Imperat. tempus in corpore mansit. Iste quidem Constantius Arianæ perfidiæ particeps extitit. Orta itaque altercatione adversus eamdem hæresim, Episcopalis legatio Missa est ad Osium in Hispania commorantem; dixitque ad eum. Tu qui Nicænæ Synodo præsens affuisti, dic quæso Omousion sicuti nos Catholici rectè confitemur, id est unius cum Patre substantiæ filium: An sicut Ariani garriunt Omiousion, quod est similis cum Patre substantiæ filium, trecenti decem & octo Patres confiteri decreverunt? Qui, sive per longam ætatem desipiens, seu certè pro assentatione principis, responsum dedisse perhibetur, utramque partem rectè intendere, quæ confessa fuerit sive Omousion, sive Omiousion. Cujus sententia ita stultè prolata, non solùm à Catholicis, verumetiam ab Arianis, uno ore irrisa, atque refutata est. Denique in Civitate Corduba in qua Episcopatum tenuit, post hujusmodi responsum, nomen ejus intra Catholicos Episcopos antecessores, vel post decessores ejus, minimè recitatur.

CAP.

CAPUT XVI.

Ab hinc præclara ſequuntur teſtimonia; quibus Papæ Formoſi ordinatio rata & legitima eſſe monſtratur. Sancti Leonis Papæ, quod Pſeudo-Epiſcopi ſint abjiciendi, & eorum ordinatio poſſit rata conſiſtere.

NUlla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. Unde cum ſæpe quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis tribuendum eſſe, quod non doceatur fuiſſe collatum? Si qui autem Clerici ab iſtis Pſeudo-Epiſcopis in Eccleſiis ordinati ſunt, qui ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum conſueto judicio Præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi, ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent. Aliter autem vana habenda eſt creatio, quæ nec loco fundata eſt, nec authoritate munita.

CAPUT XVII.

Sancti Gregorii Papæ, quia ſicut denuò baptizari quiſquam non poteſt, ita nec denuò in id ipſum conſecrari, ad Joannem Epiſc. Ravennatis Eccleſiæ.

ILlud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum, niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit à fraternitate veſtra ſic ſapere: Sicut autem baptizatus ſemel iterum baptizari non debet; ita conſecratus ſemel, in eodem ordine iterum non valet conſecrari.

CAPUT XVIII.

Unde ſupra in Canonibus Apoſtolorum.

SI quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ſecundam manus impoſitionem acceperit ab aliquo, deponatur & ipſe, & qui eum ordinare tentaverit. Nam eos qui ab hujuſmodi baptizati fuerint, vel etiam ordinati, neque fideles, neque Clericos eſſe, poſſibile eſt.

CAPUT XIX.

Anaſtaſii Papæ, quod eos quos poſt damnationem ſuam, vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla læſionis portio attingat, ad Anaſtaſium Imperatorem.

NAm ſecundum Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, ſacratiſſimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, vel quos A baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas ſecundum Canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingat; quod forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma videatur. Nam & Baptiſmum quod procul ſit ab Eccleſia, ſive ab adultero, ſive à fratre fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum: Quia vox illa quæ ſonuit per Columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, hic eſt qui baptizat in Spiritu & igne. Nam ſi viſibiliter Solis iſtius radii, cum per loca fœtidiſſima tranſeunt, nullius contactus inquinatione maculantur, multo magis illius qui iſtum viſibilem fecit virtus, nulla miniſterii indignitate, contingitur. Nam B & Judas cum fuerit ſacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſſa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt, declarante hoc ipſo Domino manifeſtiſſima voce, Scribæ & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſederunt, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt. Quicquid ergo in hominum profectum quilibet in Eccleſia pro officio ſuo videtur operari, hoc totum complet & implet divinitatis effectus. Ita ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus affirmat. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed C Deus incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat eſt aliquid; neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur quis vel qualis prædicet; ſed quem prædicet; ut invidos etiam bene Chriſtum prædicare confirmet, quo malo Diabolus ipſe dejectus eſt.

CAPUT XX.

Ejuſdem, quod mali bona miniſtrando, ſibi tantummodò noceant, nec Eccleſiæ Sacramenta commaculent.

IDeo ergo & hic Acacius, cujus nomen dicimus eſſe reticendum, malè bona miniſtrando, ſibi tantummodò nocuit. Nam inviolabile Sacramentum quod per illum datum eſt, aliis perfectionem ſuæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem in tantum ſe extendit curioſa ſuſpicio, ut imaginetur, probato à Papa Felice judicio, poſtea ineffaciter in Sacramentis, quæ Acacius uſurpavit, egiſſe; ac perinde eos metuere, qui vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate, myſteria tradita ſuſceperunt. Nam ſuperbia ſemper ſiE bi, non aliis facit ruinam.

CAPUT XXI.

Unde ſupra. Sancti Auguſtini contra Parmenianum Donatiſtam.

QUod autem in libro ſapientiæ legitur, Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu; ita intelligendum eſt,

ut deſit ſaluti ejus, miniſterium tamen non A deſerat, quod per eum ſalutem operatur aliorum. Unde ait Apoſtolus, ſi enim volens hoc facio, mercedem habeo; ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Ac ſi dicat, illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum.

CAPUT XXII.

Quod Bonoſiaci Clerici cum ſuis honoribus ſint recepti: Innocentii Papæ.

CErtum eſt quod Bonoſiaci hæretici comparandi ſunt Judæis, eo quod Chriſtum B Deum ex Patris ſubſtantia ante ſæcula negent, ſicut Judæi qui ejus divinitatem negaverunt & negant. Unde conſequens eſt ut participium damnationis cum eis habeant, quorum errorem imitati ſunt. Et infra: Anyſii fratris quondam noſtri, aliorumque Sacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, ne cum eo remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur.

CAPUT XXIII.

Nicæna Synodus Clericos qui Cathari dicuntur, ita recipi jubet.

DE his qui ſe nominant Catharos, id eſt, mundos, ſi quando veniant ad Eccleſiam Catholicam, placuit Sancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant.

CAPUT XXIV.

De Anatolio licet malè ordinato, tamen non expulſo.

SAncto Flaviano Conſtantinopolitano Epi- D ſcopo ob Catholicam fidem in exilium deſtinato, Anatolius eo vivente in ejus loco ordinatus eſt. Ad quem Sanctus Papa Leo ita loquitur: Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defenſionem Catholicæ veritatis ejecto, non immeritò credebatur quod ordinatores tui contra Sanctorum Canonum inſtituta, viderentur ſui ſimilem conſecraſſe. Sed affuit miſericordia Dei, in hoc te diligens atque confirmans, ut malis principiis bene uteretis, & non te judicio hominum provectum, ſed Dei benignitate monſtrares. Quod vere ita accipiendum eſt, ſi hanc divini muneris gratiam alia offenſione non perdas. His E ergo relectis capitulis, o juſtitiæ dilectores, audiſtis liquidius, quod à Pſeudo-Epiſcopis ordinatio facta poſſit rata conſiſtere. Audiſtis etiam, quia ſicut denuò quiſque baptizari non debet, ita nec denuò in eodem ordine conſecrari poteſt. Nihilominus autem audiſtis, quod eos quos Acacius poſt damnationem ſuam ordinavit, nulla portio læſionis attigerit, eo quod mali bona miniſtrando, ſibi tantummodo noceant, miniſterium autem maculare non poſſint, quod talibus officiis Spiritus Sanctus præſideat author. Inde nimirum eſt quod Bonoſiaci, qui ad Catholicam Eccleſiam redire voluerunt, cum ſuis honoribus recepti ſunt. Inde etiam & Novatiani, ut fuerant ordinati, per manus impoſitionem ſuſcipiuntur. Anatolius quoque, ut dictum eſt, magis ſacrilegus invaſor, quam Epiſcopus fuit ordinatus, & tamen à S. Papa Leone non condemnatur, ſed potius admonetur, quatenus Sacerdotalem benignitatem alia offenſione non perdat. Et iſti qui ſunt? vel cujus magiſterii, cujuſve authoritatis, qui ſacram ordinationem à Catholico viro miniſtratam, & pluribus annis Deo fideliter famulantem, & Eccleſiaſtica officia Chriſtiano populo miniſtrantem, non Catholicè ſed Apoſtaticè ſubvertere nituntur?

CAPUT XXV.

De Liberio.

QUis enim neſciat quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæreſi ſubſcripſerit, & per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſint commiſſa. Multitudo quoque Sacerdotum & Clericorum interfecta ſit, & Martyrio coronata: reſidui vero Catholici non ſolum ab Eccleſiis, ſed etiam à balneis prohibiti ſint. Liberius autem Apoſtata tactus vixit annos ſex, ordinationes tamen quas fecit in ſua ſtabilitate permanſerunt. Nec mirum; reverà enim Judas, quamvis fur & ſacrilegus, quæ ſalubriter inter Apoſtolos geſſit, quiſquam redarguere non auſus fuit.

CAPUT XXVI.

Quod Vigilii ordinationes, nemo removere auſus fuit.

HInc eſt quod Vigilii ordinationes, nemo commovere auſus eſt. Iſtum namque ſcias eſſe Vigilium qui prius Bonifacio Papæ inſidias molitus eſt, quatenus eo vivente Apoſtolicam dignitatem ſacrilegus obtineret. Sed reſiſtente Senatu tale quid facere minimè potuit. Poſtmodum verò ſolitis machinationibus Silverium Papam Apoſtolica dignitate exſpoliare aggreſſus eſt. Quod ille animadvertens advocatis Epiſcopis, authoritate Sancti Spiritus, & Apoſtolica poteſtate, eum velut Simoniacum & invaſorem anathematis vinculis obligavit, & ille, ut mente conceperat, per Imperialem potentiam, ſimulque falſos teſtes, eumdem Apoſtolicum Patrem nequiter condemnavit: Monachicis veſtibus, & ad Pontias in exilium deſtinavit, ſuſtentans eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ; ibique mortuus eſt ac ſepultus, & Confeſſor effectus eſt; ad cujus corpus infirmi ſanabantur. Vigilius autem anathematis nexibus meritò irretitus, inſuper & homicidii crimine nominatim infamatus, nefario auſu ſe Papam inſtituit. O ineffabilem Dei pietatem! Vigilius qui jam deſperatus erat, ſervatur ad Pœnitentiam. Anthimum ſcilicet hæreticum Patriarcham quem

quem reconciliare ſpoponderat, reconciliare nolens, longo exilio, longaque afflictione maceratus, digna factis recepit, & ſic demum procul à patria defunctus quievit in Domino. Ordinationes tamen ejus, ut dictum eſt, in ſua ſtabilitate manſerunt. Hæc enim quæ de Silverio & Vigilio retulimus, partim in Synodali decreto ejuſdem Silverii, partim in Pontificali libro habentur.

CAPUT XXVII.

Quia excepto Liberii ſacrilegio, quod peſſimum eſt, Vigilius pejora commiſiſſe dignoſcitur, quàm Formoſus.

His ita de compendio prælibatis, percuntari libet quis horum deteriora commiſerit? Formoſus quidem, ut ajunt, ambitionis cauſa ab Epiſcopali ſede ad Apoſtolicum thronum tranſlatus eſt. Quod ſi objecerint depoſitum fuiſſe, & poſtmodùm reconciliatum; noverint quia plurimi Sacerdotum depoſiti fuerunt, & poſtmodùm reconciliati, reconciliati, inquam, non denuò in idipſum conſecrati. Quippe aliud eſt reconciliatio, & aliud conſecratio. Nam qui ſemel conſecratur, denuò in idipſum conſecrari non poteſt; reconciliari tamen per dignam ſatisfactionem poteſt. Nonne quod plurimi Sacerdotum poſt depoſitionem reconciliati ſint, in authenticis apicibus ſufficienter habetur? Quod legentibus liquidius patet. His namque digeſtis Vigilium nefandiſſima perpetraſſe, ſi homines ſilent, ipſi etiam lapides clamabunt. Cujus execrabile ſcelus nemo imitari auſus eſt, vel audebit, niſi particeps factus illius qui dicit; Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. Porro de ſede ad ſedem, vel de civitate ad civitatem Epiſcopos transferri, & in decretalibus litteris, ob neceſſitatem, vel ob utilitatem conceſſum legimus, & plurimos Sacerdotum, etiam ſanctos, tale quid egiſſe non dubium eſt. Ex quibus extat B. Gregorius Nazianzenus; ut ſupra retulimus. Hæc autem, prudens Lector, non ideo prælibare ſtuduimus, ut cuiquam Sacerdotum de ſede ad ſedem, vel de civitate ad civitatem, mutari licitum eſſe dicamus, ſed ut manus impoſitionem etiam à Pſeudo-Epiſcopis miniſtratam, ratam, & juſtam eſſe teſtimoniis comprobaremus.

CAPUT XXVIII.

Quod qui Papæ Formoſi ſacram ordinationem nihil eſſe, vel fuiſſe cauſatur, Chriſtianæ Religionis ſit inimicus.

Qua de re qui præfatam ordinationem, falſam & inanem eſſe vel fuiſſe confingunt, eoque Sacerdotes ac Levitas conſecrandos eſſe dogmatizant, quid aliud quam Italiæ regiones, longe latéque, ecce jam circiter viginti annos, abſque Chriſtiana Religione vixiſſe garriunt? Ac per hoc, quid aliud reſtat, niſi ab ejuſmodi Epiſcopis per univerſam Italiam dedicatæ Eccleſiæ, altaria conſecrata, & Chriſmata ſolenniter inſtituta, prorſus perierint. Similiter autem tam ab Epiſcopis quàm à cæteris Sacerdotibus, fontes in remiſſionem peccatorum ſanctificati, & Miſſarum ſolemnia tam in Dominicis diebus, quàm in aliis Feſtivitatibus, fruſtra, ut blaſphemant, celebrata ſint. Oblationes quoque tam pro vivis, quàm etiam pro defunctis; quod dictu nefas eſt, tanquam nugaces perierint. Matutinæ ſeu Veſpertinæ, ac reliquarum preces horarum, velut ineptæ non ſint exauditæ: Levitarum ac Subdiaconorum officia, in vacuum adminiſtrata ſint; univerſa Eccleſia quæ huic ordinationi Synodicum præbuit aſſenſum, pariter periclitetur, quippe non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt prava facientibus, parilem excipiunt vindictam. O incomparabile ſacrilegium! Quis enim de timentibus Deum æquis auribus hoc audire poterit? Ut non ſtatim Chriſtiano zelo commotus ſcandalizetur? Nonne linguam illam quæ talibus implicatur blaſphemiis melius fuerat particulatim dari avibus, quàm in tantam prorumpere veſaniam? Scimus enim quia neceſſitatis cauſa, etiam Laïco baptizare licet. Sed aliud eſt periculo mortis urgente, Laicum poſſe dare baptiſma, & longè incomparabiliter aliud eſt, ad Sacerdotum preces ac benedictiones, & chriſmatum admixtiones, & Cleri ac populi votivas reſponſiones, fontes in remiſſionem peccatorum ſanctificatos, nihil prorſus, ut iſti volunt, ſanctificationis habuiſſe. Quis hoc niſi hæreticus dogmatizare audeat? Et quis talia per hujuſcemodi os loquitur, niſi de quo Dominus dicit; Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax, & pater ejus?

CAPUT XXIX.

Quod ſi æmulatoribus illis Papa Formoſus diſplicet, non externis & longinquis, ſed Rom. populo imputare debent.

Porro ſi æmulatoribus illis, Papa Formoſus ifiuſmodi facto diſplicere videtur, ut non rectè fuerit ordinatus; quibus hoc imputare debent, niſi Romano populo qui eum elegerunt? Quibus hoc adſcribi oportet, niſi Clero, & magnatibus Romanæ urbis, qui libenter Dominici corporis & ſanguinis Hoſtiam, donec advixit, ab eo percipere ſtuduerunt, eique per univerſas ſolemnitates, atque ſtationes ſolito more communicaverunt, & per omnia participes extiterunt? De cætero autem qui ſani capitis eſt, nihil omnino habere ſe dicit, quod de Formoſo illis imputare debeat, qui de longinquis terrarum ſpatiis, per mille, ut ita dicam, diſcrimina tremebundi, ad Apoſtolicam ſedem profecti ſunt, & Sacram Ordinationem, ut moris eſt, magis ab Apoſtolo Petro quàm ab ejus Vicario ſuſceperunt, imo à S. Spiritu, ut Papa docet Anaſtaſius, quod jam ſupra commemoratum eſt.

A

CAPUT XXX.

Utrum verè ſit Sacerdos, vel Levita, vel Subdiaconus, qui ad ſubvertendam eandem ordinationem, ſe cuiquam juramento conſtrinxit.

IGitur quia neceſſitate incumbente, de Sacris Ordinationibus altercatio interpoſita eſt, percunctari congruum eſt, quid de eo cenſendum ſit qui, Sacræ Ordinationis, de qua nunc diſputatio ventilatur, nullam omnino conſecrationem habet, & tamen eandem ordinationem non ſolùm nihil eſſe, nihil fuiſſe, coram teſtibus profitetur, ſed etiam jurejurando ſubvertere pollicetur. Nunquidnam hujuſmodi promiſſor inter ſacrilegos eſt deputandus, & malè conjuratos, qui ſe ad facinus perpetrandum juramentis obligant. Revera enim tales mundana lex diſtrictius punit, & ſi Clerici fuerint, Eccleſiaſtico judicio à ſuis dejiciuntur honoribus, de quibus Canonica inſtitutio ita ſe habet.

CAPUT XXXI.

Ex Concilio Chalcedonenſi de conjuratione vel conſpiratione.

COnjurationis crimen, vel conſpirationis, & ab exteris eſt omnino legibus prohibitum, multò magis hoc in Dei Eccleſia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur. His ergo prolatis teſtimoniis luce clarius apparet, quod iſtiuſmodi Sacerdos aut Levita, vel Subdiaconus, inter ſacrilegos, & malè conjuratos ſit habendus, nec non & Canonico judicio reprobandus.

CAPUT XXXII.

Quod ad faciendam iniquitatem nulli unquam ſit obtemperandum.

NOnnulli præterea ſuam Apologiam ita prætexunt, dicentes: Cur nobis ſubverſionem ordinationis hujus tempore imputandam eſſe decernitis? An ignoratis quod ille præcipiat, cui in omnibus penitus obtemperandum eſt? Abſit, inquam, abſit, ut cuiquam Deus ad faciendam iniquitatem obtemperandum eſſe mandaverit, cui Pſalmographus canit. Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Odiſti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium. Et ipſe Dominus ad Hieremiam; Si ſeparaveris, inquit, pretioſum à vili, quaſi os meum eris. David quoque de ſe teſtatur, dicens: Non ſedi in Concilio vanitatis & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi congregationes malignantium, & cum impiis non ſedebo.

CAPUT XXXIII.

Quod illud Euangelii, omnia quæ dixerint vobis, ſervate & facite, ſolummodò in bonam partem accipiendum ſit.

SUper Cathedra Moyſi, ait Euangelium, ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite. Omnia enim hujuſmodi in loco ſolummodò in bonam partem accipienda ſunt. Alioquin Judæi qui Scribarum & Phariſæorum conſilio & hortatu Dominum crucifixerunt, immunes à tanto ſcelere eſſe debuerant. Sed quàm graviter, & qui dixerunt, & qui fecerunt, peccaverint, & ſcriptura teſtatur, & in poſteris eorum uſque ad mundi finem protelatur. Quod autem omnia non ſemper ad totum, ſed plerumque ad maximam pertineant partem, non tantùm divini apices quibus magis credendum eſt, ſed etiam gentilium librorum demonſtrat authoritas.

CAPUT XXXIV.

Quod ad ſcelera committenda, nullius excommunicatio ſit obſervanda.

SEd ſive, inquiunt, juſtè, ſive injuſtè obliget Paſtor, gregi timendum eſt, ne per elationem tumidæ reprehenſionis, culpa quæ non erat, fiat. Vera quidem ſententia, ſed non ita intelligenda, ut illud, quod dicitur injuſtè, ſic accipiendum ſit, tanquam in illis quæ manifeſta ratione Deo inimica eſſe probantur, cuilibet Paſtori obtemperandum ſit. Verbi gratia, ſi te ad perjurium, falſum teſtimonium, ſacrilegium, vel homicidium excommunicando impulerit, numquid nam in talibus vel eorum ſimilibus Paſtoris excommunicatio timenda vel facienda decernitur? Nequaquam. Quippe non ſolum qui faciunt, (Apoſtoli verba ſunt) ſed & qui conſentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. Nam quod Paſtoribus ad illa quæ Deo inimica ſunt, conſentire non debemus, teſtatur ipſe Salvator, qui cum ei diſcipuli dicerent; Scis quia Phariſæi audito verbo ſcandalizati ſunt? ait, ſinite illos, cæci ſunt; duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foveam cadunt? Ergo & qui ducit, & qui ſequitur ad malè faciendum, cæci ſunt, & merito uterque in foveam damnationis cadunt. Et quo, inquiunt, pacto per Apoſtolum dicitur, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit? Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Audiantque, In his enim quæ Chriſtiana lex abominatur ac prohibet, nulli unquam poteſtati obedire, vel conſentire debemus, hoc eſt, non materialibus carnis, non doloſis machinationibus, ſed rationabili reſponſione, atque humillima deliberatione. Quid multa? de Paſtoribus ad Apoſtolum revoca intentionem, qui dicit: Miniſter Dei eſt tibi in bonum. Cur addit in bonum, niſi quia miniſter Dei non eſt tibi in malum?

CAP.

CAPUT XXXV.

De obſervanda excommunicatione, & quod aliud ſint Pontificales ſedes, & aliud præſidentes.

PRæterea ſi nos Eccleſiarum Paſtores de noſtris offenſionibus juſtè vel injuſte obligare voluerint, juſtè videlicet, ſi noſtra præceſſerit culpa; injuſtè verò, ſi non habuerimus culpam. Talis obligatio rectiſſimè formidanda eſt, & diligentiſſimè obſervanda, donec per ejus qui obligavit indulgentiam, abſolvi mereamur. Nempe aliud ſunt Pontificalis ſedes, & aliud Præſidentes. Proinde honor & dignitas uniuſcujuſque ſedis regulariter obſervanda ſunt. Præſidentes autem ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt, hoc eſt, ſi contra fidem vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus. In his autem quæ ritè dicunt, etiamſi non faciant, libenter eis obedire debemus. Hinc eſt quod botros carpere, & ſpinas cavere debemus.

CAPUT XXXVI.

De injuſta Paſtoris obligatione.

BEatus namque Hieronymus exponens Euangelii capitulum; Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; Et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo, ait. Iſtum locum non intelligentes Epiſcopi, & Presbyteri, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere noxios ſe arbitrentur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Hæc S. Hieronymus. Per Prophetam quoque dicitur; Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt: Non morientem quippe mortificat, ut Sanctus docet Gregorius, qui juſtum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum ſupplicio abſolvere conatur.

CAPUT XXXVII.

Unde ſupra in Salomone.

SIcut avis in contrarium volans, & paſſer quilibet vadens, ſic maledictum fruſtra prolatum, ſuper illum qui miſit illud, veniet.

CAPUT XXXVIII.

Item ibidem.

ANima quæ benedicit, impinguabitur; qui autem fruſtra maledicit, ipſe in maledictione erit.

CAPUT XXXIX.

Unde ſupra Sancti Gregorii Papæ.

IN omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus; & ſi omnes vituperent, liber eſt tamen quem conſcientia non accuſat. Quia & ſi omnes laudent, liber eſſe non poteſt, ſi hunc conſcientia accuſat.

CAPUT XL.

De univerſali Concilio expectando.

HÆc igitur ſcripturarum collatio, fortaſſis ſupervacua quibuſdam videtur, eo quod ad præſens tempus non ſit, qui æquitatis depromat judicium. Neque enim juſtitiæ palmam apud eos obtinere poſſumus, qui contra nos, ipſi ſibi ſunt judices & teſtes, pariterque cauſidici. Attamen juxta Beati Hieronymi ſententiam, canimus nobis & noſtris, ſcilicet, ut bono animo ſimus, & bonam nos cauſam habere, non nobis, ſed Sanctis Patribus credamus, obſervantes quod ſcriptum eſt; Si Spiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne demiſeris: Et illud, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Ideoque in ſacro ordine quo conſecrati ſumus permanentes, præſtolamur, univerſalis Concilii æquiſſimum examen, authore illo ad quem clamantes dicimus. Exurge Domine, & judica cauſam tuam: Cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum.

EJUSDEM AUXILII
DE EADEM QUÆSTIONE TRACTATUS
QUI
INFENSOR ET DEFENSOR DICITUR.

PRÆFATIUNCULA AD MODUM
Interrogationis & Reſponſionis.

A

Interrogatio ſuper his qui primò per vim, poſtea voluntariè in eodem ordine conſecrati ſunt.

VEllem ſcire quod de illis congrua deliberatione cenſendum ſit, qui primò, ut ajunt, per vim, poſtea in eodem ordine voluntariè conſecrata ſunt? Eſto; primitus violentam manus impoſitionem acceperunt, B ac per hoc hujuſcemodi noluerunt fungi Sacerdotio; Poſtmodum verò quia * miniſtrare Sacerdotium, præbuerunt aſſenſum, numquid nam in eodem ordine, in quo dudum per vim conſecrati fuerant, iterum conſecrari debuerunt? Nonne juxta Sanctorum Patrum definitionem, ſic nimirum cavenda eſt ſecunda manus impoſitio, quemadmodum ſecundus cavendus eſt baptiſmus? Sed ajunt, prima illiuſmodi conſecratio, quamvis à Catholico Pontifice, tamen violenta fuit, & propterea pro C nihilo ducenda eſt. Dic, quæſo, ſi quiſpiam per vim fortaſſis baptizatus fuerit nolens credere in Chriſtum, poſtmodùm verò ſe in eum credere voluntariè profitetur? Ergone denuo baptizandus eſt? Non ita ſapiebat B. Alexander Patriarcha, quando S. Athanaſius adhuc puerulus, ſed utique jam baptizatus, ad oram maris, quaſi Sacerdos, quamquam ludendo, verè puerulos baptizavit. Quid plura? Velut præfatus ſum de hujuſmodi ſententia * ad cer- D tam pertingere veritatem. Propoſitam ergo quæſtionem qui novit, obnixè nobis præſentibus dignanter aperiat: quoniam inter illos accipiet coronam, de quibus Danieli per Angelum dicitur. Qui autem docti fulgebunt quaſi firmamentum, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

RESPONSIO.

HUjus quæſtionis anſas manifeſta ratio diſſolvit. Dicis enim ſi quiſpiam nolens credere in Chriſtum per vim baptizatus fuerit, & poſtmodum in Chriſtum credere acquieſcet, nunquid iterum baptizandus erit? Minimè. Exemplum de parvulis ſume, qui cum alienis manibus deferuntur, quantum in eis eſt, toto anniſu reluctantur, ne in baptiſmatis fontem mergantur. Sed cum ad rationalem ſcientiam * pertinxerint, etiamſi recordari nequeant quando baptizati ſunt, narrantibus tamen indubitanter credunt, & Chriſtianam Religionem abſque baptiſmi iteratione colere incipiunt. Hinc eſt quod B. Papa Leo dicit. Si nulla exiſtant indicia inter propinquos & familiares, nulla inter Clericos atque vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur: Agendum eſt ut remaſcantur, ne manifeſtè pereant, quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. De his autem qui ex Africa, vel ex Mauritania veniunt, & neſciunt, in qua ſecta ſunt baptizati, non ſe baptizatos neſciunt, ſed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt, ſe neſcire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, baptizandi non ſunt, ſed per manus impoſitionem, virtute Spiritus Sancti quem ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt. Nonne vides quia Pater ſanctus, etiam ab ignotis hæreticis baptizatos, non iterum baptizandos eſſe, ſed per manus impoſitionem ſuſcipi jubet. Recolendum etiam quod Sanctus Geneſius Arelatenſis Epiſcopus, cum eſſet Hiſtrio, fictus & ludens baptizatus fuerit; ſed cognita veritate quæ Chriſtus eſt, ſine baptiſmatis iteratione, Chriſtianæ fidei, quam ſe credere fallaciter ſpoponderat, veraciter adhæſit. Sed ais: Parvuli baptizati, ſi in parva moriuntur ætate, non du-

* Perveneriat.

dubium eſt quod Paradiſi gaudia ſtatim percipiant; ille autem qui perfectus ætate per vim baptizatus eſt, ſi prius ex hac vita ſubtrahitur, quam voluntariè credat in Chriſtum, num quidnam pro eo tanquam pro fideli orandum eſt? Præſertim cum Joannes Apoſtolus dicat, eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut quis roget. Peccatum quippe ad mortem, ut ait Auguſtinus, eſt fidem, quæ per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem. Hujus quæſtionis nodus ita ſolvitur. Parvulis propterea non eſt imputandum, quod reluctantes, nolenteſque baptizantur; quia necdum ratione uti poſſunt, necdum boni malive diſtantiam noſſe valent. Illis autem qui legitimam ætatem habentes, per vim baptizati ſunt, ſi prius moriantur quàm voluntariè in Chriſtum credant, ideo baptiſmus prodeſſe non poteſt, nec pro eis orandum eſt, quia & rationis capaces fuerunt, & diſtantiam inter verum & falſum habere potuerunt. His ergo de compendio prælibatis, evidentius patet, ut ille qui per vim baptizatus eſt, ſi poſtea in Chriſtum credere voluerit, baptizandus iterum non ſit, ſed magis hortandus, ut quod invitus ſuſcepit, amando & operando uſque in finem cuſtodiat. Igitur per hanc formulam intelligi datur, ut qui Sacrum Ordinem invitus accepit, ſi poſtmodum miniſtrare voluerit, ulterius jam in eodem ordine non ſit conſecrandus, ſed potius admonendus, ut quod per vim coactus ſuſcepit, per dilectionem reverenter miniſtrare ſtudeat.

Explicit Præfatiuncula.

REVERENDISSIMO DOMNO Leoni Sanctæ Nolanæ Eccleſiæ Præſuli, Auxilius in Domino ſalutem.

MIſſa legatione aſſeris te violentas pati oppreſſiones, ut Epiſcopale Sacerdotium, quod olim à Papa Formoſo ſuſcepiſti, quaſi nihil ſit, irritum facias. Qua ex cauſa lateris te mirificæ ſolertiæ Francos, necnon & Beneventanæ Civitatis peritos conſuluiſſe viros, eorumque conſulta apud* reſcripta retinere, quæ te hujuſmodi tranſgreſſionem committere, manifeſta ratione prohibeant. Nihilominus autem cogis me objectionibus, quas adverſus eumdem Formoſum Papam, ejuſque ordinationes quidam objiciunt, dialogico ſchemate breviter reſpondere. Miſi quod jam in opuſculo ejuſmodi altercationis cauſatus ſum. Attamen quia de una auri materia diverſæ conficiuntur ſpecies, quæ diverſis hominum voluntatibus placeant, orationibus tuis fultus, faciam quod hortaris, ita duntaxat ut in unaquaque objectione prænotetur, Inſenſor, & reſponſione, Defenſor. Non hic ſyllogiſmorum quæratur arcta concluſio, non perihermeniaca ſubtilitas, ut pote qui diſcipuli ſumus piſcatoris, hoc eſt, Apoſtoli Petri. Et quanquam in ejus navicula ſedeamus, tempeſtatem patimur, invocantes Dominatorem omnium, ut imperet ventis, & mari, & fiat tranquillitas magna.

* re ſcripta

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Quod ordinatio quam Papa Formoſus fecit, rata & legitima eſſe probabiliter oſtendatur, etiamſi, ipſe Formoſus, ut ajunt, non ritè fuerit ordinatus.*

II. *Teſtimonia quæ Papa Anaſtaſius contulit in defenſionem ordinationum, quas hæreticus fecit Acacius.*

III. *Quod Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiat fictum, miniſterium tamen ejus non deſerat.*

IV. *Quod Conſtantini Neophyti ordinatio, contra ſtatuta Sanctorum Patrum depoſita ſit.*

V. *Quod ejuſdem prævaricationis ſit iterata conſecratio, cujus prævaricationis eſt iteratum baptiſmum.*

VI. *Quod ejuſdem prævaricationis ſit iterata conſecratio, cujus prævaricationis ſunt hæretici qui Catholicos rebaptizare audent.*

VII. *Quod minor culpa, quàm iterata conſecratio, infra hæreſeon denotationes, inveniatur admixta.*

VIII. *Adverſus eos qui ſe excuſant dicentes, inviti denuo in idipſum conſecrati ſumus.*

IX. *Adverſus eos qui dicunt, Non perdet Deus multitudinem peccatorum.*

X. *Ut qui ſemel & iterum in eodem gradu conſecratus eſt, à ſacro miniſterio ſit excludendus.*

XI. *Ut juramentum quod ad ſcelus committendum pertinet, non ſit obſervandum.*

XII. *Ut ad Synodum quæ manifeſtè contra Catholicam rectitudinem agit, non ſit occurrendum.*

XIII. *Ut Præpoſitorum culpæ, nec omnes tegendæ ſint, nec omnes denudandæ.*

XIV. *Ut Excommunicatio quæ ad committendum facinus pertinet, non ſit obſervanda.*

XV. *De eo quod ſcriptum ſit, ſive juſtè, ſive injuſtè obliget Paſtor, gregi timendum eſt.*

XVI. *De eo quod ſcriptum eſt, omnia quæ dixerint vobis, ſervate & facite.*

XVII. *Quod ad peccandum nullius poteſtati ſit obtemperandum.*

XVIII. *Quod aliud ſint Pontificales ſedes, & aliud Præſidentes, & quia Præſidentes ſi devia averint, per devia ſequendi non ſunt.*

XIX. *De eo quod ſcriptum eſt, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.*

XX. *Qualiter Formoſus poſt depoſitionem ſuam, Apoſtolica authoritate reconciliatus ſit.*

XXI. *Quia plurimi Sacerdotum depoſiti fuerunt, & poſtmodum reconciliati.*

XXII. *Ut quod incertum eſt, ſolius Dei judicio relinquendum ſit, & de Epiſcopis, qui de ſede ad aliam ſedem tranſlati ſunt.*

XXIII. *Quod Oſius non Catholicè dixerit, nec Latcam in fine communionem accipiat.*

XXIV. *De eo qui ſemel in aliqua Eccleſia Lector extiterit.*

XXV. *Ut abſque neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis, Epiſcopus de ſede ad ſedem tranſire non debeat.*

XXVI. *Quod Formoſus quando intronizatus eſt, non id quo Epiſcopus erat iterum accepit: Sed augmentum Apoſtolicæ dignitatis, quod non habebat, ſuſceperit.*

XXVII. *Ut qui ſimultates & lites inter ſe habent, alter eorum adverſus alterum non poſſit teſtimonium proferre.*

XXVIII. *Quod humanum judicium, quatuor perſonis juſtiſſimè compleatur.*

XXIX. *De Concilio quod in Ravennate Urbe pro Formoſo ejuſque ordinatione factum eſt.*

XXX. *De ſcelere quod in cadaver Papæ Formoſi perpetratum eſt.*

XXXI. *Quod ad teſtificandum quæ recta ſunt, nullius gentis homo prohibendus ſit.*

XXXII. *Quod juramentum etiam per vim datum, ſi ad peccandum non pertinet, irrefragabiliter ſit obſervandum.*

INCIPIT TEXTUS.

CAPUT I.

Quod ordinatio quam Papæ Formoſus fecit, rata & legitima eſſe probabiliter oſtendatur, etiam ſi ipſe Formoſus, ut ajunt, non ritè fuerit ordinatus.

Inſenſor. Formoſus propria relicta uxore, aliam abſtulit, hoc eſt, relicto Epiſcopatu, his qui rectè ordinandi erant, Apoſtolicam abſtulit ſedem, & propterea reprobus & fictus eſſe dignoſcitur. *Defens.* Non mihi curæ eſt quid fuerit Formoſus; ſed quod ordinatio quam fecit, rata & legitima eſſe indubitanter pateat. *Inſenſor.* Formoſus non fuit Papa, ideoque ordinatio quam fecit, pro nihilo ducenda eſt. *Defenſ.* Non ſolùm in Romano regno, ſed etiam procul in barbaris nationibus divulgatum eſt, quod Formoſus per annorum curricula, Apoſtolicus fuerit Pontifex. Et idcirco de longinquis terrarum partibus Clerici ad Apoſtolorum limina properantes, ſacram Ordinationem, ut moris eſt, ab eo percipere ſtuduerunt. *Inf.* Tenuit quidem Apoſtolicam dignitatem, ſed fictus, ac reprobus & non legitimè ordinatus. *Def.* Non ad me pertinet utrumnam rectè fuerit ordinatus, ſed pertinet ad me ut ordinatio quam fecit, rata & legitima eſſe liquidiùs oſtendatur. *Inf.* Si Formoſus fictus ac reprobus fuit, ordinatio quam fecit, qua ratione ſtare poterit? *Def.* Illa videlicet ratione qua Sanctiſſimus Leo Papa cenſuit, ut Pſeudo-epiſcopi abjiciantur, & ordinatio eorum poſſit rata conſiſtere. Necnon & illa ratione qua Papa Anaſtaſius confirmavit, ut ordinationes quas hæreticus Acacius, etiam poſtquam damnatus eſt, fecit, in ſua ſtabilitate permanerent. Ordinationes quoque Liberii innocuæ permanſerunt, imò & Vigilii ordinationes, qui non ſolùm Simoniacus invaſor, ſed etiam anathematis nexibus merito irretitus, contra Canonicum fas, eſt ordinatus. Quod ita ſit, pene cunctis legentibus notum eſt. Sancto namque Flaviano propter Catholicam fidem in exilium deſtinato, Anatolius in ejus loco ab hæreticis ordinatus eſt, nec tamen à Sancto Papa Leone damnatus eſt, ſed admonitus. *Inf.* In Concilio Nicæno præfixum habetur, ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus transferantur. Si quis autem tale quid agere tentaverit, & ſe hujuſcemodi negotio mancipaverit, hoc factum prorſus in irritum ducatur, & reſtituatur Eccleſiæ cui fuit Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. Sanè quod ait hoc factum prorſus in irritum ducatur, utrumque intelligi oportet, ſcilicet ut Epiſcopus de civitate ad civitatem non transferatur, & ſi tranſlatus ordinationem fecerit, ipſa ordinatio prorſus in irritum ducatur. *Def.* Hic quidem nodus in junco quærendus non eſt. Quis videat quod hujusmodi definitio, nihil obſcuritatis habeat, & nihil aliud intelligi poſſit, niſi prorſus irritum ducatur hoc, quod de civitate ad civitatem transferatur. De ordinatione quam fecit nihil omnino tetigit, quod ſequens articulus manifeſtius declarat dicens, Et reſtituatur Eccleſiæ cui fuit Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. Si ergo reſtituitur Eccleſiæ cui fuit Epiſcopus ordinatus, ordinatio quam tunc fecit, quomodo irrita eſſe poteſt? *Inf.* Formoſus, ut dixi, fictus & reprobus Sacrum Ordinem ibi non habuit, quomodo aliis, teſte Papa innocentio, largiri potuit? *Def.* Papa Innocentius hoc de hæreticis protulit, quod tamen non de omnibus hæreticis accipiendum eſt; juxta quod ipſe Bonoſiacos Clericos, quos tamen antequam damnaretur, Bonoſus ordinaverat, cum ſuis honoribus recipi aſſenſum præbuit. *Inf.* Miror qua fronte dogmatizare potes, ut reprobato Formoſo ejus ordinatio conſiſtere poſſit, cum membra nullo modo ſine capite conſiſtant? Et ut aliquid plus objiciam, quibus ergo imputandum eſt quod Formoſus fallax ac reprobus fuit, ſi ejus ordinatio illibata perſiſtit? *Def.* Romano ſcilicet Clero ac Populo, qui eum elegerunt, atque donec advixit, per omnia participes, imputandum eſt. Mihi autem qui de longinquis terrarum ſpatiis ad Apoſtolorum limina profectus ſum, & Sacram ordinationem, ut moris eſt, magis ab Apoſtolo Petro quàm ab ejus Vicario ſuſcepi; imò à ſancto Spiritu, ut Beatus Papa docet Anaſtaſius, ab his qui ſanæ mentis ſunt, nihil adſcribendum eſſe decernitur. *Inf.* Nolo verborum ambages, ſed ſi vales certis rebus oſtende, qualiter à ficto & reprobo conſecratore, poſſit ordinatio juſta & idonea fieri. *Def.* Si judex æquitatis adeſſet, jam te victum oſtenderet. Nunquid non oblitus es teſtimonia, quæ breviter de S. Papa Leone, & Anaſtaſio, & de Liberio, pariterque Vigilio, etiam & de Anatolio contuli. *Inf.* Acacius ritè ordinatus fuit, & ideo ejus ordinationes innocuæ permanſerunt. *Def.* Ipſe nimirum Decretalis textus, manifeſtius oſtendit quod Pontifex Anaſtaſius, de illis baptizatis ordinatiſque dicat, quos hæreticus Acacius, poſtquam à Papa Felice damnatus eſt, baptizavit & ordinavit. Similiter autem & de Liberio qui Arianæ hæreſi ſubſcripſit, ſentiendum eſt. Jam verò de Vigilio quid dicendum eſt, qui non ſolum Simoniacus invaſor, verumetiam homicidii reus, & inſuper à Papa Silverio juſtiſſimè anathematizatus, eumdemque Apoſtolicum Patrem Silverium in exilium deſtinavit, *& ſi ſacrilegum Papam inſtituit, ordinationes tamen quas fecit, nemo removere auſus fuit.

CAPUT II.

Teſtimonia quæ Papa Anaſtaſius contulit in defenſionem ordinationum, quas hæreticus fecit Acacius.

Inf. Dum membra ſine capite ut præfatus ſum, conſiſtere minimè poſſint, mirari non ſufficio, qualiter ficti ordinatores, ratas ordinationes efficere valeant. *Def.* Qualiter hoc fieri poſſit

poſſit prædictus Pontifex Anaſtaſius probabilibus adſtruit documentis. Ait enim inter cætera, ſecundum Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, nullum de his vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes ſive Levitas ſecundum Canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingat. Hinc eſt quod Baptiſmum quod procul ſit ab Eccleſia, ſive ab adultero, vel à fure fuerit datum, ac percipientem, munus pervenit illibatum. Quia vox illa quæ ſonuit per Columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, hic eſt qui baptizat in Spiritu & igne. Nam ſi viſibiliter Solis iſtius radii cum per loca fœtidiſſima tranſeunt, nullius contactus inquinatione maculantur; multò magis illius, quæ iſtum viſibilem ſolem fecit, virtus nulla miniſterii indignitate contingitur. Nam & Judas cum fuerit ſacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſſâ, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt. Sic ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus affirmat; Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur quis, vel qualis prædicet, ſed quem prædicet, ut invidos etiam bene Chriſtum prædicare confirmet, quomodo Diabolus ipſe dejectus eſt. Ideo ergo & hic, cujus nomen dicimus eſſe reticendum, malè bona miniſtrando ſibi tantummodò nocuit: Nam inviolabile Sacramentum quod per illum datum eſt, aliis perfectionem ſuæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem ſe in tantum extendit curioſa ſuſpicio, ut imaginetur, prolato à Papa Felice judicio, poſtea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius uſurpavit, egiſſe, ac perinde eos metuere, qui vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate miniſteria tradita ſuſceperunt.

CAPUT III.

Quomodo Spiritus S. diſciplinæ effugiat fictum, tamen ejus miniſterium non deſerat.

Inf. Quomodo ergo in libro ſapientiæ ſcriptum eſt, Spiritus S. diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu? *Def.* Hoc Beatus Auguſtinus contra Parmenianum Donatiſtam ita exponit. Quod autem ſcriptum eſt, Spiritus S. diſciplinæ effugiet fictum, ita intelligendum eſt, ut deſit ſaluti ejus; miniſterium tamen non deſerat, quo per eum ſalutem operatur aliorum: Unde dicit Apoſtolus: Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; Si autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Ac ſi dicat, illis prodeſt, quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum. *Inf.* Quod Spiritus S. miniſterium ficti Sacerdotis non deſerat, aliud mihi exhibe teſtimonium. *Def.* Idem Auguſtinus in expoſitione in Joannem, ubi Dominus baptizatus eſt, latius ex eo apertiuſque diſputat. Ordinatio igitur quam Beatus Formoſus fecit, quod rata & legitima ſit, rectè intelligentibus ecce ſatisfactum habetur. Nunc age, dic quibus documentis, vel qua authoritate præfatam ordinationem ſubvertere nitimini, & quod eſt deterius in eodem gradu iterum conſecrare non formidatis? *Inf.* Omne quod falſum eſſe decernitur, deſtruendum eſt, & propterea ordinationem illam deſtrui oportet, quia falſa eſt. Et ordinationem, quæ vera eſt, unicuique prout ratio poſtulat, impertiri ſtudemus *Def.* Video te puerili certamine, ad ea quæ jam diſcuſſa ſunt, & teſtimoniis comprobata, impudenter recurrere. Quod ideo quaſi ſecurus agis, quia deeſt juſtitiæ cenſor. Adeſt tamen Iſaiæ vaticinium, Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

CAPUT IV.

Quod Conſtantini Neophyti ordinatio contra ſtatuta SS. Patrum, depoſita ſit.

Inf. Non tibi novum videatur, ſi fictus ordinatur, projicitur, ejuſque ordinatio refutatur. Siquidem Conſtantinus, ut in Pontificali libro legitur, qui ex Laïco repente Neophytus, validaque manu armatus, Apoſtolicam ſedem nequiter invaſit, depoſitus eſt, & ita damnatus, ut etiam oculis privaretur: ordinationem verò quam fecit, in priſtinos depoſuerunt gradus. Epiſcopi namque iterum à Papa Stephano conſecrati ſunt. De Presbyteris verò & Diaconibus præfixum eſt, ut ſi civium ſuorum electio vellet, in eoſdem gradus de quibus depoſiti ſunt, iterum à Papa Stephano conſecrarentur; ita dumtaxat ut jurejurando promitterent, quatenus ad ampliorem honorem, jam nullatenus promoverentur, ne talis error per injuriam pullularet. Statuerunt etiam ut cuncta Eccleſiaſtica Sacramenta quæ Conſtantinus peregerat, iteranda eſſent abſque baptiſmo & Chriſmate. *Defenſ.* Numquam exemplum à malis eſt ſumendum. Ex his enim quæ in voluminibus leguntur, ea ſolummodò imitanda vel facienda ſunt, quæ bona eſſe probantur, mala autem penitus execranda ſunt, & omnino cavenda. Inde eſt quod Abel juſtus laudatur, & Cain * parricida condemnatur. Inde, inquam, eſt quod Sixtus Martyrio coronatur, & Liberius Ariana colluvione maculatur. Quocirca Conſtantinus qui Neophytus, armiſque circumſeptus, Apoſtolicam ſibi Cathedram uſurpavit, jure damnatus atque dejectus eſt. Jam verò quod eum oculis privarunt, non Apoſtolicum ſed Apoſtaticum eſt. Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, ſed invidiæ zelo contra Sanctorum Patrum ſanctiones, in priſtinos depoſuerunt gradus, addentes & juramento conſtringentes, ut nullus de Presbyteris ac Diaconibus, ad ſuperiores gradus promoveretur. In qua deliberatione, quid aliud intelligi datur niſi retributionis timor, ſcilicet, ne quando ad faſtigium Apoſtolicæ dignitatis provecti ſuam vindicarent injuriam? *Inf.* Iſtiuſmodi vindictam propterea inferre decreverunt, ut ambi-

* Fratricida.

tionem à Sacro Ordine penitus amputarent. A *Def.* Sicut morbus non valet expellere morbum, ita nec vitium poteſt excludere vitium. Bene, inquam, bene, quod Neophytum ab Apoſtolica celſitudine projecerunt; ſed manifeſtè in eis peccaverunt, qui ſecundum Canones ordinati fuerant, & eos deponere non formidarunt, eoſque nefario auſu iterum in eadem ordinatione conſecrandos eſſe ſtatuerunt. Alioqui fruſtra ſanctiſſimus Leo Papa cenſuit, ut Pſeudo-Epiſcopi abjiciantur, & eorum ordinatio rata conſiſtere poſſit. Fruſtra enim Papa Anaſtaſius præfixit, ut ordinationes Acacii nulla portio læſionis attingeret. Imò & Liberii ordinationes, atque Vigilii conſecrationes, fruſtra illibatæ permanſerunt. Nemne poſt B Apoſtolos, quis in Eccleſia major Beatiſſimo Papa Leone, ad cujus, ut ita dicam, cœleſtem rugitum, diverſi ac plures hæretici exterriti ſunt, atque fugati? Nec Papa Anaſtaſius eſt contemnendus, qui ſuos decretales apices Euangelicis, pariter Apoſtolicis teſtimoniis roboravit. Nec Sanctiſſimus Papa Gregorius eſt parvipendendus, qui ſcripſit, ut ſicut baptiſmus iterari non debet, ita nec conſecratio iterari valeat. Quapropter ſi horum Patrum ſtatuta obſervanda non ſunt, ubi eſt ergo quod ſcriptum eſt, ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui? Et Apoſtolus, licet nos, aut Angelus de cœlo aliud vobis Euangelizaverit, quàm quod euangelizavimus, anathema ſit? C *Inf.* Quod ejuſdem Neophyti ordinatio contra ſtatuta Patrum depoſita ſit, in Pontificali libro expreſſum minimè habetur. Quod autem Papa Stephanus, Formoſum poſt ejus obitum depoſuerit, & quod neminem ex his quos idem Formoſus ordinaverat, ſecum in Eccleſia veſtiri permiſerit, plurimi recolunt. *Def.* In eodem Pontificali libro ſcriptum habetur, quod Liberius Arianæ hæreſi ſubſcripſerit, ſed non ibi additum quod malè fecerit. Nec de Vigilio additum eſt quod malè egerit, in eo quod Silverium Pontificem ſuum in exilium deſti- D navit, & ſe Apoſtolicum inſtituit. Sed eos adverſus interdicta ſcripturarum egiſſe nemo ambigit. Ideo & de ordinatione præfati Conſtantini, quod nequiter depoſita fuerit, ſentiendum. Porro quod Formoſum poſt mortem depoſuerit, nihil ordinationi quam fecit præjudicari poteſt, uti jam ſuperius ſeriatim inculcatum eſt. Eos namque quos Stephanus ſecum in Eccleſia veſtiri prohibuit; Papa Theodorus qui utique de Formoſi ordinatione non fuit, & veſtiri, & ſuum agere officium præcepit; ejuſque corpuſculum quod pertinaciter ejectum fuerat, cum exultatione ad Apoſtolicam tumbam reduxit. E

CAPUT V.

Quod ejuſdem prævaricationis ſit iterata conſecratio, cujus prævaricationis eſt, iteratum baptiſma.

Inf. Eſt ne aliquid contra Catholicam regulàm, ſi quiſquam in eodem ordine, iterum conſecratus fuerit? *Def.* Ejuſdem proculdubio prævaricationis eſt iterata conſecratio, cujus prævaricationis eſt iteratum baptiſma. *Inf.* Quis hoc dicit. *Def.* Sanctus Papa Gregorius ad Joannem Epiſcopum Ravennatis Eccleſiæ ſcripſit dicens; illud quod dicitis, ut is qui ordinatus eſt iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum, niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit etenim à fraternitate veſtra ſic ſapere. Sicut autem baptizatus, ſemel iterum baptizari non debet, ita conſecratus ſemel, in eodem ordine iterum conſecrari non valet. Hoc itaque non ſolùm B. Gregorius, ſed etiam Canones teſtantur Apoſtolorum. S. namque Iſidorus in præfatione Canonici Collegii Apoſtolorum Canones recipiendos eſſe confirmat. Quod ſi cuiquam diſplicet, velit, nolit, Gregorius, cujus authoritas ad inſtar ſolis in tota fulget Eccleſia, reſpuendus non eſt. *Inf.* Major eſt Conciliorum authoritas quam unius Papæ Gregorii. *Def.* Nuſquam legitur quod Catholica conſecratio, in eodem ordine iterum dari poſſit. Cæterùm longe incomparabiliter melius B. Gregorius conciliorum ſcita conſideraſſe, atque intellexiſſe dignoſcitur, quàm homines noſtri temporis, ideoque illi nemo præferendus eſt

CAPUT VI.

Quod ejuſdem prævaricationis ſit iterata conſecratio, cujus prævaricationis ſunt hæretici, qui Catholicos rebaptizare audent.

Inf. Iteratam in eodem gradu conſecrationem, cujus prævaricationis eſſe putas? *Def.* Non putativè ſed veraciter ſcio, quod ejuſdem prævaricationis ſit iterata conſecratio, cujus prævaricationis ſunt hæretici omnes qui Catholicos rebaptizare audent. An mente excidit, quia ſicut ſemel baptizatus, iterum baptizari non debet; ita & qui ſemel conſecratus eſt, in eodem ordine jam conſecrari non valet? *Inf.* Itane levioribus offenſis oritur hæreſis? *Def.* Parumne tibi videtur, irritum facere Sacroſanctum miniſterium, per quod divinæ Trinitatis fides percipitur, & Chriſtiana Religio indeſinenter colitur; & quaſi hoc non ſufficiat, iteratam manus impoſitionem ſuperadjicere non pertimeſcitis?

CAPUT VII.

Quod minor culpa, quàm iterata conſecratio, infra hæreſeon denotationes, inveniatur admixta.

Inf. Incredibile mihi videtur ut errores, qui non uſquequaque noxii ſunt, inter hæreticas denotationes annumerari queant. *Defenſ.* S. Auguſtinus in libro de Hæreſibus ita commemorat. Coluthiani hæretici, à quodam Colutho dicti ſunt, qui dicebat Deum non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt, ego ſum Deus creans mala. Floriani quoque à Florino, qui è contrario dicebat Deum creaſſe mala,

mala, contra id quod dictum est, fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat; non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, uti Florinus errabat.

CAPUT VIII.

Adversus eos qui se excusant dicentes, inviti denuò in idipsum consecrati sumus.

Inf. Si æqua lance pensetur Sacræ Ordinationis iteratio, non mihi, sed illi adscribendum est, qui me primam negare, & secundam consecrationem suscipere compulit. *Def.* O Domine universorum Magister quid ad hoc dicis? Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt? Ergo juxta hanc Domini sententiam, ad male faciendum, & qui ducit & qui sequitur cæci sunt, & meritò uterque in foveam damnationis cadunt. Tu autem vas electionis per quem Christus loquitur, quid dicis? Non solum qui prava faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Infensor.* Quid ergo adversus eos agendum est, quibus resistere minimè possumus? *Def.* Illud quod ait Salvator, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

CAPUT IX.

Adversus eos qui dicunt, non perdet Deus multitudinem peccatorum.

Inf. Numquid omnes qui Formosi consecrationem, nihil esse professi sunt, & in eodem ordine iterum consecrati sunt, ad inferna præcipitantur? Neque enim Deus tantam Episcoporum, Presbyterorum, atque Levitarum multitudinem perdet? *Def.* Quasi Deus ad quorumlibet multitudinem, vel numerositatem respiciat, & non potius ad eos de quibus ipse loquitur, Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Et in Euangelio, nolite, inquit, timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Quid plura? Quod Deus multitudini prævaricatorum, nisi Pœnitentiam egerint non pareat, audi Apostolum Petrum dicentem, Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus interni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari: & originali mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, Diluvium mundo impiorum inducens, exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens Item, Si Deus ad multitudinem malignorum respiceret, tot millia hominum in deserto Sina non prostravisset, atque utinam A corpore tantùm & non anima. Unde in Epistola Judæ legitur: *Jesus*, populum Israël de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit. Cæterum autem justitiæ prævaricatores imitandi non sunt, juxta quod Mathatias dicit, & si omnes consentiunt Regi Antiocho, ego & Domus Patris mei non consentiemus. Per Prophetam quoque dicitur, Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Tempore igitur Sanctissimi Patris Athanasii, pene universus orbis ad Arianam hæresim se contulit, & tamen pauciſſimi in Catholica fide perseverantes, victoriæ palmam consequuti sunt.

CAPUT X.

Ut qui semel & iterum in eodem gradu, consecratus est, à sacro ministerio sit excludendus.

Inf. Qua ratione fateri ausus es, ut qui semel & iterum in eodem consecratus fuerit, à sacro ministerio sit excludendus? *Def.* Non à memet ipso sed, ut supra relatum est, à B. Gregorio, nec non & Apostolorum Canonibus, tale quid audenter protuli. *Inf.* Ergo ne qui denuò baptizatus fuerit, Christianitate pellendus est? *Def.* Nequaquam, sed aliud est baptizatus, aliud consecratus. Omnis enim qui consecratus est, baptismum dare potest; non tamen omnis qui baptizatur, consecrationem vel sibi habere, vel aliis dare potest. Hinc est quod baptizati bigami, si necessitas incumbit, baptizare possunt, sacrum vero Ordinem Canonicè accipere nequeunt. Cernisne quod Baptismus ad fidem pertineat, consecratio autem ad Ministerium per quod ipsa fides percipitur, & Christiana Religio celebratur? Et idcirco qui ejusmodi sacrilegium incurrit, à sacro ministerio est removendus. Adde etiam quod absque baptismo, nullus in Regnum cœlorum intrare possit; & ideo bis baptizatum, à Christianitate sequestrari nefarium. *Inf.* Sacerdotes qui tempore persecutionis negaverunt, suis honoribus non sunt expoliati. Isti ergo, propter iteratam manus impositionem, à Sacerdotio quomodo sunt excludendi? *Def.* Aliter est; nam de Sacerdotibus qui tempore persecutionis negaverunt, non parva distantia est, inter eos qui absque periculis, & eos qui violenta oppressione negaverunt. Quod ita sit, testis est Ancyranus Canon dicens; * Presbyteri immolantes, & iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerunt, nec ante parentes, nec affectantes, atque suadentes, ut æstimentur quidem tormentis aptari, sed his visu tamen & habitu subjici, hos placuit honorem quidem retinere propriæ sedis, offerre verò aut alloqui populum, aut omnino Sacerdotalibus fungi officiis, non licere.

* Conferantur Ancyrani Concil.

Item ex Concilio Nicæno, de his qui in persecutionibus negaverunt, & postmodum in Clero promoti sunt.

QUicumque de Lapsis ad ordinem Clerici promoti sunt per ignorantiam, vel

per ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponantur. His itaque digeſtis ad memoriam redit, quod Papa Innocentius, Ruſticium, qui iterata ordinatione Presbyter effectus eſt, noluerit in Eccleſia retineri. Scripſit enim Marciano Epiſcopo Naiſitano, dicens. * In Ravennati urbe mihi conſtituto, propter Romani populi neceſſitates creberrimas, Germanius qui ſe aſſerit Presbyterum, atque Lupentius qui ſe Diaconum dicit, multorum talium quaſi legatione ſuſcepta, prece fuſa, dolores proprios exprimere geſtiverunt, aſſerentes ſe quidem Eccleſias in dilectionis tuæ conſtitutas Parochiis retinere, ſed tuam communionem non potuiſſe mereri, ea videlicet ratione qua Ruſticius quidam nomine, iterata ordinatione Presbyterium ſuſcepiſſet: & non levi impedimento ſit, dum aut illi dolent hujuſmodi hominem in Eccleſia retineri, aut ille ſic peccare debere in alio arbitretur, quemadmodum in ſe agnoſcit eſſe peccatum. Similiter autem & illud recolendum, quod * ſubhabeatur Papa Gregorius, ad Joannem Epiſcopum Ravennatis Eccleſiæ ſcribens, dicit, illud quod dicitis: Ut is qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum, niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Nonne vides quod hujuſcemodi tranſgreſſores, etiam apud anteriores Patres jam judicati ſint?

* Lege Epiſtol. 21. S. Innoc.

CAPUT XI.

Ut juramentum quod ad ſcelus committendum pertinet, non ſit obſervandum.

Inſ. Cum ſummo Pontifici in omnibus ſit obediendum, tu è contrario dicis, ut quicumque ex Clero, ſe illi juramento conſtrinxerit, quatenus ad ſubvertendam ordinationem adjutor exiſtat, Canonico ſit judicio plectendus. *Def.* Ad ſcelera committenda nulli unquam poteſtati obtemperandum eſt, quia odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem, & perdet eos qui loquuntur mendacium. Et Apoſtolus, non ſolum qui prava faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Inſ.* Quiſquamne fidelium juramentum, quod ſemel ſpoponderit, audebit licenter irritum facere? *Def.* Juramentum quod à peccato alienum eſt, prævaricari non debet. Juramentum autem quod pertinet ad ſcelus committendum, obſervari nefas eſt. Ut cætera omittam, David ad preces Abigail flexus, remiſſius elegit perjurium incurrere, quam homicidium perpetrare. Herodes autem quia in jurejurando diſcretionem habere neglexit, homicidii barathrum incurrit. Attende, inquam, quid ex hoc Iſidorus cenſeat: Ait enim, non eſt conſervandum Sacramentum, quod malè & incautè promittitur, veluti ſi quiſpiam adulteræ perpetuam cum ea manendi fidem polliceatur, tolerabilius eſt non implere Sacramentum, quam permanere in ſtupri flagitio. *Iſ.* Hujuſcemodi teſtimoniis non ſatis apparet, ut quiſque pro tali juramento à Sacro Ordine ſit removendus. *Def.* Poſt Nicænum Concilium Chalcedonenſis Synodus auctoritatis retinet palmam: Illa nimirum cenſuit dicens, conjurationis vel conſpirationis crimen, & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum, multò magis hoc in Eccleſia Dei ne fiat, admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi, reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis aut Clericis, gradus proprius abjiciatur. Cernisne quam ſublimi autoritate Clerici de quibus ſermo exortus eſt, inter ſacrilegos & malè conjuratos ſint habendi, & Canonico judicio reprobandi?

CAPUT XII.

Ut ad Synodum quæ manifeſtè contra Catholicam rectitudinem agit, non ſit occurrendum.

Inſ. Apoſtolicus Pontifex vocavit te ad Synodum, tu verò juſſionem ejus contemnens occurrere noluiſti. *Def.* Si aliquando ad vocem Lupi cucurrit ovis, & ego ad Synodum illam occurrere debui. Hic eſt quod Salvator ait, oves Paſtorem ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus; alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. An non ſunt Lupi, non ſunt alieni, qui præfatam ordinationem ſubvertentes, fere totam Italiam à pluribus annis veluti paganam abſque Chriſti religione vixiſſe blaſphemant? Dominus enim dixit & fecit; bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, vos è contrario Dominicas oves, Lupinis dentibus non tantùm corpore, ſed quod eſt infelicius, & anima diſcerpere non erubeſcitis. Iſtud eſt quod beatus Gregorius dolens dicit. Conſiderate quid de gregibus agatur, quando Lupi Paſtores fiunt, contra quos Dei greges cuſtodire debuerant. Contempſi properare ad Concilium: ad quale Concilium? Scilicet ubi ſecundo baptiſmate baptizarer, ac per hoc non purificatus, ſed contaminatus exiſterem. Quamobrem ſalubriter elegi cum David verbis & actu canere: Non ſedi in Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, & cum impiis non ſedebo.

CAPUT XIII.

Quod Præpoſitorum culpæ, nec omnes tegendæ ſint, nec omnes denudandæ.

Inſ. Præpoſitorum culpæ juxta reverentiam filiorum Noe, à ſubditis denudandæ non ſunt, ſed potius tegendæ. *Def.* Exemplum Sem & Japhet, in eo quod Patris verenda cooperuerunt, diſcretione adjuncta, ita nos imitari oportet, ut nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinare videamur. Qua de re nec omnes Præpoſitorum culpæ tegendæ ſunt, nec omnes denudandæ. Ut cætera omittam, illa nimirum culpa quæ Catholicæ Religioni officit, ſi aliter emendari non poteſt, proculdubio denu-

danda

danda eſt, ne per eam ignaræ vel ſimplices animæ pereant. Quædam Præpoſitorum culpæ, teſte Pontificali libro, adeo ſuperabundant, ut apicibus tradantur, utique non ut imitentur, ſed ut à poſteris caveantur. Notum eſt enim quod mala Præpoſitorum actio, generaliter ſubditis noceat, eo quod peccata regis, redundent in regnum. Sed nunc de illa culpa ſpecialiter ſermo frequentatur, quæ meticuloſos vel ſimplices in Catholica Religione ſupputat. Ita enim culpa non à ſubditis eſt denudata, ſed à ſuis authoribus magis exaggerata. Nos autem iſtiuſmodi noxæ nec favorem, nec aſſenſum porrigere audemus; ſed procul ab ea diſcedere debemus. Denique Apoſtolus Paulus qui clamat, imitatores mei eſtote, In faciem reſtitit Apoſtolorum Principi Petro, quia reprehenſibilis erat; eo quod gentiles in quibuſdam judaizare cogeret. Quod claviger Regni cœlorum adeo libenter ſuſcepit, ut ei nullo modo contradiceret, & inſuper ejus documenta in ſua laudaret Epiſtola.

CAPUT XIV.

Ut excommunicatio quæ ad facinus committendum pertinet, non ſit obſervanda.

Inf. Quomodo parvi pendens Apoſtolicam excommunicationem, celebrare Miſſarum ſolemnia præſumpſiſti? *Def.* Illa equidem excommunicatio quæ ad ſacrilegium committendum pertinet, pro nihilo ducenda eſt, & nullatenus obſervanda. Quippe ſub hujuſcemodi occaſione cogitis me negare Sacerdotium, quod ecce jam circiter viginti annos per totam Auſoniam Domini Salvatoris regit Eccleſiam, & tam pro vivis quàm etiam pro defunctis Eccleſiaſtica officia; ut moris eſt, frequentare non ceſſat. Et quod eſt deterius, conſentientes vobis iterum in eodem gradu conſecrare non formidatis. Iſtane obſervanda excommunicatio? A qui conſentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Inf.* Hanc Apoſtoli ſententiam ecce jam bis objicere non vitaſti. *Def.* Si quando neceſſitas incumbit, non dico bis aut ter, ſed etiam centies unum idemque teſtimonium ſiniſtris argumentationibus fidenter opponam, nec immeritò: Agoniſta enim contra diverſa inimicorum jacula uno utitur clypeo. *Inf.* Reſponde mihi quomodo hactenus ſuper Pontificum excommunicationibus iſtiuſmodi diſtinctionem nullus facere præſumpſit? *Def.* Ergone oblitus es teſtimonia, quibus paulò ſuperius declaratum eſt, non eſſe iniquis juſſionibus obtemperandum, nec ſiniſtris actibus B conſentiendum? Secundum quod in iiſdem teſtimoniis legitur, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; Odiſti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: Et illud, Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: Et illud, Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris; Et illud, Miniſter Dei eſt tibi in bonum. Interea & hoc recolendum, quoniam quidem ille qui dicit, juſtè an injuſtè obliget Paſtor, gregi timendum eſt, ipſe in eodem loco dicit, ſub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant vel ligare. C Plerumque contingit ut hic judicis locum teneat, qui ad locum, vitâ minimè concordat, & ſæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat; & infra. Judicare autem dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia vel gratiam ſequuntur. Unde rectè per Prophetam dicitur. Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Poſtremò autem, nec illud oblivioni tradendum, quod doctor gentium redarguens ait. Qui ergo alium doces, te ipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris Idola, ſacrilegium facis? Et Dominus D in Euangelio; Medice cura te ipſum.

CAPUT XV.

De eo quod ſcriptum eſt, ſive juſtè ſive injuſtè obliget Paſtor, gregi timendum eſt.

Inf. Sive juſtè ſive injuſtè, ut S. Gregorius ait, obliget Paſtor, gregi timendum eſt, ne per elationem tumidæ reprehenſionis, culpa quæ non erat, fiat. *Def.* Si de noſtris negligentiis, noſtriſque offenſionibus excommunicatio facta fuerit, omnino formidanda eſt, & uſque ad dignam ſatisfactionem, vel indulgentiam, penitus obſervanda. Cæterùm ve- E rò in his quæ manifeſta ratione Deo inimica eſſe probantur, nullius excommunicatio metuenda eſt, vel obſervanda. Verbi gratia, ſi me ad perjurium, falſum teſtimonium, ſacrilegium, vel homicidium, excommunicando impulerit, nunquid nam in talibus, vel eorum ſimilibus, Paſtoris excommunicatio timenda, vel facienda eſſe decernitur? Præſertim cum dicat Apoſtolus, Non ſolum qui prava faciunt, ſed &

CAPUT XVI.

De eo quod ſcriptum eſt, omnia quæ dixerint vobis, ſervate, & facite.

Inf. Ubi eſt ergo illud Euangelicum, ſupra Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæ dixerint vobis ſervate & facite? *Defenſor.* Omnia hoc in loco, ſolummodò in bonam partem accipienda ſunt: alioquin Judæi qui Scribarum & Phariſæorum conſilio & hortatu Dominum crucifixerunt, immunes à tanto ſcelere eſſe debuerant, ſed quàm graviter, & qui dixerunt & qui fecerunt, peccaverint, & ſcriptura teſtatur, & in poſteris eorum uſque ad finem mundi protelatur. Igitur, quod omne non ſemper ad totum, ſed plerumque ad maximam partem referatur, teſtis eſt Hieronymus, ubi ad Damaſum de frugi & luxurioſo filio diſputat.

CAPUT XVII.

Quod ad peccandum, nullius poteſtati ſit obtemperandum.

Inſ. Cum aliis poteſtatibus reſiſtendum non ſit, eo quod non ſit poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit; Apoſtolicæ poteſtati quæ proculdubio omnes humanas poteſtates excellit, in omnibus quæ jubet reſiſtendum non eſt. *Def.* Omni humanæ poteſtati ſubditi eſſe debemus, & quàm maximè Apoſtolicæ. Sed utique non in illis quæ Chriſtiana lex abominatur ac prohibet, & Deo inimica eſſe monſtrantur, cui dicit Propheta: Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es, odiſti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: Et ipſe Dominus ad Hieremiam, Si ſeparaveris inquit pretioſum à vili, quaſi os meum eris.

CAPUT XVIII.

Quod aliud ſint Pontificales ſedes, & aliud Præſidentes, & quia Præſidentes per devia ſequendi non ſint.

Inſ. Sancta Romana Eccleſia ſuper Eccleſias primatum tenet, ideoque judicat omnes, & ipſa à nemine judicatur. Tu autem quis es, qui contra eam loqueris? *Def.* Abſit ut ego infimus, vel potius vermis contra eam loquar, ſed ut Deus donaverit, magis pro ea. Quæſo, diligenter attende quod dicturus ſum longè incomparabiliter. Aliud ſunt Pontificales ſedes, aliud præſidentes. Proinde honor & dignitas uniuſcujuſque ſedis venerabiliter obſervanda ſunt. Præſidentes autem ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt; hoc eſt, ſi contra fidem vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus, quod plerumque apud Conſtantinopolitanam & Alexandrinam ſedem contigit: in his autem quæ jure dicunt, & ſi non faciunt, libenter eis obedire debemus. Hinc eſt quod botros carpere, & ſpinas cavere jubemur. Quid multa? de Paſtoribus ad populum revoca intentionem: Qui dicit, Miniſter Dei eſt tibi in bonum. Propterea ſubjunxit in bonum, quia Miniſter Dei non eſt tibi in malum.

CAPUT XIX.

De eo quod ſcriptum eſt, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.

Inſ. Ligandi atque ſolvendi poteſtas omnibus Epiſcopis cœlitus eſt collata; præcipuè tamen Apoſtolorum Vicario, qui vicem Apoſtoli Petri, & claves regni cœlitus tenet. Et idcirco, quomodolibet ligaverit, ligatum erit. *Def.* Non ita ſapit divinæ legis interpres Hieronymus exponens illud Euangelicum, quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo, ait, Iſtum locum intelligentes Epiſcopi & Presbyteri aliquid ſibi aſſumunt de Phariſæorum ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere noxios ſe arbitrentur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Nec illud omittendum quod per Prophetam dicitur, mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, ut Sanctus docet Gregorius, qui juſtum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum à ſupplicio abſolvere conatur. Item à Salomone, ſicut avis in contrarium volans, & paſſer quolibet vadens, ſic maledictum fruſtra prolatum, ſuper illum qui miſit illud, veniet. Item ibi, anima quæ benedicit, impinguabitur; quæ autem fruſtra maledicit, ipſa in maledictione erit. Item S. Gregorii Papæ, in omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mente debemus; & ſi omnes vituperent, liber eſt tamen quem conſcientia non accuſat: quia etſi omnes laudent, liber eſſe non poteſt, ſi hunc conſcientia accuſat.

CAPUT XX.

Qualiter Formoſus poſt depoſitionem, Apoſtolica authoritate reconciliatus ſit.

Inſ. Ecce jam ad littus cœptæ loquutionis propinquantes vela deponimus, & Formoſus qui procellas excitare non veritus eſt, à tanto diſcrimine velut immunis remanſit. *Def.* Humano examine judicari nec debet nec poteſt, qui jam in illius eſt judicio conſtitutus, qui eſt judex vivorum & mortuorum; qui non ſecundum auditum aurium, neque ſecundum oculorum intuitum judicat, ſed ſecundum id quod eſt ſcrutans corda & renes Deus. *Inſ.* Non te cognoſcere pigeat, quomodo per eum in Sancta Eccleſia, ubi ſumma concordia eſſe debet, ſcandali ſeminarium ſit exortum. *Def.* Formoſus, ut dixi, non ad me, id eſt, ad ordinationem quam fecit, ſed ad eos pertinet qui eum elegerunt, ordinaverunt, eique donec advixit communicaverunt, & per omnia participes extiterunt: attamen, fac, ut tibi rectum videtur. *Inſ.* Formoſus poſt depoſitionem ſuam Epiſcopus eſſe non potuit, quantominus Papa? *Def.* Sicut verum eſt quod Apoſtolica authoritate depoſitus fuerit, ita verum eſt quod Apoſtolica authoritate reconciliatus extiterit. *Inſ.* Quando depoſitus eſt, mediantibus Sacroſanctis Euangeliis jurejurando concluſit, ut Romuleam urbem nullatenus ingrederetur, ſuumque Epiſcopatum nullo modo reciperet, & propterea reconciliari minimè potuit. *Defenſ.* Iſtiuſmodi juramentum non ſolùm à Chriſtianis, verumetiam ab Ethnicis cruentum atque nefarium eſſe decernitur. Revera enim nihil aliud in eo deprehenditur, niſi ut limina Apoſtolorum Petri & Pauli nunquam adoraret, nunquam ad reconciliationem accederet, ſuumque Epiſcopatum nunquam reciperet.

Proh

proh nefas! Hujuſmodi juramenti crudelitas, nec apud paganos invenitur. Væ illis qui tale Sacramentum ab eo per vim extorſerunt: Benignus ille & miſericors Apoſtolicus Pater qui eum reconciliare decrevit. *Infenſor.* Veréne debuit Apoſtolicus Pontifex reconciliare hominem, qui ſe coram Epiſcopis proprio ore damnavit, & idcirco depoſitus fuit? *Def.* Poteram ad hæc opponere, quia cum ſe proprio ore damnavit, non veraci profeſſione, ſed magno timore perterritus, interroganti ſe, quamvis non inculpabiliter, ſatisfecit; ſed ſufficit ei quod poſtmodùm Apoſtolica authoritate reconciliatus ſit. Audi etiam, quid Alexander Papa ſuper hujuſcemodi occaſione Synodaliter cenſeat, dicens. Eſt etiam & hoc ad hanc Sanctam perlatum ſedem, quod pudet dicere, & non ſolùm Sacerdotali, ſed etiam omni Chriſtiano nomini inimicum eſt; id eſt, quod nonnullos Epiſcopos vel Sacerdotes aut metu compellant, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confeſſionis ſuæ, in aliud quod non debent, aut pro ſuarum requiſitione rerum, aut quod deterius eſt, pro alieni erroris ſecta, ſcripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populo recitare, atque confiteri. Aliquos dicunt ergaſtulis & carceribus recludi, ut ſaltem his territos inſidiis decipiant Domini Sacerdotes, & ſuis faciant voluntatibus ſubditos fieri. Has conſiderantes impietates, & pericula vitantes animarum, unà cum omnibus Sacerdotibus, qui vobiſcum in hanc ſacram convenerunt urbem, & cum omnibus hujus capitis membris, ſicut à Beatis Apoſtolis, & reliquis Sanctis Patribus & ſucceſſoribus eorum accepimus, ſtatuentes decernimus, omnes qui Sanctos Patres perſequuntur, aut amovere vel dilacerare manifeſtantur, infames eſſe, & alienos à liminibus Eccleſiæ uſque ad ſatisfactionem fieri. Ejuſdem * Similiter ſi hujuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut ſe liberare poſſint, quocumque ab eis conſcriptæ, vel roboratæ fuerint, ingenio, nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire cenſemus: neque ullam eis infamiam aut calumniam, aut à ſuis ſequeſtrationem bonis unquam, authore Domino, & Sanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſuſtinere, permittimus.

* Supple, Epiſolæ.

CAPUT XXI.

Quia plurimi Sacerdotum depoſiti fuerunt, & poſtmodum reconciliati.

Inf. Si tale quid ad lapſorum reconciliationem pertinet, exemplis confirma. *Def.* Plurimi namque Sacerdotum depoſiti fuerunt, & poſtmodùm reconciliati: reconciliati, inquam, non denuò in idipſum conſecrati; quoniam quidem aliud reconciliatio & aliud conſecratio. Nam qui reconciliatur, in gradum priſtinum reſtituitur; qui autem conſecratur id quod non habet accipit. Sed ut dicere cœpi, Joannes Chryſoſtomus à duabus Synodis Orthodoxorum Epiſcorum fuit judicatus, ſed iterum fuit reſtitutus Eccleſiæ ſuæ. Nec non & Marcellus Epiſcopus Ancyræ Galatiæ depoſitus fuit, ſed poſtmodùm proprium recepit Epiſcopatum. Aſclepius item judicatus à Synodo, Eccleſiam ſuam poſtea recepit. Lucianus Epiſcopus Adrianopolites damnatus à Papa Julio, recepit Eccleſiam ſui Epiſcopatus. Item Cyrillus Hieroſolymitanus depoſitus fuit, poſtea reconciliatus eſt Eccleſiæ ſuæ. Simili modo & Polychronium ejuſdem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Pontificem Xyſtus Papa damnavit, & iterum ipſe eum reconciliavit. Innocentius item Papa Photinum damnavit Epiſcopum, ſed ipſe eum poſtea in proprio reſtituit loco Eccleſiæ ſuæ. Itemque Miſenum Epiſcopum à Felice Papa damnatum, Gelaſius Papa ſucceſſor illius, & communicavit, & Eccleſiæ ſuæ reſtituit. Leontius autem dum eſſet Presbyter depoſitus fuit, ſed poſtea in Antiochia Patriarcha extitit. Gregorius verò quartus Papa, Theodoſium, quem Eugenius ejus anteceſſor Presbyterii honore privaverat, Sanctæ Eccleſiæ Siguinæ conſecravit Epiſcopum. Ibas namque Epiſcopus judicatus fuit, ſed Sancta Synodus Canonicè ſuam illi reſtituit Eccleſiam. Rothadum verò Epiſcopum Sanctæ Sueſſionenſis Eccleſiæ, à Synodo cui Carolus interfuit Rex, condemnatum, & Soffrenium Placentinum Epiſcopum meritò reprobatum, Nicolaus Papa unà nobiſcum reconciliauit.

CAPUT XXII.

Ut id quod incertum eſt ſolius Dei judicio ſit relinquendum, & de Epiſcopis qui de ſede ad aliam ſedem tranſlati ſunt.

Inf. Formoſus eſto, reconciliatus fuerit, poſtmodum verò humanæ laudis cupidus, propriam relinquens uxorem, alienam abſtulit; videlicet relicto Epiſcopatu, his qui ordinandi erant, Apoſtolicam abſtulit ſedem. *Def.* Utrumnam humanæ laudis cupidus Apoſtolicum thronum conſcenderit incertum eſt, ideoque ſolius Dei judicio relinquendum eſt. Attamen univerſa Romana Civitas, & omnes circumpoſitæ regiones, præcipuæ ſanctitatis eum fuiſſe commemorant, exceptis admodum paucis, qui eum infamare non erubeſcunt. Nec mirum, cum etiam de Salvatore ſcriptum ſit, alii dicebant quia bonus eſt, alii non, ſed ſeducit turbas. Cæterùm verò quod in hujuſmodi tranſlatione alienam uxorem non abſtulerit, probabilibus exemplis clareſcere poteſt. Omitto eos qui ante Nicænum Concilium, de ſede ad aliam ſedem tranſlati ſunt. Nunquidnam Gregorius Nazianzenus, homo ſanctiſſimus atque doctiſſimus, ignarus fuit ejuſdem Concilii, aut illud quiſquam melius intelligit, quàm ipſe intellexiſſe dignoſcitur? Hic enim cum unius civitatis quæ ſazima dicebatur fuiſſet Epiſcopus, conſilio & hortatu Beati Baſilii & aliorum Epiſcoporum, in oppido Nazianzo conſtitutus eſt, deinde Conſtantinopolim tranſlatus eſt. Doſitheum Seleuciæ Epiſcopum Alexander Antiochenus Epiſcopus in Tarſum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab Arcis Phœniciæ in Tyrum migratus eſt. Joannes de Gordo Lydiæ mutatus eſt in Proconniſſum, &c in

& in ea præſedit Eccleſia. Palladius ab Helenopoli mutatus eſt in Aſpamam. Alexander ab alia Helenopoli in Adrianopolim mutatus eſt. Meletius prius in Sebaſtena Eccleſia præfuit, & poſtea Antiochiæ præſul eſt conſtitutus. Theoſebius ab Apamia Aſiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antepriſtena Myſiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus eſt. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam migratus eſt. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Piſidiæ migratus eſt. Sylvanus à Philippopoli Thraciæ mutatus eſt in Troada. Perigenes in Patris eſt ordinatus Epiſcopus, ſed quoniam cives ejuſdem civitatis cum recipere noluerunt * Romanæ civitatis juſſit eum inthronizari in Corinthum Metropolim defuncto ejus Epiſcopo, eique donec advixit Eccleſiæ præfuit. Euſebius itaque Pamphili in ſexto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro, Alexandrum unius Capadociæ civitatis Epiſcopum refert, quia cum veniſſet cauſa orationis Hieroſolymam, tentus ſit ab ejus civibus, & in locum Narciſſi Epiſcopi conſtitutus, & de cetero omni vita ſua ipſi Eccleſiæ præſediſſet. Germanus Archiepiſcopus de Metropoli Cyzico tranſlatus eſt Conſtantinopolim, in qua tranſlatione Presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Apocriſarius nomine Michaël, talem fecit ſermonem, Divina enim gratia quæ dignatur infirma eligere, & incompleta complere, tranſtulit & ordinavit in ſacratiſſimam ſedem à Deo conſervatæ civitatis Conſtantinopolitanæ præſentem Germanum Sanctiſſimum Archiepiſcopum. Aitardus quoque de Terraconenſi; Epiſcopatu inthronizatus eſt in Turonenſi Archiepiſcopatu, dante Imperatore Carolo II. & conſentiente Papa Hadriano Secundo.

CAPUT XXIII.

Quod Oſius non Catholicè dixerit, nec Laicam in fine communionem accipiat.

Inſenſor. Oſius dicit: Si quis Epiſcopus per avaritiam vel ambitionem, & ut dominationem agat, ſedem mutaverit, nec Laicam communionem habeat. Deinde in ſequenti capitulo, etiamſi talis extiterit ut per fraudes, & quoſdam præmio & mercede corruptos, excuſationem afferens, ut quaſi cum populi petere videantur, nec Laicam in fine communionem accipiat. *Def.* Quod Oſius avaritiam & ambitionem, dominationem, & fraudes prohibuit, libenter amplector. Quod autem ſubjunxit, nec Laicam in fine communionem accipiat, non ſuſcipio, quoniam non Catholicum ſed Catharum ſonat. Præſertim cum Dominus per Prophetam clamet, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Et in Euangelio, gaudium eſt, inquit, coram Angelis Dei ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent Pœnitentia. Aliàs autem quo fine ſuum ſapere Oſius concluſerit, flere magis libet, quàm verbis exprimere.

CAPUT XXIV.

De eo qui ſemel in qualibet Eccleſia Lector extiterit.

Inſ. Africanum Concilium ſtatuit, ut quicumque in Eccleſia ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad Clericatum non admittatur. Et ſi hoc de Lectoribus ſtatutum eſt, quo pacto Formoſus ab Epiſcopali ſede ad Apoſtolicum thronum transferri debuit? *Def.* Hoc etenim quod de Lectore objeciſti, non intelligendum eſt, ut qui ſemel in qualibet Eccleſia Lector extiterit, ulterius jam in alia Eccleſia nullatenus ad Clerum admitti poſſit: Sed manifeſtius in Africano Concilio, ubi Epigonius pro ſuo diſcipulo, ſimulque alumno conqueritur, ſancitum eſt, ut Clericum alienum, nullus ſibi præripiat Epiſcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit. *Inſenſor.* Cœleſtinus Papa de Clericali electione ita delegavit dicens: Cleri, ac plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur, tunc alter de altera requiratur & eligatur Eccleſia, ſi de civitatis ipſius Clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, qvod evenire non credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat unuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: In aliena ſtipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam, ſibi alter audeat vindicare mercedem. *Defenſ.* Iſtiuſmodi Papæ Cœleſtini decretum laudabile, juſtumque nemo ambigit, ſed aliquando accidit ut certa imminente neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis, Epiſcopus de ſede ad ſedem transferri licenter poſſit, quod jam ſupra latius intimatum eſt. Similiter autem ad Clericatus officium ex alia Eccleſia tranſitur. Quod adeo verum eſt ut etiam Papa Siricius, Religioſos Monachos per Canonicos gradus ad Epiſcopalem celſitudinem aſcendere ſtatuerit. Hinc eſt quod S. Papa Gregorius ad Marianum ſcribit, ad ordinandum alia Monaſteria, ut ad Clericatus officium, Monachi cum conſenſu Abbatis ex Monaſterio tolli debent. Quod ſi Abbas ſufficienter habeat Monachos, & dare noluerit, Epiſcopus in cujus Parochia eſt, de his qui ſupra fuerint, ſolertius tollat.

CAPUT XXV.

Ut abſque neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis, Epiſcopus de ſede ad ſedem tranſire non debeat.

Inſ. Jam verò quid ad hæc objicere poteris? * Nicæna ſiquidem Synodus definivit dicens. Propter multam perturbationem & ſeductiones quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videatur admiſſa, ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Quod ſi factum fuerit prorſus irritum ducatur, & reſtitua-

* lege can. 15. Nicæn.

reſtituatur Eccleſiæ cui fuit Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. *Def.* Tam magni Concilii ſententiam meæ parvitati exponere non licet. Audenter tamen dico, quod nulli unquam Nicænos Canones, rectius vel ſubtilius conſiderare atque intelligere valeant, quam Gregorius Nazianzenus quem ſupra tetigimus, nec non & Chalcedonenſe Concilium, & Beatiſſimus Papa Leo, atque Gelaſius. *Inf.* Quod Gregorius Nazianzenus de ſede ad ſedem tranſierit, jam ſuperius objeciſti, nunc ſupereſt, ut reliqua ſubjiciantur. *Def.* Ut dicere cœpi, Chalcedonenſis Synodus & Sanctiſſimus Papa Leo atque Gelaſius, præfatam Nicæni Concilii regulam ita intelligere videntur.

Ex Chalcedonenſi Concilio.

CLericos in Eccleſia miniſtrantes, ſicut jam conſtituimus, in alterius civitatis Eccleſiam ſtatutos fieri non oportet, ſed contentos eſſe, in quibus ab initio miniſtrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes Provincias ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierint. Si quis autem Epiſcopus poſt hanc definitionem ſuſceperit Clericum ad alium Epiſcopum pertinentem, placuit & ſuſceptum & ſuſcipientem communione privari, donec is qui migraverat Clericus ad propriam fuerit regreſſus Eccleſiam.

Leonis Papæ.

SI quis autem Epiſcopus civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem quacumque ratione tranſtulerit, à Cathedra quidem pellatur aliena, ſed carebit & propria, ut nec illis præſideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per ſuperbiam ſprevit. Suis igitur terminis quiſque contentus ſit, nec ſupra menſuram juris ſui affectet & augeri.

Gelaſii Papæ.

QUiſquis propriæ deſertor Eccleſiæ, nullis exiſtentibus cauſis ad aliam putaverit tranſeundum, temeréque ſuſceptus fuerit, & *protervus, reverendorum Canonum, vel ipſe vel receptor ejus atque provector, inſtituta non fugiet quæ de hujuſmodi præſumptoribus ſacri Canones præfixere ſervanda. *Inf.* Hæc capitula meis inſerviunt objectionibus. Video enim quod Chalcedonenſe Concilium ſtatuerit, ut abſque Provinciarum amiſſione, & neceſſitate, in alterius civitatis Eccleſiam demigrandum non ſit, & quod Papa Leo cenſuerit, ut Epiſcopus civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtrationem loci ſuperioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem ſe plebem transferre. Gelaſius quoque dicit, ut nullis exiſtentibus cauſis, propriam deſerere Eccleſiam nemo audeat. Formoſus qua ex neceſſitate aut quibus exiſtentibus cauſis Eccleſiæ propriæ deſertor Apoſtolicum thronum conſcendere juſſus eſt? *Def.* Quibus exiſtentibus cauſis, vel qua neceſſitate Formoſus effectus ſit Papa, Clero & magnatibus Romanæ civitatis ſcire convenit, qui nec Francorum, nec alterius gentis obſidione, vel impulſu, coacti, ſed ſua ſponte eum eligere, atque inthronizare decreverunt. Illi enim non ob aliud eum elegiſſe ſe dicunt, niſi ob Eccleſiæ utilitatem. Ipſe autem ſe inthronizandi præbuit aſſenſum, quemadmodum plurimi Epiſcoporum feciſſe leguntur, quod jam paulò ſuperius intimatum eſt. *Inf.* Pene omnibus notum eſt quod plurimorum Pontificum major ſit authoritas quàm paucorum. Quapropter in hac quæſtione magis obſervanda eſt Nicæna Synodus, quæ indifferenter & penitus de ſede ad ſedem transeundi conſuetudinem amputavit. *Def.* *Videre* non intellexiſſe quod Nicæna Synodus dicit; placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa. Qualem, inquam, conſuetudinem placuit amputari? Illam ſcilicet quæ præter regulam, hoc eſt, abſque rectitudine in quibuſdam partibus videtur admiſſa. Nonne diſcretione adhibita, quæ mater eſt omnium virtutum, idipſum & Concilium Chalcedonenſe adſtruere videtur, in eo quod dicit, Clericos in alterius civitatis Eccleſia, ſtatutos fieri non oportere, exceptis illis qui proprias amittentes Provincias ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierint. Nec illud eſt abſimile quod Beatiſſimus Papa Leo cenſuit, ut Epiſcopus civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambire non debeat. Inde nimirum & Gelaſius dicit, ut quiſquam nullis exiſtentibus cauſis propriæ deſertor Eccleſiæ ad aliam tranſire non debeat. Hoc modo etiam S. Gregorius Nazianzenus, non ignarus, nec contemptor Nicæni Concilii, de ſede ad ſedem tranſlatus eſt. Porro qui nulla neceſſitate cogente, & nullis exiſtentibus cauſis, ſed ſolummodò avaritia, vel ambitione ad aliam ſedem transfertur, iſte proculdubio prævaricator rectitudinis eſt, & idcirco præter regulam tale quid admiſiſſe convincitur. *Infenſor.* Formoſus ergo qui tantummodò avaritia & ambitione Cathedram mutavit acrius eſt puniendus? *Defenſ.* Quod ambiguum crimen ſolius Dei judicio ſit relinquendum jamjam ſupra reſponſum eſt. *Inf.* Video te ſub colore cujuſdam tuitionis dogmatizare, quatenus Epiſcopalis tranſmigratio de ſede ad ſedem licenter fieri poſſit. *Def.* Abſit ut ex meo ore procedat, quod quilquam Epiſcoporum tale aliquid licenter agere poſſit, niſi certa imminente neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis.

* Promotus lege Gelaſii Epiſt. 9. c. 25.

CAPUT XXVI.

Quod quando Formoſus inthronizatus eſt, non id quod Epiſcopus erat iterum acceperit, ſed augmentum Apoſtolicæ dignitatis, quod non habebat, ſuſceperit.

INf. Hactenus hinc inde contractis ſcripturarum malagmatibus, languido capiti medicatus

es; nunc autem ventum eſt ad inſanabile vulnus, cui nulla medela ſuccurrere valet. Formoſus quando acceſſit ut Papa efficeretur, manus impoſitionem ita ſibi tribui præcepit, ac ſi Epiſcopus non eſſet; ac per hoc, non ſolùm Apoſtolicam dignitatem non acquiſivit, verùm etiam id quod Epiſcopus erat, perdidit. *Def.* Hoccine eſt inſanabile vulnus, cui nulla medela ſubvenire poteſt? Nonne cujus oculus, juxta Euangelicam ſententiam, ſimplex eſt, in ejus manus impoſitionem, non vulnus, ſed dignitatis augmentum conſpicit, non detrimentum, ſed Sacri Ordinis incrementum. Ut enim hoc liquidius pateat audi documentum. Nam quod Presbyter ipſum ſit quod eſt Epiſcopus, teſtis eſt B. Hieronymus in Epiſtola 85. dicens. Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros quos Epiſcopos, quid patitur menſarum & viduarum miniſter, ut ſuper eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur? Audi teſtimonium: Paulus & Timotheus ſervi Chriſti Jeſu omnibus Sanctis qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus. Et in Actibus Apoſtolorum, ad unius Eccleſiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur. Attendite vobis & cuncto gregi in quo vos C Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Domini, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ac ne quis contentiosè in una Eccleſia plures Epiſcopos fuiſſe contendat, audi & aliud teſtimonium in quo manifeſtè comprobatur, eumdem eſſe Epiſcopum atque Presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigeres, & conſtitueres per civitates Presbyteros, ſicut & ego tibi mandavi, ſi quis unius uxoris vir, ſine crimine filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, quaſi Dei diſpenſatorem. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ tibi data eſt per impoſitionem D manuum Presbyterii. Sed & Petrus in prima Epiſtola, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, & teſtis paſſionum Chriſti, & futuræ gloriæ quæ revelanda eſt. Quod autem poſtea, unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Eccleſiam Chriſti irrumperet. * Huc uſque S. Hieronymus. Nos autem revertamur ad id quod cœpimus. Ecce probabilibus documentis patefactum eſt, quod ipſum ſit Presbyter quod eſt Epiſcopus. Igitur cum Presbyter manus impoſitionem accipit, ut cæteris præponatur, & ſpecialiter Epiſcopus appelletur; Nunquid E num in eo quod eſt Presbyter iterum conſecratur, & non potius in ejuſdem manus impoſitione augmentum Epiſcopalis * miniſterii, quod non habet accipit. Sic itaque ſic Formoſus in illa manus impoſitione, non id quod Epiſcopus erat, perdidit, ſed augmentum Apoſtolicæ dignitatis, quod non habebat, accepit. Hæc igitur ad ea quæ ipſe de manus impoſitione objeceras, reſpondiſſe ſufficiat.

* rumperet.

* myſterii.

A Cæterum autem interrogavimus eos qui præſentes fuerunt quando Formoſus inthronizatus eſt; ſed dixerunt, proculdubio falſiſſimum eſt quod Formoſus in illa tranſlatione manus impoſitionem acceperit: ſed quemadmodum in itinere ambulantes, precibus effuſis Deum exorant: ita & nos gubernatorem omnium exorantes, deduximus eum ad Apoſtolicam ſedem, ibique inthronizavimus eum, dantes congruam orationem.

CAPUT XXVII.

Ut qui ſimultates & lites inter ſe habent, alter eorum adverſus alterum, non poſſit teſtimonium proferre.

Inf. Adhuc ſuperſtites ſunt idonei teſtes, qui Formoſum non ritè inthronizatum fuiſſe, ſed in eodem ordine quem habebat, iterum ſibi manus impoſitionem tribui feciſſe teſtificantur. *Def.* Hæc accuſatio penitus abſurda eſſe deprehenditur, alioquin juxta tuam ſententiam non fuerunt Epiſcopi, qui eum inthronizaverunt, ſed potius bruta animalia. Ego enim & non pauci mecum, certò certius compertum habemus, quia hæc de Formoſo non alii referunt, niſi qui ſimultates & inimicitias cum eo habuerunt. Et revera non ſolùm divina, ſed etiam humana lex præcipit, ut qui jurgia & lites ad invicem habere noſcuntur, alter eorum adverſus alterum teſtimonium proferre minimè poſſit. Hinc eſt quod Anacletus Papa dicit: Accuſatores autem & teſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternum aut nudiuſtertius diem inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læſi ulciſci velint. Hinc etiam & Sixtus Papa ſcripſit: Non, inquiens, accuſatoribus ſuſpectis, vel de inimicorum domo prodeuntibus, eſt credendum. Papa quoque Teleſphorus. Hi verò qui inimici * morantur aut qui ſuſpecti habentur, minimè recipiantur, quia eorum æmulatio lacerat innocentes.

CAPUT XXVIII.

Quod humanum judicium quatuor perſonis juſtiſſimè comprobatur.

Inf. Fortaſſis coram judicibus pro Formoſo cauſam dicere velis, accuſatores præſto ſunt: accede, ut quod hujus altercationis verum eſt, luculento examine clareſcat. *Def.* Non poſſumus juſtitiæ palmam obtinere apud eos, qui teſtes iidem ſunt qui & judices, pariterque accuſatores: ſiquidem quatuor perſonis omne juſtiſſimum conſummatur judicium, accuſati videlicet & accuſatoris, teſtium ſimul & judicum. Neque enim de levioribus cauſis quæſtio ventilatur: proinde neceſſe eſt ut authore Deo congregetur univerſale Concilium, & ad inſtar magni Conſtantini, interſit Regis præſentia, & tunc iſtiuſmodi ſcandalum ſedabitur, & Eccleſiæ pax inſtaurabitur.

CAPUT

A

CAPUT XXIX.

De Concilio quod in Ravennati Urbe pro Formoſo, ejuſque ordinatione factum eſt.

Inf. Verùm in Ravennati Urbe congregata Synodo ſancitum eſt, ut tam Formoſus quàm ejus ordinatio in ſuo vigore ſtabilita permanerent. Quod non ſincera concordia, ſed auri copia inſtitutum eſt, ideoque pro nihilo ducendum eſt. *Def.* Ut opinor illud tibi contigit quod ait Pſalmus; Foderunt ante faciem meam foveam, & ipſi inciderunt in eam. Nam B quod delatis muneribus tale quid in illa Synodo ſtatutum fuerit, probare minimè poteris. Nos autem & plurimi nobiſcum luce clarius compertum habemus, quod non ſolum Romuleæ civitatis, ſed omnes pene Italiæ præſules memorato interfuere Concilio. Quapropter ſi favente Deo regalis poteſtas univerſale fecerit Concilium, quid de vobis cenſendum erit, qui tot Epiſcoporum ſanctiones irritas facere, non veriti eſtis?

CAPUT XXX.

De ſcelere quod in cadaver Papæ Formoſi perpetratum eſt. C

Inf. Stephanus qui tertius à Formoſo extitit Papa, eumdem Formoſum adeo reprobum eſſe indicavit, ut cadaver ejus de tumulo extrahi, & in Concilium pertrahi faceret, ibique cum priſtinis veſtibus denudantes, Laïco amictu velaverunt, & ferro duobus dextræ digitis amputatis, in quodam peregrinorum tumulo ſepelierunt, nec multò poſt in Tiberinum fluvium præcipitarunt. *Def.* Sicuti belluæ humanitatis immemores quomodo intellexerunt ita & operati ſunt. Miſerrimi ubi hoc didicerunt? præſertim cum Dominus non dixerit, quæcunque ligaveritis ſub terra, D vel ſub flumine; ſed ait quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. De talibus enim Apoſtolus dicit, Quidam zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Proh ſcelus! ſaltem Poëticam attendere debuerunt ſententiam.

Parce pias ſcelerare manus, jam parce ſepulto!

Verumtamen ſi hujuſmodi de ſede ad ſedem tranſlatio quodammodo illicita fuiſſet, nonne Eccleſiaſtica pietate, tolerare & non inauditis crudelitatibus exaggerare debuerant, & ſic E demum advocata univerſali Synodo generaliter cenſerent, ut deinceps Romana civitas tale quid committere non auderet.

CAPUT XXXI.

Quod ad teſtificandum quæ recta ſunt, nullius gentis homo prohibendus ſit.

Inf. Tandem aliquando ad te revertar. Porro cum ſis homo exteræ gentis, & apud nos humanæ vitæ ſubſidiis indigeas, quid ad te pertinet noſtris reſiſtere diſceptationibus? *Def.* Notum tibi ſit quoniam illius generis ſum quod Apoſtolus Petrus his laudibus extollit, Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Et quia iſte populus per univerſum orbem terrarum Chriſtum adorat & colit, propterea inter eos recipiendus ſum, & à veritate teſtificanda nuſquam excludendus. Quis enim neſciat ex Hebræis fuiſſe Apoſtolos, qui ſanctum Euangelium ſua prædicatione in toto mundo coruſcare fecerunt? Et ut breviter concludam, nonne ſi Doctor gentium, etiam invidos bene Chriſtum prædicare confirmat, me qui Sacerdotali compaſſione quæ recta ſunt teſtificor, prohibere quis poterit? *Inf.* Si advenis & peregrinis Eccleſiæ præpoſitos accuſare licet, vel judicare, aut præjudicare, aut aliquâ ſcripturâ adverſus eos facere, fruſtra ergo in Pontificalibus Epiſtolis ita præfixum habetur. Anacletus. Deteriores ſunt ſubditi qui Rectorum ſuorum vel Doctorum mores, vitamque carpunt, licet pravi ſint, his qui ſubſtantias aliorum prædiaque diripiunt: Et ideo juſtè infames ſunt, & meritò ab Eccleſia extorres fiunt. Doctor enim vel quilibet, qui locum Paſtoris in Eccleſia tenet, ſi à fide exorbitaverit, eſt à fidelibus corrigendus, ſed pro reprobis moribus, magis tolerandus quam judicandus. Teleſphorus. Non ſuſcipiatur ovis in accuſationem adverſus Paſtorem, verùm omnes qui adverſus eum qui locum Paſtoris tenet armantur, infames eſſe cenſemus. Pius. Oves Paſtorem non reprehendant; plebs Epiſcopum non accuſet, etiam ſi aliter fecerint, nam eorum judicium ſibi Deus voluit reſervari. Calliſtus. *Criminationes, conſpirationes, ſuſurrationes contra Doctorem, vel qui locum ſuperioris tenet, nemo ſuſcipiat; quia non oportet filios, Patres reprehendere, nec ſervos Dominos lacerare. Non enim bene vivunt qui ſuperiores detrahunt vel reprehendunt. Magiſtri enim portandi ſunt, non reprehendendi, niſi in recta fide aberraverint. Nullus doctor per ſcripturarum accuſetur, nec cuiquam accuſatori reſpondeat qui ducit vitam reprehenſibilem, quoniam indignum eſt ut doctor indocto, ovi Paſtor reſpondeat. Ipſe. Sicut Laicus non eſt, qui legitimè convictus, in accuſatione recipiendus, ſic nec Sacerdos ſine titulo criminari vel teſtificari poteſt, quoniam maculoſus & infamis eſt, accuſare non permittitur, & non ſolùm hi, ſed & qui conſentiunt, rejiciendi. Huc uſque Calliſtus. Item Nicænum Concilium. Peregrina judicia generali ſanctione prohibemus, quomodo dignum eſt ut ab extraneis judicetur, qui Provinciales & à ſe electos debet habere judices. Audiſti ô

* Hoc non extat in Epiſt. Calixti.

Defenſor quid Pontificum authoritas ſuper hujuſcemodi accuſationibus cenſeat. Sunt & alia quamplura ad eumdem ſenſum pertinentia, quæ replicare faſtidium duxi. *Def.* Nullius Pontificis ſententiam veraciter opponere potes, ut ſcripturarum veritas interrogantibus non ſit narranda, & exponenda. Illa nimirum capitula illis obviare probantur, qui quoslibet Eccleſiæ præſules accuſare non erubeſcunt, aſſerentes eorum crimina facta vel confiſta, ſcilicet quod aut homicidæ aut raptores, aut adulteri ſint, aut aliquid hujuſmodi; non quod in decretalibus apicibus habeatur, ut veritas quæ in ſacris voluminibus continetur, non ſit interrogantibus proferenda; & ſi neceſſe, fuerit brevitatis cauſa in literis aſſumenda. Quod autem ſcriptum eſt, ut nullus adverſus aliquem præſulem ſcripturas faciat, nulluſque doctor per ſcripta accuſetur, miror te ita ſentire velle, ut interrogantibus nos, non audeamus ea quæ reſpondenda ſunt ex divinis libris in ſcedulis breviter aſſumere, eiſque ſatisfacere. Aliud namque eſt doloſas litteras adverſus aliquem componere, ut eum aliquatenus lædere poſſit, & aliud eſt teſtimonia de ſcripturis in unum conferre, quatenus veritatem quærentibus, ignorantia quæ mater errorum eſt, nocere minimè poſſit. Illud namque ad fraudis deceptionem pertinet, hoc autem ad veritatis cognitionem. Me autem quo pacto adverſus Patrum ſanctiones repugnare aſſeris, qui non aliquod crimen vel vitium, cuiquam præſuli inferre præſumo, ſed veritatem quam in ſacris voluminibus didici, percunctantibus ſilentio tegere nefas æſtimo; præſertim cum Pſalmographus dicat ad Deum, veritatem tuam non abſcondi in corde meo. Jeſus quoque filius Sirach dicit, In juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia. Sanctus namque Iſidorus dicit, Teſtis falſus & is qui vera reticet, idem ſunt; attamen pejor eſt teſtis falſus qui lædit, quàm qui veritatem teſtificari nolit. Nam ille malignus eſt, iſte inutilis. Ego itaque, ut dicere cœpi, neminem accuſare vel ad judicium trahere nitor; ſed veritatem quàm in ſcripturis legere potui, interrogantibus præſentibus per vivam vocem, abſentibus verò per ſtylum replicare curabo; ne talentum, quod meæ parvitati creditum eſt, deſoſſum ſit, & ab eo qui talenta confert, diſtrictius puniar. Alioquin in caſſum ſancti Doctores tot libros efficere ſtuduerunt, ſi recitandi non ſunt, & eorum veritas aſſerenda non eſt, maximè interrogantibus. Quis hoc vel fatuus dogmatizare audeat? Præterea quod ex eiſdem capitulis objicere voluiſti, ut Eccleſiæ Paſtor non ſit arguendus à fidelibus, niſi in fide erraverit, quis non videat, quod iſto te tuo gladio interſicias? Ego quidem neminem arguere quæro, ſed ſi me quis iterum baptizare voluerit, errat in fide, ait non? Manifeſtum eſt quia errat, ac per hoc ſine dubio in Spiritu ſancto errat per quem omnia Eccleſiæ Sacramenta ſanctificantur, & credentes baptiſmate purificantur, Sacriſque Ordinibus per quos ipſa fides percipitur, inſtituuntur: Et revera quicumque in eum blaſphemaverit, niſi pœnitendo ſe correxerit, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro. Qua de re, ut Sancto placet Auguſtino, blaſphemia in Spiritu Sancto eſt, quæ non remittetur neque in hoc ſæculo neque in futuro, cor impœnitens, illius videlicet qui abſque pœnitentia in ſuis moritur peccatis. Ergo qui in Sacris Ordinibus, ut ſupra declaratum eſt, erraverit, niſi ab ejuſmodi errore pœnitendo receſſerit, abſque dubio non remittitur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro. Ecce de Sacerdotali conſecratione percontantibus veritatem, quæ in ſacris eloquiis paſſim habetur, pro viribus aggregare curavi; quamquam peregrinus & advena, ut ipſe fruſtra confingere non erubeſcis. De cætero autem jam quid aliud reſtat, niſi ut dominatorem omnium invocantes, dicamus cum Propheta, Exurge Domine, judica cauſam tuam?

CAPUT XXXII.

Quod juramentum etiam per vim datum, ſi ad peccandum non pertinet, irreſragabiliter ſit obſervandum.

Inf. Calcata reverentia, velut obtrectator, me perjurium incurrere aſſeris, in eo quod jurejurando ſpopondi, & ſecundum meum poſſe ordinationem quam Formoſus fecit, ſubvertam. Fateor equidem quia violenter depreſſus juraveram, & ſecundum meum ſcire & poſſe præfatæ ordinationis defenſor exiſterem. Sed quoniam in Apoſtolicis Pontificibus una eſt authoritas, Sicuti Papa Marinus eumdem Formoſum de juramento quod invitus dederat, ſolvere potuit, ita & me Apoſtolicus Pater, ab illius Sacramenti nexu, diſſolvit, & juramenti ſponſione ligavit, ut eamdem ordinationem ſecundum meas vires ad nihilum redigam. *Def.* Scripturarum teſtimoniis, & Patrum documentis ſuperius diffinitum eſt, ut ad malè faciendum nemo Sacramento conſtringi debeat; & ſi aliquatenus factum fuerit, non ſit obſervandum, ſed magis pœnitentiæ ſummittendum. Formoſus enim non juravit ut cuiquam læſionem inferret, ſed * nequam anguſtatus jurando promiſit, ut Romuleam Urbem nunquam ingrederetur, ad reconciliationem ſui honoris nunquam accederet, ſuumque Epiſcopatum nunquam reciperet. Hoccine Sacramentum apud Chriſtianos cuilibet imponi fas eſt? Nonne contra ſacram Religionem contrarium eſſe convincitur? Contra ſacram Religionem in quod invitus juravit ut Romuleam Urbem nunquam introiret, hoc eſt, nunquam Apoſtolorum corpora Petri & Pauli adoraret. Contrarium verò in eo quod adjunxit, ut ad reconciliationem ſui honoris nunquam accederet, ſuumque Epiſcopatum nunquam reciperet. Rata ergo compaſſione Formoſum a tali juramento ſolvere decreverunt, juxta id quod Dominus ait, Miſericordiam volo magis quàm ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſtum. Tu autem aperi oculos cordis tui, & vide qualiter in eiſdem tuis Sacramentis dupliciter prævaricator exiſtas. Juraſti enim licet invitus, ut ipſe fateris, ut ordinationem illam ſecundum tuum ſcire & poſſe adverſus æmulos defen-

defendas; quod utique non ad cujuſquam calamitatem, ſed ad utilitatem pertinet Poſtmodum jam non invitus, ſed quibuſdam placere deſiderans, juraſti ut eamdem ordinationem ſecundum tuum poſſe ſubvertas, quod proculdubio ad malum faciendum attinet. Denique in Apoſtolicis Pontificibus unam eſſe authoritatem quis ambigat? ſed utique ad ligandum, quo meritò ligari debet, & ad ſolvendum quo merito ſolvi oportet. Alioquin fruſtra B. Gregorius dicit, judicare de ſubditis nequeunt, qui in ſubditis ſuis ſua vel odia vel gratiam requirunt. Unde rectè per Prophetam dicitur, mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum ſupplicio abſolvere conatur. Et Hieronymus tractans illud Euangelicum, Quæcumque ligaveritis ſuper terram, ait, iſtum locum non intelligentes Epiſcopi & Presbyteri, aliquid ſibi aſſumunt de Phariſæorum ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Patenter ergo intelligi datur, quod nemo te à vinculo illius juramenti, quod ad bene faciendum præbueras, ſolvere potuerit. Juramentum autem quod ad malè faciendum dediſti, proculdubio non eſt obſervandum, ſed magis pœnitentiæ ſubmittendum. Interrogatio ſuper his qui primò per vim, poſtea voluntariè in eodem ordine conſecrati ſunt: Vellem ſcire quid de illis congrua deliberatione cenſendum ſit, qui primo, ut ajunt, per vim, poſtea in eodem ordine conſecrati ſunt voluntariè! Eſto, primitus violentam manus impoſitionem acceperint, ac per hoc hujuſmodi voluerunt fungi Sacerdotio; poſtmodum æquanimiter miniſtrare Sacerdotium præbuerunt aſſenſum: nunquidnam in eo ordine, in quo dudum per vim conſecrati fuerant, iterum conſecrari debuerunt? Nonne juxta Sanctorum Patrum definitionem, ſic nimirum cavenda eſt ſecunda manus impoſitio, quemadmodum ſecundus cavendus eſt Baptiſmus? Sed ajunt, prima illiuſmodi conſecratio, quamvis à Catholico Pontifice, tamen violenta fuit, & propterea pro nihilo ducenda eſt. Dic quæſo, ſi quiſpiam fortaſſis per vim baptizatus fuerit nolens credere in Chriſtum, poſtmodum vero ſe in eum credere voluntate profitetur, ergone denuò baptizandus erit? Non ita ſapiebat B. Alexander Patriarcha quando Sanctus Athanaſius adhuc puerulus, ſed nunquam baptizatus, ad oram maris quaſi Sacerdos, quanquam ludendo, verè puerulum baptizavit. Quid plura? vellem, ut præfatus ſum, de hujuſmodi ſententia ad certam pertingere veritatem. Propoſitam ergo quæſtionem qui movit, obnixè nobis petentibus diguanter aperiat, quoniam inter illos accipiet coronam de quibus Danieli per Angelum dicitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut firmamentum; & quia juſtitia erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Reſponſio. Hujus quæſtionis ſenſus manifeſta ratio diſſolvit. Dicit, ſi quiſpiam nolens credere in Chriſtum per vim baptizatus fuerit, & poſtmodum in Chriſtum credere adquieſcet, nunquid iterum baptizandus erit? Minimè. Exemplum de parvulis ſume, qui alienis manibus deferuntur & baptizantur: Quantum in eis eſt toto anniſu reluctantur, ne in baptiſmatis fontem mergantur: ſed cum ad rationalem ſcientiam pertigerint, etiam ſi recordari nequeunt quando baptizati ſunt, narrantibus tamen indubitanter credunt, & Chriſtianam Religionem atque baptiſmi rationem colere incipiunt. Hinc eſt quod B. Papa Leo dicit, Si nulla extent indicia inter propinquos & familiares, nulla inter Clericos atque vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur, ne manifeſtè pereant, quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. De his qui ex Africa & Mauritania veniunt, & neſciunt in qua ſecta ſunt baptizati, non ſe baptizatos neſciunt, ſed cujus fidei fuerunt, qui eos baptizaverunt, ſe neſcire profitentur. Unde quoniam quomodolibet formam baptiſmatis acceperint, baptizandi non ſunt; ſed manus impoſitione virtutem Spiritus Sancti *quam ab hæreticis accipere non potuerunt.

PRÆFATIO
IN RITUM ORDINATIONIS MARONITICUM,
IN QUA NOMINIS ISTIUS ORIGO,

& occaſio demonſtratur: Hæreſis genti propriæ abjuratio, ejus doctrina, mores Eccleſiaſtici, & perfecta cum Eccleſia Romana à multis ſeculis reconciliatio, & Collegii Romæ in eorum gratiam fundatio enarrantur.

MAronitæ quarum ſacras ordinationes Syrè & Latinè edimus, gens eſt Syra Montem Libanum, & vicinas planities incolens, quæ licet paucula ſit, & Saracenis Turciſque in quorum medio habitat, comparata, guttulæ in mare conjectæ rationem habeat, nomen tamen & religionem Chriſtianam conſervavit, libertatemque, intercedente mediocri tributo, ſibi hactenus vindicavit. Quare Maronitas ſeſe vocent difficile dictu eſt: Nullus enim populus hac appellatione antiquitus inſignis fuit. Mardaitarum in Monte Libano habitantium mentionem faciunt Cedrenus, Zonaras, & Paulus Diaconus in Juſtiniano ſecundo Conſtantini pogonati filio. Sed quid Mardaitarum nomen cum Maronitis commune habet? Deinde populi illi quicumque fuerint, erant Monti Libano Advenæ, non Autochthones, qui ſedem illic fixerant, aut Imperante Pogonato, aut paulò ante ipſius imperium, quos Juſtinianus ipſius filius precibus & pecunia principis Arabum perſuaſus inde amovit, aliaſque terras incolere juſſit. Licet enim pauci eſſent, & ultra duodecim militum millia ſub ſignis non haberent, finitimos tamen Arabes continuis incurſionibus infeſtabant. Hæc Zonaras. Advenas fuiſſe non Libani Indigenas ex Pauli verbis apertè colligitur. Unde in Libanum venerint, quo inde pulſi receſſerint, cum priores Hiſtorici illas circumſtantias non fuerint perſecuti, nec nos ſcire poſſumus. Mardos in citeriore Armenia verſus mare Caſpium commemorat Ptolomæus. Sed quid his populis cum Monte Libano? Certum videtur à religione hoc nomen illis inditum fuiſſe: Scilicet, aut à loco in quo potiſſimum fervebat eorum ſecta Maronitas dictos eſſe, qui Maronia vocabatur. In Syria autem non longè à Monte Libano vicus erat *Maronia* dictus, de quo S. Hieronymus in vita Malchi Monachi: *Maronia triginta fermè millibus ab Antiochia urbe Syriæ, haud grandis ad Orientem dictat viculus.* Poſtmodùm eſt in Epiſcopatum erectus. Initio enim collationis Catholicorum cum Severianis refertur Epiſtola Innocentii Epiſcopi Maroniæ civitatis ad Thematem Presbyterum. Aut à quodam Marone qui opinionem quam amplexi ſunt, vel primus docuit, vel ab aliis traditam ſtrenuè defendit & propagavit. Theodoretus in Philotheo c. 16. Maronem Presbyterum & Monachum pietate & miraculis celeberrimum fuiſſe ſcribit, illiuſque ſanctam vitam breviter eodem capite enarrat, deque eo alus locis, ut c. 21. c. 24. c. 30. honorificè meminit. S. Chryſoſtomus cum eſſet in exilio ad eundem Maronem ſcribit Epiſtolam 36. illiuſque precibus ſeſe commendat. Maro iſte Monaſterium condidit, quod in Syria diu floruit, & Neſtorianis, Eutychianiſque Hæreticis fortiter reſtitit. Id videre eſt in Epiſtola quam Hormiſdæ Pontifici reſcribunt, in qua primus ſubſcribit eorum Abbas, *Ego Alexander miſericordia Dei Presbyter & Archimandrita S. Maronis deprecatus ſum.* Id quoque

que paſſim conſpicitur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Mena, quod an. 536. celebratum eſt. In eo enim ſæpius Monachorum iſtius Monaſterii fit mentio. Actione prima & ſecunda ſubſignant, Paulus Monachus Monaſterii Maronis: Actione 5. alius Joannes dictus; & poſtea primus ſubſcribit, *Alexander Presbyter, & Archimandrita Monaſterii beati Maronis.* Sed hæc Monachos ſpectant, nihil ad populum. Deinde cum Maro & ipſius Monachi viri Catholici fuerint & ſancti, ab iis nullus populus nomen accepit. Id enim ſolùm contingit iis qui nova aliqua dogmata in turbas diſſeminant. Quapropter mihi non eſt probabile à Marone iſto, aut ipſius Monachis qui Catholici erant, Maronitas eſſe vocatos.

Hanc difficultatem explicat, & litem omnem quæ ex ea enaſci poteſt, dirimit Guilelmus Tyri civitatis Maronitis finitimæ Archiepiſcopus; qui cum plurimis annis in eadem Maronitarum Provincia magna cum autoritate præfuerit, deque re quæ ipſius tempore, ipſoque vidente contigit, teſtimonium perhibeat, fides ipſi denegari non poteſt. Sic ille paucis non modo quod quæſitum eſt, ſed etiam multa alia ſcitu digna quæ hanc nationem ſpectant, nos docet l. 22. c. 8. Hiſtoriæ ſuæ tranſmarinæ. *Interea*, inquit, *dum Regnum pace, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syriorum in Phœnice Provincia circa juga Libani, juxta urbem Biblienſium habitans, plurimam circa ſui ſtatum paſſa eſt mutationem. Nam cum per annos penè quingentos cujusdam Maronis Hæreſiarchæ errorem fuiſſent ſecuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Eccleſia fidelium ſequeſtrati, ſeorſum Sacramenta conficerent, ſua divina inſpiratione ad cor redeuntes, languore depoſito, ad Patriarcham Antiochenum Aimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præeſt Eccleſiæ, acceſſerunt, & abjurato errore, quo diu periculoſè nimis detenti fuerant, ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ reverſi ſunt, fidem orthodoxam ſuſcipientes, parati Romanæ Eccleſiæ traditiones cum omni veneratione amplecti, & obſervare. Erat autem hujus populi turba non modica, ſed quaſi quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Biblienſem, Botrienſem, & Tripolitanum Epiſcopatus juga Libani, & Montis devexa, ut prædiximus, habitabant: erantque viri fortes, & in armis ſtrenui, noſtris, in majoribus negotiis quæ cum hoſtibus habebant, frequentiſſimè valde utiles. Unde & de eorum converſione ad fidei ſinceritatem maxima noſtris acceſſit lætitia. Maronis autem error & ſequacium ejus, eſt & fuit, ſicut ex ſexta Synodo legitur, quæ contra eos collecta eſſe dinoſcitur, & in qua damnationis ſententiam pertulerunt, Quod in Domino noſtro Jeſu Chriſto una tantùm ſit & fuerit ab initio & voluntas & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum Eccleſia reprobato, multa alia pernicioſa nimis, poſtquam à cœtu fidelium ſegregati ſunt, adjecerunt. Super quibus omnibus ducti pœnitudine ad Eccleſiam redierunt Catholicam, una cum Patriarcha ſuo, & Epiſcopis nonnnullis, qui eos ſicut prius in impietate præceſſerant, ita ad veritatem redeuntibus pium ducatum præſtiterunt.* Maronitæ igitur dicti ſunt à Marone Hæreſiarcha Monothelita, cujus errores, annis quingentis amplexi ſunt, donec Guilelmo Tyri Archiepiſcopatum adminiſtrante hæreſim abjurarunt, & fidem Catholicam amplexi ſunt, cujus poſtea profeſſionem in Concilio Lateranenſi quarto generali ediderunt.

Eandem Maronitarum originem & hæreſim, atque ab hæreſi reſipiſcentiam refert Jacobus de Vitriaco Acconis in Syria Epiſcopus, teſtis ſimiliter oculatus. nonnullaque addit c. 77. lib. 1. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ, quorum lectorem participem faciam. *Unde cum omnes alii Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, annulis, & mitris Pontificalibus non utantur, nec baculos Paſtorales geſtent in manibus, nec uſum habeant Campanarum, ſed percuſſis baculo vel malleo tabulis populum ad Eccleſiam ſoliti ſint congregare, hi prædicti Maronitæ, in ſignum obedientiæ, conſuetudines & ritus obſervant Latinorum. Unde & eorum Patriarcha interfuit generali Concilio Lateranenſi ſub venerabili Papa Innocentio III. in urbe Romana ſolemniter celebrato. Utuntur autem Chaldæa Litera, & vulgari idiomate ſaraceno.* Eadem quæ uterque enarrat Marinus Sanutus Torcellus cap. 2. partis 8. lib. 3. rerum Orientalium, qui Sanutus quinquies eaſdem Orientis regiones diligenter luſtraverat, libroſque de rebus quas in iis animadverterat, aut pro recuperatione terræ ſanctæ faciendas conjiciebat, compoſuit, & ſummo Pontifici anno 1321. ſolemniter obtulit. Eadem prorſus de Maronitis antiqua Epitome geſtorum in bello ſacro refert. Extat apud Caniſium tom. 6. antiquæ lectionis, & ex ea quæ ſpectant ad Maronitas Annalibus ſuis inſeruit Abraham Bzovius ad an. 1330. n. 55. Raymundus de Agiles Canonicus Podienſis in hiſtoria captæ à Francis Hieruſalem graphicè deſcribit tyrannidem quam in Maronitas exercebant Saraceni, ſed de eorum ad Catholicam reditu nihil, eo quod ipſo

ſcri-

ſcribente nondum contigiſſet. Aitonus Armenus, Præmonſtratenſis Monachus, Regii ſanguinis Armeniaci princeps c. 14. libri quem de Tartaris conſcripſit, Maronitas plurimùm laudat, Jacobitiçæ tamen hæreſis eos accuſat. Sed ille, ut pote princeps, & militiæ magna vitæ parte deditus, non ita ſcrupuloſè philoſophatus eſt. *Maronini*, inquit, *tenent ritum Jacobitarum & linguam, & literas Arabicas habent. Circa Montem Libani, & in partibus Hieroſolymitanis habitant iſtæ gentes, & ſunt ſagittarii boni: de culturis vivunt. Syriani ſunt multi, Maronini vero in modica quantitate.*

Maronitæ equidem Neoterici à priore Marone, ſeu ipſius Monaſterio nominis ſui originem derivant, voluntque Joannem qui vivebat cum ſextum Concilium celebratum eſt, Maronem ab illo celebri, & antiquo Monaſterio dictum eſſe, ſed meo judicio iſta parum probabiliter, ut ratio, teſtimoniaque jam allata demonſtrant. Negant præterea Maronem illum, quem Joannem vocant, Hæreticum fuiſſe Monothelitam, imò virum Catholicum affirmant, idque ex ipſius ſcriptis Syriacis adverſus Neſtorianos, Eutychianos, Monophyſitas, Acephalos, & Severianos demonſtrare ſatagunt. Sed nihil inde conſequitur, cum certum ſit Hæreſes poſteriùs natas cum anterioribus acriter depugnare, & contra eas cum Catholicis fortiter ſtare. Neſtoriani Arianos averſantur, Neſtorianos Eutychiani, Acephali, Severiani, &c. hos omnes Monothelitæ. Sed dum priores hæreſes extinguere conantur, ſuam ſtabiliunt. Quapropter ejus ſcripta quæ Maronitæ dicunt adverſus Neſtorianos, Eutychianos, Severianos & Acephalos eſſe multa, cum fuerit Monothelita, non demonſtrant eum eſſe Catholicum. Deinde in ſcripta illa inquirendum eſſet, genuinane ſint, an ſuppoſita, & ſuppoſitionis condemnanda quæcunque ſunt Arabica, niſi forſan conſtaret eſſe tranſlata: Nondum enim ita invaluerat dialectus Arabica, ut Syris eſſet Vernacula. Quapropter ea quæ leguntur in officio Maronitico Diaconi ad Miſſam ubi Doctorum Eccleſiæ fit memoria, p. 76.

ܘܒܚܝܪ̈ܐ ܕܡܪܝ ܡܪܘܢ ܐܒܘܗܘܢ ܩܕܝܫ ܘܡܬܝܪ̈ܐ ܒܗ ܘܒܟܠ ܡܢ ܕܩܒܠ ܡܢܗ ܡܗܝܡܢܘܬܐ ܩܬܘܠܝܬܐ ܕܫܠܝܡܐ ܘܕܫܪܝܐ ܘܕܡܫܬܘܕܥ ܒܗ ܒܫܘܡܗ ܕܡܪܝ ܡܪܘܢ *Et electi Domini Maronis, qui pater eſt beatus & ſanctus, quique adhæſit Eccleſiæ ſanctæ, Catholicæ Romanæ*, de priore Marone intelligenda ſunt.

A Guillelmi Tyrii Archiepiſcopi tempore in hunc uſque diem Maronitæ fideliter permanſerunt in fide Catholica, & Eccleſiæ Romanæ obedientia, ut teſtatur Gregorius XIII. Pontifex initio Bullæ qua Romæ Collegium ipſis fundat, & reditibus munificè dotat. *Maronitæ*, inquit Pontifex, *qui in Libani montibus degentes à multis ſeculis ſub S. R. E. obedientia & devotione fidem Catholicam inter tot circumſtantes Infidelium & Schiſmaticorum ſectas retinent, ac certis annorum ſpatiis ad Apoſtolorum limina viſitanda, ſedemque Apoſtolicam amplectendam & recognoſcendam, aliquos deſtinare ſoliti ſunt, de peculiari loco ad uſum hoſpitalitatis erga ejuſdem nationis Indigenas ad urbem confluentes exercenda noſtra opera proviſum eſſet, ipſiuſque Nationis erga ſedem Apoſtolicam continuum ſuſciperet incrementum, &c.* Eandem obedientiam teſtantur eorum officia publica in quibus pro Pontifice Romano & Eccleſia Romana preces quotidianas fundunt, ut in libro miniſterii Diaconici p. 66. 67.

ܘܥܠ ܟܠ ܡܢ ܕܩܒܠ ܡܢ ܟܪܝܣܛܘܣ ܡܗܝܡܢܘܬܐ ܩܬܘܠܝܬܐ ܕܫܠܝܡܐ ܘܕܫܪܝܐ ܘܕܡܫܬܘܕܥ ܒܗ ܒܫܘܡܗ ܕܡܪܝ ܡܪܘܢ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܥܝ̈ܐ ܘܪܒ̈ܢܐ ܕܥܕ̈ܬܐ ܩܕܝܫ̈ܬܐ ܕܐܠܗܐ ܘܥܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܪܘܡܝ ܘܥܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܦܛܪܘܣ ܩܬܘܠܝܩܐ ܕܐܢܛܝܟ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܐܢܛܝܟ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܐܘܪܫܠܡ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܐܘܪܫܠܡ ܘܥܠ ܟܠ ܡܪܢ ܐܒ̈ܐ ܪܒ̈ܐ ܕܥܠܡܐ ܡܪ ܐܒ ܐܒ̈ܗ ܘܪܒ̈ܢ ܟܠ ܡܫܝܚܝ̈ܐ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܐܘܪܫܠܡ

Et pro Paſtoribus & Rectoribus venerandis Eccleſiarum ſanctarum Dei; & pro Beato Domino N. Papa Romano, & Domino Petro Patriarcha noſtro: Et pro Domino N. Metropolita, & reliquis venerandis Metropolitis & Epiſcopis Orthodoxis, &c.

Ideo Gregorius XIII. in urbe fundavit iſtius Nationis Collegium, in quo Adoleſcentes plures Maronitæ literis Latinis, & Theologicis inſtituuntur, ut iis imbuti in patriam revertentes religionem Catholicam quam eorum Majores coluerunt, excolant, & amplificent. Fundationis Bulla inter Gregorii XIII. Bullas habetur 91. in qua præ-

præter cætera, ipſis conceditur Miſſas & cætera officia Eccleſiaſtica idiomate Chaldaico vel Arabico celebrare. Hoc autem faciunt Romæ, non modo in Collegio proprio, non ſecus ac Græci; ſed etiam, ut accepi, nonnunquam extra Collegium, quod aliis Orientalibus non facilè permittitur. Collegium iſtud penſionibus auxit anno 1585. & 1586. Sixtus V. Pontifex. Paulus verò V. an. 1612. eorum Patriarchæ, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ipſis enixè id petentibus per ſolemnem Epiſtolam impertiit benedictionem Apoſtolicam, poteſtatemque dedit Patriarchæ vel per ſe vel per delegatum Epiſcopum una vice tantùm Indulgentias peccatorum plenarias populo ſuo concedendi: Epiſtolamque ſic finit, *Precamurque Dominum, ut aperiens manum ſuam, impleat vos, & bona veſtra, & univerſam Maronitarum Catholicam nationem benedictione ſua.* Edita eſt Epiſtola inter Pauli V. Bullas, 77.

Conſuetudines Græcorum, ut plerumque ſequuntur. Diaconi & Sacerdotes eorum conjugati ſunt, ſed matrimonio ante ordinationem ſuſcepto: Qui tamen conjugati non ſunt, maximè honorantur. Confirmationis Sacramentum ſtatim à baptiſmo, & continua actione, Infantibus conferunt. Semel tantum ſingulis diebus Miſſam in Eccleſia celebrant, nec ſine urgenti neceſſitate, & Epiſcopi licentia, bis in die ſuper uno & eodem altari ſacrificant. Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in Azymis conficiunt, ut Latini, licet cæteri Orientales, ut Neſtoriani, & Jacobitæ fermentato pane utantur, ajuntque conſuetudinem illam eſſe in eorum Eccleſiis antiquiſſimam, licet fateantur panis conſecrandi figuram quam nunc uſurpant, à paucis annis ad Latinorum formam eſſe mutatam. Antiquos Maronitas azymis uſos fuiſſe demonſtrat Abraham Ekellenſis teſtimonio cujuſdam Davidis Archiepiſc. Maronitæ, qui anno Chriſti 1053. ſcribebat, in adnotationibus ad catalogum Librorum Chaldaicorum Hebed Jeſu p. 134.

Iſtius nationis Catholicæ ſacras ordinationes edimus. Codex ex quo eas deſcripſimus antiquus erat, & egregiè ſcriptus. Nobis cum anno 1639. Romæ eſſemus eum dederat Abraham Ekellenſis Maronita, linguæ Syriacæ & Arabicæ eruditiſſimus Profeſſor, cujus tum congreſſu & colloquio familiariter utebamur. Dum Romæ commorarer Latinè interpretatus ſum: Poſtea Pariſios revertens codicem mecum aſportavi, cum tempore commodo publici juris facturus. Abraham ipſe poſtmodum in Galliam vocatus eſt, deinde aliquot poſt annis quidam Epiſcopus Maronita Pariſios venit, qui inter alia quæ ſibi agenda proponebat, codicem meum Syrè in gratiam nationis ſuæ edere ſatagebat. Sed urbe obſeſſa, omnibuſque tumultuantibus à propoſito deſtitit, & in Italiam unde huc venerat, reverſus eſt. Tumultibus deinde civilibus recrudeſcentibus Abraham ipſe Romam ab eminentiſſimo Cardinale Palloto, ut Congregationi de Propaganda Fide maximè utilis, revocatus eſt. Abiens autem codicem ſarcinis ſuis imprudenter permixtum Romam retulit. Ibi recognitum fideliter mihi deſcribi curavit, & deſcriptum ad me remiſit. Hunc acceptum cum Interpretatione mea quam annis quatuordecim elapſis elaboraveram, diligenter contuli. Coronide ſic interpretationi meæ impoſita, & eam & codicem tui juris facio.

IN VIRTUTE Sanctæ, & laudabilis, & æqualis in ſubſtantia Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, incipimus ſcribere ritum [1] perfectionis & conſummationis [2] Chirotoniæ, ſeu Ordinationis uniuſcujuſque gradus.

Ritus Ordinationis Pſaltæ.

PAratum ſit altare, & inſtructum omnibus ad ſancta myſteria peragenda neceſſariis. Ille autem quem gratia vocat, exterius & interius lavet corpus & animam, jungat manus, & caput aperiat. In hoc habitu [4] ſtet ad portam altaris, & adoret, dicatque, benedic Domine, *Tum Epiſcopus ſignat eum inter oculos, incipitque & dicit*, [3] Laus Deo. [6] *Verſus*, Miſerere. [7] *Reſponſum*, Amplius lava me. Pater ſancte, & ſanctitatis donator Deus, ſanctifica ſecundum gratiam tuam ſervum tuum qui expectat donum tuum ut per illud ſanctificetur. *Tum autem.* Spiritus qui Apoſtolos linguis igneis docuit, Deus ſanctifica dono tuo ſervum tuum expectantem ſpiritum tuum, ut in eo ſanctificetur. *Cormundum.* Stola tua ornetur collum hoc coram te inclinatum Deus, & ſuſpiciens in donum tuum, ut per illud ornamentis Spiritus ſancti decoretur. *Libera me.* Admirantur Angeli cum cœlos findit Spiritus Deus, & deſcendit, ut per manus Epiſcoporum donum tradat iis qui illud ab eo poſtulant. *Benignè fac.* Emundationem pecca-



catorum per illapſum Spiritus Dei pro miſeratione tua perage in ſervo tuo, qui à te expectat conſecrationem, ut per eam purificetur. *Laus Deo.* Sancte, cujus majeſtas inſedit & opplevit montem Sinaï, & illum inhabitatione ſua ſanctificavit, habitare fac majeſtatem tuam ſuper ſervum tuum & ſanctificabitur. *Laudate.* Spiritus Sanctus qui illapſus eſt ſuper Apoſtolos in medio cœnaculi, ipſe veniat, inhabitet, & requieſcat ſuper ſervum tuum, & ſanctificetur. Laus Patri ſancto, qui miſit Filium ſanctum, & Sanctos per Spiritum ſuum ſanctum ſanctitate donavit. *Archidiaconus thus offerens, dicit,* ¹ Benedic Domine ² Stemus convenienter in oratione & prece coram Deo Deorum, & coram Domino Dominorum, & coram altari propitiationis, & coram myſteriis ſanctis quæ poſita ſunt ſuper eo, & coram Chirotonia hac ſervi tui N. & coram patre noſtro electo & Epiſcopo Domino N. ut etiam manibus ejus conſecretur. *Aromata imponuntur. Pro miſericordia impetranda Deus oratur. Epiſcopus dicit, Proœmium: Deinde dicunt, Ego, ego ſum lux. Epiſcopus precatur. Deinde Archidiaconus alta voce dicit,* ¹⁰ *hoc ſancti Ephrem, Ego, ego. Poſtea dicit,* Dominus qui in monte Sinaï locutus eſt Moſi de medio rubi, & dixit illi, Veni, ingredere in medium Ægypti, & educ filios Iſraël. Ipſe eſt murus ſecuritatis, & conſervationis Eccleſiæ ſanctæ, ut cantet laudem & confeſſionem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Trinitatis myſterio. Videte Sacerdotes cui miniſtratis: Vos eſtis ordines excelſi Sacerdotii quod ligat & ſoluit, ſicut conceſſit ei Redemptor omniũ creaturarũ. Claves altitudinis

dinis & profunditatis ecce poſitæ ſunt in manibus veſtris. Beati vos cum feceritis voluntatem Domini, Domini veſtri, ut cum eo intretis in paradiſum. *Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione, & offeramus Patri gloriam, & Filio qui ex eo eſt confeſſionem, & Spiritui ſancto laudem. Pro hoc ſervo tuo N. ut ſit Pſaltes in medio Eccleſiæ tuæ. Det illi Dominus noſter Jeſus gradum excelſum Sacerdotii, ut adnumeret eum Dominus, & adſcribat libris tuis, ſitque in Eccleſia tua ſancta magiſter domus, & myſteriorum purorum, & ſanctorum Miniſter: Miſericordiæ tuæ ſint protectio illius, Chriſte Deus noſter. Da ei gradum in Eccleſia tua, ut myſteriis tuis miniſtret. Parce nobis amator hominum, & propitius eſto nobis; gratiam & benignitatem in ſyncritate & ſanctitate nobiſcum perfice. Donum tuum cœleſte illabatur, & inhabitet in nobis, & in opere manuum noſtrarum. Pro ſervo quoque tuo hoc N. ut ſit Pſaltes in medio Eccleſiæ tuæ, precemur & ſupplicemus. *Epiſcopus precatur. Tum pſallunt. Quàm bonum, & quàm pulchrum, & quod ſequitur. Tunc Paſtor ſcindit è pilo ejus, & precatur. Diaconus hoc Domini Ephrem exclamat.* Stemus omnes in oratione, & ſupplicemus Domino cum ſingultu, & vocibus quæ eum nobis placatum reddant: Unanimi conſenſu ad Dominum clamemus. [11] Petamus à Patre abſcondito, & Filio laudando & ſancto, atque à Spiritu S. Paraclito, [12] arma quibus induti ſunt qui veritatem profitentur. Domine [13] pro ſecuritate gregis tui, & pace univerſæ Eccleſiæ tuæ, & redemptione omnium Filiorum ejus: Dona eis Domine remiſſionem.

Pro



Pro nobis Domine, & pro animabus omnium noſtrum clamamus ad te ut parcas nobis ſecundum gratiam tuam, & perſeverantiam noſtram coram te confirmes & perficias. Pro auxilio, redemptione, & incolumitate ſervi tui iſtius qui accepturus eſt per impoſitionem manus inhabitationem Spiritus ſancti. Domine pro ſervo tuo quem vocaſti, & qui ab Eccleſia electus eſt, rogamus te omnium Domine, perfice in eo gratiam tuam. Pro eo quem elegit juſtitia tua, & vocavit Domine gratia tua, ut ſit in Eccleſia Magiſter domus in hoc Miniſtrorum ordine. Per Sacerdotium expietur, & per impoſitionem manuum conſecretur; & per miſericordias è bonitate tua procedentes ad ordinem decorum & præſtantem evehatur. Nos omnes Domine oremus, & pro nobis omnibus & pro ſervo tuo N. qui in timore adſtat, & expectat miſericordias abundantes gratiæ tuæ, Oremus, & precemur, & dicamus, Parce Deus populo tuo; & pro eo tribus vicibus clamemus omnes, Da ei Domine. *Poſthæc eum admovent altari, & Epiſcopus precatur. Ordinato conceditur ut portet librum Pſalmorum: Deinde oſculatur menſam & Epiſcopum, & circumducitur per Eccleſiam dum dicitur* ✠ *hæc Peshita.* Super volam manuum filii ædificata eſt Eccleſia, & ſuper fundamenta duodecim Apoſtolorum laudandorum poſita: Dominus autem noſter dedit ei virtutem & poteſtatem omnia idola erroris conterendi & conculcandi. Arma veritatis conflavit ei, crucem ſcilicet vivam, & impreſſionem chriſmatis, cujus ſignaculo & impreſſione Sacerdotes obſignantur. *Alleluja.* Epiſcopus precatur: datur Ordinato pax, & myſteriorum Sanctorum com-

munio. Finis obſignationis cum auxilio Domini noſtri. *Laus Deo in æternum.*

[15] *Item ritus impoſitionis manuum ſuper Lectore quem Dei gratia vocat.*

INtrat per medium portæ altaris, habens caput apertum, eoque inclinato dicit, Benedic Domine. Epiſc. ſignat eum ſigno crucis inter oculos, incipitque & dicunt, Laus Deo. [16] *Et conſuetum, Miſerere. Propitius eſto mihi. Cum autem ordinatio agitur, thus adolet Diaconus, dicens, benedic Domine.* Stemus pulchrè, & convenienter in oratione & precibus coram Deo Deorum, & coram Domino Dominorum, & coram altari propitiationis, & coram myſteriis ſanctis, quæ ſuper illud poſita ſunt; atque etiam pro hac ſervi tui ordinatione peragenda; & pro Patre noſtro ſancto Epiſcopo, Domino N. cujus manibus conſecratur. *Thura odorifera ponuntur, & adolentur. Epiſcopus dicit ordinem: Et dicunt verſum, ſeu hymnum,* qui incipit, *Ego ego. Epiſcopus verò orationem thurificationis. Ille autem qui ordinatur, hæc legit ex Ezechiele,* Et adduxit me ad portam quæ reſpicit ad Orientem: Et ecce gloria Dei Iſraëlis venit ex via Orientali: Et vox ejus ut vox aquarum multarum, & terra illuminata eſt ex gloria ejus. Similis erat viſioni quam vidi ſuper fluvium Chobar. Et cecidi ſuper faciem meam, & gloria Domini ingreſſa eſt domum in via portæ, quæ reſpicit verſus Orientem. Et accepit me Spiritus, & intrare me fecit in atrium interius; & vidi quod domus Domini erat plena gloria: Et audivi aliquem dicentem mihi de interiori domus, & homo ſtans erat coram me, dixitque mihi; fili hominis locus



locus hic eſt ſedis meæ, & locus plantarum pedum meorum; in quo habito ego inter filios Iſraël. Sacerdotes autem & Levitæ filii Sadok, qui cuſtodiunt excubias Sanctuarii, cum aberraverint à me filii Iſraël, ipſi accedent ad me ad ſerviendum mihi, ipſique intrabunt in Sanctuarium meum, & offerent ad menſam meam, ut ſerviant mihi, & obſervent cuſtodias meas. *Diaconus proclamat, Benedic Domine.* [17] Iterum atque iterum, perpetuò, & omni tempore Domino ſupplicemus: Pro Patre noſtro à Chriſto electo Rectore noſtro, Domino N. Metropolita noſtro, & pro omni Clero ejus, Domino ſupplicemus. Pro tranquillitate ſuperna, & vita, & redemptione animarum noſtrarum, & corporum, Domino ſupplicemus. Pro redemptione, auxilio, & adjutorio ſervi Dei N. Pro eo qui hîc adſtat, & impoſitionem [18] manus divinæ Sacerdotii nunc accipit, ex ordine Pſaltæ ad ordinem Lectoris ſuper altare hoc ſanctum Domini N. urbis benedictæ, & à Chriſto amatæ, quique eſt ſubditus beatitatis tuæ, Pater noſter Deo dilecte: Rogamus & ſupplicamus Domino pro eo. Exclamemus igitur, & dicamus tribus vicibus, [19] Kyrie eliſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. *Epiſcopus precatur. Diaconus dicit. Pro pace Domino ſupplicemus. Epiſcopus*, Dominus vobiſcum: *Populus.* Et cum Spiritu tuo. Pater noſter. *Paſtor autem imponit manum ſuam ſuper myſteria, & precatur, eumque jubet genu ſiniſtrum flectere. Precatur, & iterum erigit eum, & induit* [20] *tunica, & orario ſuo. Diaconus* [21] *dicit hymnum, Exaltans*

altans me. Dominus eſt qui hominibus terrenis Sacerdotium tradidit, & eos velut Angelos Vigiles fecit, ut laudent divinitatem ſuam: ** Sacerdotes inſtar ordinis Angelorum, & Diaconos velut Seraphim, Hypodiaconos & Lectores velut Vigiles miniſterii cauſa miſſos: Eructet lingua mea ſermonem tuum, & præcepta tua in juſtitia. Loquentur labia mea laudes tuas, cum docueris me Præcepta tua. *Tunc traditur ei, ut legat de Iſaia.* Sic dicit Dominus qui fecit te, & formavit te in utero, & opitulatus eſt tibi. Ne timeas ſervus meus Jacob, & Iſraël quem vocavi; quia poſui aquas in loco ſitiente, & rivulos in terra arida: & mittam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, benedictiones meas ſuper filios tuos, & germinabunt de medio terræ, ſicut ſalices ſuper fluenta aquarum. Hoc eſt fœdus meum vobiſcum dicit Dominus. Spiritus meus eſt ſuper te, & verba mea quæ poſui in ore tuo non migrabunt ab ore tuo, & ab ore ſeminis tui, dicit Dominus ex nunc uſque in ſeculum. Ecce ſpiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me Dominus Deus meus, & miſit me etiam, ut prædicarem manſuetis, & mederer contritis corde, & annuntiem captivis libertatem, & dimiſſionem vinctis, & prædicem annum voluntatis Domini, & diem redemptionis Deo noſtro, ad conſolandum omnes lugentes, & dandum lugentibus Sion gloriam; pro cinere oleum dulcedinis, & pro luctu veſtem laudis; & pro ſpiritu doloris vocabuntur filii juſtitiæ, plantatio Domini laudabilis. *Diaconus alta voce dicit.* Stemus omnes



in oratione coram Deo misericorde, & vocibus quæ eum placare possint, ad Dominum simul & unanimiter clamemus. Petamus à Patre abscondito, & à Filio laudando & sancto, atque à Spiritu Sancto Paraclito, arma quibus vestiti sunt veraces. Deus qui elegit justos, & pios, & Monachos, & posuit eos ut serviant ei in similitudinem filiorum lucis, distinxit ordinum gradus, hoc est, superiores & inferiores, & elegit eos ut Sacerdotio fungerentur in Ecclesia sancta & fideli. Excelsior enim ille est Vigilibus; nec eorum ordines illius consilia scrutari possunt: Absconditus est ab Angelis, nec eum intellectu continent congregationes eorum: Lumen & splendor quo circumdatur, obscurat & hebetat [23] Angelorum igneorum oculos; ideo igneis alis personas flammeas tegunt. Parce Deus populo tuo, & miserere gregis tui. Ideo pro eo exclamemus omnes, Laus Trinitati. *Dum verò precatur Episcopus, tunc egrediuntur in agios, & gyrant per Ecclesiam dicentes Psitam.* Superbia & humilitas simul incedebant, una elata, altera depressa; & unaquæque cum indolis suæ ingenio & libertate. Humilitas erat quieta, suavis & humana, à bonis pacem petens & malis. Sed superbia vultu erat alto, & acri, in varia desideria hiante. Væ illi cum veniet Dominus ejus, & superbi humiliabuntur. *Postea venit Ordinatus, & osculum dat sacræ mensæ, & Episcopo; sanctorumque mysteriorum fit particeps. Dicit Pastor,* Pax vobiscum. *Populus,* Cum spiritu tuo. *Tandem Pastor convertitur ad Occidentem, & facit signum crucis.* Explicit ordinatio Lectoris. Orate pro eo qui descripsit.

Ritus Ordin. Subdiaconi.

Primùm ille qui hunc gradum ſuſcepturus eſt, ſtat ad portam altaris, caput habens apertum & inclinatum: idemque ritus, qui in prioribus, obſervatur. Tum dicit Archidiaconus, Benedic Domine. Stemus omnes pulchrè in prece & oratione coram Deo, & reliqua ut in præcedentibus gradibus dictum. Epiſcopus deinde precatur, & recitatur Symbolum. Poſtea exclamat Archidiaconus, Iterum atque iterum, perpetuò & omni tempore Domino ſupplicemus. Pro tranquillitate ſuperna, & auxilio & redemptione animarum noſtrarum, & corporum noſtrorum Domino ſupplicemus. *Hoc Domini Ephrem.* Pro ſervo tuo quem elegiſti, ut ſit Subdiaconus in Eccleſia tua, & vas electum in miniſterium tuum, perfice & comſumma in eo gratiam tuam. Benignitatem tuam nunc ego rogo, & gratiam tuam ego deprecor: Parce mihi peccata mea ſecundum gratiam tuam, & ſecundum bonitatem tuam protege me. Cura ulcera mea ſecundum gratiam tuam, quia theſaurus tuus robore & ſanitate opulentus eſt. Pone medicamentum infirmitati ejus, 24 ut ſanetur à morbo ſuo. Ubi Domine medicina tua applicatur, non poteſt ſtare dolor. Miſericordiæ tuæ Jeſu rogent te, & parce mihi quidquid peccavi tibi: Ne occludas portam tuam in faciem meam, eo quod operibus meis irritavi te. Facilem mihi redde reconciliationem tuam, & remiſſionem peccatorum mihi concede. 25 *Muta.* Sanctam & laudandam, & benedictam, & incontaminatam Dominâ noſtram, beatam & perpetuò Virginé, Dominam Mariam

Dei

Dei genitricem commemoramus, & Joannem Nuntium veritatis, & Præcurſorem: Stephanumque 26 caput Diaconorum, & primum Martyrem, & Prophetas veraces, & Apoſtolos divinos, & Martyres victoria veſtitos & inclytos, ut Dominus Deus potens, precibus eorum illuſtribus, & orationibus Sanctis, nos omnes gratiis afficiat, & confervet: Domino ſupplicemus. *Epiſcopus precatur: Interea Diaconus ducit eum manu dextra, & dicit, Offerimus ſanctitati veſtræ, ô Domine Pater noſter Sancte, & electe Dei, Domine N. Epiſcope Chriſti, & noſtri, hunc Dei amantem N. qui hic ſtat, ut impoſitionem manus divinæ accipiat ex ordine Lectorum ad ordinem Subdiaconorum ſuper altare hoc Sanctum Domini, N. urbis benedictæ amantis Chriſti, eſtque ſubditus beatitudini tuæ, Pater noſter electe Dei*: Oramus omnes, & precamur Deum pro eo. Clamemus igitur, & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleiſon. *Epiſcopus tenet eum per tempora, & dicit,* 27 Gratia divina. *Diaconus, in pace Domino ſupplicemus. Epiſcopus precatur. Diaconus exclamat in Domino Ephrem.* Stemus omnes in oratione coram eo qui novit abſcondita & petamus ab eo indulgentiam cum ſuſpiriis cordium noſtrorum. Petamus à Patre abſcondito, & à Filio laudando & ſancto, atque à Spiritu Sanctitatis Paraclito, ut audiat vocem orationis noſtræ. Pro ſervo tuo quem elegiſti, & ſecundum bonitatem tuam promoves ex ordine Lectoratus ad ordinem Subdiaconatus: Pro eo quem elegit gratia tua, ut ſi vas ad glo-

gloriam tuam, quemque promoves Domine ſecundum gratiam tuam ad ordinem Subdiaconatus. Juſtitia elegit te hodie ut ſis Subdiaconus in Eccleſia: Propter opera juſtitiæ ad ordinem excelſum offeris. Domine pro ſuperioribus Eccleſiæ tuæ, & Paſtore benedicto gregis tui, Domino N. Patriarcha: Secundum miſericordias tuas ſuſcipe orationem ejus. Parce Deus populo tuo, & miſerere gregis tui. Paſce eos Domine noſter ſecundum miſericordiam tuam, regeque eos, & deduc ſecundum gratiam tuam. *Epiſcopus induit eum Tunica ſua, & orario ſuo, eumque benedicit, & præficit vaſis Eccleſiæ. Poſtea Epiſcopus involvit orario collum ejus, cum circumducunt eum per Eccleſiam, dicuntque tono remiſſo.* Convivium magnum & excelſum fecit ſponſus cœleſtis Eccleſiæ ſanctitatis fidelis. Invitavit & vocavit omnes populos, ut venirent, & gauderent convivio quod fecit Sponſus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, quam per crucem ſuam deſponſavit. Duodecim Scriptores, & LXXII. Lectores in ea collocavit, & in medio ejus ſtatuit illos, ut diebus & noctibus divinitati ſuæ inſervirent. Alleluja. Parce Congregationi noſtræ, quæ te deprecatur. *Cum autem pervenit ad Candelabrum, accendit illud, & extinguit tribus vicibus. Poſtea vadunt ad portam Eccleſiæ, eamque apprehendit, claudit, & aperit tribus vicibus. Archidiaconus dicit Pſalmum Exalta me.* Exalta me Domine, exalta me. Dixit Sacerdotium Domino ſuo, & convertit ſe Dominus noſter, dixitque ei, nullus eſt ordo excelſior tuo; neque in congregationibus domus

Gabrielis; neque in cœtu domus Michaëlis, neque in ordinibus Seraphim eſt ordo excelſior tuo. Sacerdotes ordinibus Angelorum comparantur; Diaconi ſic Seraphim, Subdiaconi & Lectores Vigilibus in miniſterium mitti ſolitis. *Deinde datur illi actuum liber ut legat.* Dilecti mei, hoc eſt quod per Prophetam Joël dictum eſt: Et erit in diebus noviſſimis dicit Dominus; effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & Juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt & ſuper ſervos meos, & ancillas meas effundam ſpiritum meum in diebus illis, & prophetabunt. Et ponam ſigna in cœlo, & portenta in terra, & omnis qui invocaverit nomen Domini vivificabitur. Convertimini, & baptizamini in nomine Domini in remiſſionem peccatorum, ut accipiatis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus illis quos Dominus vocavit. *Poſtea, benedic Domine. Tunc Archidiaconus alta voce dicit hoc Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione coram Deo miſericorde, & vocibus quæ eum placent, ad Dominum unanimes clamemus. Petamus à Patre abſcondito à Filio laudando & ſancto, atque à Spiritu Sanctitatis Paraclito, arma quæ veritatis amantes induunt. Erubeſcimus Domine deprecari te; quia placata ira tua dum nos pœnitet, uno & eodem tempore mutata ſententia iram tuam provocamus, & in nos accerſimus. Væ nobis, quia multiplicata eſt iniquitas noſtra. Ecce enim vaporem emittit, tanquam fumum; & non eſt homo qui hoc in animum ſuum inducat

& veritatem ex corde judicet. Ecce ad portam tuam, Medice, misericordiarum pulsant infirmi, & afflicti. Gratia tua adstet, atque fasciis & medicamentis curet dolores & ulcera nostra. Colloces in loco nostro gratiam tuam, omnemque hominem ornes dono tuo. Tu fons ille es qui propinat medicamentum vitæ omnibus hominibus. Non sit ira tua nunc causa mortis nostræ humanæ naturæ. Aspice eam oculis tuis, quia tremenda virga tua erit ei tranquillitas, eruntque voces orationis nostræ claves thesauri tui divitis: Éritque tibi Domine os nostrum thus placatione & expiátione plenum. Parce Deus populo tuo, & miseratione commoveare in gregem tuum, tresque voces laudis offeramus Trinitati.

Episcopus precatur dicens, 28 *Ordinatus est N. in Ecclesia sancta. Archidiaconus exclamat, in Ecclesia sancta urbis N. Episcopus, Subdiaconis N. Postea precatur Ordinatus, & dat osculum altari, & Episcopo, tandemque mysteriorum sanctorum communione donatur. Explicit ordo Subdiaconatus. Precamini pro immundo.*

Ritus Ordinationis Diaconi.

Primùm stat subtus gradum qui est ante altare, habens caput apertum, & inclinatum, donec conficiatur oblatio. Tum apprehendit eum Episcopus per manum dexteram, & ascendere eum, 29 *genuque dexterum flectere coram altari jubet: Ipse autem dicit, Benedic Domine: Episcopus verò benedicit ei: Et dicitur, Laus Deo, Et consuetus Psalmus, Miserere. Archidiaconus offert thuris suffumigationem, & dicit, Benedic Domine.* Stemus pulchrè, & convenienter in precibus & oratione coram

Deo Deorum, & coram Domino Dominationum, & coram altari propitiante, & coram myſteriis ſanctis quæ ſuper illud ponuntur; & pro Chirotonia hac ſervi Dei N. qui cum tremore ſtat coram Patre noſtro Epiſcopo, Domino N. Metropolita noſtro, cujus manibus conſecratur. *Aromatum ſuffitus. Epiſcopus precatur, & dicitur*, Sanctus qui habitare feciſti Majeſtatem tuam. *Poſtea dicitur oratio thurificationis. Archidiaconus exclamat, Benedic Domine.* Iterum atque iterum perpetuò, & omni tempore Domino ſupplicemus: Pro tranquillitate ſeculi, & redemptione animarum noſtrarum & corporum, Domino ſupplicemus. Pro Patre noſtro ſancto & electo, & Rectore noſtro in Chriſto, Domino N. Epiſcopo, & pro omni Clero ejus, Domino ſupplicemus. *Domini Ephrem*, Bona accepit miniſterium noſtrum: ideo in nos omnes effunde miſericordias tuas. Parce, & miſerere humilitatis noſtræ, Eccleſiæ, & omnium filiorum ejus. Dextera tua plena miſericordiis illabatur in eos Deus, qui parati ſunt hodie ut accipiant à te Sacerdotium. Dona amorem tuum, & veritatem tuam de penetralibus portæ domus ſanctæ, & inhabitet in eis gratia tua; ut in diſcipulis tuis in cœnaculo. Promiſſum quod expectarunt juſti, & deſiderant Sancti, illud idem deſiderant ſervi tui qui Sacerdotium hodie ſuſcepturi ſunt. Fons vitæ de quo biberunt Juſti, & ſanctificati ſunt. Animæ ſervorum tuorum hodie hæreditabunt vitam æternã. Spes vitæ erit eis; arma & clypeus redemptio-

ptionis: Non timebunt. Domine, animæ eorum in illo die quo fiet judicium. O tibi amator lucrorum, ne tædio afficiare in oratione, quia oratio eſt quæ adhærebit tibi in hoc ſeculo, & in futuro. Non reputabis otioſum tempus in quo precaris: quia tempus in quo fit oratio, theſaurus eſt in ſupernis repoſitus tibi. Furare & eripe tibi horam de die, & ingredere; precare in ea coram Domino tuo: Et ſi poſſibile eſt, ô prudens, coram multis eam exhibe. Uſquequo lugebis tu ſuper divitiis quæ hic remanent. Uſquequo dolor erit tibi ſuper divitiis quæ non permanent. Parce Domine populo tuo, & miſerere gregis tui. Tres autem laudis voces offeramus Trinitati. *Epiſcopus precatur, & dicitur, Sanctificaſti Deus, & Symbolum. Archidiaconus ducit eum manu dextera, dicitque, offerimus ſanctitati tuæ, ô Pater noſter ſancte & electe Dei, Domine N. Metropolitæ, hunc amantem Dei, qui hic adſtat, ut impoſitionem manus divinæ accipiat ex ordine Subdiaconatus ad ordinem Diaconatus, ſuper altare ſanctum Domini N. civitatis benedictæ N. eſtque ſubditus beatitudini veſtræ, Pater ſancte Dei. Tum orant & ſupplicant omnes Deo pro eo. Clamemus igitur, & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleiſon. Epiſcopus,* Gratia divina. *Archidiaconus exclamat hoc Domini Jacob.* Stemus omnes in orationibus coram Deo, & petamus ab eo gratiam & miſericordiam ut eum invocemus. Petamus ab eo qui eſt Pater abſconditus, & Filio laudando, atque à Spiritu San-

ctitatis, Deo uno, ut misereatur noſtri. Oro ego Domine ut alienus non fiam à commercio tuo. Si iniquitas ejecit me à familiaritate tua, in eam intrare me faciat amor ſuavitatis tuæ. Peccatum inſidiatum eſt mihi inhumanè, & ſine modo contritionem meam multiplicavit. Tu ſapiens faſciis alliga vulnus quod me angit. Ego peccavi Domine: Et ego nunc ecce te deprecor. Suſcipe deprecationem meam, & dele Chirographum peccatorum quæ feci. Ea vorago magna iniquitatis me abſorbet & deglutit, Domine noſter: Da mihi manum tuam, & eripiar ex ea, & in ea non peribo. Impius abſcondit mihi laqueos, & me fraudulenter venatur. Domine bone contere eos, & evadam ego. Paſtor bone egredere ad inquiſitionem ovis errantis, & non relinquas me in manibus inimici, qui quærit vitam ejus. Parce Domine gregi tuo, qui te deprecatur, & ternis laudis vocibus gloriam effert nomini tuo. *Epiſcopus precatur, & ſic veſtit eum tunica, & orario ſuo. Archidiaconus Pſalmum. Exaltame.* Miniſtri Eccleſiæ contremiſcite, quia igni vivo ſervitis, & authoritas quam ſuſtinetis excelſior eſt Seraphim. De verticibus montium clamabunt Miniſtri Eccleſiæ, contremiſcite, & dabunt gloriam Domino: Ille excelſior eſt quàm Seraphim. Hoc myſterium deſideravit Iſaias Prophera, cujus ori carbonem ignis in ſpiritu Seraph' applicuit. *Deinde traditur ei, ut legat Epiſtolam Apoſtoli primam ad Timotheum,* Fratres, ſimiliter quoque Diaconi ſint caſti, non bilingues, non multo vino dediti, nec ament lucra ſordida, ſed teneant myſterium

rium fidei in conſcientia pura, illique ipſi examinentur. Diaconus ſit ille cui una fuit uxor, qui filiis ſuis & domui ſuæ bene præfuerit. Illi enim qui bene miniſtraverunt, gradum bonum acquirent ſibi, & multùm apertam faciem, ſeu fiduciam in fide Jeſu Chriſti. *Domino autem, &c. Paſtor precatur, & Diaconus dicit altavoce hoc Domini Jacob.* Stemus omnes in oratione coram Domino, & petamus ab eo gratiam & miſericordiam, & remiſſionem peccatorum, ut ipſe ex benignitate ſua dignetur à nobis miniſterium noſtrum accipere, & aperiat portam ſuam orationibus noſtris ut apud ipſum admittantur. Commendavit oves ſuas Simoni Petro, quia ipſi obediens erat, & eo quod obedientem viderat, Paſtorem fecit eum. Rogavit eum ſi amaret eum, paſceret agnos ſuos. Et cum cognoſceret, quod ab eo multum amaretur, multum dedit illi. Agnos, oves & oviculas manibus ejus & poteſtati depoſuit, perſuaſus veram eſſe in gregem ſuum illius charitatem. Ille prioribus dedit Pontificatum & principatum, & poſterioribus dedit Sacerdotium quod eſt virtutum operativum. Ipſe dedit thuris ſuffitum Aaraoni Sacerdoti, & Eleazaro: & impoſitionem manuum Simeoni Petro, & Joanni. Sacerdotio etiam Melchiſedek celeberrimus illi fungebatur: Illi offerebantur omnia filiorum Levi ſacrificia. Illum myſticè figurabat Moſes cum ſanguine ſacrificiorum ſuorum. Sacerdotes autem cum vino miſcent ſanguinem ejus pro populo fideli. Apoſtoli omnes cum illo Petro diſcipulorum capite, acceperunt



petunt Eccleſiam ab eo qui eſt Dominus Paſtorum. Parce Deus gregi tuo, qui audit verba tua, & ſtat coram te, ut pro indulgentia te exoret. *Tum datur ei thuribulum ut cum eo circumeat altare in circuitu, dum dicunt Duplicem.* Præclarè fecit Dominus Simeonem Caput Apoſtolatus. Cum interrogatus eſt Diſcipulus ille primus, Quis ego ſum? Reſpondit, & dixit ei, Tu es Dominus meus, & Deus meus; Filius Dei, Filius Virginis. Beatus es Simon, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis, & ſuper te ædifico ego Eccleſiam, & veĕtes, ferræque Inferorum non prævalebunt ei, nec vincent eam. Alleluja. Alleluja. *Ponit autem in thuribulo aromata, & portat Apoſtolum, & circumducunt eum per Eccleſiam, dicentes Duplicem.* Super fundamentum veritatis, Petrum & Paulum, Apoſtolos electos, ædificium Eccleſiæ ſanctæ, Sponſæ Filii, poſitum & ſtabilitum eſt. Tonatque in medio ejus prædicatio duodecim Apoſtolorum electorum Diſcipulorum filii; & doctrina LXXII. Præconum. Et in eo fixa eſt crux ejus ſplendida, velut columna veritatis, & altare ſanctitatis quòd ſuper illud circumfertur corpus ejus velut triumphans. Alleluja, Alleluja. *Poſtea deponit librum Apoſtoli, & motitat velum, dicens.* Stemus pulchrè, ſtemus in timore, ſtemus in puritate, aſpiciamuſque & reddamus ei gratias pro conſummatione hujus Chirotoniæ ſervi Dei N. Diaconi, & Patri noſtro ſancto Epiſcopo, cujus manibus con-

confecratus eſt. Precemur ut producantur dies ejus in pietate & juſtitia, clamemuſque & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleiſon. *Inclinatur ille qui accepit impoſitionem manus coram altari: Et Epiſcopus ponit manum ſuam ſuper caput ejus, & precatur, & Diaconi portant flabella. Tunc Epiſcopus pronuntiat*, Ordinatus eſt in Eccleſia ſancta. *Archidiaconus exclamat*, N. Diaconus ad altare Sanctum Eccleſiæ ſanctæ, civitatis N. *Et Paſtor*, N. eſt Diaconus, *& reliqua. Poſtea dat oſculum altari, & Epiſcopo. Demum ſanctorum myſteriorum fit particeps, ipſumque admonet. Finis.*

RITUS ORDINATIONIS ARCHIDIACONI.

Primùm ſtat coram altari, veſtitus juxta ordinem & conſuetudinem Diaconi. Incipit Paſtor, & proſequuntur juxta ordinem in gradu præcedente præſcriptum. Dicitur, Laus Deo, *& conſuetus Pſalmus*, Miſerere. *Diaconus dicit, Benedic Domine.* Stemus pulchrè in precibus & oratione. *Et reliqua. Paſtor precatur.* 31 *Ordo, dicturque verſus ex ordine Stephani, & oratio ſuffitus. Diaconus Pſalmum. Deinde legunt acta Apoſtolorum.* Dilecti mei, Tunc vocaverunt Apoſtolos, & dixerunt eis: Quærite igitur Fratres, & eligite ſeptem viros ex vobis ſuper quos ſit teſtimonium, plenos Spiritu Domini & ſapientia, & conſtituemus eos ſuper hoc negotio; Nos autem aſſiduò intenti erimus miniſterio verbi. Et placuit

hic fermo omni populo. Et elegerunt Stephanum virum plenum Spiritu Sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & 32 Nicolaum Proſelytum Antiochenum. Iſtos ſtatuerunt coram Apoſtolis; & cum precarentur, impoſuerunt eis manum. Barnabas autem & Saul reverſi ſunt ex Jeruſalem Antiochiam poſt quam compleverunt miniſterium ſuum, & duxerunt ſecum Joannem, qui cognominabatur Mareus. Cum autem illi jejunarent, & orarent, & ſupplicarent Deo, dixit eis Spiritus Sanctitatis: Separate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod ego vocavi illos. Et poſtquam jejunarunt, & orarunt, impoſuerunt ſuper eos manum, & miſerunt eos. *Paſtor ponit Euangelium ſuper* 33 *pectus ejus. Et Epiſcopus inſufflat in faciem ejus in figuram crucis, & egrediuntur cum pompa pulchra, & decenti dum dicunt hymnos. Sic ingrediuntur ad altare, & tunc Diaconus proclamat hoc Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione coram eo qui cognoſcit occulta, ut ipſe per gratiam miſericordiarum ſuarum accipiat à nobis miniſterium noſtrum. Petamus à Patre abſcondito qui miſit Filium ſuum in redemptionem noſtram, & induit corpus humanitatis noſtræ, ut perficiat omnia quæ ſcripta ſunt. Confiteamur Filio ſancto, qui deſcendit ut nos cruce ſua liberaret, & perficeret nobiſcum quæ ſcripta erant, quique elegit Apoſtolos in ſui prædicationem. Adoramus & laudamus Spiritum Sanctum Paraclitum, qui locutus eſt per os Prophetarum,

rum, & habitat in corde Apoſtolorum. Eo illuſtratus eſt Moſes: Eo Elias exaltatus eſt, & Aaron, & Phinees, & Eleazar: Eo ſervierunt tabernaculo temporis. Chriſtus qui Apoſtolatui dedit poteſtatem Sacerdotii, ipſe det tibi Sacerdotium, gradum excelſiorem Seraphim. Hodie elegit te gratia, & vocavit te etiam juſtitia, ut ſis caput & dux Diaconorum & Lectorum. Dominus qui elegit te ex ſervis ſuis, ut ipſis imperares, & eorum curam gereres exaltet gradum Sacerdotii tui ſupra gradum Diaconorum. Chriſtus elegit te in honorem ſuum, & conſtituit te Ducem & Rectorem in Eccleſia ſua, ſtatuitque omnes gradus obedientes eſſe præceptis tuis. Patri qui elegit te Confeſſio; Et Filio ejus Jeſu laus, & Spiritui Sancto gloria, qui dedit tibi regulam Sacerdotii. Parce Deus populo tuo, & miſerere gregis tui, & tres voces laudis offeramus Trinitati. *Epiſcopus precatur, & ab eo accipit Euangelium. Deinde oſculum dat Epiſcopo, & revertitur in locum ſuum. Tuncque permittit ei ut legat Euangelium; & cum legit Diaconi proclamant. Denique ſanctorum myſteriorum fit particeps. Finis. Deo laus in ſeculum ſeculorum.*

RITUS ORDINATIONIS PRESBYTERI.

Primùm venit ille quem elegit gratia, & utrumque genu flexit, manus habens ante ſe junctas; Benedicitur que ab Epiſcopo, dicens, Benedic Domine. Tunc Epiſcopus

ܕܐܬ ܐܬܟܢܝ ܡܢ ܟܠ ܟܠܗ ܐܣܬܝ
ܐܠ ܘܒ ܡܢ ܫܘܒܚܐ. ܐܡܝܢ ܕܡܬܐ ܘܐ
ܩܕܝܫ ܐܠܗܐ ܕܫܪܝ ܒܟܠ ܐ
ܟܠܗ ܘܐ ܕܡܫܪܐ ܐܠ ܐ
ܗܕܐ ܐܬ ܐ ܐ ܐ
ܐ ܐ ܐ ܐ ܐ
ܐ ܐ ܐ ܐ ܐ
ܐ ܐ

omnes, & pro ſervo tuo hoc qui ſtat coram majeſtate tua, qui attentè aſpicit, & expectat redemptionem tuam, & donum tuum divinum, & inhabitationem Spiritus tui ſancti, ut perpetuò habitet ſuper eum. Oremus igitur, & precemur, & ſupplicemus, & clamemus, dicamuſque tribus vicibus, Kyrie eleïſon. *Epiſcopus precatur, & dicitur, Sanctificaſti Deus, & Symbolum. Interea Archidiaconus ducit eum manu dextera, & dicit:* Offerimus ſanctitati tuæ, ô Pater Sancte, & electe Dei, Domine N. Epiſcope, hunc Dei amantem, qui hîc adſtat, ut impoſitionem manus divinæ accipiat ex ordine Diaconi ad ordinem Presbyteratus, ſuper altare ſanctum Eccleſiæ ſanctæ, ſancti Domini N. civitatis benedictæ, & amantis Chriſti N. Eſt autem ſubjectus beatitati veſtræ. Pro eo clamemus, & dicamus tribus vicibus, Kyrie Eleïſon. *Epiſcopus precatur.* Divina gratia. *Diaconus, in pace Domino ſupplicemus. Epiſcopus precatur. Diaconus proclamat iſtud Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione coram eo qui novit abſcondita. Rogemus miſericordiam & gratiam Dei miſericordis. Petamus à Patre abſcondito, & à filio laudando & ſancto, & à Spiritu Sancto Paraclito, arma quæ induunt veraces. Deus eſt qui fecit ordines ſuperiores cum inferioribus, & eos elegit, ut cum puritate & ſanctitate miniſtrent: Novem ordines Angelorum in cœlis ut miniſtrent ei: Novem ordines Sacerdotii in medio Eccleſiæ ut laudent eum. Diſtinxit ordinem ab ordine, ſuperiores & inferio-

riores: Ad ſimilitudinem ordinum Angelicorum, diſtinxit gradus Sacerdotii. Superiores velut Angelos; & medios ad ſimilitudinem Vigilum; & inferiores velut Seraphim in typum convenientem eorum qui inſerviunt ei. Hunc ordinem Sacerdotij figurarunt Sacerdotes & Levitæ, & Ithamar, & Eleazar, & Phinees Sacerdos, & Zacharias. Habitavit excelſus ſuper montem Sinaï, & " deſcendit manus ejus in Moſe & Moſes poſuit eam ſuper Aaron, & deducta eſt uſque ad Joannem. Joannes dedit eam Domino noſtro, Dominus noſter dedit eam Apoſtolis, & illi per creaturas omnibus ordinibus Sacerdotii. Hunc Sacerdotii gradum conſtituerunt nobis ſancti Apoſtoli, & hodie in medio Eccleſiæ per manus Patris noſtri perficitur. Sacerdotes qui eam induerunt, glorientur, Epiſcopi ſanctificentur; Diaconi & Hypodiaconi accipiant ſuorum remiſſionem peccatorum. Parce Domine Eccleſiæ tuæ, & miſerere gregis tui, treſque voces laudis in honorem Trinitatis emittamus. *Epiſcopus imponit dexteram ſuam ſuper caput ejus, & dicit, Ordinatus eſt in Eccleſia: Archidiaconus clamat, N. Presbyter, ad altare ſanctum Eccleſiæ ſanctæ iſtius loci N. Epiſcopus; N. Presbyter. Archidiaconus pſalmum. Laus huic Paſtori.* Laus illi qui cõſtituit altaria, & oblationes, & pro iis in honorem ſui inſtituit Sacerdotes. Laudate Dominum in ſanctitate ejus qui pro illis inſtituit Saderdotes in propitiationem; Laudate eum in firmamento virtutis ſuæ. Laus illi Paſtori qui ornavit gregem ſuum Sacerdotibus & Epiſco-

Episcopis, & altaribus, & oblationibus. *Postea legunt hunc Apostolum.* Fratres, posuit enim Deus in Ecclesia sua primùm Apostolos, postea Prophetas, postea Doctores, post eos operatores virtutum, post eos dona curationis, & auxiliatores, & Rectores. Fidelis est sermo: Si quis desiderat Presbyteratum, opus bonum desiderat: Hæc doce, & præcipe. Propter hæc enim reliqui te in Creta, ut ea quæ deficiunt, ordines, & constituas Presbyteros per singulas civitates, si quis est irreprehensibilis. Debet enim ille qui futurus est Presbyter, esse sine culpa velut Magister domus Dei. Non sit iræ deditus, nec modum in vino excedat, nec manu promptus sit ad percutiendum, nec lucri sordidi avidus; sed amet hospites, sitque modestus, & sanctus, & pius, & contineat se à concupiscentiis hujus mundi, & curam habeat doctrinæ Verbi fidei, ut possit consolari in doctrina sana, & redarguere pertinaces. In his meditare, & hæc considera, ut manifestum sit omni homini quod proficis. Nec spernas donum quod est in te, quod tibi datum est per Prophetiam, & impositionem manuum Presbyterii. Attende tibi ipsi, & doctrinæ, & in his permane; cum enim hæc feceris, teipsum vivificabis, & eos qui te audiunt. *Datque ei Euangelium, ut legat, tum proclamat Archidiaconus, Christè Deus omnium.* Ipse est qui elegit in medio Ecclesiæ sanctæ Sacerdotes resplendentes, & veraces, qui Sacer-



cerdotio fungerentur in puritate " & ſanctificarent in unitate & concordiâ corpus & ſanguinem ſuum ad propitiationem debitorum, & remiſſionem peccatorum. *Precemur,* " *Chriſte Deus omnium.* Ipſe cognoſcit occulta, & ſcrutatur corda & renes. Ille eſt qui elegit, & obtulit hodie hunc ſervum ſuum N. & vocabit eum, & promovit eum ad ordinem Presbyteratus. *Precemur, Chriſte Deus omnium.* Ille eſt qui à Cherubim benedicitur, à Seraphim ſanctificatur, ab Angelis laudatur, à Vigilibus celebratur, à ſpiritualibus exaltatur. *Oremus, Chriſte Deus omnium.* Ille in cujus conſpectu adſtant millia millium, & cujus majeſtati ſervientes myriades myriadum curvantur, & tremunt, conſtituit ſibi in Eccleſia ſancta Sacerdotes caſtos & verecundos de genere terrenorum, qui annuntiarent Euangelii populis redemptis per crucem ſuam. *Supplicemus, Chriſte Deus omnium.* Verbo tuo vivifico, & gratia tua divina juſſi ſunt ſervi tui ut diligenter invigilarent; & parati eſſent ad hoc ad miniſterium quod oblati ſunt, & Electi. *Precemur, Chriſte Deus omnium.* Deus noſter parce, & miſerere omnium noſtrum ſecundum miſericordiam tuam & gratiam tuam. Paſce, deduc, & guberna nos ſecundum miſerationem tuam: Perfice & fac ſtabile opus noſtrum, quod coram te in gratiam ſervi tui N. Presbyteri confecimus; & acquieſce ordinationi quam hodie accepit, unaque voce & trina, qua ſibi complacet divinitas tua, mereamur dicere tribus vicibus, Kyrie eleïſon. *Epiſcopus precatur, & thus datur ei, circumducunque ordinatum per Eccleſiam, & adferunt ei*

Euangelium. Dum autem circumducunt eum, dicunt Pesitam. Ascendit Moses in montem Sinaï, & vidit ibi majestatem domus Dei, & splendorem ex ea contractum indutus, deduxit secum typos & similitudines eorum quæ viderat in hac Primogenitorum Ecclesia. Tabernaculum temporis attulit & erexit, ut scriptum est, & sanctificatum est à Domino, & in medium ejus ingressus habitavit, " Alleluia. Per me juravi, dicit Dominus dominorum, quod nolo ego perditionem peccatorum qui convertuntur. Venite benefaciamus, & petamus remissionem donec sunt misericordiæ, & apertæ portæ; quia nemo potest justificari post mortem suam. Omnis homo sollicitus sit de seipso, quia finis ad nos appropinquat. *Postea instruit ipsum de officio suo. Explicit ordo Presbyteri. Qui legit, oret pro me.*

RITUS ORDINATIONIS " ARCHIPRESBYTERI.

PRimùm accedit ille quem elegit Spiritus Sanctus, & ingredietur in secretarium. Inclinabit autem caput coram Pastore, manus habens junctas, caputque deteget, indutus ordinis sui vestimenta. Tumque egredientur pulchro & decenti ordine, dicentes hanc Pesitam. Super volam manuum filii ædificata est Ecclesia, & super lapidibus ordinum duodecim Apostolorum posita est. Dominus noster dedit illi potestatem & dominationem, ut conterat omnia Dæmonum idola: Adnexuit illi arma veritatis, crucem vivam, & 40 impressionem chrismatis, ut consignatione ejus Sacerdotes consignentur. Alleluia. *Cum autem accesserint, & ingressi fue-*



fuerint omnes, remanet hic extra ſolus, & benedicitur ab Epiſcopo, & ab eo ſignatur ſigno crucis; diciturque Laus Deo, & reſponſum; Miſerere. Archidiaconus, Benedic Domine. Stemus pulchrè in oratione, *& reliqua. Epiſcopus ponit aromata, & precatur, diciturque verſus juxta ordinem primum. Precatur interea Epiſcopus. Archidiaconus dicit alta voce hoc Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione coram Deo miſericorde, & voce qua eum exoremus, ad Dominum unanimiter clamemus. Petamus à Patre abſcondito, à filio laudando & ſancto, & à Spiritu Sancto Paraclito, arma quæ induerunt veraces. Deus qui fecit ordines ſuperiores & inferiores, qui elegit eos ut in puritate, & ſanctitate Sacerdotio fungerentur: Novem ordines cœleſtes Angelorum qui miniſtrant ei, & novem ordines Sacerdotii in medio Eccleſiæ, ut laudent eum. Diſtinxit ordinem ab ordine, ſuperiores ab inferioribus, Angelos & Sacerdotium, ut laudent divinitatem ſuam: Superiores ut Angelos; & medios in ſimilitudinem Vigilum, & infimos ut Seraphim, qui ei cum tremore miniſtrant. Hunc ordinem Sacerdotii figurabant Moſes & Aaron, & Ithamar, & Eleazar, & Phinees Sacerdos, & Zacharias. Dominus noſter dedit illum Apoſtolis, & ipſi poſuerunt illum in mundo, & ecce in medio Eccleſiæ propagatur in omnes ordines Sacerdotii. Hoc myſterium ſanctum ⁴¹ figurarunt nobis Pontifices & Levitæ, & hodie in medio Eccleſiæ per manus Patris noſtri perficitur. Parce Deus populo tuo, & miſerere gre-

gregis tui, vocibuſque laudum plenis exclamemus ad Trinitatem. *Epiſcopus precatur. Tum aperiunt portas cancellorum, dicuntque, Sanctificaſti Deus, & Symbolum. Unuſque ex Archipresbyteris ducit eum dextera ſua, dicitque ſic.* Offerimus ſanctitati tuæ, ô Pater ſancte, & electe Dei, Domine N. Epiſcope noſter, hunc amatorem Dei N. qui hîc adſtat, & impoſitionem manus divinæ accipit, ex ordine iſto Presbyteratus ad ordinem Archipresbyteratus, ſuper altare ſanctum Domini N. civitatis benedictæ, & amantis Chriſtum, & eſt ſubditus beatitudinis veſtræ, Pater Deo ſancte, pro eo orantes & precantes Deum. Clamemus igitur, & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleiſon. *Epiſcopus dicit, Gratia divina. Diaconus pro pace Dominum rogemus. Epiſcopus precatur, Archidiaconus exclamat hoc Domini Ephrem.* Stemus omnes in oratione & oremus eum: Cum ſingultu, cum dilectione & fide inclamamus nomen tuum ſanctum. Rogemus verum iſtum Paſtorem, qui per crucem ſuam redemit Eccleſiam ſuam, & in ea conſtituit novem ordines Sacerdotii qui inſerviant ei. Pro redemptione animarum noſtrarum, & pro ſalute & auxilio bono ſervi tui qui hîc ſtat expectans auxilium gratiæ tuæ. Pro eo quem Eccleſia elegit, & grex tuus obtulit, ut ſit in Eccleſia tua Magiſter domus, ut Moſes & Aaron Sacerdos. Parce nobis amator hominum, & perfice nobiſcum gratiam tuam, & in corde iſtius ſervi tui quem que

quem vocasti, gratia tua inhabitet, oremus & precemur. *Episcopus precatur. Diaconus annuntiat hoc Domini Ephrem:* Stemus omnes in oratione, & offeramus ei preces pro servo suo hoc quem elegit. Clamemus ad eum in fide. Per te Domine accedat ad consecrationis consummationem; spirituque tuus descendat & illabatur in vitam ejus, & impositione manuum perficiatur Sacerdotium quod ei datum est. In medio Ecclesiæ tuæ Sacerdos erit, & habitabit in eo sanctitas tua: Ex altari sancto eliciet propitiationem in filios Adam. Quæsumus Domine accipias eum, ut sit è numero Electorum tuorum, & ex ordine Presbyteratus in gradum excelsiorem extollatur. Parce nobis amator hominum, & miserere defectibus omnium nostrum. Tres laudis voces offeramus Trinitati. *Episcopus precatur, & insufflat in faciem ejus de Spiritu Sancto. Postea circumducunt eum per Ecclesiam dum hymnos dicunt convenientes, & Canticum, laus huic Pastori.* Laus huic Pastori qui decoravit gregem suum Sacerdotibus, & Episcopis, & altaribus, & oblationibus. Laudate Dominum in sanctitate ejus qui ornavit gregem suum. Laudate eum in firmamento virtutis suæ cum Sacerdotibus & Episcopis. Propitiare Domine secundum misericordiam tuam peccatis gregis tui, & parce defectibus ejus qui adorat crucem tuam. *Apostolus Epistola ad Hebræos:* Fratres, Quoniam igitur est nobis summus Pontifex Jesus Christus filius Dei " qui ascendit cœlos, perseveremus in confessione. Non enim est nobis summus Pontifex qui non possit compati infirmitati nostræ; sed qui tenta-

tatus eſt in omni re, ſicut nos excepto peccato. Accedamus igitur revelato oculo, ſeu confidenter, ad thronum gratiæ ejus, ut obtineamus miſericordiam, & inveniamus gratiam in auxilium tempore oppreſſionis. Omnis enim ſummus Pontifex qui eſt ex hominibus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ Dei ſunt, ut offerat oblationes, & ſacrificia pro peccatis. Et ipſi Domino, &c. *Euangelio lecto exclamat Diaconus, Chriſte Deus omnium.* ℣. Tu ille es, qui elegit ſibi in medio Eccleſiæ ſanctæ Sacerdotes caſtos, illuſtres, & veraces, ut in puritate & munditia Sacerdotio fungantur, & unanimiter cum cœtibus laudatis Seraphim excelſorũ amore commoveantur. *Oremus, Chriſte Deus omnium.* Tu es ille qui es Cognitor abſconditorum, & ſcrutator cordium & renum; qui elegit & obtulit hodie ℣. hunc ſervum ſuum N. Metropolitæ; & vocavit, & obtulit eum huic gradui excelſo Sacerdotii, ut Aaronem, & Ithamar, & Eleazar, & Phinees. *Supplicemus, Chriſte Deus omnium.* Tu es ille qui à Cherubim benedicitur, à Seraphim ſanctificatur, & ab Angelis laudatur, & à ſpiritualibus celebratur, & ab ignitis exaltatur, & glorificatur. *Oremus, Chriſte Deus omnium.* Tu es ille in cujus conſpectu adſtant millia millium, & ſub cujus curru myriades myriadum Seraphim curvantur, & tremunt miniſterio ſuo erga Majeſtatem ejus fungentes: Qui conſtituit ſibi in Eccleſia ſancta Sacerdotes & Rectores de genere terrenorum, ut omni tempore, mundo prædicent Euangelium ſuum. *Supplicemus, Chriſte Deus omnium.* Verbo tuo vivifico, & gratia tua divina juſſi ſunt Sacerdotes veri, ut ſeriò & diligenter in-

vi-

vigilarent, & aſſidui eſſent, atque parati ad hoc miniſterium ad quod electi ſunt, & oblati. *Oremus, Chriſte Deus omnium.* Pro ſecuritate & unanimi conſenſu totius mundi fidelis, & pro conſervatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, bonaque & convenienti Paſtorum ſubſiſtentia & incolumitate, atque ut avertat Dominus Deus à terra, & habitatoribus ejus omnes plagas; & virgas furoris. Et pro mortuis qui ex aqua & ſpiritu nati ſunt; & in fide orthodoxa ad eum diſceſſerunt: Et pro populo hoc qui in nomine tuo ſancto nobiſcum convenit. *Oremus, Chriſte Deus omnium.* Fac nos dignos ut in conſcientia munda à ſordibus, & inflãmatione charitatis erga te, aſſidui ſimus in cultu vineæ tuæ ſanctæ; & cum purioribus Sanctorum tuorum egrediamur in occurſum tuum in adventu tuo ſecundo. Clamemus autem & dicamus deprecantes, *Chriſte Deus omnium.* Parce & miſerere omnium noſtrum ſecundum miſericordias tuas; & in clementia tua paſce & guberna nos ſecundum miſerationem tuam. Perfice & confirma ſtatum noſtrum, & conſiſtentiam in conſpectu tuo, & ſuſcipe orationes, & deprecationes noſtras pro hoc Archipresbytero N. grataq; ſit tibi & accepta hæc Chirotonia quam hodie accepit, unaque voce trina clamemus, & dicamus, Kyrie eleïſon. *Epiſcopus precatur, dicuntque, Pater noſter qui es in cœlis. Archidiaconus, coram Domino capita inclinemus. Populus. Coram te Domine Deus. Finis. Laus Deo.*

RITUS ORDINATIONIS 47 CHOREPISCOPI.

EPiſcopus primum incipit, & proſequuntur, Laus Deo. *Sequitur verſus in primo ordine notatus.*

Archidiaconus thus offert, & dicit, Benedic Domine. Stemus pulchrè in oratione, *& reliqua. Epiſcopus poſtea precatur, dicitur que versus, & oratio ſuffitus. Archidiaconus autem inclamat, Benedic Domine.* [41] Iterum atque iterum, continuò & omni tempore Domino ſupplicemus: Domine pro ſecuritate ſuperna, vitaque & redemptione animarum noſtrarum, & corporum, Domino ſupplicemus: Pro Patre noſtro ſancto, & à Deo electo, & in Chriſto Rectore noſtro, Domino N. Epiſcopo noſtro, & pro ſtabilitate proſperi ſui ſtatus cujuſlibet, atque opere manuum ſuarum, Domino ſupplicemus: Domine pro redemptione, & auxilio, & adjumento, & corroboratione ſervi tui iſtius N. qui huc accedit, & impoſitionem manus divinæ accipit; Da ei Domine. Oremus, precemur, & ſupplicemus nos omnes cum diligentia amatorem hominum Dominum Deum, ut ſuſcipiat eum ſine macula & reprehenſione, detque illi gradum decorum Sacerdotii per inhabitationem Spiritus Sancti. Omnes pro eo oremus: Sanctam, & laudatam, & immaculatam Dominam noſtram, beatam omni tempore Mariam genitricem Dei commemorantes, & Joannem Nuntium [42] primum veritatis, & Stephanum caput Martyrum, & primum Diaconorum, & Prophetas veraces, & Apoſtolos divinos, & Martyres victoria veſtitos & triumphantes, ut Dominus Deus illuſtribus eorum precibus, & orationibus ſanctis, omnes nos gratia afficiat, & conſervet, & venia donet. Domino ſupplicemus: Omnes nos Domine, & pro nobis omnibus, & propter nos omnes &

& pro ſervo tuo N. qui accedit, expectans donum tuum; Te Domine Deus rogamus, oramus, & clamamus, dicimuſque tribus vicibus, Kyrie eleiſon. *Poſtea dicit Pſalmum qui ſcriptus eſt in ordine Archipresbyterorum, & legit Apoſtolum in Epiſtola ad Galatas.* Fratres, fructus autem Spiritus ſunt, delectio, gaudium, pax, longanimitas, humanitas, bonitas, fides, humilitas, patientia. Super hæc lex non eſt poſita. Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum omnibus doloribus ejus, & concupiſcentiis. Vivamus igitur in ſpiritu, & ſecundum ſpiritum conſummabimus. Et non ſimus inanes gloria, alter alterum parvi pendentes, & alter alteri invidentes. Fratres ſi quis præoccupatur errore & delicto, vos qui eſtis in ſpiritu, dirigite eum in ſpiritu modeſto, & humili. *Epiſcopus legit Euangelium. Diaconus inclamat hoc Ephremiticum.* Stemus omnes in oratione coram Deo miſericorde, & vocibus quæ eum placent, & concilient, unanimiter ad Dominum clamemus. Petamus à Patre abſcondito, & à filio laudando & ſancto, & à Spiritu Sancto Paraclito, ut miſericordia ſua ſuſcipiat orationem noſtram. Gygas potens qui bonitate ſua mundum miſericorditer ſuſcepit, ille det tibi mores qui divinitatem ſuam placant: Dominus qui dedit tibi Sacerdotium, & ad cujus præſentiam ſtas in timore, det per manus tuas univerſo mundo propitiationem & remiſſionem, recipiat de manu tua thymiama purum & ſanctum, oblationeſque & fidem offeras Deo. Vir-

Virtutem quam induerunt Levitæ, & in qua vicerunt Angelum mortis, ipſe det tibi miniſterium, videlicet quod ſuperat omnia mala. Bonus qui plenus eſt benedictionibus, & eas ab hominibus non cohibet, nec iis interdicit, ipſe det tibi benedictiones plenas miſericordia & gratia. Splendidus qui dedit Melchiſedek, ut ſter coram eo ſplendidè, ipſe det tibi poteſtatem & authoritatem in ordine quem hodie accepiſti. Tibi obediant Levitæ, & ad nutum tuum contremiſcant, timeatque populus coram te, nec diſpicentur verbum oris tui. A te Magnates accipient leges & præcepta, & in omnes generationes terræ diffundetur fama Sacerdotii tui. Parce illi amator hominum, & miſerere defectuum omnium noſtrum; triniſque vocibus laudes offeramus Trinitati. *Epiſcopus precatur. Diaconus, proceditein pace, & egrediuntur cum pompa decente tenentes thuribulum, & Diaconi ſtabella ſtatque in eius faciem cum dicunt Peſitam.* Super volam manuum filii Eccleſia ædificata eſt, & ſuper ordines laudandos 12. Apoſtolorum poſita. Dominus dedit illi virtutem & poteſtatem conterendi omnia idola erroris; adjunxit illi arma veritatis, crucem vivam, & ſigillum Chriſmatis, cujus virtute Sacerdotes ſanctificantur. Alleluja. Aſcendit Moſes in montem Sinai, ibique vidit majeſtatem domus Dei, & ſplendorem ex ea contraxit, & induit. Attulit ſecum typos, & ſimilitudines eorum quæ vidit in ea Primogenitorum Eccleſia: Tabernaculum temporis inde detulit, & conſtruxit, ut ſcriptum eſt, & ſanctificatum eſt à Domino,

mino, & illud ingreſſus habitavit. [52] Alleluja. *Duplicata*, Cuſtodi Domine noſter per crucem tuam gregem rationabilem, redemptum ſanguine tuo, ut non dominetur ei Satanas, oſor omnis rectitudinis & pulchritudinis. Suſcita Domine in eo benedictos Rectores, & Paſtores, qui voluntatem tuam exequantur, eumque ducant, & regant in ſemitam fidei, & paſcant in pratis fortitudinis vitæ veræ, ut in iis perpetuò vivificetur, & oblectetur. Alleluja, Alleluja. Explicit ordo Chorepiſcopi. Precamini pro me.

RITUS ORDINATIONIS EPISCOPI.

PRimùm oratio principii, & Pſalmus conſuetus, miſerere mei. Archidiaconus offert incenſum & dicit, Benedic Domine. Stemus pulchrè in oratione, *& reliqua. Epiſcopus ponit aromata, & precatur. Interea dicitur, Ego ſum lumen.* Cum acceperunt Apoſtoli in cœnaculo Spiritum S. Paraclitum, egreſſi ſunt, [56] docuerunt, & prædicaverunt mundo fidem veram, & gradus Sacerdotii ordinaverunt; conſtitueruntque in eo Paſtores, qui gregem Chriſti paſcerent in rectitudine & juſtitia, uſque ad finem & conſummationem. Benedictus qui ordines Sacerdotii in terra magnificavit, & ſurſum in cœlis, eique in excelſo, in profundo, & in omnibus partibus authoritatem plurimam dedit. Ecce in medium Eccleſiæ ea deducitur, & circumfertur in capite Sacerdotii, in ordinibus ſuperioribus & inferioribus Diaconorum, Sacerdotum, Pontificum, & paſtorum. *Epiſcopos thus accipit. Diaconus clamat Ephremiticum.*

Verte retro quatuor folia in ordinatione Chorepiſcoporum, & illud invenies. Tum dicunt Sanctificaſti Deus, Et eum ducunt duo Chorepiſcopi, Unus à dextra ejus, & unus a ſiniſtra. Tum Archidiaconus dicit, Offerimus ſanctitati tuæ, ô Pater noſter ſancte, & electe Dei, Domine N. Metropolita noſter hunc Dei amantem, N. qui huc accedit, & impoſitionem manus divinæ accepit ex ordine Chorepiſcopi, qui excelſior eſt, & dignior Archipresbytero ſuper altare ſanctum Domini ſancti N. Urbis benedictæ, & Chriſtum amantis N. Eſt autem ſubditus beatitatis tuæ, Pater noſter. Pro eo precemur, & oremus Deum, dicamuſque tribus vicibus, Kyrie eleiſon. *Epiſcopus precatur, & ſtat in faciem ejus, circumducuntque eum per Eccleſiam, dicentes Peſitam.* ℣ Benedictus eſt ille qui dedit Sacerdotium Apoſtolis duodecim, & miſit eos in mundum, ſicque dixit eis, Quod ſi ligaveritis, ego ipſe ligabo; ſi autem ſolveritis, ego ipſe ſolvam. Ipſe dedi vobis claves excelſi & profundi. Ordinem Sacerdotii conſtituite in omnibus Eccleſiis. ℣ *Altera oratio.* Tibi laus Deus, Domine terræ & cœli, qui donum ſervo tuo dediſti, ut gubernet ſecundum voluntatem tuam. Exultet in eo, & in præceptis ejus Eccleſia ſancta; omneſque filii ejus ex ipſius doctrina lætificentur; & cum exorta fuerit divinitas tua in occurſum tuum cum gaudio egredietur. *Pſalmus,* Laus ei, *Et Apoſtolus Epiſtola ad*

ad Hebræos: Iſta ſcribuntur in ordine Archipresbyteri. Epiſcopus autem legit Euangelium ex Ioanne, & Archidiaconus dicit alta voce, *Chriſte Deus omnium.* "Tu ille es qui elegit ſibi in medio Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Sacerdotes, caſtos, veraces, qui Sacerdotio cum puritate fungerentur, & concorditer cum cœtibus Seraphim Superiorum, amore arderent & commoverentur. *Precemur*, *Chriſte Deus omnium.* Ille qui eſt cognitor occultorum, & ſcrutator cordium & renum, elegit & obtulit hodie hunc ſervum Dei N. in ordinem excelſum & ſublimem Aaronis capitis Sacerdotum, & primi Patrum. *Oremus*, *Chriſte Deus omnium.* Tu ille es cui Cherubim benedicunt, quem Seraphim ſanctificant, Angeli laudant, Vigiles exaltant, Igniti glorificant, & ſpirituales celebrant. *Supplicemus*, *Chriſte Deus omnium.* Ille in cujus conſpectu adſtant millia millium, & myriades myriadum ſubjiciuntur, & cujus majeſtati ſervientes tremunt, conſtituit ſibi in Eccleſia ſancta Sacerdotes de genere terrenorum, ut illi perpetuo Sacerdotio fungerentur, eumque laudibus honorarent. *Oremus*, *Chriſte Deus omnium.* Tu ille es qui verbo tuo vivifico, & gratia tua divina juſtiſti omnibus Sacerdotibus, ut diligenter attenderent, & ſe præpararent ad hoc Sacerdotium ad quod præſentati ſunt, & quod acceperunt. *Precemur*, *Chriſte Deus omnium.* Tu ille es propitiator delictorum, & condonator peccatorum, qui peccatrici remiſit, & Latroni propitiatus eſt, & Zacchæum juſtificavit, Simeonem ſuſcepit, & ſuper David miſericordia affectus eſt. Servo tuo huic parce, juxta vehementem ſanctæ tuæ

tuæ misericordiæ affectum. *Oremus, Christe Deus omnium.* Tu es ille excelsus, & tremefaciens superna, & ad cujus præsentiam inferna timore concutiuntur: Ipse est qui acceptat secundum misericordiam suam preces & orationes tuas, & dignos efficit nos omnes, qui [11] misceamur, & inseramur turmis & ordinibus eorum qui bona operantur. *Oremus, Christe Deus omnium.* Parce nobis secundum misericordiam tuam, & deduc nos secundum gratiam tuam, & pasce nos secundum benignitatem tuam, & perfice stationem nostram, quæ est in conspectu tuo, & suscipe supplicationem nostram pro seruo tuo hoc; Psalmos quoque, & laudes, & invocationes, & proclamationem, & Chirotoniam quam hodie accepit. Unam autem vocem trinam qua placatur divinitas tua dignare nos emittere, tribus scilicet vicibus, Kyrie eleïson. Explicit.

ORDO QUO CONSECRATUR PATRIARCHA.

PRimùm dicit [11] *Clerus hunc hymnum: Quia Dominus est spes nostra.* Tunc locutus est in visionibus cum Justis suis, Sanctis suis; & exaltavi Electũ de populo meo. Propter hoc unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ & gaudii, excellentius quàm participes, Socii tui. [11] *Unus autem ex Episcopis legit acta.* Dilecti, Postquam præcepit Jesus Apostolis quos elegerat per Spiritum Sanctum, atque etiam seipsum demonstrasset eis post passionem insignis multis per dies quadraginta apparens eis, loquensque eis de regno Dei; necnon cum eis panem manducans, præcepit eis, ut de Jerusalem non discederent, sed

ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis à Joanne qui baptizavit in aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sanctitatis non poſt dies multos. Illi igitur cum conveniſſent, interrogaverunt eum, dicentes ei: Num hoc tempore reſtitues regnum Iſraëli. Dixit eis ipſe. Non eſt veſtrum hoc, noſſe tempus, aut tempora ea quæ pater poſuit in poteſtate ſua; ſed cum venerit Spiritus Sanctus ſuper vos, accipietis virtutem, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & omni Judæa, atque etiam Samaria, & uſque ad fines terræ. Et cum orarent, dixerunt: Tu Domine noſti quod eſt in cordibus omnium, oſtende virum quem ex iis elegiſti, ut accipiat ſortem miniſterii Apoſtolatus à quo diſceſſit Judas, ut abiret in locum ſuum. Et jecerunt ſortem, & aſcendit in Matthiam, & adnumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Et cum congregati eſſent omnes ſimul, factus eſt repente ſonus de cœlo velut Spiritus vehementis, & repleta eſt ex eo omnis domus in qua ſedebant, & repleti ſunt omnes Spiritu Sanctitatis. Cum autem ſurrexiſſet Simeon Cephas dixit, Viri fratres, & omnes illi qui habitant in Jeruſalem, hoc notum ſit vobis, & auſcultate verba mea: Jeſus Nazarenus, homo qui erat à Deo, Viſus eſt apud vos in virtutibus & in ſignis, & præclarè factis quæ Deus fecit inter vos per manum ejus. Hunc ad hoc ſegregaverat Deus in præſcientia & voluntate ſua: Et ipſe eſt qui dextera Dei exaltatus eſt, & accepit ab eo promiſſionem de

de Spiritu Sancto, & effudit hoc donum quod videtis & auditis. Vobis autem & filiis veſtris promiſſio facta eſt accipiendi donum Spiritus Sancti. Tunc convocaverunt duodecim Apoſtoli omnem congregationem Diſcipulorum, & dixerunt eis: Inquirite igitur fratres, & eligite ſeptem viros ex vobis ſuper quos ſit teſtimonium, plenos Spiritu Domini, & ſapientia, & conſtituemus eos ſuper hoc opus; nos autem perſeverantes erimus in oratione & miniſterio verbi pro univerſo populo. Et elegerunt Stephanum virum plenum Spiritu Sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proſelytum Antiochenum. Illos ſtatuerunt in conſpectum Apoſtolorum; & cum orarent, impoſuerunt eis manus. Cum autem audiviſſent qui in Jeruſalem, quod accepiſſet populus Samariæ Verbum Dei, miſerunt ad eos Simonem Petrum, & Joannem. Cum autem deſcendiſſent ad eos, oraverunt ſuper eos, ut acciperent Spiritum Sanctum. Videns autem Simon quod per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus Sanctus, obtulit eis argentum, dicens, Date etiam mihi poteſtatem hanc, ut ſuper quem manus imponam, recipiat Spiritum Sanctum. Dixit illi Simeon Petrus, Argentum tuum tecum abeat in perditionem: Quia putaſti quod donum Dei poſſeſſionibus & divitiis ſeculi comparatur. Non eſt tibi pars, neque



neque fors in fide iſta. Barnabas autem & Saül reverſi ſunt ex Jeruſalem Antiochiam, poſtquam confecerunt miniſterium ſuum, & duxerunt ſecum Joannem, qui cognominatus eſt Marcus. Cum autem jejunarent, & orarent Deum, dixit eis Spiritus Sanctus, ſeparate mihi Saülem & Barnabam in opus ad quod eos vocavi. Et poſtquam jejunarunt, & orarunt, impoſuerunt ſuper eos manum, & dimiſerunt eos. Illi autem miſſi à Spiritu Sancto deſcenderunt Seleuciam, & inde deſcenderunt per mare in Cyprum.. Et dixerunt eis: Fratres, accingite lumbos cogitationum veſtrarum, & evigilate perfectè, & ſperate in gaudium, quod vobis in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti adventurum eſt. Eſtote quoque ſancti in omnibus actionibus, & converſationibus veſtris, ut ipſe ſanctus eſt, qui vocavit vos. Propterea dixit, Eſtote Sancti, ſicut & ego Sanctus ſum. Vobis itaque data eſt gloria iſta qui credidiſtis. Dixit autem eis Petrus. Rogo ego Presbyteros qui ſunt inter vos, Presbyter ego Collega veſter, & teſtis paſſionum Chriſti, & particeps gloriæ quæ revelanda eſt. Paſcite gregem Dei, qui creditus eſt manibus veſtris, & viſitate illum ſpiritualiter, non violenter ſed ſponte; non proprer lucra turpia, ſed ex toto corde veſtro, non ut Domini gregis, ſed ita ut ſitis bonum exemplar, ut cum apparebit princeps Paſtorum, accipiatis ab eo coronam gloriæ, quæ non marceſſit. *Iterum legit Epiſcopus alium Apoſtolum ex Epiſtola ad*

ad Timotheum. Fratres, [61] Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes prophetias quæ de te factæ ſunt, ut milites per eas militiam hanc bonam, in fide & conſcientia bona. Fidelis eſt ſermo, Si quis deſiderat Presbyteratum, opera bona deſiderat. Debet igitur Presbyter eſſe talis, ut macula in eo non inveniatur: Qui fuerit maritus unius uxoris, qui mente vigiler, caſtus ſit, & pudicus, moribus bene compoſitis, amans peregrinos, & Doctor. Qui modum in vino non excedat, cujus manus ad percutiendum non currat; ſed ſit humilis, non litigator, non pecuniæ cupidus, bene regat domũ ſuam, contineat filios ſuos in ſubjectione honeſta cum omni puritate. Si quis enim domum propriam non novit regere, quomodo Eccleſiam Dei regere poterit? [62] Nec ſit puer diſciplinæ ſuæ, ſeu Neophytus, ne extollatur, & incidat in judicium Satanæ. Oportet etiam ut teſtimonium bonum habeat ab iis qui foris ſunt, ut non incidat in opprobrium & in laqueum Satanæ. Illi enim qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi ipſis acquirent, &[63] fiduciam multam in fide Jeſu Chriſti. Fidele hoc eſt, & dignum quod accipiatur. Hæc doce, & præcipe, & nemo contemnat juventutem tuam, ſed exemplar eſto credentibus, in verbo, & converſatione, & charitate, & fide, & puritate. Nec contemnes fidem quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam & impoſitionem manuum Presbyterii. Cum enim hæc perfeceris, teipſum vivificabis, & eos qui te audiunt. Seniorem non increpabis, ſed precaberis ut Patrem, & Juvenes ut fratres tuos, & Anus ut matres tuas, Juniores ut ſo-

rores tuas in omni caſtitate. Viduas honora, eas quidem quæ verè viduæ ſunt. Adverſus Presbyterum accuſationem non admittes; niſi in ore duorum vel trium teſtium. Eos qui peccant coram omnibus argue, ut cæteri homines timeant. Teſtor ego tibi coram Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Angelis ejus electis, ut hæc conſerves, nec ulla re mens tua præoccupetur: Nec facias aliquid cum acceptione perſonarum. Manus ſubitò ſuper hominem non impones, ne communices peccatis alienis. Teipſum conſerva in caſtitate, ô homo Dei. Curre & ſequere juſtitiam, & puritatem, & fidem, & charitatem, & patientiam, & humilitatem. Pugna autem agonem bonum fidei; apprehende vitam æternam, quoniam ad hæc vocatus es; jamque confeſſus es confeſſionem bonam coram teſtibus multis. Atteſtor ego te coram Deo qui vivificat omnia, & Jeſu Chriſto, qui confeſſionem edidit coram Pontio Pilato, Confeſſionem pulcherrimam, ut ſerves mandatum quod eſt ſine macula, & ſorde, uſque ad * revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt judicaturus vivos & mortuos: Ipſe eſt cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. *Poſtea dicitur laudatio, & Patriarcha legit Euangelium. Poſt lectionem autem Euangelii ſedet Patriarcha ſuper thronum ſuum, & unusquiſque Epiſcoporum ſecundum gradum ſuum. Tunc offerunt ei illum qui ordinatur. Stat autem verſus alam altaris ad latus dex-*

dexterum; & cum jubet Patriarcha, “ *legit volumen confessionis, quod prius manibus suis ipse scripserat. Et quum tradidit Patriarchæ volumen quod scripsit ut illud conservetur, Episcopi adducunt eum coram altari, & flectit ambo genua, habens super se* “ *ornatum Presbyteratus sui. Deinde* “ *cidarim ab eo detrahunt, usque ad tempus suum. Tunc Patriarcha surgit à sede sua, & accedet in conspectum altaris; incipitque ministerium secundum. Dum autem precatur, dicunt hymnum miserere; Patriarcha verò dicit ordinem. Unus autem ex Episcopis antiquioribus circumit cum thuris suffumigatione, & altare, & universam Ecclesiam, eumque comitantur duo Presbyteri, & duo Diaconi cum luminaribus & flabellis, dicuntque,* Sanctus qui majestatem suam habitare facit super montem. *Patriarcha dicit,* Pax vobiscum. *Populus,* cum Spiritu tuo. *Tunc Patriarcha jubet uni ex Episcopis, ut alta voce hoc edictum pronunciet,* “ Gratia divina quæ infirma sanat, & deficientia complet, quæque curat ea quæ ad Ecclesiam spectant, vocat & ordinat hunt N. amantem Dei super grĕgem benedictum. Oremus igitur omnes, ut veniat super eum gratia & inhabitatio Spiritus Sanctitatis. Clamemusque & dicamus tribus vicibus, Kyrie eleïson. *Patriarcha precatur, & imponit manus super corpus, & super calicem ut consummet, teguntque manus ejus* “ *cum velo. Postea revertitur ad eum qui ordinatur,* “ *easque imponit super caput*

caput ejus, ⁶⁹ ac ei aptat. *Interea Episcopi duo manibus suis sustinent Librum sanctorum Euangeliorum apertum super manus Patriarchæ, & alii sustinent flabella super Euangelium. Tunc Patriarcha attollit manus suas, & extendit brachia, eaque elevat & deprimit tribus vicibus super caput illius qui ordinatur. Tum verò Episcopi cum manibus Patriarchæ* ⁷⁰ *attollunt Euangelium super manus illius, aeprimuntque illud, & flabella similiter super Euangelium, illaque commovent. Patriarcha autem precatur precationem invocationis Spiritus. Et dum consummat precatur iterum.* Pax vobiscum. *Populus*, & cum Spiritu tuo. *Postea Patriarcha sese inclinat; deinde cum redierit ad eum qui ordinatur, Episcopi attollunt Euangelium & avertunt ab eo. Patriarcha signat eum, & dicit*, Ordinatur in Ecclesia sancta Dei. *Respondent Episcopi*, N. Episcopus & Metropolita ad Ecclesiam sanctam Urbis N. gregis benedicti. *Tunc apprehendit Patriarcha manum ejus dexteram, ut erigat eum; & unus ex Episcopis clamat, & dicit,* ⁷¹ Kyrie ologon, *& respondent*, Kyrie eleison. *Tunc Patriarcha imponit super caput ejus cidarim, & dicit*, In laudem, & gloriam, & honorem, & exaltationem Trinitatis sanctæ, & æqualis in substantia; & in securitatem, & ædificationem Ecclesiæ sanctæ Dei. *Respondent Episcopi, & universus Clerus. Postquam autem vestivit eum, tunc deducunt eum ad sedem throni, atque ita collocant eum, ita ut facies ejus sit versus Occidentem.*

Dein-

Deinde apprehendunt Epiſcopi & Sacerdotes ſedem ejus, attolluntque eum, & circumducunt tribus vicibus, & unaquaque vice incipit Patriarcha, Dignus, *& reſpondent poſt eum,* Dignus & juſtus. *Tunc unus ex Epiſcopis legit Euangelium, & poſt Euangelium alius ex Epiſcopis alta voce pronuntiat hæc verba.* Stemus pulchrè omnes in oratione cum attentione & vocibus quæ Deum nobis placatum reddant. Pro Eccleſia ſancta & unica, Catholica & Apoſtolica hac, quæ à finibus orbis terrarum uſque ad fines ejus, Dominum rogemus. Pro hac congregatione noſtra à Domino petamus; Ut electio hæc non ſit offendiculo, [72] ſed gratiæ, Dominum deprecemur. Pro Epiſcopo hoc qui hic ſtat; Domino ſupplicemus. Pro firma ſtabilitate ejus & timore Domini qui eſt in Spiritu Sancto, Domino ſupplicemus: Ut placeat Deo ſancto, oremus. Pro Eccleſia quæ ipſi commendata eſt, Dominum rogemus. Pro honeſtate & decore vitæ, & ejus tranquillitate, & humilitate, & ſcientia recta & orthodoxa, Deum oremus. Ut nos omnes dignos reddat merito & victoria vocationis ſupernæ, Dominum deprecemur. Omnes pro omnibus, & pro invicem ſtudiosè Dominum rogemus. *Patriarcha orationem dicit Euchariſticam.* [73] *Affertur baculus, cujus ſummitatem apprehendit Patriarcha, & ſubter manum Patriarchæ apprehendit eum unuſquiſque ex Epiſcopis juxta ordinem ſuum, & ſubter hos omnes apprehendit eundem baculum ille qui ordinatur. Patriarcha autem dicit voce, & tono harmonico.* Virgam fortitudinis mittet

tibi Dominus ex Sion, & dominaberis inimicis tuis. *Respondent Episcopi, & omnes Clerici. Et post hæc adducunt eum ad mensam vitæ. Precatur autem Patriarcha, & statim unus ex Episcopis alta voce profert hanc Litaniam, dum Clerus omnis stat coram altari,* [74] *& alternant cum antiphona, Christe Deus omnium nostrum.* Stemus pulchrè omnes ante eum qui in personis ex proprietatibus subsistentibus distinctè non divisim trinus cognoscitur: In unitate verò substantiæ & naturæ, & honoris & potestatis una divinitas tantummodò intelligitur & creditur: Scilicet Pater æternus ante secula, & Filius qui natus est sine principio; Et Spiritus Sanctus, [75] qui neque quantus est, neque qualis, unus & solus Deus in Trinitate etiam adoratur, & Trinitas in unitate ab omnibus naturis intelligibilibus, & sensibilibus laudatur. *Oremus, Christe Deus noster.* Ille est cui cum timore & tremore ministrant qui sunt in altis & supremis sedibus, nempe throni in veritate confirmati, & cujus majestatem aspicere non audent: Attamen interea summos Sacerdotes nostros dignatur communicatione, quum sacerdotio suo spirituali fungentes, unanimitate rebus omnibus [76] excelsiore delectantur; atque etiam cum in volis suis circumferunt, dum cœli & terra nutu voluntatis suæ consistunt. *Oremus, Christe Deus noster.* Tu qui cum Patre senex es, & cum Spiritu Sancto es substantialiter divinitas, & principium Deificationis illuminativum; quique propterea quod

quod humanitatem tuam amore profequeris, cum hominibus converfatus es, & Pontifex noſter es vocatus, miniſterium hoc Epiſcopatus hominibus terrenis tradidiſti; & qui officio Sacerdotali funguntur, & qui Epiſcopatum cœleſtem ſuſcipiunt, & deificare, & perficere ſuper terram declaraſti. *Supplicemus, Chriſte Deus noſter.* Tu qui Piſcatoribus ſcientiam dediſti, & Idiotas per excellentiam curſus Apoſtolici victoria donaſti, & magnificaſti, Epiſcopum iſtum quem elegiſti, ut iſtas oves tuas paſceret, erudi præterea divinis tuis donis, ut illuminationes tuas ſpirituales ſecundum veram tuam promiſſionem effundat, & oves tuas rationales abundanti effuſione potus ſpiritualis alat, & enutriat. *Oremus, Chriſte Deus noſter.* Tu qui Apoſtolos tuos ſanctos inſtar ſolis in mundo exhibuiſti, ut terram univerſam per rete & venationem doctrinæ ſuæ attraherent, & ad lumem cognitionis veritatis Theologicæ admoverent, Tu Epiſcopum iſtum victoria extolle & magnifica, ut eos qui in tenebris ignorantiæ ſedent, illuminet, & ad lumen ſcientiæ adducat. *Adoremus.* Pro ſecuritate & concordia totius mundi fidelis: Et pro conſervatione Eccleſiarum, & cœnobiorum, & bono Paſtorum ſtatu, & incolumitate; Atque ut avertat Dominus Deus à terra & incolis ejus omnes plagas, & virgas furoris. Et pro defunctis qui ex aqua & ſpiritu nati ſunt, & in rectitudine laudis, ſeu fide orthodoxa ad te diſceſſerunt. Et pro populo iſto, in nomine tuo ſancto nobiſcum congregato deprecemur. Fac nos mereri Chriſte

ܐܠܗܢ ܡܪܢ ܕܒܗ ܢܬܡܠܝ ܡܕܡ ܕܟܗܢܘܬܗ ܘܢܗܘܝ ܫܪܝܪ ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܝܠܗ ܘܢܬܟܫܪ ܒܟܠ ܩܕܝܫܐ ܕܝܠܗ ܒܪܘܚܐ ܕܫܒܚܐ ܢܩܪܒ ܘܢܫܒܚ ܘܢܐܡܪ ܟܝܪܝܐ ܐܠܝܣܘܢ. ܒܬܪ ܗܕܐ ܡܫܪܝܢ ܠܝܬܢܝܐ ܕܚܕ ܡܢ ܡܠܦܢܐ ܕܫܡܗ ܒܟܪܘܢܝܐ ܡܫܗܪ. ܘܩܕܡ ܐܒ ܐܦ ܟܠ ܐܦܣܩܘܦ ܢܫܕܪ ܫܠܡܐ ܠܗ ܘܠܟܢܘܫܬܐ ܐܚܪܢܬܐ ܝܡܝܢܐ ܒܪܟ. ܒܬܪ ܗܕܐ ܡܦܩܕ ܠܗ ܕܢܦܩ ܠܡܕܒܚܐ ܘܡܫܚ ܠܟܠ ܥܡܐ ܒܡܘܪܝܢ ܘܡܬܩܕܫ ܡܢ ܪܙܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܘܡܟܬܦ ܠܗ ܥܡܐ ܟܠܗ ܘܡܬܩܕܫ ܡܢ ܪܙܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܘܡܟܬܦ ܠܗ ܥܡܐ ܟܠܗ ܘܡܬܩܕܫ ܡܢ ܪܙܐ ܕܩܘܕܫܐ.

Chriſte Deus noſter, ut per hoc ſuum Sacerdotium myſteriis plenum nos dignos reddat qui promereamur hoc perfectum donum, quo perfectionem perfectè conſequamur; atque ut in Eccleſia Primogenitorum cœleſtium magno hoc Sacerdotii miniſterio fungamur, & laudem æternam cum exultatione Angelica offeramus, & cum omnibus ſanctis ſpirituali gaudio geſtientes, clamemus & ter dicamus, Kyrie eleïſon. Poſt hæc Litaniam incipiunt, dicuntque hymnos cujuſdam ex Doctoribus qui nomen habet in Chritonia celebre. Patriarcha autem & Fpiſcopi dant ei pacem, & reliquæ Congregationi dextera benedicunt. Poſtea cum adducunt ad portam altaris; ubi univerſum populum obſignat Chriſmate, & ab eo circumitur populus, & ſanctorum myſteriorum participatione donatur.

PRÆFATIO.

IN RITUM NESTORIANUM, IN QUA

de Neſtorianis cis & ultra Euphratem in Perſiae, India, Tartaria, ad Sinas uſque & Antipodas habitantibus. De Patriarcha Moſul cui omnes obediunt. De ampliſſimo Epiſcoporum ipſi ſubjectorum numero. De Presbytero Johanne rege Chriſtiano, ubi olim Regnum ejus, quàm ſpatioſum, & quando everſum. De Rege Abyſſinorum qui à recentioribus falſo creditus eſt Presbyter Joannes, & quamobrem. De Armenis an Neſtoriani. De ipſorum Patriarcha, qui ut & Neſtorianorum Catholicus dicitur. De antiquitate iſtius Epitheti. De eorum unione cum Eccleſia Romana ab annis quingentis ſæpius repetita, ſed potiſſimum anno 1552. quo hæreſes coram Julio III. abjurarunt. De obedientia ipſius ſucceſſoribus ſæpius ab ipſis præſtita. Quare hæc obedientiæ præſtatio tamdiu interrupta. Neſtorianus Patriarcha profitetur ſe ex antiqua Romanorum Pontificum conceſſione Epiſcopos ordinare & confirmare.

NEſtoriani quorum ſacras ordinationes Latinè & Syrè edimus ab Hæretico Neſtorio cujus hæreſim ampleƈtuntur, denominati ſunt. Notiſſima eſt Neſtorii Patriarchæ CP. in Concilio Epheſino condemnatio, nec opus eſt in ea enarranda diutius immorari. Neſtorium Eccleſia & ſede expulit Theodoſius Imperator, & in exilium relegavit; ſed cum ipſo hæreſis extinƈta non eſt, verùm univerſum Orientem infecit, & extremos ipſius fines penetravit. Nam autor eſt Anaſtaſius Sinaïta in ὁδηγῷ c. 4. Neſtorium *in Meſopotamiam evaſiſſe, venenum ſuum ac lutum indidem conſeviſſe, unde, velut è canali quodam, Orientem omnem maxime infecit, conſpurcavitque, &c. Sanè ſciendum eſt nullam hodie Neſtorii hæreſi maligniorem extare, quæ ægrius venenum ſuum prodat.* Quidquid ſit de Neſtorii in Meſopotamiam fuga, ita per Orientem ſerpſit teterrimus illius doƈtrinæ cancer, ut non modo plurimi Chriſtiani cis Tigrim & Euphratem habitantes Neſtorianæ hæreſi addiƈti ſint, ſed etiam quotquot trans Euphratem & Tigrim ad Sinas uſque & Antipodas noſtros Chriſtianum nomen profitentur, & Neſtoriani ſint, & haƈtenus dici glorientur. Pontificem autem ſummum ſibi conſtituunt illi Hæretici quem Catholicum vocant, cui, ut ſummo capiti, Metropolitæ omnes & Epiſcopi parent. Maximi etiam Reges & Principes in penitiſſimo Oriente hanc hæreſim cum populis ſuis olim excoluerunt.

De his ſic Jacobus de Vitriaco, lib. 1. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ c. 76. *Sunt aliæ nationes non ſolùm in terra Sanƈta, vel inter Saracenos, ſed ſeorſim per ſe in majori parte Indiæ habitantes. Hos autem Neſtorinos ſeu Neſtorianos appellant, à quodam Hæreſiarcha Neſtorio, qui perverſa doƈtrina ſua ex magna parte Orientalem regionem lethaliter infecit, & maximè illos qui in terra potentiſſimi Principis, quem Preſbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur. Hi omnes Neſtoriani ſunt cum Rege ſuo, qui cum Iacobinis plures eſſe dicuntur, quàm Latini vel Græci, &c. Chaldæa autem litera utuntur in divinis ſcripturis, & ex fermentato divina more Græcorum conficiunt.* Eadem, atque etiam de Presbytero Joanne, refert Marinus Sanutus lib. 3. part. 8. c. 4. & Henricus Canitius ex antiquo autore t. 6. antiquæ Leƈtionis, qui forte Vitriacum in Epitomen redegerat: Unde hæc & multa alia de Sectis Orientalium Scriptorum in Annales ſuos tranſtulit Bzovius ad an. 1330. n. 52. & ſequentibus.

Paulus Venetus qui juvenis regiones Orientales adiit, & intimè penetravit, propeque omnes ſigillatim luſtravit, qui annis ſeptemdecim tam in comitatu quàm ſub principatu

cipatu magni Tartarorum Imperatoris commoratus eſt, ei familiaris factus, & ab eo quandoque ad varia regni negotia obeunda delegatus, teſtatur plurimos eſſe in intimo illo Oriente Chriſtianos Neſtorianos. Ait enim l. 1. lingua italica ſcripti c. 6. in civtate Moſul ad Tigrim ſedem habere Neſtorianorum Patriarcham, qui inde Epiſcopos & Archiepiſcopos Babylonem & in univerſam Indiam mittit, non ſecus ac Pontifex Romanus in regiones Catholicas. Similiter c. 29. 31. 36. 50. 53. ejuſdem Libri narrat oculato teſtimonio plurimos Chriſtianos Neſtorianos vivere, & Eccleſias habere in Provinciis Caſchar, Carchan, Tanguth, Erginul, Mongul, quæ maximo Tartarorum Principi ſubjiciuntur. Libro verò 2. c. 34. 39. 68. teſtatur ſe vidiſſe in extremo Oriente, hoc eſt, apud Sinas, & poſtremos Tartaros multas iſtorum Chriſtianorum Eccleſias. Anno 1274. inquit Paulus c. 65. lib. 2. Marſakis Chriſtianus Neſtorianus, conſtitutus eſt à Tartarorum Imperatore gubernator civitatis Cinghianfu in Provincia Mangi, id eſt, Sinenſium, in qua duas pro Neſtorianis ſuis ædificavit Eccleſias. In civitate Sinarum Quinſai omnium maxima unam tantùm eſſe refert Neſtorianorum Eccleſiam. Vincentius ſpeculi majoris tom. 4. l. 31. c. 90. mentionem facit Hiurorum populorum Neſtorianorum qui à Tartaris devicti ſunt, quorum, inquit, literas Tartari cum eſſent hactenus illiterati iis devictis aſſumpſerunt. Aitonus ipſe Armenus in libello de Tartaris c. 11. *Chriſtiani qui in Chaldæa habitant*, inquit, *Neſtoriani vocantur, ab errore Neſtorii, & literas habent Chaldæas.*

Hoc confirmant Luſitanorum navigationes in Indiam Orientalem. Quos enim ad Gangem, in India interiore, & vicinis locis deprehenderunt Chriſtianos, omnes Neſtoriani erant, Epiſcopos à Patriarcha Babylonis, ſeu Moſul, qui, ut quidam volunt, Armenus eſt, ſuſcipientes. Ita Maffæus Hiſtoriarum Indicarum lib. 2. atque etiam l. 16. Oſorius l. 3. & 9. de Luſitanorum geſtis in India: & Jarricus l. 2. c. 18. Joſeph Indus Chriſtianus qui Luſitania luſtrata Romam venit ſedente Alexandro VI. teſtatur nonnullos eſſe Principes Chriſtianos in India, plurimos in variis Provinciis Chriſtianos, omneſque pendêre à Catholico Armeniæ, qui duos veluti Primates creat, unum in India, alterum in Cathaio, quibus ſubſunt multi Epiſcopi. Præcipua quoque fidei iſtorum populorum capita diffusè ſatis enarrat, ut videre eſt in Collectione variarum peregrinationum & Navigationum dicta *Novus orbis*. Baſileæ an 1555. edita cap. 132. 133. 134. Idem refert Petrus Strozza qui Paulo V. erat à Secretis, idque diſcere potuerat ex Legatis quos ad Paulum V. miſerat Neſtorianorum Patriarcha, *Patriarchæ Neſtorianorum ampliſſima eſt autoritas, eaque in Indiam ſeſe extendit. Nam Chaldæi qui Goæ, Cochini, Angamalæ, atque in Inſula S. Thomæ ante adventum Patrum Societatis Jeſu reperiebantur, omnes pariter profeſſione Neſtoriani, obediebant Patriarchæ Babylonis.* Id ex eo refert Bzovius ad an. 1330.

Iſtius hæreſis per univerſum Orientem amplitudini conveniunt quæ infra dicuntur in fine ritus ordinationis Epiſcopalis, & quæ adnotamus n. 105. Sed eam multò illuſtrius probant quæ addit Addiſu, ſeu potius Hebed Ieſu, electus Patriarcha Moſul ſeu Babylonis ad calcem profeſſionis fidei quam præſente Pio IV. Pontifice edidit cum Romam venit, ab eo petiturus electionis confirmationem. Ea ſic referuntur ab Auguſtino Thuano Hiſtoriæ l. 16. & Genebrardo ad an. 1566. *Juravit ſe credere recipere, & approbare omnia quæ in ſede Apoſtolica tenerentur, & ſe id curaturum in ſua juriſdictione, ſub qua eſſent multi Metropolitæ, Epiſcopi, & Diœceſani: Videlicet, Arbel Metropolis, Sarava & Hancava Epiſcopatus. Cheptian Metropolis; Chramleis, Achuſch Epiſcopatus. Naſſibin Metropolis; Machazzin, Taleſcavi, Mardin Epiſcopatus. Sceert Metropolis. Azzen Epiſcopatus. Elkeſſen Metropolis; Zuch & Meſſiura Epiſcopatus. Gurgel Metropolis, Eſci Epiſcopatus. Amed Metropolis; Chiaruchia, Hain, Tammir Epiſcopatus, quæ omnes regiones ſubſunt imperio Turcarum. Ormi ſuperior Metropolis; Vſcimi & Cuchia Epiſcopatus. Ormi inferior Metropolis; Dutra, Saldos, Eſchinuch, Epiſcopatus, Eſpurgan Metropolis; Nare, Gian nunc Epiſcopatus. Salamas Metropolis; Baumar, Sciabatam, Vaſcam, Epiſcopatus. Omnes Perſarum Regi ſubjecti. In India verò Luſitana Guſchin Metropolis: Canonor Metropolis: Goa Metropolis: Calicuth Epiſcopatus, cui ſubeſt Carongol civitas.* Longè plures ſunt civitates Indiæ & Tartariæ in quibus habitant ejuſmodi Chriſtiani, quàm quæ enumeratæ ſunt, ut ex variarum peregrinationum, & navigationum relationibus colligitur. Sed hoc certiſſimè demonſtratur ex iis quæ refert Otto Friſingenſis in Chron. l. 7. c. 31. *Ea tempeſtate Legati Armeniorum Epiſcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipſi Catholicum, id eſt, univerſalem, propter infinitum, id eſt, amplius quam mille Epiſcopo-*

rum ſub ſe habentem numerum vocant, Legati ab ultimo penè Oriente ſummum Pontificem Viterbii laboriosum iter, per annum & ſex menſes complentes adeunt. Quàm amplas eſſe oportuit regiones illas in quibus ſupra Millenos numerabantur Epiſcopi, cum præſertim plebis major pars, aut eſſet Mahumetana, aut Ethnica.

Verùm præ cæteris memorabile eſt in hac cauſa quod Hiſtorici noſtri qui poſt ſubactam à Francis Paleſtinam, & magnam Syriæ partem ſcripſerunt, de magno intimi Orientis rege Joanne Presbytero Neſtoriano referunt. Longè enim lateque ditionem ſuam per Septemtrionem, Orientem, & Indiam ad Perſidem uſque dilatavit, ut præter jam commemoratos Hiſtoricos plures alii uno conſenſu literis mandarunt. Otto Friſingenſis eodem loco c. 33. hæc de iſto Rege ſcribit quæ acceperat ex narratione Gabbulenſis Epiſcopi qui ad Pontificem Armeniorum Epiſcoporum legatus venerat. *Narrabat etiam quod ante non multos annos Joannes quidam, qui ultra Perſidem & Armeniam in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente ſua Chriſtianus eſt, ſed Neſtorianus, Perſarum & Medorum Reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit atque Ecbatani, cujus ſupra mentio facta eſt, ſedem Regni eorum expugnaverit. Cui dum præfati Reges cum Perſarum, Medorum & Aſſyriorum copiis occurrerent, triduo utriſque mori magis quàm fugere volentibus, dimicatum eſt, Presbyter Joannes, ſic enim eum nominare ſolent, tandem verſis in fugam Perſis cruentiſſima cæde victor extitit.* Romæ hæc narrabat Armenorum Epiſcoporum legatus circiter annum Chriſti 1145.

Paucis poſt annis extinctum eſt Chriſtianum iſtud imperium. Nam Tartari, gens antea obſcuriſſima, & contemptiſſima, Presbyteri Joannis imperio ſubdita, cum ab eo intemperanter nimis premeretur, in ulteriores Septemtrionis terras primùm fugit, deinde preſſa anno 1187. tandem Duce Chingio aut Changio, à quo cæteri Imperatores Tartarorum originem ducunt apertè rebellavit, & deleto Presbyteri Joannis imperio cœpit eſſe univerſo orbi formidabilis. Hæc narrant, eorumque circumſtantias, Paulus Venetus l. 1. c. 52. 53. Aitonus de Tartaris c. 16. Joannes de Plancarpio Dominicanus à Pontifice ad magnum Tartarorum Imperatorem legatus miſſus in libello quem de legatione ſua conſcripſit, cujus magnam partem operi ſuo inſeruit Vincentius 4. Tomo ſpeculi ſui lib. 31. Vincentius ipſe ejuſdem operis lib. 29. c. 69. & 70. Eadem referebant Magni Chan Tartarorum Legati ad S. Ludovicum miſſi, ut teſtatur Guillelmus Nangius in ejus geſtis, *Dicebant quoque quod iidem Tartari primò debellaverunt filium Joannis Presbyteri Regis Indiæ, ipſumque cum exercitu ſuo peremerunt in ore gladii.*

Paulus Venetus Regem iſtum devictum vocat Unchan, Vincentius verò Davidem: fieri poteſt ut utroque nomine appellatus fuerit. Regis iſtius Chriſtiani præcipua ſedes erat in Provincia Tenduk, quæ eſt verſus Orientem maximè Septemtrionalis. Provincia illa, inquit, Paulus l. 1. c. 64. principem adhuc habet de progenie Presbyteri Joannis Magno Cham ſubditum, cui ſolent Tartarorum Imperatores filias ſuas nuptum collocare, *Et licet ibi ſint aliqui Idololatræ, & item aliqui Mahumetani, tamen major pars Provinciæ fidem obſervat Chriſtianam, & hi Chriſtiani primas tenent in hac Provincia.* Huic narrationi conformis eſt ea quam refert Armeniæ Comeſtabularius ad magnum Cham legatus miſſus, in Epiſtola ad Cypri Regem ſcripta de legatione ſua, quam refert Nangius in geſtis S. Ludovici, Ubi de terra Tenguth verba faciens ait, *Chriſtiani* ſunt homines illius terræ. *Ego ſiquidem fui in Eccleſiis eorum & vidi Jeſum Chriſtum depictum; tres quoque reges, unum aurum, alium thus, & alium myrrham offerentes, &c. Invenimus etiam multos Chriſtianos effuſos per terram Orientis, & multas Eccleſias pulchras, altas, & antiquas, quæ vaſtatæ fuerant à Tartaris, &c. In terra verò Indiæ quam beatus Apoſtolus Thomas convertit, eſt quidam Chriſtianus Rex, qui inter alios Reges, ut pote Saracenos, erat in anxietate magna poſitus: Nam undique faciebant ei violentiam, donec Tartari venerunt in terram illam, & ipſe factus eſt homo illorum, acceptoque exercitu ſuo, & Tartarorum, Saracenos invaſit, tantumque in terra Indiæ acquiſivit, quod tota Orientis India plena ſit Slavis Indicis.*

Verum annis abhinc ducentis poſtquam Luſitanorum navigationibus innotuit Europæis Abyſſinorum rex Chriſtianus, Presbyteri Joannis nomen ab Hiſtoricis ad eum tranſlatum eſt, quod hac occaſione imprudenter mihi contigiſſe videtur: Primi qui Proavorum memoria per Oceanum Atlanticum in Indiam Orientalem ſuperato Bonæ ſpei promontorio penetrarunt, indeque reflectentes cum Æthiopibus commercia habuerunt, animadvertentes Abyſſinos ſeu Abaſſinos, eorumque regem religionem Chriſtia-

ſtianam profiteri, ſtatim nulla alia inquiſitione facta Regem illum crediderunt eundem eſſe quem antiquioris ſeculi fama ſub nomine Presbyteri Ioannis per univerſam Europam vulgaverat. Ut ſtrenui illi Navigatores crediderunt, & retulerunt, ſic paſſim ab Hiſtoricis acceptum & vulgatum eſt. Primus qui hoc ſcripſit, fuit Damianus Goez Eques Luſitanus, qui varios tractatulos de hac re in lucem emiſit, magnumque habuit cum Matthæo Armeno primo Regis Abyſſinorum ad Regem Luſitaniæ legato commercium: Primus etiam legationis iſtius Hiſtoriam, atque Æthiopum Chriſtianorum mores publicavit. In tractatuum titulo, & ubique in narrationis contextu, Æthiopum regem vocat Presbyterum Joannem. Hunc ſecutus eſt Aloiſius Cadamuſti c. 58. & 60. Navigationum; Ludovicus Romanus Patricius Navigat. l. 2. c. 4 15. lib. 3. c. 3. & alibi, Alvares in legatione Æthiopica, Mapphæus hiſtor. Indicarum lib. 1. Genebrardus in Chron. an. 1513. & 1566. & plerique alii. Joſephus Scaliger opinatur Regem illum à Perſis, è quorum regione primùm ad nos illius cognitio derivata eſt, dictum פרסחנן *Preſthegan*, hoc eſt, Apoſtolicum, eo quod hoc religioſo epitheto ſeſe inſigniret. Alii volunt ſed minori cum probabilitate, vocem eſſe Æthiopicam, *Belulgiam*, aut, *Beldigian*, quæ Dominum ſignificet, excellentem & pretioſum, Ut Vincentius Albus Maſſilienſis in Itinerario ſuo. Ita quoque Damianus Goez tractatu de moribus Æthiopum ex relatione Zaga Zabo Æthiopis, qui ſecundus poſt Matthæum legatione functus eſt apud Luſitaniæ regem. Genebrardus hoc, ut opinor, etymon ſecutus in Chronico, paſſim Regem Abyſſinorum non aliter vocat quàm Æthiopiæ pretioſum. Quidquid ſit Presbyteri Ioannis Epithetum non à meridie, ſed ab Oriente ad nos pervenit, annis trecentis antequam ulla cum Abyſſinis & Æthiopibus Europæi commercia exercerent. Paulo Veneto qui Presbyteri Joannis imperium collocat in extremo Oriente & Septemtrione, non erant incogniti Abaſſini ſeu Abyſſini; nec etiam erat illi incognitum Abyſſinorum regem, illiuſque populos religionem Chriſtianam amplecti, & eſſe illis cum Arabibus Mahumetanis continua bella: Hæc enim deſcribit lib. 3. c. 43. 44. 45. Unde colligere licet nihil eſſe antiquo Presbytero Joanni cum recentiori commune, ſed Navigatorum incogitantiam, quam Hiſtorici imprudentes amplexi ſunt, unum altero permutaſſe.

Huic vulgari opinioni occaſionem dederunt Luſitaniæ reges. Cum enim ſibi propoſuerunt gyrata navibus Africa in Indiam Orientalem penetrare, homines miſerunt qui Mercatorum habitu per Ægyptum & Arabiam ad Indos ſeſe conferrent, Incolas diligenter de Rege Ioanne Presbytero ſciſcitaturi. Cum autem fama accepiſſent in Æthiopia ſupra Ægyptum Regem eſſe potentiſſimum & Chriſtianum, ſtatim ſibi perſuaſerunt Regem illum eſſe Ioannem Presbyterum quem Luſitaniæ Rex quærebat, quod à Luſitanis poſtea illuc navigantibus confirmatum eſt. Hæc fuſius enarrant Maffæus l. 1. Rerum Indicarum, & Oſorius ad finem l. 9. Huic opinioni diſſeminandæ non parum favit quod Æthiopia vocetur etiam India: Paulus Venetus eam vocat Indiam Inferiorem. Et in fine Concilii Nicæni apud Gelaſium Cyzicen. Concilii decreta committuntur Alexandro Alexandriæ Epiſcopo deferenda *per totam Ægyptum Libyam, & Pentapolim, & regiones finitimas uſque ad Indiæ Provincias*, quod aliter quam de Æthiopibus intelligi non poteſt. E contra antiquiſſimis Coſmographis Indi dicebantur Æthiopes: Unde Homero Æthiopes duplices dicuntur, ad meridiem & ad ortum, qui ſinu Arabico dividuntur, ut videre eſt apud Strabonem lib. 1.

Nonnulli ajunt Armenos quoque eſſe Neſtorianos, & Catholicum Armenorum, ſeu eorum Pontificem Oecumenicum omnibus Indiæ & Tartariæ Chriſtianis præeſſe. Ita Otto Friſingenſis l. 7. c. 32. neceſſariò intelligendus, cum dixit pluſquam mille Epiſcopos Armenorum Catholico ſubeſſe. Ita Ioſephus Indus Navigat. c. 133. ubi dicitur eum cum alio Epiſcopo ab Urbe Caranganor in Indiæ meditullio profectum ad Ormum inſulam in ſinu Perſico appuliſſe, indeque peragrata Perſide in Armeniam veniſſe, *ut conſalutarent reverentiſſime ſuum magnum Pontif. à quo dictus Epiſcopus initiatus ſacris, Ioſephque ad Sacerdotii gradum promotus eſt. Itidem agunt Chriſtiani omnes Indi, & regni Cathaji, &c.* Alii dicunt eos eſſe Eutychianos & Jacobitas. Ita Nicephorus l. 18 Hiſtor. c. 53. qui teſtatur à Iacobo ipſo, iſtius hæreſis altero autore fuiſſe primùm ſeductos. Vincentius in ſpeculo tom. 4. l: 30. c. 98. ſcribit eos nullo modo concedere velle duas in Chriſto eſſe naturas. Idem de iis aſſerit Photius Epiſt. 2. ſed addit eos iſtam hæreſim ejeraſſe, & fidem Catholicam eſſe amplexos. Hoc poſterius Photii dictum falſum eſſe ex Niconis fragmento de peſſima Armenorum religione demonſtratur, quod extat in variis Bibliothecæ Patrum editionibus, & adjectum eſt ad calcem commentariorum Balſamonis in canones antiquos. Videtur tamen

men Nico Armenos Eutychianis adnumerare, ſed varias hæreſes iis imputat, quæ minimè videntur probabiles. Extat in Bibliotheca Patrum opuſculum Theoriani cujuſdam viri docti qui ab Emmanuele Comneno Græcorum Imperatore an. 1170. ad Armenorum converſionem delegatus eſt. Refertur in eo diſputatio cum Armenorum Catholico, & ejus Epiſcopis habita. Sed Armeni unam in Chriſto naturam perpetuo profitentur quam ſententiam ſtrenuè impugnat, & evertit Theorianus. Verùm ex Catholicorum reſponſis colligitur, primùm Armenos nullo modo Neſtorianos eſſe Concilium Epheſinum, & S. Cyrilli libros admittere: Secundum, eos unam naturam in Chriſto profitendo errare magis ignorantia diſcriminis inter perſonam & naturam quàm deliberata unius ſubſtantiæ in Chriſto definitione. Ideo non minus ibidem Eutychii confuſionem quàm Neſtorii diviſionem execrantur.

Nihilo ſecius quidam recentiores autores qui à paucis annis in ea Provincia peregrinati ſunt, eos quoque Eutychianos affirmant. Concilium ſextum in Trullo varios eorum errores notat, ut videre eſt can. 32. 33. 56. 99. & apud Balſamonem hos canones commentantem: Idem quoque faciunt Vitriacus, Sannutus, Epitome apud Caniſium & Bzovium jam relata; ſed hæc inſuper Eutychianiſmi Armenos accuſat. Eſt autem omnibus populis illis Chriſtianis Orientalibus commune ſummum ſuum Pontificem vocare Catholicum, ſeu univerſalem, ut videre eſt apud Ottonem loco citato, Vitriacum c. 78. Sanutum l 3. p. 8. c. 3. Vincentium eodem loco c. 96. Paulum Venetum lib. 1. c. 6. vel 15. Joſephum Indum c. 133. Antiquiſſimus autem eſt apud eas nationes iſte ſummi ſui Pontificis titulus, cum illius mentionem faciat Procopius lib. 2. de bello Perſico. Vide ſi placet hac in cauſa quæ diximus lib. 1. Exercit. 3. & 16. de Patriarchis & Primatibus.

Parum noſtra intereſt, an Armeni Neſtorii blaſphemias, an Eutychis ampleƈtantur. Quidquid ſit hac de re, Neſtoriani Orientales, qui per Syriam, Aſſyriam, Perſidem, Indiam, aliaſque his finitimas regiones diſſeminati ſunt, ſeu etiam Armeni, ſæpius erroribus ſuis partim ejuratis partim in bonum ſenſum explicatis, Eccleſiæ Catholicæ aut uniti ſunt, aut uniri vehementer cupierunt, & adniſi ſunt. Primùm unionem petierunt anno 1145. quo Romam venerunt gentis illius Legati ad Eugenium III. *eique ex parte illius Eccleſiæ ſubjeƈtionem omnimodam, eum conſalutando offerunt*, ut ibi ſupra refert Otto Friſingenſis, qui præſens aderat, cum obſequium illud Pontifice obtulerunt, quique cum eis collocutus eſt. Eos, inquit idem, *Romanus Antiſtes gratanter ſuſcipiens, Miſſarum ſolemniis, ac ſacrificii ſecretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit.* Unio illa biennio antea fuerat in Concilio Hieroſolymitano inchoata. Huic Concilio, inquit Guillelmus Tyri Archiepiſcopus l. 15. *interfuit Maximus Armeniorum Pontifex, imò omnium Epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Perſidis, & utriuſque Armeniæ princeps, & Doƈtor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus à nobis diſſentire videtur populus ejus, habitus eſt traƈtatus, & ex parte ejus promiſſa eſt in multis correƈtio.* Quæ hanc unionem conſecuta fuerint, nemo, opinor, ſcriptis perſecutus eſt. Triginta ſex poſt annis, anno videlicet 1181. Unio illa repetita eſt, aut alia inita, ut teſtatur Genebrardus ad hunc annum. Unde hoc acceperit, non adnotat: Fortaſſe eadem eſt cum ea cujus mentionem facit Marinus Sanutus lib. 3. p. 8. c. 3. *Sciendum quod Armeni ſummo Pontifici, & ſanƈtæ Eccleſiæ Romanæ obedientiam promiſerunt: Quando ſcilicet Rex eorum ab Imperatore Romano Henrico terram ſuam recepit, & coronam regiam ab Archiepiſcopo Moguntino: Ritus tamen veteres & conſuetas obſervantias mutare noluerunt.* Sanutus forſan in nomine Imperatoris lapſus eſt. Tertia ſolemnis fuit, quamque nemo doƈtus ignorat, quæ ſcilicet in Concilio Florentino magno cum apparatu celebrata eſt.

Quarta Neſtorianorum cum Eccleſia reconciliatio ſeculo præterito facta eſt, an videlicet 1552. Julio tertio in Cathedra Petri ſedente. Tum Siud Ordinis S. Pachomii Monachus à Neſtorianis Aſſyriis Aſſyriæ & Perſidis electus Patriarcha Moſul, ſeu Seleuciæ Parthorum, qui etiam Babylonis Patriarcham ſeſe vocat, Romam venit ſuorum literis fretus ut à Pontifice confirmaretur. Fidei profeſſione facta, & ſenſu Neſtoriano ejurato Confirmationem & Pallium Patriarchale obtinuit, & in Patriam reportavit. Literas Epiſcoporum ad Patriarchatum Moſul pertinentium ad Pontificem datas laudibus Eccleſiæ Romanæ, & prærogativarum ejus ſplendentes, profeſſionemque fidei, Latinè tranſtulit, & edidit Andræas Maſius linguarum Orientalium peritiſſimus, & eo nomine apud doƈtos omnes celeberrimus. Huius legationis meminit Genebrardus in Chronico, & Petrus Stroſſa in Annalibus Bzovii ad an. 1330.

Re-

Reconciliationem ſic initam continuavit AbdJeſu præcedentis ſucceſſor S. Antonii Monachus, qui electus ab Epiſcopis Aſſyriæ & Perſidis Patriarcha ejuſdem civitatis Mozul Romam venit an. 1562. ad Pium IV. Pontificem, ut ab eo confeſſione fidei edita confirmaretur. Vir erat doctus, & linguarum cognitione inſignis, qui etiam confeſſione edita & accepta, deinde Confirmatione impetrata Concilio Tridentino interfuit, ut teſtatur Petrus Stroſſa apud Bzovium ad an. 1330. & Genebrardum in Chron.

Eam iterum continuavit Elias ejuſdem civitatis Mozul Patriarcha, legatumque ad Paulum V. miſit Adam Cameræ Patriarchalis Archidiaconum, & Chaldæorum Monachorum Archimandritam, qui Paulo fidei confeſſionem offerret, & obſequium præſtaret. Literas Eliæ ad Pontificem dedit Archidiaconus adeo honorificas, & autoritatis Romanæ obſervantes, ut nihil honorificentius deſiderari poſſit. *Non obſiſtam*; inquit Elias, *ſicut reliqui hæretici contra præceptum Sanctorum Apoſtolorum, & Patrum orthodoxorum, qui aſſirmaverunt quod ſedes Romæ magnæ tenet principatum; & ipſa eſt caput omnium ſedium. Abſit à me: Sed fateor quod Eccleſia Romana ſit mater Eccleſiarum. Et qui hoc non fatetur, ſit anathema.* Et paulo poſt. *O Pater, ecce fides mea pervenit ad tuam ſanctitatem cum Epiſtolis. Videas ſi eſt dolus in profeſſione noſtra, aut eſt error, & receſſio quædam à matre noſtra Eccleſia Romana. Admone, & faciemus: Doce, & obediemus.* Pleraque continet ejuſmodi in Eccleſiam Romanam obſequii & obſervantiæ ſummæ teſtimonia. Obtulit etiam ille Archidiaconus vir doctus fidei profeſſionem, & longam illius explicationem compoſuit qua contendit Patriarchæ ſui fidem ſenſu nihil omnino à fide Eccleſiæ Romanæ differre. Cum verò in his non ſatis eſſet inſtructus, ſe amplius inſtrui modeſtè paſſus eſt; tandemque abjurata hæreſi Neſtorii ad Patriarcham ſuum cum literis ſummi Pontificis communicatoriis remiſſus eſt. Hæc omnia integra, licet longiuſcula ſint, in Supplementum Annalium Cardinalis Baronii retulit ad an. 1330. Abrahamus Bzovius Dominicanus, quos rerum harum curioſus Lector conſulere poterit.

Non mihi videtur prætereundum, imò diligenter adnotandum quod idem Elias Babylonis Patriarcha ſcribit ad Pontificem, Patres Orientales olim Romæ ordinatos fuiſſe: Sed factum eſſe poſtea, ut qui mittebantur ad confirmationem procurandam in itinere interficerentur. Cumque diu hoc feciſſent, omneſque perirent, hoc autem Eccleſiæ & *Pontifici narrato, Pontifex conſilio inito decrevit, & dixit, ordinemus eis Patriarcham & permittamus ut Patriarchas ſibi eligant, ne in via pereant propter Confirmationem, neque eis mala accidant, & nos peccemus, aut ipſi ſint extra ovile Romæ. Sit itaque accepimus poteſtatem uſque adhuc, & non a nobis ipſis aliquid fecimus, ut reliqui qui Apoſtolorum canones conculcaverunt & leges Patrum.* Idem reſpondit Joſephus Indus Alexandro VI. Pontifici ab eo interrogatus qua autoritate Babylonis Patriarcha Orientalibus regionibus præeſſet, ut refertur c. 133. Indicarum navigationum jam ſæpius citato. Hoc profitentur etiam ipſi Neſtoriani, quoties apud eos Epiſcoporum fit ordinatio. Eos enim ordinantes publicè teſtantur, ordinationis jus & autoritatem ex conceſſione Sanctorum Patrum Occidentis penes ſe habere, ut legere eſt ad finem ordinationis Epiſcoporum Neſtorianæ.

Hæc curiosè Lector de Neſtorianis & eorum Regibus & Patriarchis occaſione rituum quos in ſacris ſuis ordinationibus obſervant, te præmonere volui, ut rerum quæ ipſis ab annis quingentis contigerunt, quibus reconciliationem cum Eccleſia Romana ambire, & renovare cœperunt, guſtum aliquem habeas. Cum autem juſtum præfationis modum jam exceſſerimus, finem illi imponimus, modò priùs unde Ordinationum iſtarum codicem acceperimus, tibi ſignificaverimus. Sacras iſtas Neſtorianorum ordinationes è Bibliotheca Vaticana habuimus, & diligenter exſcribi curavimus. Deinde Abraham Ekellenſis de nobis, deque Republica literaria bene meritus ἀνηγεφον cum αὐτογεφῳ rogatione noſtra diligenter contulit, nonnulliſque interrogatis noſtris hac de re amanter reſpondit.

IN VIRTUTE DOMIni noſtri JESU CHRISTI Incipimus ſcribere ordinem quo manus ⁷⁷ Lectoribus imponuntur.

Domine noſter adjuva nos ſecundum miſericordiam tuam ad rem hanc perficiendam, Amen.

PRIMUM accedunt ordinandi ad Epiſcopum, qui tondet eorum capillos, & cingulo ligat lumbos eorum: Ipſi autem ſtant ante gradum altaris; Epiſcopus verò ad altare ingreditur, & incipiunt Pater noſter qui es in cœlis. *Archidiaconus ſtatuit ordinandos coram* ⁷⁸ *gradibus ſecretarii, ut inde tollant veſtes, & operimenta ſua exteriora. Jungunt autem manus ſuas, & partes lectionum & ſtolas geſtat unus ex Diaconis. Tum Diaconus alta voce*, Pax nobiſcum. *Dicit Epiſcopus*, Virtus tua, Domine & Deus noſter, perficiat per manus infirmitatis noſtræ, & per medium parvitatis noſtræ compleat ſpirituale hoc miniſterium muneris Sacerdotalis, ⁷⁹ quod per ejus gratiam illi concreditū eſt: ſpiritualium munerum Donatur Domine omnium. Et reſpondent, Amen. *Incipit Præſul*, Confitemini Domino, & invocate, uſque ad, per univerſam terram. Et laudant intra, & repetunt extra, Confitemini Domino, & invocate in terra peregrina. *Præſul autem genu flectit coram throno donec abſolverint*, & abſoluto hoc prooemio non precatur Præſul, ſed oſculatur altare, & extra egreditur donec pedum ſuum paſtorale prehenderit, ſtatque ſuper gradum inferiorem, & pedum



ſuum tradit Archidiacono. *Tum Archidiaconus pacem precatur, Et Præſul remiſſa voce repetit,* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ omni tempore ſuppleat quod deficit beneplacito Dei Patri, & virtute Spiritus ſancti ſit ſemper nobiſcum, & per manus mediocritatis noſtræ perficiat miniſterium hoc tremendum & rationabile in animarum noſtrarum redemptionem: Deinde vocem attollit, Nunc & omni tempore, & in ſeculum ſeculorum. *Poſt hæc ſignum crucis imprimit in perſonam ejus, & reſpondent,* Amen.

His peractis Archidiaconus exclamat, Lectores ordinandi ſunt: Orate pro illis. (*Pronuntiet ea verba in numero ſingulari, ſi unus eſt ordinandus*) Et jubet eos aſcendere in primum gradum. Et repetit Præſul ſubmiſſa voce hanc benedictionem manu capitibus eorum impoſita; Sanctifica hos ſervos tuos, Domine Deus fortis & omnipotens. *Repete,* & elige illos electione excellenti in multitudine gratiæ tuæ, eoſque tua miſericordia dignos redde, quibus credatur lectio librorum ſanctorum, & verborum divinorum coram populo tuo electo in Eccleſia tua ſancta, ut ſine macula conſerventur omnibus diebus vitæ ſuæ per gratiam & miſericordiam Unigeniti tui, cui, & tibi, & ſpiritui S. laudē, honorē, confeſſionem & adorationem referimus. *Vocem attollit,* Nunc, &c. Deinde ordinandum ſignat ab anteriori parte faciei Verſus poſteriorem per medium capitis, & à dextera tendens ad ſiniſtram. Exclamant, Amen. *Traditque Præſuli Archidiaconus ſtolas* [10] *duplicatas, eaſque ſuper eorum brachia expandit, iis manus extenſas tenentibus.* Et [11] tradit eis unam ex partibus lectionis, vel unā ex duabus par-

partibus libri vitæ. *Hic eſt ordo in Lectorum conſecratione obſervandus.*

ORDO QUO SUBDIACONUS ORDINATUR.

EXclamat *Archidiaconus*, Subdiaconi ordinantur, orate pro illis. Erigit ſe ordinandus, & jubet eum ordinans aſcendere de gradu inferiore in medium. Aſcendit quoque Præſul, & ſtat in ſuperiore gradu. *Et profert Epiſcopus orationem hanc remiſſa voce*: Aſpice in hos ſervos tuos Domine Deus fortis omnipotens. *Repete*, Et elige eos electione ſancta ſecundum multitudinem gratiæ tuæ, eoſque in miſericordia tua redde dignos qui defectus ſuppleant in Eccleſia tua ſancta, & da eis Domine pro benignitate tua ut ſine macula cum corde puro, & conſcientia bona tibi miniſtrent, & in iis cognitio tua, & omnis virtus inhabitet per gratiam & miſericordiam unigeniti tui. Tibi, & ei, & ſpiritui ſancto laudem, & honorem, & confeſſionem, & adorationem referimus. Nunc, &c. *Vocem ſuam exaltat cum profert*, Nunc, &c. Deinde ſignat eorum capita, & librum accipit de manu ejus qui ordinatur, & eum in capite oſculatur, *traditque librum Archidiacono, deinde ſtolam accipit*, & eâ collum ejus circumdat, & aſcendere eos facit ad gradus ſeſe mutuò tenentes, & qui primus eſt, oram ſeu fimbriam veſtimenti Præſulis tenet. Ipſe verò ſtat ad portam altaris, juberque iis ut dicant Oremus, pax nobiſcum.

RITUS ORDINATIONIS DIACONI.

ORat pro iis. Purus & diligens puros Domine. *Repete*, Effunde lumen tuum purificans ſuper hos ſervos tuos, & præſta illis virtutem tuam & auxilium tuum, ut cum ſplendore & puritate myſteriis tuis inſerviant, & mandata tua ſancta, ſanctificantia membra eorum perficiant. Tu excelſus humiliaſti excellentiam majeſtatis tuæ, & deſcendiſti in mundum noſtrum, & operatus es redemptionem omnium creaturarum. Tu Domine hos ſervos tuos dignos effice qui ingrediantur altare tuum ſanctum, & miniſtrent coram throno tuo ſublimi, qui in terra fixus eſt ad typum & ſimilitudinem cœleſtis, Largitor donorum ſpiritualium, omnium Domine, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Et ad altare ingrediuntur, Præſulque canonem incipit. Domine quis habitabit. In puritate cogitationum, Domine noſter, fac me ſtare coram altari tuo. *Deinde ſtat Præſul ſuper ſedem, & qui ordinandi ſunt ſubtus candelabrum, ubi adorant. Tum dicit Archidiaconus*, Oremus, Pax nobis. Epiſcopus dicit, Auxilium Domine deſiderandum miſericordiæ tuæ, quod ab altari tuo ſancto conceſſum eſt, & conceditur adorantibus te omnibus ſeculis, ipſum circumdet à dextris & ſiniſtris, ab anteriori parte, & poſteriori, hos ſervos tuos qui te adorant, & illud accipere deſiderant, Donator munerum ſpiritualium, Domine omnium. *Deinde ſuſſitum ſuavem facit Præſul, & incipit hos hymnos:* Doce me Do-

Domine viam mandatorum tuorum. Oſtende mihi Domine viam tuam: Doce me Domine ut ambulem. *Repete.* Lauda. omni tempore eſtote vigilantes. *Et dicit Archidiaconus:* Oremus, Pax nobiſcum. *Orat epiſcopus.* Chriſte qui dignus es cui homines inſerviant, cui placuit redemptioni omnium noſtrum miniſtrare, te oramus & poſtulamus, ut introducas, Domine, componaſque & adaptes hos ſervos tuos cœtui ſepteno Stephanitico quem elegerunt Apoſtoli tui Sancti. Bone, qui approbas miniſterium cordis puri & perfecti, Largitor donorum ſpiritualium Domine omnium. *Et adorant ordinandi* donec abſolvatur canon. Deinde Præſul incipit hunc canonem. Doce me Domine viam mandatorum tuorum. Virtutem tuam Domine noſter infunde in ſervos tuos, ut in nomine tuo myſteria perficiant ſervitutis tuæ in ſanctitate, eoſq; imple gratia tua. *In eodem tono.* Chriſte qui elegiſti Stephanum, & Philippum, & Procorum & Niconorem, & Nicolaum, & Timonem, & Parmenam elige ſervos tuos in miniſterium tuum. *Tun dicit Archidiaconus.* Oremus, Pax nobiſcum. *Precatur Præſul.* Tibi Chriſte Miniſtro domus ſanctæ & tabernaculi veriratis, quod ſuſcepit Deum & non hominem; qui non venit ut miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, offerimus orationem pro his ſervis tuis qui ſeparati ſunt & ſelecti in tuum miniſterium. Imple eos Domine & Deus noſter donis tuis, ut præclarè Miniſtrent tibi, ut decet ſanctitudinem tuam. Sancte, qui à Sanctis ſanctè ſanctificatur, largitor donorum ſpiritualium, Domine omnium. *Canon.* Beatus ille. Gratia Domini à ſe-

à ſeculo eſt. Gratiam domus Domini Petri, quæ deſcendit in Stephanum, Domine noſter Jeſu juſte, per miſericordiam tuam copiosè effunde in ſervos tuos, & expande. *In eodem tono.* ô qui fecit Angelos ſuos ſpiritum, & Miniſtros ſuos ignem urentem. Benedic Domine adorantibus te, ut miniſtrent myſteriis tuis laudandis. *In eodem tono.* Jeſu Domine cœleſtis qui ſtatuit ſeipſum Miniſtrum in humilitate & voluntate, non in eſſentia & natura, concede virtutem ſpiritualem quam accepit Stephanus juſtus & rectus ſervis tuis, qui hodie cum ſpe & fiducia coram te ſtant, & ad te reſpiciunt, ut ſint Miniſtri ſicut decet pro gradu, ſerviantque corde tranquillo. *Alius, eodem tono.* Chriſtus Dominus noſter in bonitate ſua, & abundantia ſuavitatis ſuæ gubernavit divitias doni ſui, juxta ſapientiam cognitionis ſuæ, & ſtatuit vos pro beneplacito ſuo Miniſtros in medio Eccleſiarum ſuarum, elegitque vos in miniſterium domus ſuæ, & ad majeſtatem ſuam celebrandam; ipſe diſtribuat vobis theſauros ſuos ſicut majeſtatem ejus decet, & ſanctificet vos virtute verbi ſui, ut myſteriis Eccleſiæ ſuæ miniſtretis, & cuſtodiatis, faciatiſque voluntatem ejus, & nomen ſanctitatis ſuæ laudetis. *Aliud, eodem tono.* Cum exercitu domus Stephani, & cohorte domus Philippi, & Parmenæ, & Procori, & Nicanoris, & Nicolai; & cum Apoſtolis Petro & Paulo, & Euangeliſtis Matthæo & Marco, & Martyribus Sergio & Baccho, & Georgio & Cyriaco, conjunge eos Domine cum ſervis tuis Juſto & Athanaſio. *Aut iſtum*, In multitudine Do-

Domine. In luce, *usque ad* manus auxiliata est ei. Auxilium gratiæ tuæ, Redemptor noster, præsta adorantibus te, & corrobora eos ut sancte tibi serviant in corde puro & vero, atque in fide. *In eodem.* Gratiam Spiritus Sancti quam accepit Stephanus, & socii ejus, accipiat, Domine noster, servi tui, qui selecti sunt ut serviant altari tuo glorioso & sancto, & mysterus tuis propitiandi vim habentibus. *Item.* Christe qui Apostolis sanctis spiritum in linguis igneis dedisti, Da his servis tuis linguâ igneam, & talenta spiritualia, ut iis præditi diligenter negotientur, & lucrum faciant in populo tuo sancto. *Aut hunc.* In diuturnitate. Desiderium cordis ejus, *usque ad*, cum gratia Excelsi. Virtutê gratiæ tuæ, Redemptor noster, descendere fac super servos tuos, ut in typum & figuram Angelorum tuorum præclarè ministrent intra altare tuum. *In eodem.* Dominus qui laudatur in propinquis suis, & in Electis suis honoratur, Tu præbe auxilium adorantibus te, qui donû tuum acceperunt. *Oratio.* Tibi mare magnum & immensum misericordiarum, & indulgentiæ; abyssus gratiæ & miserationis qui contrectari & exhauriri non potest, te oramus, à te petimus & postulamus: Perfice Domine Deus noster cum his servis tuis donum tuum; abundè effunde super eos gratiam tuam, & auxilii tui vires in iis multiplica: Corrobora illos ut in ministerio suo tibi placeant, & in vias mandatorum tuorum rectorum ambulent, meditenturque in libris tuis vivificis, & divinis, Dator donorum spiritualium, Domine omnium. *Canon.* Ad te levavi oculos meos. Copiosè effunde gratiam tuam Dòmine noster



noſter ſuper ſervos tuos *Singuli reſponſum, uſque ad* Miſerere mei Domine, miſerere mei, *donec repetierint hunc canonem. Genua coram altari flectit Epiſcopus, poſtea ſtat: Deum autem in corde ſuo laudat*, quod eum alto hoc gradu dignatus fuerit. *Et repetunt illum in fine Pſalmi. Tum jubet Archidiaconus ordinandos genu dexterum flectere, & ſiniſtrum erectum habere*, quod unicum talentum acceperint. *Ambas etiam manus apponunt auribus ſuis, & erigunt digitos qui ſunt verſus pollicem in altum.* Committit autem ordinans pedum ſuum paſtorale Archidiacono, qui dicit Oremus, pax nobiſcum. *Scias ad omnes Laudes canonum quas dicit Præſul, Ordinandis eſſe adorandum. Repetit Præſul orationem hanc inclinationis voce æquabili manum dexteram imponens ſuper caput illius qui ordinatur; ſiniſtram verò extendit extenſione deprecantis*, & dicit lentè & remiſſa voce Deus noſter bone, & rex noſter, qui miſericordiis plenus es. *Repete.* Ille es, qui dives eſt in miſerationibus ſuis, & gratiis abundans: Tu Domine bonitate tua inenarrabili poſuiſti me mediatorem donorum tuorum divinorum in Eccleſia tua Sanéta, ut darem in nomine tuo Miniſtris myſteriorum tuorum ſanétorum talenta miniſterii ſpiritualis; & juxta traditionē Domine Apoſtolicam quæ ad nos per impoſitionem manus miniſterii Eccleſiaſtici delata eſt, ecce offerimus tibi hos ſervos tuos ut ſint Diaconi eléti in opere tuo ſanéto, unde pro iis oramus omnes. *Repete*, Ut veniat ſuper eos gratia Spiritus Sanétitatis, perficiatque & conſecret eos ad miniſterium illud exercendum ad

ad quod eos offerimus per gratiam & misericordiam Unigeniti tui. Tibi, & ei, & spiritui sancto gloriam, & honorem, & confessionem, & adorationem referimus, Nunc. *Signatque eorum capita, & respondent*, Amen. *Tum dicit Archidiaconus*, Tollite oculos vestros in excelsa suprema, & misericordiam, gratiamque à Deo petite pro his & his Subdiaconis qui ordinantur, & constituuntur Diaconi in Ecclesia Dei cui destinati sunt. Orate pro illis. *Apprehendit & ponit manum dexteram super capita eorum, & sinistram extendit in modum deprecationis. Et hæc repetit Præsul super eorum capita*, Domine Deus fortis omnipotens. *Repete*, Sanctus, & laudandus, qui servat pactum, & gratiam, & veritatem timentibus eum, & custodientibus mandata ejus. Tu per gratiam tuam dedisti cognitionē veritatis omnibus hominibus in revelatione filii tui unigeniti Domini nostri Iesu Christi quæ in carne facta est; & elegisti Ecclesiam tuam sanctam, & suscitasti in ea Prophetas, & Apostolos, & Sacerdotes, & Doctores, ad perfectionem Sanctorum, & in ea quoque posuisti Diaconos puros ad ministerium mysteriorum tuorum glorioforum & sanctorum: Et quemadmodum elegisti Stephanum & socios ejus: Ita nunc quoque Domine secundum misericordiam tuam da servis tuis istis gratiam Spiritus Sancti, ut sint Ministri electi in Ecclesia tua sancta, & servviant altari tuo puro cum corde puro, & conscientia bona, & splendeant in operibus justitiæ, ministrantes mysteriis tuis divinis, & vivificantibus, digni-



dignique fiant à te accipere " mercedem cœleſtem & bonam in die quo ſecundum gratiam & miſerationem unigeniti tui retribuetur huic puro & ſancto miniſterio quo tibi miniſtrarunt. Tibi, & ei ſpiritui ſancto gloriam & honorem, & confeſſionem, & adorationem referimus, Nunc. *Poſtea cruce ſignat Epiſcopus eorum capita: Clamant*, Amen. *Deinde jubet eis ut ad terram proſtrati adorent, & ſeſe erigant. Quo facto tollit de collo eorum ſtolam, eamque adaptat humero ſiniſtro. Poſtmodum Archidiaconus librum Apoſtoli tradit Epiſcopo, qui eum apprehendendum præbet unicuique eorum qui ordinantur eumq; ſignat inter oculos digito qui eſt pollici vicinus incipiens ab inferiori parte, & tendens ad ſuperiorem, atque à parte dextera verſus ſiniſtram, & dicit*, Separatus eſt, ſanctificatus eſt, perfectus eſt, conſecratus eſt N. ad fungendum miniſterio Diaconatus Eccleſiaſtico, & opere levitæ Stephanitico, In nomine Patris, & Filii, &c. eumque in capite oſculatur, & hunc canonem dicit, "Et Diaconus. *Archidiaconus circumducit eos à dextris & ſiniſtris altaris. Epiſcopus autem librum de manibus eorum tollit, & tradit Archidiacono, baculum vero accipit in manum ſuam, & aſcendit in ſedem altaris,* "2 & μετάνοιαν ſeu proſtrationem facit, deinde canonem incipit cujus initium, *Ab antiquo.* Proximus eſt Dominus: Chriſte qui ſervis ſuis dedit talenta argentea ſpiritualia," concede auxilium adorantibus te qui donum tuum ſuſceperunt. *In eodem.* Non in manibus veſtris proſperant viæ noſtræ, Chriſte redemptor noſter; Quia tu es qui virtute & ſapientia tua ſtabilis & con-

& confirmas opera noſtra. Te invocamus, Domine noſter. *Deinde Præſul unumquemque ex iis benedicit, dicens,* Chriſtus qui te obtulit in miniſterium ſuum perficiat te ad opus juſtitiæ in ſecula. Cum autem abſolvit canonem precatur coram throno, Domine, & hymnum Secretarii incipit. Procedunt ad altare, & crux cum eis. Si non adſunt myſteria adjungunt poſt canonem, Pater noſter qui es in cœlis. Et abſolvunt. *Finit Ordinatio, Lectorum, & Subdiaconorum, & Diaconorum. Domino noſtro laus & honor. Amen.*

ITEM CUM AUXILIO divino Scribimus Ordinationes Sacerdotum. Domine noſter adjuva me ſecundum miſericordiam tuam. Amen.

PRimùm incipiunt, Pater noſter qui es in cœlis. *Et Præſul precatur.* Virtus tua Domine, Deus noſter, per manus infirmitatis noſtræ, & compleat media parvitate noſtra miniſterium hoc ſpirituale doni Sacerdotalis, cui beneficio Majeſtatis tuæ concrediti ſumus, Largitor donorum ſpiritualium, Domine omnium. Et incipit, Quam dilecta ſunt. *Scito Domine quod in omni laude, & in omni prece, & in omni canone adorant ordinandi ad terram uſque proſtrati. Primum Præſul abſcindit "capillos illius qui ordinatur, & cingulo ligat lumbos ejus, & dejicit cucullam ejus ſuper humerum ejus ſiniſtrum, & ingrediens ſtat in medio Secretarii.* Tum Archidiaconus, ſtatuit, ſeu orat pacem. *Et precatur Epiſcopus.* Stolam Domine Sacerdotii, & re-



& reliqua. ℣ Commendati ſumus, & commiſſi: Dator donorum ſpiritualium omnium Domine. *Poſtea incipit*, Quàm dilecta. *Voce mutata*, ô tibi Sacerdos, Quam magnus eſt gradus cui tu miniſtras; quia Miniſtri lucis & ſpiritus in conſpectu ejus contremiſcunt. Glorioſus Gabriel, magnus Michael. Hoc teſtatur nomen eorum: At ſi comparentur cum Sacerdotio, multò ſunt inferiores. *Pſallunt Laudes, & repetunt initium Pſalmi cum mutatione toni.* Venite accedamus ad Sacerdotium, terræ ſalem quod virtute ſpirituali inſipidis dat ſaporem. *Et adprecatur Archidiaconus pacem, & precatur Præſul,* Stola Domine Sacerdotii veteris & novi qua induiſti veraces tuos, hac indue adorantes te qui manus ſuas extendunt coram throno divinitatis tuæ, & corrobora eos ut offerant tibi ſine macula ſacrificia pacifica diu noctuque, Dator donorum ſpiritualium, Domine omnium. *Ponunt odoramenta, & incipit hunc hymnum,* Qui puri. Sacerdos cum ingreditur ad altare Sanctitatis. Laudat Sacerdos invocans ſpiritum ſecretò. *Si autem ſint plures, dicit hæc:* Cavere oportet, Sacerdotes ſancti ut laveris conſcientias veſtras ab omni ſorde iniquitatis. *Laus.* Sacerdotes qui digni facti eſtis Angelorum ſtatu cavete ab iniquitate. *Oratio.* Oleo Sanctitatis Domine unge hos ſervos tuos: Manus tua iis auxilietur, brachium tuum confortet eos, ut ſacrificio fungantur in Eccleſia tua ſancta, & perficiant miniſterium myſteriorum tuorum propitiantium in ædificationem animarum te adorantium,

Dator donorum ſpiritualium Domine omnium *Canon.* Beatus ille. Domine in ſplendore, *uſque*, illa adjuvit eum. *Et ſuper una perſona.* Deſiderium cordis ejus dediſti *uſque* Gratia Excelſi. Rex factor & factus. Unus Dominus, & filius unitus, introduc ſervos tuos ad opus ſanctificationis & conſecrationis myſteriorum & baptiſmi, & corrobora illos nutu tuo adorando ut tibi cum pudore clam & palam ſimul Sacerdotio fungantur ſicut in lege conſtitutum eſt, & conſpiciantur viatico inſtructi hic & in futuro ſeculo. *Item*, Chriſte Sacerdos veritatis cujus Sacerdotium nunquam omnino præterit, operare erga ſervos tuos id quod adjuvat; & indue illos ſplendore & decore, ut Sacerdotio fungantur tibi præclarè & cautè, quod tibi placeat, & talenta quæ acceperunt in ſpem quæſtuoſæ negotiationis, quæ per Spiritum virtutem nanciſcitur, tandem ponant ſuper menſam cum abundante lucro, ut digni fiant voce illa ſpe plena intrandi in gaudium quod non finitur. *Vel hanc*, Ambulent de virtute: De virtute Domine in virtutem: Extolle & eleva adorantes te, & dona tua cum eis perfice, & eorum capita diademate corona, & in cordibus eorum tanquam in arca gratia tua recondantur, & auxilia tua iis abundè præſta, & virtutibus [12] labores eorum imple. *Item*, Sors ad eos qui te adorant derivatione ſpirituali pervenit, ut exerceant & negotientur duo talenta, ſanctificationis myſteriorum & baptiſmi. Chriſte Domine donorum, da illis virtutem cum iis quæſtum faciendi. *Oratio.* Effunde Domine Deus noſter gratiam tuam ſuper hos ſervos tuos,

confecrans manus corum in puritate & candore, ut accedant ad miniſterium myſteriorum tuorum propitiationem operantium, & ad ſanctificandam urnam propitiantem baptiſmi ſancti, fontem de quo generat filios ſpirituales, mortales quidem, ſed gratia & miſericordia tua ad immortalitatem: Largitor donorũ ſpiritualium Domine omnium. *Canon in tono, Parcendo parce.* Bona fecit. Bonus qui tradidit Diſcipulis ſuis virtutem Dominationis in excelſa & profunda, da Domine virtutem gratiæ tuæ adorantibus te. *Item*, Spiritus Sanctus Paraclitus qui deſcendit & habitavit ſuper Diſcipulos, ipſe Domine deſcendat ſuper capita te adorantium. *Item*, Quàm multæ miſericordiæ tuæ Deus, *uſque*, Juſtitia tua Rectis. Virtutem gratiæ Spiritus Sancti infunde & habitare fac ſuper ſervos tuos, quos elegiſti ut ſacrificio fungantur in Eccleſia tua glorioſa; & eos per gratiã tuã ſanctifica. *Item*, Myſteria ſunt diſpoſita, Sacerdotes pſallunt, Vigiles Angeli circũdant, ordines timent, Virtus fovet, adorandus ſpiritus omnia ſanctificans. *Oratio.* Inunda Dñe ubertatem gratiæ tuæ, & diluvia donorum tuorum in capita te adorantium, qui divinum donum tuum deſiderant, eoſque corrobora, ut ſanctis tuis altaribus deſerviant, & reſonent vocem laudis tuæ populo cruce tua redempto, & enarrent miracula tua gregibus ſigni tui vivi & vivificantis impreſſione notatis: Largitor donorum ſpiritualium Domine omnium. *Canon.* Ad te levavi oculos. Copiose effunde gratiam tuam Domine ſuper ſervos tuos. *Et accedit ad ordinandos, & utrumque genu eos flectere jubet, ſimul*

ſimul extendentes manus ſuas ſuper oculos ſuos. In eo quod duo genua flectunt, ſignificatur eos duo talenta accepiſſe: In extenſione autem ambarum manuum ſuper oculos ſignificatur propriè illis eſſe datam à Domino facultatem & poteſtatem invocandi Spiritum Sanctum, & benedictiones largè impertiendi, gignendique filios ſpirituales, eoſque cibo ſpirituali alendi, & paſcendi. *Et profert Archidiaconus, Oremus.* Pax nobiſcum. *Et repetit Præſul demiſſè*, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ omni tempore quod deficit ſupplet cum beneplacito Dei Patris, & cum virtute Spiritus Sancti, ſit omni tempore nobiſcum, & perficiat manibus noſtris miniſterium hoc tremendum, & excelſum in redemptionem vitæ noſtræ. *His dictis vocem attollit*, Nunc & ſemper. *Deinde ſignat. Et profert Archidiaconus, Pax eum repetitque Præſul hanc manus impoſitionem manu dextera poſita ſuper caput ejus qui ordinatur, dicitque demiſſa voce.* Deus noſter bone, & Rex noſter plene miſericordiarum. Tu es ille miſericordia dives & gratia abundans. Tu Domine inenarrabili gratia tua poſuiſti nos mediatores divinorum donorum tuorum, ut donemus in nomine tuo miniſterii ſpiritualis talenta ſanctorum tuorum myſteriorum Miniſtris: Et juxta traditionem Domine Apoſtolicam quæ propagata eſt ad nos uſque in ordinatione miniſterii Eccleſiaſtici, Ecce offerimus tibi hos ſervos tuos, ut ſint Presbyteri electi in Eccleſia tua ſancta, & pro iis oramus omnes. *Repete.* Ut veniat ſuper



ſuper eos gratia ſpiritus ſanctificationis, & perficiat, conſummetque eos in opus miniſterii Sacerdotalis, ad quod exercendum offeruntur, Per gratiam & miſericordiam Unigeniti tui. Tibi, & ei, & ſpiritui ſancto gloriam, honorem & confeſſionem & adorationem referimus, Nunc. *Deinde ſignat eorum capita, dicitque Archidiaconus*, Tollite oculos veſtros in excelſa ſuprema, & poſtulate miſericordiam à Deo clemente pro his & his Diaconis qui ordinantur, & conſtituuntur Presbyteri in Eccleſia Dei cui ſunt ſelecti. Orate pro illis. *Et dicit Præſul ſuper eos ſubmiſſè dum dexteram ſuper eorum capita impoſuit.* Domine Deus fortis & omnipotens, *repete*, factor cœli & terræ & omnium quæ in eis ſunt: Ille es qui elegiſti Eccleſiam tuam ſanctam, & poſuiſti in ea Prophetas & Apoſtolos, & Doctores, & Sacerdotes ad perfectionem Sanctorum, & in opus miniſterii, & in ædificationem corporis Eccleſiaſtici. Tu ergo Deus magnus virtutum, Rex omnium ſeculorum, reſpice etiam nunc in hos ſervos tuos, & elige eos electione ſancta per habitationem Spiritus Sancti: Donaque illis in apertione oris ſui ſermonem veritatis, & elige illos ad officium Sacerdotale, Domine Deus fortis, ut ponant manus ſuas ſuper Infirmos, & ſanentur; & corde puro, conſcientiaque bona inſerviant altaribus tuis ſanctis, cum offerent tibi oblationes orationum, & ſacrificia laudis in Eccleſia tua ſancta; & in virtute doni tui ſanctificent " ſinum propitiantem in generatio-

tionem myſticam eorum qui à gratia tua vocantur ad participationem adoptionis filiorum majeſtatis tuæ; ornent quoque & illuſtrent operibus juſtis filios Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ ad laudem nominis tui ſancti: ita ut pro hoc miniſterio mundo quo miniſtrarunt tibi fiduciam conſequantur in novo ſeculo, ſtentque confidenter coram ſolio Majeſtatis tuæ tremendo per gratiam & miſericordiam Unigeniti tui. Quoniam tibi, & ei, & ſpiritui ſancto gloriam, honorem, confeſſionem, & adorationem referimus, Nunc. *Tunc ſignat capita eorum, & imperat eis ut adorent proſtrati in terram, & ſurgant. Poſtea Præſul cucullam accipit quæ poſita fuerat ſuper humerum uniuſcujuſque eorum, & ea illum induit*; tollitque orarium de ejus humeris, & illius pectori imponit. *Et accipit Epiſcopus ipſe librum adorandum Euangeliorum, & tradit eum in manus illius qui ordinationem accepit, eumque ſignat inter oculos pollice dextro, dicitque.* Separatus eſt, ſanctificatus eſt, perfectus eſt, conſecratus eſt N. in opus ſanctum Eccleſiaſticum, & in miniſterium Sacerdotii Aaronitici, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Deinde accipit Præſul Euangelium, & tradit alteri. *Sic facit ſingulis quotquot ſunt. Cum autem omnes cruce ſignati fuerint, Præſul tollit ab eis Euangelium, illudque tradit Archidiacono. Ille autem qui ordinatus eſt flectit genu, & ſtat. Præſul vero baculum ſuum accipit, & re-*



& revertens aſcendit ſedile; & coram altari adorat; & illud ſalutat. Tum convertit faciem ſuam verſus Occidentem; & incipit canonem; Proximus eſt Dominus. Chriſte tu es ille qui dedit ſervis ſuis talenta argentea ſpiritualia, concede auxilium adorantibns te, qui dona tua acceperunt. Item; non in manibus noſtris proſperant viæ noſtræ, Chriſte redemptor noſter; Quia tu es qui virtute & ſapientia tua diſponis opera noſtra. Te Domine noſter invocamus. *Dum autem dicitur canon, apprehendit Archidiaconus eos qui ordinati ſunt, & jubet eos ſalutare altare, & Epiſcopum & Sacerdotes & Diaconos. Illi autem oſculantur capita eorum.* Si adſint myſteria, orant ante thronum Domini, & incipiunt canticum Secretarii, & egrediuntur in templum, cruxque eos comitatur cum luminaribus & thure. Si autem myſteria non ſint, dicunt poſt canonem, Pater noſter qui es in cœlis, & precantur ut conſuetum eſt; & abſolvunt.

Finit ordo impoſitionis manus Presbyterorum. Laus ſit Deo, & ſuper nos miſericordiæ ejus, & ſuper univerſum mundum à finibus ejus, benedictiones, miſerationes, & gratia ejus ſemper multiplicentur. Amen. *Orate pro me in charitate.*

ITEM CUM AUXILIO Chriſti, & adjutorio gratiæ ejus incipimus ſcribere ſeriem Ordinationis Epiſcoporum.

TEmpore Veſpertino cum incipit ingreſſus in primam Sabbati *jubet Epiſcopus ut vigilia fiat, & ſeliguntur hymni cantandi;* nempe, Ante Apoſtolos ſanctos Tri-



Trinitas. Vel, Apoſtoli ſancti, Doctores. Lauda. Da Eccleſiæ tuæ Redemptor mundi, tranquillitatem & pacem fili Dei: ut portæ inferi nunquam prævaleant ei: Confirma ei verbum tuum, Unigenite qui poſt. Apoſtoli ſancti Redemptor noſter, qui in ortu diei ejus. *Et pauſam fac quando convenit.* In nocte autem incipimus, à capite Davidis. Et dicunt in cathedra cantica Apoſtolorum, & theſaurum Euangeliſtarum, & cantica vigiliæ diei: Et conjungunt, Dominus regnavit. Extollam te Domine. Lauda Dominum laude. Laus in Eccleſia, Canticum aſcenſus diei. *Et adjungunt de Apoſtolis quod volunt. De matutino quoque & canone diei & Apoſtolorum.*

Et mane illius diei tempore horæ tertiæ congregantur fideles in Eccleſia. Egreditur Patriarcha, aut Metropolita, & Epiſcopi qui convenerunt apud eum ornati ss palliis Pontificalibus & pedis ſuis, Et incipiunt, Pater noſter qui es in cœlis: recitantque officium ſeu gradus illius diei. Eoque finito, *ille qui ad ordinationem accedit ſtat in medio altaris juxta ordinem quem accepit,* ſive Diaconatus ſive Presbyteratus. *Et imponit: Archidiaconus pacem, precaturque Præſul.* Laus rivulis effuſis gratiæ tuæ, & adoratio throno Majeſtatis tuæ, Et omne genus gratiarum actionis virtuti perfectæ, & vinci neſciæ Trinitatis tuæ laudabilis, quæ donorum cauſa eſt, & ordinatrix conſummationis rerum æterna, quæ nec incipit, nec finem habet, Et donatrix donorum ſpiritualium, Domine omnium pater. *Et incipit,* Gratia Domini in ſeculum.



In peregrinatione uſque ad Martyrem, vel memento. ℣ *In tono hoc.* Illa gratia; & illud donum quod deſcendit, & habitavit ſuper Diſcipulos, ipſummet Domine illabatur, ipſummet Domine habitet ſuper adorantes te, nunc & in ſeculum. Tibi commendo ego claves theſauri ſpiritualis, ut liges & ſolvas quidquid eſt in terra, & in cœlo. Et precantur. Tibi theſaurus abundans auxiliorum divinorum, & fons omnium bonorum, & donorum ſpiritualium. Mare quod menſurari non poteſt gratiarum de Sancto Sanctorum: Abyſſus quæ explorari non poteſt à creaturis terrenis, quæ perficere ſolet motu ſuo dextero omnes ordines Eccleſiaſticos. Oremus mente placante ut accipias à nobis ſacrificia propitiatoria & ſpontanea, & imponas ſuper ſervum tuum dexteram miſericordiarum tuarum æternarum, ut adminiſtret myſteria Sacerdotii juxta mandata Euangelica, omnibus diebus vitæ ſuæ præſentis, Largitor donorum ſpiritualium, Domine omnium. *Suffumigant odoramenta, & incipiunt hymnum*, Omnia fecit, *& repetunt eum*, Et laudant Sacerdotium domus Aaron, *Vel*, adjungunt Sacerdotium domus. Spiritus Sanctus qui miſſus eſt. Paſtor cœleſtis. Spiritus Paraclitus. Et laudant, Benedictus qui magnificavit vos, Sacerdotes Sancti. Benedictus qui vos triumphare fecit, Athletæ veritatis. Adorandus Spiritus Sanctus cujus virtute compreſſiſtis omnem hæreſim, & congregaſtis oves Jeſu Redemptoris noſtri quas acquiſivit ſanguine ſuo pretioſo ſuper Calvariæ locum. Dominus Ignatius & Polycarpus, & Athanaſius, & Eu-

& Euſtathius, & Meletius, & Paulinus, & Gregorius, & Baſilius, & Gregorius, & Ambroſius, & Diodorus, & Joannes, & " Theodorus mare Sapientiæ, & Dominus Alexander Victor: Architecti Eccleſiæ Sanctæ, Magiſtri myſteriorum Dei, & Doctores cultus veritatis: Preces eorum ſint nobis murus & propugnaculum. *Poſtea orant.* Te munerum dator, & " ad largitiones pronus, mare magnum omnium divitiarum, deprecamur, Da Domine huic ſervo tuo qui electus eſt in miniſterium tuum, divitias incommenſurabiles gratiæ tuæ, & da in manu ſua virgam extenſam ſummi Sacerdotii, ut per eam regat populum tuum & cum timore Dei, & omni ſanctitate paſcat oves quas altiſſimus ipſi credidit omnibus diebus vitæ ſuæ ſuper terram. Largitor donorum ſpiritualium Domine omnium: Et dicunt canones, Unuſquiſque ordine ſuo. *Canon.* In multitudine. Beatus homo quem tu. *Vel*, qui benedixit Diſcipulis ſuis in Bethania tempore aſcenſionis ſuæ. Extende dexteram tuam, & benedic ſervo tuo in virtute gratiæ tuæ ut ſit Paſtor, & Viſitator ovium gregis tui. *Item*, Chriſte qui Petro dediſti claves excelſi & profundi, Tu Domine concede virtutem auxilii tui ſervo tuo quem elegiſti ut donum Spiritus Sancti gregi tuo adminiſtret. *Aliud in tono*, *Jamdudum*, Sit manus tua dextera. Gratia tua quæ à Spiritu Sancto eſt, quam accepit Simeon filius Jona, hanc accipiat qui adorat te, ut regat Eccleſiam tuam cum decore & gloria. *Item,*



Item, Redemptor noſter filio Jonæ mandavit ut paſceret gregem tuum, etiam nunc præſta virtutem ut regat populum tuum & Eccleſiam tuam, quoniam præfeciſti eum. Chriſte! qui talentis negotiationis aſſimilavit dona ſua, da ſervo tuo lucrum abundans de negotiatione ſua, viresque & robur donorum, gradum gradui. *Item*, Spiritus Sanctus qui in Eccleſia conſtituit gradus Sacerdotii reple auxilio Præſulem & Electum ſervum tuum quē ſegregaſti, & adde illi virtutem ſuper virtutem, laudemque ſupralaudē. *Item*, In Sacerdotio domus Simeonis Sacerdotem agat ſervus tuus, Redemptor noſter! dignuſque fiat hoc munere cum puritate in medio domus ſanctitatis, ut Indulgentiam concedat ovibus gregis tui. *Item*, Redemptor noſter qui Simeoni dediſti claves excelſi & profundi, ut ligaret & ſolveret ordine decoro, & juſtitia debita: Acquieſce in eo Paſtore gregis quem paſſione tua redemiſti & liberaſti. Mitte lumen tuum & eſto. Oriri fac Domine ſplendorem luminis tui, & expande claritatem vultus tui ſuper ſervum tuum in veritate tua electum, ut ſit Paſtor gregis tui. Trade in manum ejus poteſtatem tuam, & gladium verbi mandati tui, ut paſcat oves gregis tui ſecundum voluntatem majeſtatis tuæ. Da illi virtutem de virtute tua, & auxilium virtute dexteræ tuæ ut benedicat juxta voluntatem tuam ad gloriam tuam. *Item*, ô qui miſertus eſt & vocavit ſervū ſuum ut eſſet Paſtor gregis ſui, & gratia ſua ſelegit, & ſanctificavit eum, ut propitiationē indulgentiamque præſtaret populo ſuo & Eccleſiæ ſuæ: Auxilium tuū Dñe præbe ei, ut per illud proſperè agat in miniſterio ſuo. Virgā fortitudinis trade in manū ejus, ut non deprimatur in

certamine & follicitudine laboris tui, & corrobora eum ut paſcat oves ſuas, eumque non pigeat integritatis ſuæ, & omnibus diebus ſuis ſe gerat ut tibi placuerit, & ei opitulare. *Item*, In habitationem quam dextera tua ſegregavit, & elegit divinitas tua; & conſtituit eum in Eccleſia ſponſa tua in lampadem illuminantem populum tuum: Da ei Domine donum tuum, & ſanctifica eum virtute majeſtatis tuæ ut ſecundum voluntatem tuam regat populum tuum, & oves gregis tui. *Item*, Paſtor magne Gregis, Jeſus ſpes creaturarum abundè tribue honorem & gloriam, deprecamur per gratiam; & effunde munera donorum ſuper Electum tuum pietate plenum, ut liget & ſolvat in juſtitia, regatque in rectitudine, & paſcat oves tuas in decore, continentia, & juſtitia, ut cum tu adveneris in gloria, in die illa conſummationis cum gaudio ſplendorem accipiat, & tecum intret in regnum. Domine Deus potens audi orationem meam. Advola ſpiritus cum gloria curruum tuorum, & commove inſpirationes vehementium amoris tui motuum in myſterio ardente ſcintillis tuis: Et imaginem flammarum donorum tuorum, " & cidarim quæ virtute tua texta eſt, & virgam quæ ſplendore tuo veſtita & incruſtata eſt, & omnem decorem ordinis tui expande & effunde ſuper caput ſervi tui, qui electus eſt ad paſcendum gregem tuum ſecundum majeſtatis tuæ voluntatem. *Item*, Coronâ honoris pulchritudinis tuæ, & laude, & ſplendore glorioſæ Majeſtatis tuæ, & omni ordine Pontificatus tui corona Domine ſervum tuum, & Electum tuum quem ſegregavit dextera tua, & unge eum oleo ſanctitatis tuæ, &



& indue eum ſtolam gloriæ tuæ, vaſque electum fac eum tibi, ut convenit honori miniſterii tui, & fiant per eum ſigna, virtutes, & miracula tua, ut ipſo medio nomen tuum magnificetur, & occaſione ipſius multiplicetur laus tua. Paſtor Iſraël, Chriſte Paſtor cœleſtis, qui tradidit animam ſuam pro ovibus emptis ſanguine ſuo propitiante, redemptis paſſione ſua vivificante: Separa, & elige hunc ſervum tuum ut ſit Paſtor, & Præſul, & providus Gubernator hujus loci N. & ditionis, & gubernet omnia negotia ut convenit, & canonibus conſtitutum eſt, appareatque omnis rei honeſtæ & juſtæ æmulus, & zelator. *Item*, Chriſtus magnus Paſtorum, qui per ſanguinem ſuum acquiſivit ſibi gregem, & liberavit eum de manu ſervitutis Diaboli, & morte, & peccato: Confide ſervo tuo paſtionem Agnorum baptizatorum, & ovium, atque etiam ovicularum, qui Trinitatis ſigno notati ſunt, ut paſcat eos in juſtitia, & regat in rectitudine, & de iis judicium ferat cum integritate, ut honeſtas poſtulat; & triumphet in bonis ovibus populorum & nationum. Sit manus tua dextera, Chriſte! perfectio Sacerdotum: Largitor omnium donorum elige ſervum tuum electione juſta, & eum perfice & conſumma pulchritudine cœleſti, ut paſcat gregem quem paſſione tua redemptum, in paſcuis ſpiritualibus, & liberet eum à zizaniis, & lupis doloſis & fraudulentis, ut cum adveneris in plenitudine temporum, hæreditate accipiat vitam beatam. *Item*, Pulchritudo tua cæteris pul-

pulchritudinibus præſtat, Illuſtris tu inter electos & perfectos, Ieſu Domine veracium, quem adorant homines, & Angeli vigiles. Da ſervo tuo, ô Princeps Pontificum ut ungat Sacerdotes atque etiam Pontifices, & mitram gloria plenam ei impone, ut ordinum ſit caput & princeps, & aliis tradat virgas, eoſque induat veſte Pontificia, & pedis, & [100] pallio; corona quoque eum omni decore ut gregis & ovilis tui ſit princeps, & oratione [101] Principis Magnatum exaltetur, fructumque ferat. *Precatur Præſul*, Effunde Domine rorem gratiæ tuæ, & pluvias ſanctas donorum tuorum ſuper ſervum tuum, qui ſecundum voluntatem miſericordiæ tuæ electus eſt ad propitiandum populum tuum, & Sacerdotio tuo ſanctè fungendum in Eccleſia tua, & tibi præparandum populum bonum qui æmuletur opera bona & pulchra. Tu bonus es ille qui non invidet, & miſericors qui non iraſcitur, & largitor donorum ſpiritualium, Domine omnium, pater! *Et incipit*, Ad te levavi oculos meos. Effunde gratiam tuam Domine noſter ſuper ſervum tuum ô Deus noſter miſerere noſtri! Dona tua effunde. *Abſoluto canone, non precantur, ſed Euangelium accipit Præſul, & imponit illud ſuper dorſum illius qui ordinatur. Dicit autem Archidiaconus*, Præparatò ſtemus: *Tum legunt ex textu cap.* 16. *Matthæi. Euangelium ſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicationis Matthæi.* Cum autem veniſſet Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, interrogavit Diſcipulos ſuos, & dixit, Quid dicunt de me homines, quod ego ſim filius hominis? Illi vero dixerunt, ſunt qui dicunt Joannem Baptiſtam; Alii Eliam, Alii

ܡܕܡ ܐܢܐ ܒܪ ܐܢܫܐ ܗܝ ܕܐܡܪ̈ܝܢ. ܐܡܪ̈ܝܢ ܗܢ ܕܐܡܪ̈ܝܢ ܕܝܘܚܢܢ ܡܥܡܕܢܐ. ܘܐܚܪ̈ܢ ܐܝܠܝܐ. ܘܐܚܪ̈ܢ ܐܡܪ̈ܝܢ ܕܚܕ ܢܒܝܐ ܡܢ ܩܕܡܝܐ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܝܫܘܥ ܘܐܢܬܘܢ ܡܢ ܐܡܪ̈ܝܢ ܐܢܬ ܕܐܢܐ ܐܢܐ. ܫܡܥܘܢ ܦܬܓܡܐ ܚܕ ܡܢ ܬܪܥܣܗ ܕܫܡܥܘܢ ܒܪ ܝܘܢܐ ܐܡܪ ܠܗ ܒܪ ܒܝܬ ܐܢܐ ܐܡܪ ܠܟ ܕܐܢܬ ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ܐܒܢܐ ܥܕܬܝ. ܘܫܥܪ̈ܐ ܕܓܗܢܡ ܠܐ ܢܫܬܘܠܛܘܢ ܥܠܝܗ. ܘܐܢܐ ܐܬܠ ܠܟ ܡܦܬܚܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ. ܘܡܕܡ ܕܬܫܪ̈ܐ ܒܐܪ̈ܥܐ ܢܗܘܐ ܫܪ̈ܝ ܒܫܡܝܐ. ܘܡܕܡ ܕܬܫܒ̈ܩ ܒܐܪ̈ܥܐ ܢܗܘܐ ܫܒ̈ܝܩ ܒܫܡܝܐ. ܘܒܗ ܒܝܘܡܐ ܗܘ ܐܬ ܠܬܠܡ̈ܝܕ̈ܘܗܝ ܕܠܐ ܢܐܡܪ̈ܘܢ ܠܐܝܫ ܕܗܘ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܢܐ ܐܡܪ̈ܢ ܠܟ ܕܐܢܬ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܘܥܢܐ ܫܡܥܘܢ ܘ

Alii Jeremiam, vel unum de Prophetis. Dixit eis: Vos autem quem me eſſe dicitis. Reſpondit Simeon Petrus, & dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondit Jeſus, & dixit ei. Beatus tu fili Jona. Nam caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Ego etiam dico tibi quod tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ei. Cum autem hæc abſoluta fuerint, lege ex Joanne: Dixit Jeſus Simeoni Petro, Simeon Barjona, amas me plus his. Dixit ei, ita Domine, tu ſcis quod amo te. Dixit ei Jeſus, paſce mihi agnos meos. Dixit illi iterum ſecunda vice, Simeon fili Jona, Amas tu me. Dixit ita Domine, tu ſcis quod amo te. Dixit illi Jeſus paſce mihi oves meas. Dixit illi tertia vice: Simeon fili Jona Amas tu me: Et triſtis fuit Petrus, quod dixiſſet ei tribus vicibus, amas tu me: & dixit ei, Domine, omnia tu cognoſcis. Tu ſcis quia ego te amo. Dixit ei Jeſus, paſce mihi oves meas. Ex Matthæo: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis. Et quodcumque ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis. *Scito autem quod cum imponitur Euangelium ſuper dorſum ejus qui ordinatur, omnes Epiſcopi qui illic ſunt imponunt manus ſuas ſuper illum ex utroque latere, donec omnes preces abſolutæ fuerint, & tunc ab eo rece-*

recedunt. Cum autem abſolvit Evangelium, illud ponit ſuper dorſum ejus. Et imponit Archidiaconus pacem. Et repetit Præſul, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti quæ omni tempore deficientia ſupplet cum beneplacito Dei Patris & Filii ſui unici, & virtute Spiritus Sancti ab omnibus adorandi, datoris omnium bonorum noſtrorum, etiam nunc Domine Deus, elige in Eccleſia tua altaris [tua]. Cucorum, matris Eccleſiarum Seleuciæ & Cteſiphontis, urbium matricum & principum, hunc N. Presbyterum Solitarium, ſeu Monachum in opus magnum Epiſcopatus. Precemur omnes pro eo ut veniat donum tuum Deus, & eum virtute perficiat, & conſummet in miniſterio Epiſcopali, gratia & miſericordia unigeniti tui. Et tibi, & ſpiritui ſancto laus, honor, confeſſio & adoratio. *Deinde ſignat eum, & vocem attollit.* Nunc & ſemper, *& reſpondent Amen. Statuit Archidiaconus pacem. Et repetit Præſul, cum imponit manum dexteram ſuper caput ejus qui ordinatur, ſiniſtram verò extendit extenſione deprecatoria dicens:* Deus noſter bone, & liberalis. *Repete*, Ille qui dives eſt in miſerationibus quæ menſurari & definiri non poſſunt, & abundans in gratia divinitatis ſuæ: Tu Domine in multitudine donorum tuorum inenarrabilium poſuiſti nos interceſſores iſtorum donorum tuorum divinorum, & cœleſtium, quæ nobis data ſunt ab auxilio majeſtatis tuæ, & conceſſa nobis in adjumentum hominum, & in redemtionem communem per manus infirmitatis noſtræ in Eccleſia tua ſancta ſponſa



ſa tua quam deſpondiſti filio tuo, & coronaſti redemptione ejus per paſſionem Chriſti tui. Et quemadmodum domine traditio Apoſtolica quæ per Chirotoniam deducta eſt ad nos, & impoſitio manus miniſterii Eccleſiaſtici, & beneplacito conſenſuque Sanctæ Trinitatis, & conceſſione Sanctorum Patrum qui in Occidente ſunt in Eccleſia hac Cucorum peculiariter matre omnium Eccleſiarum Orthodoxarum communi: Et offerimus coram majeſtate tua Deus noſter laudabilis, ab omnibus adorande hunc ſervum tuum quem ſegregaſti & elegiſti ut ſit Epiſcopus electus in Eccleſia tua ſancta, quæ una unione, charitatiſque & honoris vinculo omnium noſtrum grex eſt divinitatis tuæ. Oramus omnes pro eo. *Repete*, ut veniat ſuper eum gratia Spiritus Sancti cum vehementi amoris affectu, & illapſu divino; perficiatque, & ſanctificet eum, & compleat ad opus perfectum magni hujus & excellentis miniſterii ad quod accedit, Gratia & miſericordia Unigeniti tui. Nunc. *Poſtea ſignat in capite eum qui ordinatur*, *Reſpondent*, Amen. *Deinde dicit Archidiaconus*: Tollite in altum mentes & intellectum veſtrum, & poſtulate miſericordiam à Deo clemente pro hoc N. Presbytero & Monacho, cui manus imponitur, & ordinatur Epiſcopus in Eccleſia Dei quæ in loco N. aut urbe, aut ovili N. & omni ditioni cui electus, & ſegregatus eſt. Orate pro eo. *reſpondet populus*; Decet & convenit; *ſemel Epiſcopus*. *Et recitat Præ-*

Præſul eam orationem, quæ dici ſolet ſuper Epiſcopos, quæ eadem etiam recitatur ſuper Metropolitam. Deus Dominus, ab æterno occultorum cognitor, *repete.* Ille qui creavit omnia virtute verbi ſui: Qui poſſidet, & regit omnia nutu placido voluntatis ſuæ: Ille qui omni tempore præſtat nobis multo plura quàm petimus, & cogitamus ſecundum virtutem ſuam magnam quæ operatur in nobis: Ille qui pretioſo ſanguine Unigeniti Domini noſtri Ieſu Chriſti acquiſivit Eccleſiam ſanctam, & conſtituit in ea Apoſtolos & Prophetas, & Doctores, & Sacerdotes quorum manibus multiplicaretur ſcientia veritatis, quam filius tuus unigenitus dedit humano generi. Tu Domine etiam nunc illumina faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum, & eum elige electione ſancta per Spiritus Sancti unctionem, ut ſit tibi Sacerdos perfectus, qui æmuletur ſummum Pontificem veritatis: Qui poſuit animam ſuam pro nobis, confirma eum per Spiritum Sanctum in hoc ſancto miniſterio ad quod accedit. Tu Domine pater ſancte & laudande, da illi ut eum rectitudine cordis regat greges tuos, cum prædicat lingua ejus verbum rectum & Orthodoxum veritatis, ut ſit lumen iis qui ſedent in tenebris, & correptor delinquentium, Paſtor & Doctor Iuvenum. Indue eum Domine virtute ex alto, ut liget & ſolvat in cœlis, & in terra, atque in impoſitione manus ejus curentur infirmi, fiantque per eum virtutes in nomine tuo ſancto ad laudem divinitatis tuæ, & erect in virtute doni tui Presbyteros, & Diaconos, [203] & Diaconiſſas, & Subdiaconos, & lectores in miniſterium

Eccleſiæ tuæ ſanctæ ſecundum voluntatem divinitatis tuæ; congreget, paſcat, & augeat populum tuum, & oves gregis tui, perficiatque animas illas quæ illi creditæ ſunt in omni timore Dei & juſtitia, ſtetque confidenter coram tribunali tuo tremendo; dignuſque fiat mercedem illam recipere quæ promiſſa eſt ſanctarum domorum Oeconomis & diſpenſatoribus diligentibus, gratia & miſericordia Unigeniti tui. Tibi, & ei, & ſpiritui ſancto laus, gloria, confeſſio, & adoratio. *Vocem autem ſuam exaltat, cum ſignat in figuram crucis caput ejus.* Nunc & ſemper. Et reſpondent, Amen. *Qui verò ordinatur adorat ad terram uſque proſtratus; & ſurgit rectus poſtquam Epiſcopi dexteras ſuas à lateribus ejus removerunt. Deinde elevant librum Euangeliorum cum eo qui illud accepit à dorſo ejus: Pallium autem & Pluviale ſuper altare reponunt. Virga verò ejus, & aliæ Virgæ, ad parietem prope altare ſtant, & eis affert Archidiaconus; Præſul autem benedicit Pluviale & induit eum pallio Pontificali, & tradit virgam ſeu ſcedum paſtorale in manum ejus dexteram, ſignatque eum ſigno crucis inter oculos pollice ſuo dextero, incipiens infra & pergens ſupra, tendenſque à dextera in ſiniſtram, dicens:* Separatus eſt, Sanctificatus eſt, *repete.* Perfectus eſt, conſecratus eſt N. in opus magnum Epiſcopatus, loci N. aut urbis, aut gregis N. omniſque ditionis ejus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in ſecula. *Reſpondent,* Amen. *Et oſculatur eum Præſul in capite benedicens ei voce intelligibili,* dicenſque, Perficiat te Deus ad opus juſtitiæ in ſeculum.

Poſtea

Poſtea apprehendit illius manum, *& collocat eum in ordinem ſuum à dextera ſua, vel ſiniſtra, ſecundum præceſſionem ſedis ejus. Deinde accedunt Presbyteri & Diaconi, & ſalutant Præſulem, & eum qui ordinatus eſt.* Incipit Præſul hymnum Cancelli, & dum dicitur hymnus, *Salutat Præſul altare, & convertit faciem ſuam ad Occidentem. Deinde deducit Archidiaconus Ordinatum ad altare, baculumque accipit de manu ejus, Ille vero ſalutat altare, & Epiſcopum, ſtatque in loco ſuo cum decore. Tunc reddit illi baculum ſuum. Et accedunt illi qui intra cancellos, unuſquiſque ſecundum ordinem ſuum, & ſalutant altare, & Epiſcopum, & eum qui ordinatus eſt. Et egrediuntur Sacerdotes, & Diaconi ad tribunal portantes luminaria, & thuribula, unuſque de Presbyteris crucem portat, & Epiſcopus procedit cum eo, & dum laudem recitat Epiſcopus, aſcendunt tribunal, pacemque indicit Archidiaconus. Precatur Præſul, & dicit,* Ad Pontificem, & Sanctus. *Stant autem Epiſcopi, unuſquiſque juxta præeminentiam ſedis ſuæ.* Dum autem egredientes recitant ſanctam lectionem, accedit Archidiaconus, & omnium baculos accipit, defertque in domum Patrum præter baculum Præſulis. *Scito autem quod lex erat Antiquis quod ab eo tempore quo qui factus Epiſcopus ad altare acceſſerat, donec abſolveretur ultima oratio, quæ eſt,* Deus magnus qui à ſeculo, *Euangelium ſuper dorſum ejus poſitum erat, nec tollebatur, ſed hanc conſuetudinem abrogaverunt Patriarchæ. Sic quoque canonem,* Chriſtus qui ſervis ſuis, *dicebant Antiqui, & hoc etiam*

ܘܐܡܪ ܐܪܟܝܕܝܩܘܢ ܠܟܠ ܚܕ ܘܚܕ ܒܫܘܡ ܡܪܝ ܐܝܬ ܠܗ ܫܘܠܛܢ ܒܫܡܝܐ ܘܒܐܪܥܐ ܕܢܗܘܐ ܠܟ ܫܠܡܐ ܘܚܝܠܐ ܘܢܨܚܐ ܘܢܫܬܘܒܚ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ ܣܠܝ ܗܘ ܡܪܝ ܘܣܠܝ ܗܘ ܡܪܝ ܘܣܠܝ ܗܘ ܡܪܝ

PRÆFATIO

IN RITUM ORDINATIONIS JACOBITICUM,

in qua præter antiquorum rituálium ex quibus decerpta eſt deſcriptionem, agitur de iſtius hæreſis autore, illius per Orientem & Africam propagatione, & Abyſſinorum Patriarchæ Alexandrino ſubjectione. Inquiritur quoque an apud eos vigeat peccatorum Confeſſio, quæ apud Æthiopes celebris ſemper fuit & ordinaria, doceturque Alexandrinum Patriarcham, & Æthiopum reges unionem cum Eccleſia Romana procuraſſe, & quinam in Oriente dicti fuerint, hactenuſque dicantur Melchitæ, qualiſve eorum doctrina & mores Eccleſiaſtici.

JAcobitæ quorum ſacras ordinationes edimus, Eutychianæ hæreſis ramuſculi ſunt, ita dicti à Jacobo quodam Syro inſigni iſtius hæreſis propagatore, qui imperante Anaſtaſio Orientem cum Severo perturbare cœpit: de eo ita Nicephorus Hiſtoriæ l. 18. c. 52. *Jacobus à quo nunc quoque Jacobitarum hæreſis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obſcurus prorſus & nulla gloria vir, qui etiam zanzalus propter ſummam tenuitatem eſt cognominatus. Hic Eutychetis & Dioſcori, Cnapheique præterea Petri, atque Severi dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare ſtuduit.* S. Joannes Damaſcenus de Hæreſibus in Eutychianorum & Monophyſitarum hæreſi. *Horum principes fuerunt Theodoſius Alexandrinus, à quo Theodoſiani, & Jacobus Syrus à quo Jacobitæ ſunt nominati.* Ducentis ante Damaſcenum annis hoc nomine jam appellari incipiebant, ut conſtat ex Anaſtaſii Sinaitæ libro, cui nomen fecit, *Dux vitæ.* Iſtius enim Hæreſis ſtudioſos Jacobitas paſſim vocat, & Severianos. Eutychiana hereſis paulò poſt ortum ſuum in varia diſſimilia capita diviſia eſt, quæ fusè enarrat Nicephorus libro Hiſtoriæ ſuæ 18. Iſta huc referre alienum eſſet à propoſito noſtro: Lectorem tantùm monebo omnes iſtas Eutychis ſectas quæ Eccleſiam Dei ſeculo quinto & ſexto graviſſimè afflixerunt, exurgentibus Saracenis, & Orientem, Ægytumque & Africam ſubigentibus, in Jacobiticam velut pace facta coaluiſſe, aliarumque nomen prorſus extinctum eſſe; In Oriente & Africa ubi ſecta iſta viget & numeroſa eſt, Jacobitarum nomen tantùm audiri.

De ſecta iſta ſic Jacobus de Vitriaco hiſtoriæ Hieroſolymitanæ lib. 1. c. 75 *Sunt præterea in terra ſancta, & in aliis partibus Orientalibus, aliæ Barbaræ nationes à Græcis & Latinis in multis diſſidentes, quorum alios Jacobitas appellant, à quodam Magiſtro ſuo dicto Jacobo cujuſdam Alexandrini Patriarchæ diſcipulo. Hi à multis jam temporibus à CP. Patriarcha Dioſcoro excommunicati, & ab Eccleſia Græcorum ſequeſtrati, majorem partem Aſiæ, & totius tractus Orientalis inhabitabant. Quidam inter Saracenos; alii autem proprias abſque Infidelium conſortio occuparunt regiones, ſcilicet Nubiam, quæ contermina eſt Ægypto, & magnam Æthiopiæ partem, & omnes regiones uſque in Indiam, pluſquam quadraginta regna, ut aſſerunt, continentes.* Eadem ſcribit Marinus Sanutus Hiſt. l. 3. parte 8. c. 4 ubi Scribæ error in Dioſcoro ſupra commiſſus, corrigitur: legitur enim *cum Dioſcoro excommunicati.*

Hanc Hæreſim etiam nunc amplectuntur Chriſtiani Aſiatici permulti: Alexandrinus quoque Patriarcha cum Coptitis ſive antiquis Ægyptiis, quos Mahumetana pernicies non vaſtavit; univerſumque Æthiopum imperium. Eandem etiam Jacobitarum Hæreſim profitentur Chriſtianorum reliquiæ quæ in Inſula Socotora Arabiæ & Æthiopiæ immunente deprehenduntur, teſte Maffæo Hiſtoriarum Indicarum l. 3. Jacobitarum nomen non erubeſcit illa hæreſis. Hinc Chronicon Alexandrinum Arabicum ante annos quadringentos ab Hæretico aliquo Jacobita compoſitum vocat Imperatores, Leonem, Zenonem, & Anaſtaſium, Jacobitas; Martianum autem, Leonem majorem, Juſtinia-

nianum, Tiberium, Mauritium, Heraclium, Imperatores orthodoxos vocat Chalcedonenſes, id eſt, Concilii Chalcedonenſis fautores. Ideo autor ille Patriarcharum Alexandrinorum catalogo poſt Dioſcorum eos tantùm inſerit qui Eutychianæ hæreſis profeſſores erant, cæteros prætermittit. Refert quoque Apollinarem à Juſtiniano loco Timothei in Patriarcham Alexandrinum inſtitutum circiter ducenta millia virorum, mulierum & puerorum ex Jacobitis in Eccleſiis trucidaſſe, & nonnunquam Jacobitas; & Coptos quaſi unam gentem, aut ſectam ſignificantes permutat. Georgius quoque Elmacinus Arabs in Hiſtoria Saracenica, quam ante annos quingentos compoſuit Chriſtianos Ægyptios non aliter fere quàm Jacobitas appellat & eorum Patriarcham, quàm Jacobitarum Patriarcham.

Æthiopes autem non modo ſunt hæreſi Eutychianæ addicti, Verumetiam Alexandrinum Patriarcham Eutychianum ut caput ſuum agnoſcunt, & reverentur, habentque etiam Primatem ab eodem ordinatum, & ad eos miſſum, ut Franciſcus Alvarez in eadem legationis Hiſtoria, Damianus Goez de moribus Æthiopum, Oſorius ad finem l. 9 de geſtis Luſitanorum in India, & alii recentiores teſtantur. Id quoque probat Chronicon illud Arabicum ad annum Chriſti 841. ubi refert Æthiopum Imperatore ad bellum gerendum profecto uxorem ipſius Primati iratam, alio ſibi conſtituto cum exilio multaſſe, *quod*, inquit, *præter canonem fecit. Quod percipiens Rex Æthiopiæ reverſus à bello ægerrimè tulit, miſitque aliquos qui veniam peterent à Deo; ac Patriarcha, & reduxerunt illum Epiſcopum in Æthiopiam.* Idem refert Georgius Elmacen in Hiſtoria Saracenica ad annum Hegiræ 223. *Rex è bello reverſus*, inquit, *uxorem ſuam objurgavit, & miſit ad Patriarcham veniam ab eo petens, eumque rogans, ut remitteret Epiſcopum; id quod fecit, eumque receperunt cum gaudio magno.* Narrat quoque idem Chronicon Arabicum ad annum Chriſti 758. Cyprianum Nubiæ regem cum audiiſſet Calipham Ægypti in carcerem conjeciſſe Alexandrinum Patriarcham, arma in eum moviſſe, *& habuiſſe ſecum centum millia Nigrorum centum millibus equorum inſidentium, duxiſſe quoque Camelorum centum millia, &c. Cum autem appropinquaſſet Ægypto, rogavit Patriarcham Calipha, ut illum ſuis litteris placaret. Qui ſcripſit pacem petens, eamque obtinuit, deprecatuſque eſt pro illo, & benedixit, reverſuſque eſt abſque bello gaudens plurimùm Patriarchæ benedictione.*

Scribunt Vitriacus & Sanutus locis citatis Jacobitas Confeſſionis peccatorum Sacerdotibus factæ uſum non habere, quod non eſt uſquequaque verum. Cum equidem ſcriberent autores illi ita ferebat Jacobitarum conſuetudo, nec mentiebantur; ſed nova erat & recens à Patriarcha Joanne Abulmagedo in plebem ſuam introducta. Ita enim de hoc Patriarcha qui Pontificatum Alexandrinum iniit anno Chriſti 1207. Chronicon Alexandrinum jam laudatum, *Confeſſionem ab Eccleſia Cophitarum abrogavit, circumciſionem verò plurimùm commendavit.* Ratio autem quam habuit ille Patriarcha Confeſſionis abrogandæ, à mente Hæreticorum noſtri temporis longe diverſa eſt, ut docet Abul Hafiali in conſtitutionibus Eccleſiæ Copticæ c. 51. quod hic inferemus ex interpretatione Abrahami Ekellenſis qui illud Arabice & Latine refert in adnotationibus in catalogum librorum Syriacorum Hebed-Jeſu: *At verò confeſſio medicina eſt ſpiritualis, cujus comparatio ad animam eſt ut comparatio medicinæ corporalis ad corpus. Quemadmodum autem corporalis* (medicina) *non peragitur niſi per medicum probum, & peritum; aliòquin melius eſſet ejuſmodi relinquere curationem quæ fit ab imperito, & improbo: Necnon ut ægrotus amplectatur & utatur quidquid ipſi præſcribitur; deinde ut medicina ſit poſſibilis ex parte temporis, loci, & potentiæ, aliàs nihil prodeſt, ita ſpiritualis. Cum ergo rarò reperiatur probitas in perito, quemadmodum & aliæ duæ conditiones, hinc factum eſt, ut rarò reperiatur Confeſſio inter Coptitas. Quidam autem ex eorum Patriarchis interdixerunt plebi uſum ejus ob defectum concurſus illarum trium conditionum ſine quibus non bene peragitur. Et quemadmodum etiam non omnes egent medicina corporali, ita nec ſpirituali. Et quemadmodum non omnes qui ea indigent, ſemper in omni morbo, ita nec ſpirituali.* Quod addit Chronicon Joannem Patriarcham circumciſionem commendaſſe, comprobant Vitriacus & Sanutus, cum ajunt Jacobitas circumciſionem uſurpare, & magni facere, & Luſitani Hiſtorici omnes qui de imperio Æthiopum, eorumque moribus verba faciunt: necnon idem Chronicon Alexandrinum qui in Macario Patriarcha ſcribit eum multa in eorum ritibus mutaſſe, atque inter cætera juſſiſſe ut Infantes prius circumciderentur quàm baptizarentur, qui antea baptizabantur, deinde circum-

cidebantur. Deſuetudo illa Jacobitarum Ægyptiorum confitendi in Æthiopes nunquam irrepſit: Hactenus enim apud eos celebris eſt, & uſitatiſſima, ut teſtantur, Franciſcus Alvares qui totam iſtam regionem luſtravit, Damianus Goez de moribus Æthiopum, Oſorius l. 9. verſus finem, & Jarricus Hiſtor. Indicæ l. 3. c. 14. Ex Jacobitarum Catechiſmo aliquid memorabile adnotat Abraham Ekellenſis in ſynopſim Arabicam Conſtitutionum Concilii Nicæni quam Latinè edidit Jacobitas ſcilicet proceſſionem Spiritus Sancti à Patre & Filio confiteri, atque conſtanter affirmare hoc fuiſſe in Concilio Epheſino definitum.

Anno tamen 1595. Gabriel Alexandrinus Patriarcha & nonageſimus ſeptimus S. Marci ſucceſſor, Nuntios ſuos Presbyteros Monachos duos, & Archidiaconum Patriarchalem unum, ad Clementem VIII. Pontificem miſit, qui obedientiam & ſubjectionem fidelem illi nomine ſuo præſtarent, & mandata ſe facturum promitterent, fideique ſuæ profeſſionem ederent, quod publicè præſente Pontifice, & Cardinalibus Romæ præſtiterunt, eamque verè ſynceram & orthodoxam ediderunt, ut videre potes tomo 6. Annalium Cardinalis Baronii in appendice. Quid poſtea fecerit Patriarcha ille Gabriel, quid ejus ſucceſſores mihi non conſtat: Nihil de conſequentiis iſtius obedientiæ præſtationis unquam audivi. Idem fecerat antea pro ſe & imperio ſuo David Æthiopum Rex, & ipſius Avia Helena, miſerantque conciliandæ pacis & unionis ergo cum Eccleſia Romana legationem ad Clementem VII. Pontificem. Deinde procurante Emmanuele Luſitanorum Rege Paulus IV. Pontifex Patriarcham Æthiopibus creavit è Societate Jeſu Presbyterum, & in Æthiopiam ad Claudium Regem Davidis defuncti filium deſtinavit, ſed obnitentibus Eutychianis Monachis res proſperè non ſucceſſit, ut iſta fusè referunt Maffæus rerum Indicarum lib. 16. & Jarricus fuſiſſimè hiſtoriæ Indicæ l. 3. c. 14. 15. 16. 18.

Quod ad ritum Ordinationis Jacobitarum quem edimus, attinet, breve compendium eſt ritus integri, quod olim ad Congregationem de propaganda fide ex Oriente miſſum eſt. Archetypum latet in ipſius Archivis; Inde cum Romæ commoraremur, permittente viro clariſſimo & erudito, Domino Ingolio ſacræ iſtius Congregationis Secretario, illud exſcripſimus: nec plura continebat Archetypum. Verùm Ordinationibus noſtris Syris jam ſub prelo deſudantibus, & ad finem properantibus, contigit ut vir clariſſimus, eruditione & literariæ ſuppellectilis curioſitate ſuſpiciendus Honoratus de Bonfis Eccleſiæ Metropolitanæ Aquenſis Canonicus audito labore noſtro ſponte nobis offerret tres antiquos codices Syriacos, quorum duo ſacras Syrorum Ordinationes continebant; atque alias Officiorum Eccleſiaſticorum partes: Sed in altero admodum antiquo Rubricæ omnes, ſeu Actionum & ceremoniarum præcepta minuto erant exarata charactere, qui vetuſtate & temporis infortuniis ita obſcurus, ſordidatus, partimque ambeſus & eraſus erat, ut ex eo ſenſum continuum elicere non potuerim. Preces vero, Hymni, Pſalmi, Lectiones, & alia ejuſmodi quæ ibi abundant, ut pote majori & illuſtriori charactere ſcripti, non adeo magna cum difficultate legi poterant. Alter codex erat ſplendidè ſcriptus, ſed ritum Ordinationis Diaconicæ & Presbyteralis tantùm complectebatur, cum prior omnes exhuberet, atque etiam Diaconiſſarum quem nullibi præterquam in antiquiſſimis Græcis deprehendi. Ritus autem Ordinationis iidem erant, & verba prope omnia eadem in utroque codice, ita ut qui ex uno exſcripſerit aliquid, & utroque exſcripſiſſe dicendus ſit. Tres autem illi codices ex Goa Indiarum Orientalium Metropoli per Ulyſſiponem ad ipſum pervenerant.

Feliciter tamen contigit ut compendium illud quod Romæ olim exſcripſeram, deſumptum fuiſſet ex codice noſtris Goenſibus planè ſimili. Omnia enim verba compendii noſtri eodem ordine reperiuntur in codicibus noſtris. Sed cum nonnulla omittat compendium noſtrum præſertim in Ordinatione Presbyteri, quæ ad ritus & ceremonias ſpectant, ea viſum eſt addere, ut nihil ad ritus iſtarum gentium cognoſcendos Lectores deſiderent. Nam cætera quæ admodum prolixa ſunt, nihil aliud continent quàm varias orationes & hymnos, quibus Spiritus S. gratia poſtulatur, prudentia Ordinando flagitatur, ut officium quod illi confertur, ſanctè & utiliter exerceat; & his adduntur in eundem finem aliquot lectiones ex Euangeliis, Actibus quoque & Epiſtolis Apoſtolorum. Compendium noſtrum tres tantum ordinationes continebat Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi. Nihil addere potuimus ex codicibus noſtris Ordinationi Epiſcopali. Alter enim qui præclarè ſcriptus erat, ea carebat, In altero autem qui omnes Ordinationes exhibebat, character rituum altero minutior, ita obſcurus & deturpatus erat, ut nihil

nihil ex eo exprimi poſſit. Itaque ritus Ordinationis Epiſcopalis tales exhibemus, quales ex priore compendio exſcripſimus.

Rogabis non immerito quamobrem Ordinationes iſtas vocemus Jacobiticas, & de Jacobitis hanc præfationem inſtituerimus. Duæ cauſæ fuerunt: Prior, quod titulus compendii noſtri ferebat Ordinationes illas eſſe Iacobiticas. Poſterior, quod Eutychianorum maxima pars lapſu temporis Iacobitarum Epithetum ſibi adſcivit, & eo nomine à cæteris ſectis Orientalibus potiſſimum diſtincti ſunt, ut ex iis quæ hactenus de Jacobitis dicta ſunt, evidenter conſtat. His accedit quod ex verbis illorum antiquorum codicum manifeſtè demonſtratur eos eſſe ab Hæreticis Eutychianis ſeu Jacobiticis compoſitos. Ita enim in exhortatione priore, quæ poſterior eſt in antiquiore codice, *Ex utero unitus eſt ei perſonaliter, & naturaliter, & ex eo tempore Deus incarnatus eſt* ܐܝܟ ܗܘ ܕܐܬܚܕ ܒܗ ܒܦܓܪܐ ܘܒܟܝܢܐ ܘܡܢ ܗܘ ܙܒܢܐ ܐܠܗܐ ܐܬܒܣܪ ܐܝܟ ܕܐܬܚܕ ܒܗ ܒܦܓܪܐ ܘܒܟܝܢܐ ܘܡܢ ܗܘ ܙܒܢܐ ܐܠܗܐ ܐܬܒܣܪ. *Et una natura eſt in eo, ut etiam una perſona; non autem duæ naturæ, aut in duabus naturis.* Deinde cum multis affirmarunt hanc eſſe veram & Apoſtolicam doctrinam quam Sancti Patres & Doctores prædicarunt; Eos ſic enumerant, *Primum Petrus Apoſtolorum Coryphæus, omnes Apoſtoli ejus ſocii, Euangeliſtæ qui eos ſecuti ſunt: Ignatius ille igneus; & Dionyſius ille magnus: Julius ille triumphator: Athanaſius ille ſublimis; Baſilius, & Gregorii duo, illi magnifici: Joannes & Cyrillus, illi famoſi: Dioſcorus ipſe Confeſſor; & Severus os omnium Doctorum,* ܗܠܝܢ ܟܠܗܘܢ ܫܠܝܚܐ ܕܡܫܝܚܐ ܐܝܟ ܕܐܬܚܕ ܒܗ ܒܦܓܪܐ ܘܒܟܝܢܐ ܘܡܢ ܗܘ ܙܒܢܐ ܐܠܗܐ ܐܬܒܣܪ. Itaque dubitari non poteſt eos codices & ritus eſſe Eutychianos, ſeu Severianos & Jacobiticos. Id præterea colligitur tam ex ea opinione quam de antiquitate operum S. Dionyſii primi conceperunt Severiani, quæ in iſtis codicibus ut certa & rata prædicatur, quàm ex præcipuo doctrinæ ſuæ Hierarchicæ fundamento quod ritibus ſuis chirotonicis ſubſternunt, ut videre eſt infra in Ordinationibus Diaconi & Presbyteri, nec dubium eſt quin idem præſtent in Epiſcopali.

Chriſtianorum in Oriente quartum genus eſt, qui Melchitæ dicuntur, id eſt, Regii, Imperiales. Æquum nobis non videtur eos præterire, licet nullos ab iis Rituales proferamus: Plurimi enim ſunt; & in Oriente, ſaltem multitudine ſua, conſiderandi. Ii ſunt Syri, & Arabes qui Græcorum dogmata ſequuntur. Differunt à Neſtorianis quod Synodum Epheſinam primam quæ Neſtorium condemnavit, amplectantur: Ab Eutychianis eorumque ramuſculis, quod Synodum Chalcedonenſem & Conſtantinopolitanam religioſè colant: A Monothelitis quod ſextæ Synodo quæ Monothelitas damnavit, ſubſcribant. Ut uno verbo dicam, Græcæ ſunt opinionis & ritus, qui ab aliis Sectis Orientalibus ab antiquo Melchitæ dicti ſunt, eo quod Imperatorum edictis Chalcedonenſem fidem amplecti jubentibus morem geſſerunt, ut teſtatur Nicephorus l. 18. Hiſtoriæ. c. 52. & Chronicon Alexandrinum in Marciano', *Qui Imperatoris ſententiam ſunt ſecuti, vocati ſunt Melchitæ, id eſt, Imperiales.* Hoc nomen ab eo tempore iis qui Chalcedonenſe Concilium tuebantur, ab Hæreticis inditum, in hunc uſque diem illis adhæſit. Primùm igitur Catholici omnes Syriæ & Ægypti Melchitæ ab Hæreticis dicti ſunt; ſed poſtea cum Græcis ſchiſma fecerunt: Chronicon Alexandrinum Arabicum, ad an. 561. *Eo tempore defunctus eſt Imperator Chalcedonenſis*, id eſt, Juſtinianus. Refert eum *conſtituiſſe Apollinarem Alexandriæ Præfectum & Patriarcham qui clauſit Eccleſias, occiditque ex Jacobitis pluſquam ducenta millia virorum, mulierum, & puerorum, & promulgavit fidem Melchitarum.* Et ad an. 611. *Anaſtaſius plures condidit Eccleſias, pluresque alias quas Melchitæ occupaverant, recuperavit.* Abraham Ekellenſis Maronita in adnotationibus ad Catalogum librorum Hebed-Jeſu quem Latinè interpretatus eſt, p. 168. ex Melchitarum conſtitutionibus orationes pro defunctis demonſtrat, & p. 150. *ex Melchitis*, inquit, *ſeu Græcis Arabibus adſit nobis, &c.* Melchitæ, & Græci Arabes illi ſunt unus idemque populus.

Autores Europæi qui de Chriſtianis terræ Sanctæ ſcribunt, eos Surianos vocant, eademque iis tribuunt, quæ Ægyptii & Maronitæ Melchitis. Sic eos deſcribit Vitriacus c. 74. *Utuntur Suriani in ſermone vulgari lingua Saracenica: litera etiam & ſcriptura Saracenica in contractibus & negotiationibus, & in omnibus aliis, exceptis divinis Scripturis, & aliis ſpiritualibus, in quibus litera Græca utuntur. Unde in divinis of-*

ficiis Laïci eorum, qui non niſi linguam Saracenicam noverunt, eos non intelligunt, &c. Conſuetudines & inſtitutiones Græcorum in divinis officiis, & in aliis ſpiritualibus Suriani penitus obſervant, & eis tanquam Superioribus ſuis obediunt; Latinorum autem Prælatis, in quorum diœceſibus commorantur, non corde, ſed ore tantùm & ſuperficialiter ſe dicunt obedire, timore ſcilicet ſecularium Dominorum, &c. Cum igitur Suriani, ut prædictum eſt, omnes Latinos excommunicatos reputent, altaria ſuper quæ Latini celebraverunt divina, priuſquam in ipſis celebrent, abluere conſueverunt. Sacramentis etiam noſtris nullam exhibent reverentiam, &c. Spiritum Sanctum à Patre tantùm procedere affirmant, in pane fermentato ſacrificant, Infantibus ſtatim à baptiſmo Confirmationem conferunt, cæteraque more Græco peragunt. Marinus Sanutus eadem de Surianis refert, eoſque cum Græcis conjungit lib. 3. p. 8. c. 1. ut & Epitome jam ſæpius citata apud Henricum Caniſium tom. 6. antiquæ lectionis, cujus verba in hac cauſa referuntur à Bzovio ad an. 1330. Annalium. Haitonus de Tartaris c. 14. idem paucis verbis teſtatur, *Syriani ritum tenent Græcorum, & fuerunt longo tempore obedientes ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Linguam loquuntur Arabicam; ſed officium Eccleſiæ dicunt in litteris Græcis, &c. Syriani ſunt multi, Maronini verò in modica quantitate.* Ex ea gente nullus ſacrarum Ordinationum ritualis in manus noſtras incidit: Nec erat admodum neceſſarium, cum iidem ſint illis ritus qui Græcis. Itaque expoſitis Græcorum variis ritualibus Melchitarum quoque ſacras Ordinationes in lucem edidimus; atque ut dicitur, de eadem fidelia duos parietes dealbavimus. Quanquam ſi bene conjecimus, Ritualis quem ex ſchedis clariſſimi & eruditiſſimi viri Leonis Allatii ſupra p. 104. latinitate donatum edidimus, Melchitarum ſacras ordinationes exponat.

CUM VIRTUTE Trinitatis Sanctæ & conſubſtantialis, incipimus ſcribere ordinem Chirotoniæ Diaconorum.

Diaconus cum ordinatur ſtat ante altare ſubter gradus, caput habens apertum, & inclinatus donec perficiatur oblatio, [107] Tunc Epiſcopus tondet caput ejus in formam crucis, traditque eum ipſius inſtitutori & Magiſtro; illique dat præceptum de perfectione doctrinæ in qua eſt inſtituendus: Atque etiam eum admonet de obedientia quam inſtitutori ut Domino ſuo præſtare debet. Statim poſtea apprehendit eum Epiſcopus per manum dexteram, & dicit, *Spiritus Sanctus te vocat.* Introducitque eum ad altare, & procidit ſuper unum genu quod eſt



dexterum. *Procidit autem super ſolum genu dexterum; Quia Diaconi, ut nitum eſt, purificant tantùm.* Oratio principii. *Diguare nos Chriſte, & reliqua.* Primus Diaconorum hoc præconium prædicat, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti quæ omni tempore ſupplet defectus noſtros ſecundum Dei Patris voluntatem, in virtute Spiritus Sancti, iis qui hic offeruntur, & cum timore, & tremore, veraque fide colla ſua coram altari ſancto incurvant, & rogant ut mentes ſuæ & cogitationes aſpiciant ad te qui habitas in excelſis, & expectant donum tuum cæleſte:* Ipſa eſt quæ vocat & offert ex ordine fratrum ad ordinem Diaconorum N. Diaconum ad altare ſanctum & divinum domus [100] Dei genitricis Mariæ, & duodecim Apoſtolorum ſanctorum, & quadraginta Martyrum Victorioſorum, [101] & Patris noſtri Domini Matthæi, & Domini Zachæi, & Domini Abrahæ, qui eſt in monte Alphap, Victorioſi quoque & Martyrum coronæ Domini Bohenam: Necnon ſancti Domini N. loci N. qui eſt ſub poteſtate throni Apoſtolici Antiochiæ Chriſtum amantis, & à Chriſto amatæ. Cum periculo ſuo cum offerunt. Precemur igitur omnes ut veniat deſcendatque ſuper eos gratia & illapſus Spiritus Sancti ex nunc & uſque in ſeculum: Ter ideo clamemus Kyrie eleiſon.

Epiſcopus ponit manus ſuas ſuper Myſteria, & extendit brachium ſuum, & colligit, contrahitque tribus vicibus ſuper corpus & ſanguinem, accipiens de calice in pugillum ſuum, cum myſteria colligant & cooperiunt

ܘܥܠ ܟܠ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܐܝܟ ܕܡܫܬܡܗ ܠܟ ܒܪܝܫ ܡܦܠܓ ܐܢܬ ܡܫܪܝ ܠܗܘܢ ܒܪ ܡܢ ܕܠܐ

Archidiaconus verò dicit, N. Diaconus ad altare ſanctum domus genitricis Dei, & ſanctorum Apoſtolorum, & quadraginta Victorioſorum Martyrum, & ſancti Domini N. loci N. Epiſcopus addit, eum dicit, N. Diaconus ad altare ſanctum, loci orthodoxi qui prius nominatus eſt. Diaconus: Benedic Domine. Epiſcopus. In nomine Patris, Amen. Et in nomine Filii, Amen: Et in nomine Spiritus Sancti in vitam ſeculi ſeculorum, Amen. Tunc revertitur Epiſcopus ad eum qui ordinatur, & eum apprehendit per manum dexteram, & erigit, accipitque orarium, & circumfert ſuper caput, dicens, *In laudem & honorem, & decorem, & celſitudinem ſanctæ Trinitatis & conſubſtantialis, atque ad pacem & ædificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei.* Et reſpondent ei Clerici eadem ſententia. Poſtea deprimit Orarium, illudque ponit ſuper humerum ejus ſiniſtrum, eique tradit flabellum, & unuſquiſque recitat reſponſum *In laudem*, & reliqua. Iterum accipit Epiſcopus thuribulum, & odoramenta in eo ponit, eique tradit, & circumit populum, & unuſquiſque idem reſponſum recitat. Si autem multi fuerint, omnes ita conſecrat. Tunc incipiunt Canticum, & ei pacem tradunt, Ipſe vero myſteriorum communionem.

Iterum

Iterum cum Deo omnium Domino incipimus ſcribere ordinem Chirotoniæ ::: Presbyterorum.

PResbyter quando ordinatur, ſtat coram altari ſubter gradus ipſius, caput habens apertum, & inclinatum donec perficiatur oblatio. Tunc Epiſcopus tondet in formâ crucis capillos ejus qui ordinatur, traditque eum Inſtitutori ſuo, & præceptum dat illi de perfectione doctrinæ ſuæ, & ordinis ſui: Atque etiam eum admonet ut Inſtitutori obediat ut Domino ſuo. Statim poſtea apprehendit Epiſcopus manum ejus dexteram, dicitque, *Spiritus S. vocat te*; eumque introducit ad altare, & procumbere facit ſuper duo illius genua coram altari, manus habentem junctas ante ſe, & Orarium Diaconatus ſuper ſe. Procumbit autem ſuper ambo genua ſua; eo quod Preſbyteri ſunt veluti purificantes & illuminantes. Oratio principii, & reliqua. Archidiaconus hoc præconium proclamat, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ omni tempore perficit defectus noſtros ſecundum voluntatem Dei Patris in virtute Spiritus Sancti, adſit iis qui hic offeruntur, & cum timore & tremore, fideque vera, colla ſua coram altari ſancto incurvant, rogantque ut mens ſua & cogitationes ad te intentè aſpiciant qui habitas in excelſis, & expectant donum tuum cæleſte.* Ipſa eſt quæ vocat, & offert ex ordine Diaconorum ad ordinem Presbyteratus N. Presbyterum ad altare ſanctum & divinum Domus genitricis Dei Mariæ,



riæ, & duodecim ſanctorum Apoſtolorum, & quadraginta Martyrum Victoria inclytorum, & Patris noſtri domini Matthæi, & Domini Zachæi, & Domini Abraham qui eſt in monte Alphap, & victorioſi Martyrumque coronæ Domini Bohenam, necnon Sancti Domini N. loci, N. qui eſt ſub poteſtate throni Apoſtolici Thagarith amantis Chriſtum, & à Chriſto amatæ. Cum periculo ſuo eos offerunt. Precemur igitur omnes ut deſcendat ſuper eos gratia & illapſus Spiritus S. ex nunc & uſque in ſeculum. Ter ideo clamemus Kyrie eleïſon. Et reliqua.

Epiſcopus ponit manus ſuas ſuper myſteria, & extendit brachia ſua, colligitque & contrahit ea tribus vicibus ſuper corpus & ſanguinem, accipiens ex calice in pugillum ſuum dum colligant ea, & cooperiunt peplo ſeu linteo ſacro. Poſtea revertitur ad cum qui eſt ordinandus, & imponit manus ſuper caput ejus, eaſque illi admetitur: Iterumque attollit manus, porrigens brachia ſua in altarum, eaſque deprimit tremulas ſuper caput ejus, hocque tribus vicibus facit Epiſcopus ipſe, oculis ipſius deſuper cum timore aſpicientibus. Poſt hæc ponit dexteram ſuam ſuper illius caput, & tegit manus & caput illius qui ordinatur cum Phaina. Dextera illius ponetur ſuper ejus caput, & ſiniſtra hinc & hinc movebitur, circumferetque ſiniſtram ſuam tribus vicibus ſuper cervicem ipſius & faciem: ſic faciet ſuper unumquemque eorum: Cum

Cum autem commovet, flabella cum eo commovent Diaconi Dum verò repetit orationem inflexionis ſeu ſecretam, dicunt quod dici ſolet. Invocatio Spiritus Sancti. Et reliqua. Poſtea revertitur Epiſcopus ad Occidentem, ad eum qui ordinatur, imponitque dexteram ſuam ſuper caput ejus, & eum ſignat inter oculos, ſic dicens, Ordinatus eſt in Eccleſia Sancta Dei. Archidiaconus dicit, N. Presbyter ad altare ſanctum domus genitricis Dei, & duodecim Apoſtolorum ſanctorum, & quadraginta Martyrum Victorioſorum, & ſancti Domini N. loci N. Epiſcopus addit, cum dicitur, N. Presbyter ad altare ſanctum, loci orthodoxi qui prius nominatus eſt. Diaconus, Benedic Domine: Epiſcopus, In nomine Patris, Amen: In nomine Filii, Amen: In nomine Spiritus vivi & Sancti, in vitam ſeculi ſeculorum, Amen. Cum autem confecerit tria crucis ſigna, tunc qui conſecratur Sacerdos, ſive unicus fuerit, ſive plures, redit ad altare, hanc myſticè dicens orationem, *Suſcepimus gratiam tuam Domine noſter omnipotens.* Et reliqua.

Poſt hæc redit Epiſcopus ad eum qui ordinatur, eumque apprehendit per manum ſuam dexteram, & erigit. Archidiaconus autem Dicit, Benedic Domine. Epiſcopus accipit orarium, quod ſuper ipſum poſitum eſt, & traducit illud ſuper humerum ejus dexterum à parte anteriori, dicens, *Ad laudem, & honorem, & decorem, & exaltationem Trinitatis ſanctæ & conſubſtantialis; Et ad pacem, & ædificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei.* Reſpondent

ﺍﻟﻤﺠﺪ ﻟﻚ . ﺍﻟﻤﺠﺪ ﻟﻚ ﺍﻟﻤﺠﺪ ﻟﻚ
ﻭﺍﻟﺴﻼﻡ ﻋﻠﻴﻜﻢ ﻭﺭﺣﻤﺔ ﺍﻟﻠﻪ ﻭﺑﺮﻛﺎﺗﻪ

meridie tendensque versus Aquilonem; eam legit, & testimonium perhibet de illo. Et postquam legit, tradit eam Patriarchæ coram universa Congregatione, & ambo genua flectit coram altari sancto existente tunc super ipsum vestis & ornatus Sacerdotalis ordine. Surgit tum Patriarcha, & incipit orationem.

Et dicit Patriarcha, Pax vobis. Populus, & cum Spiritu tuo, Pater noster. Et unus ex Episcopis alta voce pronuntiat Præconium hoc: *Gratia divina quæ infirma sanat, & deficientia complet, & Ecclesiarum curam gerit, vocat & promovet hunc N. amantem Dei Presbyterum, qui est hic proximus ad Episcopatum, aut Metropolitatum urbis N. quæ est sub potestate Apostolica & divina Antiochiæ urbis beneditæ amantis Christum, & à Christo amatæ, & Metropolis Orientis totius orthodoxi. Precemur igitur omnes ut veniat super eum gratia & habitatio Spiritus Sancti.* Et clamat ter populus, Kyrie eleïson.

Deinde sumit Patriarcha dona ex corpore & sanguine cum sunt utraque in invicem conjuncta. Postea revertitur ad eum qui ordinatur. Tum Euangelium super caput ejus apertum tenent Episcopi quotquot sunt. Patriarcha autem ponit manus suas super caput ejus subter Euangelium: Eas autem movet dum Episcopi attollunt Euangelium desuper manus Patriarchæ, & deprimunt illud quoties movet: Oculi ejus interim cum timore suspiciunt in altum. Ter sic facit. Post tertiam autem motionem, im-

imponit Patriarcha dexteram ſuam ſuper caput illius qui ordinatur: Siniſtram mutans in modum orbis ſeu circuli ſuper caput illius qui ordinatur. Interea cum quiete & ſilentio tenent Epiſcopi Euangelium ſuper caput illius: & precatur.

Tunc apprehendit Patriarcha eum qui ordinatur per manum dexteram, eumque erigit & veſtit ''' tunica & Phaino albo, ponitque cidarim ſeu mitram ſuper caput ejus. Inſuper Patriarcha illum in throno collocat, & circumferunt eum tribus vicibus, & unaquaque vice Patriarcha exclamat, dignus: Similiter quoque poſt eum populus exclamat, dignus.

Tunc revertitur Patriarcha ad eum qui ordinatur, & apprehenſa ejus dextera deducit è throno: Deinde ipſe Patriarcha paſtorale pedum dextera in ejus ſummitate apprehendit, & unuſquiſque ex Epiſcopis illud aſſumit juxta ordinem ſuum: Et ille qui ordinatus eſt illud apprehendit ſubter manus Epiſcoporum & precatur.

Poſt orationem exclamat Patriarcha, ſuavi cantu ſic dicens, *Virgam fortitudinis miſit tibi Dominus ex Sion, & dominabitur inimicis tuis.* Et hoc ſimiliter dicitur ab Epiſcopis, & à Clero, & à Patriarcha tribus vicibus. Poſtea dat Patriar-

triarcha baculum ei qui eſt ordinatus, & egreditur ad portam altaris, & ſignat populum cum iſto baculo tribus vicibus in figuram crucis: Quo facto reddit baculum Patriarchæ.

Finis cum auxilio Domini noſtri.

ADNO-

ADNOTATIONES
IN SYRORUM ORDINATIONES
QUIBUS

MULTA DIFFICILIA ET OBSCURA TAM RATIONE textus, quàm illius Eccleſiæ rituum explicantur & illuſtrantur. Obiter quoque ex autoribus Syris inquiritur, quæ ſit antiqua illius gentis de Dionyſianis operibus traditio.

PErfectionis & *conſummationis.* Syris ܫܠܡܐ propriè eſt finis, & complementum alicujus rei. Verbum eſt ܫܠܡ, perfecit, abſolvit. Hiſce, & nomen & verbum conſecrandi ſignificationem mutuantur, eo quod rei conſecratio, ſit illius vera perfectio, & integra conſummatio. Ideo hoc opuſculo, & aliis Ritualibus, utrumque pro Conſecratione, & myſteriorum perfectiori initiatione ſæpiſſimè uſurpatur. Cum autem Ordinatio ſit myſterium de quo in his ritualibus agitur, ſæpe in iis pro ordinatione ſumitur. Significatio iſta petita mihi videtur ab uſu ſacræ Scripturæ, quæ Sacerdotum conſecrationem vocat manus impletionem, ut Exodi 28 ℣. 41. *Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios ejus cum eo, & ſanctorum conſecrabis manus.* Hebraïcè, *& implebis manus eorum.* Quod retinuerunt 70. Interpretes. S. Hieronymus ſenſum ſemper expreſſit. Ita Exodi 29. 9. & 32. 29. Levit. 8. c. 33. 34. & Numer. 3. 3. & alibi. Tranſlatio Chaldaica Onkelos, *Et offeres oblationes eorum* ותקריב ית קורבניהון, Similiter & Thargum Jonathan. Tranſlatio Samaritana, Exod. 28. 41. & aliis locis, ותשלם ית אהרון *& perficies, ſeu conſummabis manus eorum.* Syra verſio utitur ipſo verbo quod explicamus. R. Levi Ben Gerſom ita intellexit commentario in hunc verſum, רל שתשלים ידם ויבלתם לעבור ואת העבודה אשר יעבדו בה באלו הקרבנות שתקריב עליהם כי אחר זה יהיה להן רשות וכולת לעבוד עבודתם. *Docet his verbis ſe manus eorum perfecturum: Unde jus erit ipſis adminiſtrandi hoc miniſterium quo ſanctuari ſunt in oblationibus quas pro iis offeres. Nam poſt modum erit iis facultas & poteſtas exercendi miniſterium ſuum,* ad quod videlicet divinitus deſtinati ſunt. Rationem hanc iſtius Hebraïcæ phraſis reddit Salomon Jarki eo loco כל מלוי ידים לשון חנוך כשהוא נכנס לדבר להיות כוהן בו מאותו יום והלאה הוא ובלשון לעז כשמכנים אדם על פקידת דבר נותן השלים בידו בית יד של עוד שקורין נוואנטו ועל ידו הוא מחזיקו בדבר וקורין לאותה מסירה דיוסטיר והוא מלוי ידים *Omnis plenitudinis manuum ſignificatio cum tribuitur rei ut aliquis eam apprehendat, & in ejus poſſeſſione confirmetur à die apprehenſionis & deinceps, dedicationem & conſecrationem denotat non ſecus ac in conſuetudine Vernacula, cum muneri & officio quis præficitur, tradit Princeps in manuum ejus pelliceam Chirotheeam, quam* Guanto *vocant, & manu eam apprehendens, rem ipſam apprehendere & poſſidere creditur. Hanc traditionem vocare ſolent,* deveſtir. *Hæc eſt ſignificatio plenitudinis manuum.* Itaque impletio illa manus ſecundum eos nihil aliud eſt quam civilis miſſio in rei poſſeſſionem. Ita Chaldaïci Interpretes hanc phraſim intellexerunt, cum pro Hebraïco, *implebis manum eorum*, ſubſtituerunt, *& offeres oblationes eorum:* hoc eſt, poſtquam indueris Aaron, & filios ejus ſacris veſtibus, & eos unxeris, tum oblationibus manus ejus complebis quas Deo per te offerent, atque ita muneris Sacerdotalis quod conſecuti ſunt, poſſeſſionem adibunt. Ita videtur intellexiſſe Kimhi in hac radice cum relatis his verbis verſu 33. cap. 8. Levitici ימלא את ידכם, addit. כלומר ימלא את ידכם, כן הקרבנות. *Quaſi diceret implebit manum veſtram oblationibus.* Implere igitur manum eſt veluti ultimam manum eorum conſecrationi imponere, quod fieri ſolebat à Sacerdote conſecrante per hoſtiæ traditionem quam ſimul cum ipſo recens conſecrati offerebant. Verbo autem,

ܫܠܡ, quod Hebræis ut Syris in plenitudinis ſignificatione ex æquo uſitatum eſt, Syri Schin ad ſignificationem intendendam addiderunt, quod nonnunquam facere ſolent, unde ܫܠܡ, ܫܠܡ, ܫܠܡ Quod Hebræis & Chaldæis vix eſt uſitatum: Chaldæi tamen, שלם, frequenter dicunt.

2. *Chirotoniæ ſeu ordinationis.* Syri multa verba Græca retinuerunt, ut Patriarcham, Catholicum, Metropolitam, Epiſcopum, Hypodiaconum, Pſalten, Kyrie eleïſon, Hyparchiam; ita & Chirotoniam, eodem ſenſu quo iis Græci uſi ſunt. Cujus rei ratio duplex mihi videtur: Præcipuæ Syrorum urbes erant coloniæ Græcæ ideo lingua Græca per pleramque Syriam erat quaſi vernacula, & ubique Principibus viris & Magnatibus familiaris. Deinde poſt imperii Romani tranſlationem Conſtantinopolim Græci ſub nomine Romanorum Orienti magis dominati ſunt, quam Romani. Hinc multa nomina Græca, præſertim quæ adminiſtrationes tam civiles quam Eccleſiaſticas ſpectant, ſibi aſciverunt, & velut nativa uſurparunt. Iſtius vocabuli nullus uſus eſt in novo Teſtamento. Actor. c. 14. 22. ubi habetur verbum, χειροτονῆσαι. Interpres reddidit, ܫܘܝܘ *conſtituerunt* & 2. Cor. 8. ܒܚܪ *elegit.*

3. *Ordinationis Pſalta.* Cantoratus apud Maronitas inter ordines reverà numeratur, omniumque eſt primus quem ſequitur Lectoratus. Novem ordines recenſent, quos noveni choris Angelorum comparant, & unicuique ordini peculiarem tribuunt conſecrationis ritum. Quanquam autem ordines novem conſtituant, tres tamen Minores Latinis uſitatiſſimos, Janitorum, Exorciſtarum, & Acolythorum non agnoſcunt, non ſecus ac Græci, quos in pleriſque ſuis ritibus imitantur. De hoc ordine plura lege infrà Exercitat. 14. c. 6. Titulus quem ſic poſuimus, *Ritus ordinationis Pſalta*, ſic in textu Syro verbum e verbo ſcribendus eſſet, *Primùm autem de Pſalta qui conſecratur*, ſeu, *conſignatur*, & præcedentibus verbis conjungendus. In fine iſtius ritus ordinem Pſaltæ vocant ܙܡܪܐ, ut initio dixerant de eo qui eum recipiebat ܐܡܘܢܐ ܙܡܪܐ Dictio autem illa idem ſignificat quod Græcis ἀφορίς & χαιροτονία. Ideo videntur Maronitæ dicere fieri per ἀφορίζω ut Græci Lectorem. Vide quæ de Græcis hac in cauſa dicemus infrà Exercit. 14. c. 4.

4. *Stet ad portam Altaris.* Maronitarum Eccleſiæ ut Græcorum diſtinctæ videntur. Porta altaris igitur Maronitis eſt ea quæ Græcis porta Sancta dicitur, mediaque eſt inter tres Sanctuarii portas. Conſule infrà cap. 6. Exercitationis undecimæ, in qua brevis delineatio Eccleſiæ Græcæ deſcribitur. Ibi perſpicuè explicatum habes quid ſit porta Sancta, & conſequenter quæ hîc dicatur altaris porta.

5. *Laus Deo.* Laus Deo initium eſt Hymni, quem tum cantari aut recitari monet Rituales Liber. Sæpius occurrit in Ritualibus A Libris, ſed nihil aliud ex eo refertur præter hæc duo priora verba.

6. *Verſus.* Textus Syrus habet ܩܠ, quod propriè vocem ſignificat & ſonum, ut Hebræis קול, Hîc tranſtulimus Verſum eò quod accedat ad Verſus Rituales noſtrorum. Pſalmus enim, *Miſerere*, in quinque Partes ſcinditur; & poſt recitatam aut decantatam quintam partem, aliquid aliud interſeritur, quod vocant ܩܠ ܕܫܒܚܬܐ: Deinde incipit ſecunda Pſalmi pars, inter quam & tertiam aliquid aliud Hymni interſeritur, & ſic deinceps uſque ad Pſalmi finem, ut in textu conſpicere potes. Hæc alternata variorum hymnorum & cantionum recitatio ſpeciem refert poeticārum στροφῶν & ἀντιστροφῶν. Quinque enim primi verſus Pſalmi 50. qui incipit, *Miſerere mei Deus*, recitantur velut ſtrophe: Sequuntur aliunde petiti verſus velut Antiſtrophe. Poſtea reſumuntur ſequentes quatuor ejusdem Pſalmi verſus, velut ſecunda ſtrophe, quos alii ſed diverſi excipiunt velut Antiſtrophe, quod fit quinquies donec Pſalmus finiatur. Hæc hymnorum alternata & ἀντιστροφὴ & commixtio apud Maronitas ſæpe uſurpatur, ut ex eorum ritualibus colligitur, & vel in ſolo hoc Ordinationum ritu ſæpè Lector obſervabit.

Sunt autem apud eos multæ verſuum ejusmodi ſeu hymnorum ſpecies quibus, ܩܠ *colo* nomen tribuunt. In Officio eorum ſimplici ſeptem dierum Septimanæ, in Dominicæ officio, p. 149. eſt, ܩܠ ܕܫܝܥܐ *Colo tertii*, Iſta cum Pſalmo, *Miſerere*, eſt ἀντιστροφὴ, & in ejusdem dici officio p. 171. ܩܠ ܕܚܕ, *Colo ſimplex* ita quoque cum alio hymno videtur alternata. Contrà p. 59. eſt ܩܠ ܕܬܪܝܢ *Colo duplex*. Iſta præter alternationem in fine cujuſque ſtrophæ habet duplex Alleluia. Alia eſt p. 217. in eodem officio quæ vocatur ܩܠ ܕܬܪܨ *Colo fortis*: Unaquæque ſtrophe iſtius alternatur per duplicem Antiſtrophen. Aliam vocant, ܩܠ ܪܝܫ, *Riſch colo*, principium τῆς *Colo*. In ea nulla eſt Antiſtrophe. Ex his, ut opinor, facilè intelliget Lector, quid ſit apud eos ܩܠ.

7. *Reſponſum*, ܦܘܓܕܐ, Chaldæis latiſſimè ſignificat, rem, negotium, verbum, Sermonem, narrationem, Decretum, Sententiam. Syri verſum ſic vocant, ut cum dicunt hic Pſalmus, hoc caput triginta continet verſus ܦܘܓܕܐ ܕܫܒܥܝܢ. Hic videtur accedere proximè ad id quod in Breviariis Latinorum reſponſorium dicitur: Vel potius ἀντιφωνὴ ἢ ἀντιστροφὴ ſignificat. Ἀντιστροφὴ enim τῆς ܩܠ, vocat *Phethgomo*.

8. *Benedic Domine.* Hîc & in omnibus Maronitarum officiis Eccleſiaſticis frequentiſſima

ſima eſt illa deprecatio, cum videlicet Diaconus aliquid eſt acturus. Ante enim actionem ſemper petit benedictionem à Presbytero aut Episcopo: Ideo ſcribere ſolent duas illas dictiones, ut in unam coaleſcentes, ut hîc ſæpiſſimè videre eſt, & in libro Miniſtri p. 66. in Miſſali f. 36. & alibi paſſim.

9. *Stemus convenienter in oratione, &c.* Ejusmodi oratio, ſeu potius ad orationem exhortatio frequenter hîc uſurpatur, & in aliis Maronitarum ritibus, & propria eſt Diaconorum. Ita in libro Miniſtri ſeu Diaconi, in quo deſcribuntur omnia Diaconi Miniſteria ſæpè. ܩܡܝܢ ܫܦܝܪ &c. *Stemus pulchrè, convenienter*, ut p. 26. *Stemus convenienter in oratione & prece coram Deo Deorum, & coram Domino Dominorum, & coram rege regum, & coram altari, &c.* Ita p. 39. 51. 168. 195. 56. 57. 156. Exhortandi hîc modus à Græcis ſumptus eſt, aut certè cum iis communis. In liturgia Chryſoſtomi paulò ante conſecrationem σῶμεν καλῶς, σῶμεν μετὰ φόβου, *Stemus pulchrè ſeu honeſtè; ſtemus cum timore*: Similiter in Liturgia S. Baſilii. Sed Syri frequentiùs ea exhortatione utuntur.

Epiſcopus dicit prooemium Syr. ܩܕܡܝܐ, *Prœmium* genus eſt precis in Ritualibus Syrorum, cujus exempla ſunt in officio Septimanæ 43. 47. 62. 71. Ita forſan dicitur quia eſt prœmium ſive præfatio ad aliam longiorem precem aut hymnum: Illis enim locis ſequitur ſemper ܣܕܪܐ, *Sedro*, id eſt, ordo, genus orationis longioris, ut & hîc hymnus qui incipit; *Ego, ſum lux.*

10. *Hoc ſancti Ephrem.* Maxima pars precum, præſertim hymnorum qui deprehenduntur in Ritualibus Maronitarum, ſanctis Ephrem & Jacobo, ut autoribus, ſed S. Ephrem potiſſimum, tribuuntur, ut paſſim videre eſt non modo hîc, ſed etiam in longiſſimo illo Septimanæ officio quod jam non ſemel citavimus. Ita quoque in eorum Miſſali in ipſo initio, & alibi paſſim plures hymni ipſis nuncupantur. Ideo hos in Miſſa cum Sanctis Apoſtolis Ignatio, Baſilio, Gregorio, & Marone commemorant, eoſque vocant ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܥܡܘ̈ܕܐ ܕܒܝܬ ܐܠܗܐ *orationalia & columnas ſanctæ noſtræ Eccleſiæ*, ut videre eſt in officio quotidiano p. 76. Teſtantur Hiſtorici Eccleſiaſtici S. Ephrem Poëtam fuiſſe lingua ſua admodum elegantem, ita Theodoret. l. 4. Hiſtor. c. 29. Hiſtoria tripartita l. 8. c. 6. Nicephorus l. 9. c. 14. Refert Sozomenus l. 3. c. 15. quod eſt parum probabile, verſificationi tantopere ſtuduiſſe ut tricies centenas myriades carminum compoſuerit, eaque in multorum manibus haberi. Quapropter nil mirum ſi ſancti Ephrem hymnos toties uſurpent.

11. *Petamus à Patre abſcondito.* Verba iſta & quæ præcedunt quæque ſequuntur, uno aut altero excepto, magna inquam pars iſtius orationis ſive ad orandum exhortationis quæ toties in hoc rituali repetitur, habetur in officio Diaconi p. 39.

12. *Arma quibus induti ſunt, &c.* Phraſim iſtam qua ſæpius utitur hoc rituale, uſurpat quoque liber Miniſtri p. 11. & p. 12. modus loquendi apud eos frequens,

13. *Pro ſecuritate gregis tui, &c.* Variæ illæ & multiplices oratiunculæ pro quolibet hominum ſtatu, præſertim pro Eccleſia, & populo fideli fiunt in cujuſlibet gradus ordinatione, ut unamquamque legendo deprehendes. In Miſſarum quoque ſolemniis ſunt apud Maronitas frequentiſſimæ, ut videre eſt in officio Maronitico Miniſtri, p. 7. 25. 66. 81. Diaconus non Presbyter eas recitare ſolet; ideo Diacono in eodem libro tribuuntur. Similes oratiunculæ ſunt apud Græcos frequentiſſimæ: Vix aliquod officium Eccleſiaſticum ſive publicè ſive privatim cujuſcunque generis illud ſit, celebratur, in quo preces ejuſmodi non adhibeantur. Ad Diaconum pertinet illas in Eccleſia recitare: Ideo ab iis vocari ſolent abſolutè τὰ ἀληθινά. Dicuntur etiam εἰρηνικά, eo quod pro pace Eccleſiæ & totius orbis in iis ſemper oretur.

14. *Peshito.* Genus eſt hymni cujus uſus frequens eſt in hoc ordinationum ritu. Dictus videtur eo quod ſimplex eſſet: ܦܫܝܛܐ *Peshito* enim Syris eſt ſimplicitas, à radice ܦܫܛ, extendit, ut Pſal. 87. ℣. 10. ܦܫܛܬ ܐܝܕܝ ܠܟ *expandi manus meas ad te.* Itaque videtur quoddam genus hymni ſimplicis additamentis & ornamentis quibus alii decorari ſolent, nudati: Vel ita dicitur quod ſimpliciore cantu recitaretur. Rabinis & Chaldæis hoc idem & multa alia ſignificat, ut, ſtudium, meditationem, ſententiam, explicationem, literalem ſenſum, minimam monetam.

15. *Item ritus.* In iſtis ritualibus frequentiſſimum adverbium ܐܦ. Item, etiam, præterea, iterum. Omnes Ordinationum ritus incipiunt ab illa conjunctione ſeu adverbio. Illam dictionem ſæpe variavimus, aut etiam negleximus, ſicut & conjunctionem ܘ, Vau. Latinis auribus importuna eſt tam frequens repetitio, quaſi præter hæc duo nullum eſſet aliud ſermonis vinculum.

16. *Et conſuetum miſerere*, Syriacè ܘܬܘܕܝ ܪܚܡ. Conſuetudo, & ordinarium & miſerere. Eodem modo initio ordinationum Diaconi, Archidiaconi, Archipresbyteri, & alibi. Itaque hoc nihil aliud ſibi vult, niſi tum Pſalmum quinquageſimum recitari. Rabinis ענין, ſignificatio eſt latiſſima, res, negotium, materia, occupatio, Ens quodlibet; Philoſophis, ענין משולל מבעי, Ens abſtractum, naturale.

17. *Iterum atque iterum, &c.* Hoc orationis genus Syris frequentiſſimum, Græcis etiam frequens eſt. Eam vocant παρεκτικὴ ἐκτενὴ, vel ſimpliciter τὴν ἐκτενὴ, extenſam ſeu prolixam orationem, propter multitudi-

nem eorum pro quibus ſpeciatim Deo ſupplicant: Vel forte eo quod ſit intenſa & vehemens. Græci enim ut Syri initium faciunt huic preci, *Iterum atque iterum & omni tempore Deo ſupplicemus.* Eadem videtur, quæ Græcis dicitur ἐκτενὴς, aut ab ea minimùm differre. Vide ſupra adnotationes noſtras in Græcorum Liturgias adnot. 42. & 128.

18. *Manus divinæ Sacerdotii.* Sacerdotium hic collectivè ſumitur pro omni ſacro ordinationum miniſterio, non autem propriè pro Sacerdotis, ut à cæteris gradibus diſtinguitur, munere & officio. Sic Græci ſæpe ἱερωσύνην ſumunt, ut adnotatum eſt upra. Dici etiam poſſet hîc pro Epiſcopatu ſumi, in quo Presbyteratus excellenter ineſt.

19. *Kyrie eleiſon.* Iſta Litania Syris frequens eſt, ut & Latinis. Utriquè verba Græca retinuerunt. In officio Miniſtri Maronitici p. 24. ter Diaconus cantat Kyrie eleiſon, nihil aliud addendo; Deinde terna hac prece finita, ter ſimiliter dicit, ܡܪܝܐ ܠܟ ܡܫܒܚܐ, *Gloria tibi Domine noſter.* Ita quoque p. 51. 66. & 79. ſed non additur gloria tibi Domine. Similiter in Miſſali Maronitico p. 36. 37. Uſum iſtius Litaniæ frequentiſſimum in ordinationibus ſequentibus obſervabis

20. *Dicit hymnum exalta me.* ܡܙܡܘܪܐ, propriè Pſalmum ſignificat, ut cum dicimus Pſalmi ſunt centum & quinquaginta: Generalius etiam cantilenam quamcunque, ut & Hebræis. Rabbinis autem & Paraphraſtis Chaldaïcis quemlibet ſonum. Hîc hymnum quendam, cujus initium eſt, *Exalta me*, ſeu *exaltans me*: frequens eſt illius uſus in his ordinationibus & in Syrorum ritibus, ut videre eſt in officio Miniſtri p. 28. 130. 151. 162. 173. ubi ſemper eſt ܡܙܡܘܪܐ ܕܡܪܝܡܢܝ, *hymnus, Exaltans me.* Nullus autem Pſalmus ſic incipit. Ideo Davidicum Pſalmum ſignificare non poteſt.

21. *Tunica, & orario ſuo.* Lectores, non tantùm Subdiaconi, nedum Diaconi ſoli orario decorantur apud Syros. Ea tamen differentia intereſſe videtur ut ordines Diaconatu minores ſtolas geſtent à collo ex utraque parte pendulas, Diaconi verò ſuper humerum ſiniſtrum. Hoc videtur colligi ex his verbis in fine ordinationis Neſtorianæ Diaconorum, *Quo factò tollit ſtolas de collo eorum, eaſque ponit ſuper humerum ſiniſtrum.* Alio modo geſtat Sacerdos, ut ex fine ordinationis colligitur. De orario vide permulta, adnot. 6. in Liturgias Græcorum.

22. *Sacerdos inſtar ordinis Angelorum, &c.* Novem choros Angelorum diſtingunt Syri, & tres Hierarchias. Prima & ſuprema Hierarchia illis eſt eorum qui ſimpliciter Angeli dicuntur: Secunda & media, eorum qui Seraphim: Tertia & ultima eorum quos Vigiles vocare ſolent. Hic Angelorum ordo apud eos vulgatiſſimus eſt. Sic in loco quem illuſtramus, *Hominibus terrenis Sacerdotium tradidiſti; & eos velut Vigiles feciſti, ut laudent divinitatem tuam: Sacerdotes inſtar ordinis Angelorum; & Diaconos velut Seraphim; Hypodiaconos & Lectores velut Vigiles miniſteriis cauſa miſſos.* Paulò poſt in ordinatione Subdiaconi, *Sacerdotes ordinibus Angelorum comparantur; Diaconi τοῖς Seraphim; Subdiaconi & Lectores Vigilibus in miniſterium mitti ſolitis.* In ordinatione Presbyteri ordinem Hierarchiæ iterum refert, ſed Seraphim in poſtremum non in medium locum collocat: *Novem ordines Angelorum in cœlis ut miniſtrent ei: Novem ordines Sacerdotii in medio Eccleſiæ ut laudent eum. Diſtinxit ordinem ab ordine, Superiorem & inferiorem. Ad ſimilitudinem ordinum Angelorum diſtinxit gradus Sacerdotii. Superiores velut Angelos; & medios ad ſimilitudinem Vigilum; & inferiores velut Seraphim in typum convenientem eorum qui inſerviunt ei.* Idem repetit in ordinatione Archipresbyteri.

In libro Miniſtri Maronitici, ubi de miniſterio Angelico p. 195. mentio quoque fit Angelorum Vigilum, ita ut poſitis præcedentibus facilè colligi poſſit Vigilum Angelorum chorum τοῖς Cherubim & Seraphim præponi, ܡܫܡܫܢܐ ܕܡܠܐܟܐ ܕܡܫܡܫܢ ܠܟܪܘܒܐ ܘܠܣܪܦܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܟܘܪܣܝܗ ܕܐܠܗܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܡܪܟܒܬܐ ܕܐܠܗܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܐܠܗܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܫܠܡܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܫܡܫܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܥܠܡܐ. *Remotus eſt ab eis, eorumque conſpectu, & majeſtatem ejus non comprehendunt,* hominum filii, *Seraphim etiam quibus ſex ſunt ala, Cherubim quoque quibus quatuor ſunt facies: Iſti thronum ejus portant; & in ipſum aſpicere & inquirere non audent. Vigil qui nunquam dormit, hominis negotium non poterit definire.* Nec repugnat in eorum Miſſali in Liturgia Jacobi Apoſtoli p. 169. hæc ordinum Angelicorum enumeratio, Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Virtutes, Cherubim, Seraphim, quæ poſtea repetitur in Liturgia S. Marci p. 207. Nam à maximis utrobique deſcendit ad minimos, qui ſecundum ipſos judicantur Cherubim & Seraphim.

Sanè ſi hæc attentè conſiderentur, manifeſtum erit non modo iſtorum ritualium autores, ſed etiam illos qui multis poſt ſeculis ea poſteris tradiderunt, S. Dionyſii libros nunquam legiſſe, aut ſi legerunt maximi non feciſſe, cum in hunc uſque diem traditionem conſervaverint è diametro doctrinæ S. Dionyſii repugnantem. Quos ſummos Angelorum Dionyſius definit, illi infimos. Nec in cæteris Choris Dionyſio conſentiunt. Sic Angelorum ordinem aſcendendo conſtituit Dionyſius, Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Virtutes, Thronos, Cherubim, Seraphim. At Syri thronos ſive aſcendas ſive deſcendas, quinto loco reponunt. Aliæ ſunt ratione habita ad ordinem Dionyſii perturbationes, nec enim tantùm

tantùm duos choros Dionyſio infimos in ſupremum locum evehunt: Sed hæc Lectori ventilanda relinquo. Aliam inſuper Hierarchiam à Dionyſio prætermiſſam Syri celebrant, Vigilum ſcilicet Angelorum, de qua Daniel Propheta c. 4. ℣. 10. *Ecce Vigil, & Sanctus de cælo deſcendit, Clamavit fortiter, & dixit, &c.* & ℣. 14. *In ſententia Vigilum decretum eſt.* Iterumque verſu 20. Miror Vigiles Angelos à S. Dionyſio penitus omiſſos, cum Syris poſt Danielem ſint celeberrimi. Nec etiam S. Gregorius ordinem Dionyſii, licet autor ſit ab eo laudatus, obſervare curavit. Sic homilia 34. in Euangelia Choros Angelorum enumerat, Angeli, Archangeli, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim. Alio ab his omnibus modo ſancta Eccleſia choros iſtos in feſto S. Michaëlis componit, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes.

Nec etiam præcipuum & fere unicum fundamentum cui innituntur omnia Dionyſii de Angelis & cœleſti Hierarchia philoſophemata, uſquequaque verum eſt, ſi illud ad Scripturæ ſacræ exempla, & S. Gregorii mentem penſitare, & librare velimus. Vult ille primam ſuam Hierarchiam immediatè à Deo edoceri & illuſtrari; Secundam illuſtrationes divinas à Deo non immediatè excipere, ſed per primam: Tertiam à Deo longiùs abeſſe, nec immediatè à prima, nedum à Deo, edoceri, ſed à ſecunda: Homines verò longiſſimè, à tertia tantùm illuminari & perfici. Deinde primam Hierarchiam perfectiones & illuſtrationes à Deo proximè haurire quarum inferiores ſunt incapaces, & ideo nunquam cum iis communicantur; quas verò inferiores habent, à Superioribus illis eſſe inditas & immiſſas. Ex qua doctrina duo conſequi ſcribit: Prius, Nihil eſſe perfectionis in Inferioribus Hierarchiis quo non potiantur Superiores, ſed propoſitionem non eſſe reciprocam. Poſterius, Infimos tantùm Angelos ad homines mitti, & exteriora miniſteria exercere. Superſedeo nunc inquirere an iſta doctrina bene conveniat cum ea quæ docet non modo Angelos, ſed etiam animas Sanctorum poſt mortem immediatè eſſentiam Dei videre & contemplari, eamque in beatis ſpeciei impreſſæ vicem ſuſtinere.

Dicam tantùm S. Gregorium ſingulos Angelorum Choros explicare & definire homil. 34. in Euangelia, ſed contrario planè modo. Supponit enim ſemper quoſcumque Angelos ſupremos non tantùm infimos ad homines mitti, atque hæc inferiora regere: Miniſteriis tantùm eos diſtinguit, hoc eſt, ſummos Angelos ad negotia maximi momenti nuntianda, & peragenda cœlitus delegari, Inferiores verò ad negotia minoris momenti. Sigillatim unumquemque chorum deſcribit ab actionibus quas unuſquiſque in hoc inferiori orbe exercet, ut homiliam illam legenti planum eſt, cujus etiam partes multæ quæ Angelos ſpectant, publicis Eccleſiæ lectionibus adſcriptæ ſunt.

Non erat tamen S. Gregorio incognita Dionyſii ſententia, & nova meditatio: imò eam refert, & objectionem validiſſimam quam ſibi opponit Dionyſius, ipſo Dionyſio longè commodiùs, faciliùs, & planiùs explicat, ut caput 13. libri de cœleſti Hierarchia cum verbis S. Gregorii comparanti manifeſtum erit. Ideo tamen Dionyſii ſententiam non amplectitur, ſed propriæ adhærens novam illam, ut incertam & ſcripturarum teſtimoniis non ſatisfacientem in medio relinquit. Apertè enim ei contradicunt quæ de Seraphim & Cherubim Eſaiæ c. 6. Geneſ. 3. & Ezechielis 10. & 41. ſcriptura refert; nec eſt ulla Syllaba, vel umbela textus Sacri quæ faveat ipſius philoſophematì. Ideo S. Gregorius licet eum crederet virum Apoſtolicum, de ipſius tamen ſententia ſic pronuntiat. *Quia in quibuſdam ſcripturæ locis, quædam per Cherubim, quædam verò per Seraphim agi didicimus; utrum per ſe hæc faciant, an per ſubjecta agmina agantur, quæ ſicut dicitur, in eo quod à Majoribus veniunt, majorum vocabula ſortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis teſtimoniis non approbamus.* Deinde Gregorius hoc axioma ut certum tenet, Angelos quoſcunque etſi mittantur, Deum tamen ipſum ſemper contemplari; cui cum intermedia illa contemplatione, & per alios Angelos ſuperiores tantùm communicata, non bene convenit.

Eutychiani qui primi Dionyſii opera in lucem ediderunt, ipſius contemplationes, velut rem ipſis domeſticè notam, in ritum ſuum intruſerunt. *Flectit*, inquiunt, *Diaconi genu dextrum, quia Diaconi, ut notum eſt, purificant tantùm.* De Sacerdote vero, *Procumbit autem ſuper ambo genua ſua; eo quod Presbyter eſt veluti purificans & illuminans.* Ipſiſſimæ ſunt Dionyſii rationes quas iſtius genuflexionis edidſerit, ut videre eſt Hierarchiæ Eccleſiaſt. c. 5. in Theoria. Neſtoriani longè aliam iſtius ceremoniæ rationem reddunt, ut Lector eorum Ordinationes luſtrans obſervare poteſt. Vide infra Adnot. 29.

Naturam quoque & proprietates ש Seraphim Cherubim ſola etymologia Hebraica, nulloque alio fundamento ſubnixus, nobis explicat. At ſanè a Judæo aliquo aut Chriſtiano hebraïzante deceptus eſt. Ita cap. 7. cœleſtis Hierarchiæ, *Sanctorum quidem Seraphim nomen tradunt ii qui Hebraïcè ſciunt, vel incenſores, vel calefacientes declarare; Cherubim autem ſcientiæ cognitioniſque copiam, vel Sapientiæ diffuſionem.*

שרף autem, & ab eo derivata ſunt equidem in Scripturis Hebraïcis uſitatiſſima, verùm calefactionem nuſquam ſignificant, ſed tantum combuſtionem, & rei alicujus incendium. Sæpe additur, באש *in igne*, ſæpe quoque non additur, & eadem eſt ſignificatio. Sed ש Seraphim virtutes à calefactione potiſſimum deducit quam nuſquam hoc nomen ſignificat.

Unde illi Cherub plenitudinem ſcientiæ ſignificet, divinare difficile eſt, Grammaticæ legibus non abutenti. Paraphraſtæ omnes interpretantur ſtatuas adoleſcentium figuram imitantes. Chaldæis enim, רבין, &

Emphatice, רביא, Pueri, adoleſcentes. A Talmudicis רובין ſunt adoleſcentes. Cherubim itaque ſonat, *velut adoleſcentes*, aut, *velut pueri*, appellatione petita à figura qua ejuſmodi Angeli juſſu Dei pingebantur. Talmudici tract. Chaggia f. 13. מאי כרוב כרביא שכן בבבל קורין לינוקא רביא *Quid eſt Cherubim? Idem, quod ſicut pueri. Nam Babylone pueros & infantes vocant, Rabbja:* Caph eſt ſimilitudinis adverbium. In Talmudica dialecto nulla erat variatio: *Rebin* enim vel *Rubim* pueros vocant. Ideo Interpretes Chaldæi, Syri, & Samaritani nomen *Cherubim* ut ipſis notum & familiare retinuerunt, illud tantum ad propriæ dialecti inflexionem & pronuntiationem accommodantes. Ita cæteri Rabbini: Salomon Jarki in ℣. 18. c. 25. Exodi, ſcribit ut rem confeſſam דכורת פרצוף תינוק לחכ, *ſimilitudo vultus & perſonæ infantis ſeu pueri eſt illis.* Kimhi in radicibus ad hanc vocem teſtatur quoque antiquos Rabbinos quotieſcunque hæc dictio occurrit, illam interpretatos per vocem pueri, eo quod Cherubim ſit pueri ſimilitudo. Aben Eſdra tamen in 3. cap. Geneſ. verſum ultimum cenſet vocem illam generalius ſignificare מלת ברובים יש אומרים כנערים הרגום ארמית כרביא. ולפי דעתי שהיא מלת כלל צורות כולם *Nonnulli interpretantur Cherubim, ſicut pueri, paraphraſis quoque Chaldaica. At mea ſententia hæc dictio complectitur omnium rerum figuras.* Id probat ex Ezechiele qui quod initio vocaverat faciem bovis, poſtea cap. videlicet 10. appellat faciem Cherubim. Hanc difficultatem ex ſententia Antiquorum ſolvit Kimhi loco allegato. R. Levi Ben Gerſom in eundem Exodi locum interpretatur figuras quaſdam imaginarias media ſui parte intellectuales quæ Cherubim vocantur, eo quod perfectionem nondum aſſecutæ ſint, ſed tandem aſſequentur, ut paulatim pueri fiunt viri. Quidquid ſit hæc dictio nullo modo pertinere poteſt ad ſcientiæ & cognitionis copiam & abundantiam.

Joannes Daræ in Syria Archiepiſcopus paulo diligentius quàm Dionyſius, de voce Seraphim à Judæo edoctus eſt. Sic enim ſcribit c. 7. l. 1. Commentariorum in Dionyſium,

ܡܕܡ ܗܘ ܕܫܪܦ̈ܐ ܐܝܟ ܡܬܐ ܠܗ ܫܡ̈ܐ ܐܝܟ ܕܐܡ̈ܪܝܢ ܠܗ ܥܒ̈ܪܝ̈ܐ ܕܡܬܚܡ̈ܝܢ ܐ̈ܢܘܢ ܕܫܪܦ̈ܐ ܕܫܡ̈ܗ ܡܬܐ ܠܗ ܡܢ ܚܡ̈ܐ ܕ

tati. Cujus rei antiquius argumentum afferri non poteſt, quàm novum Teſtamentum. Antiquiſſimi enim Judæorum libri quotquot ſunt novo Chriſtianorum teſtamento longè poſteriores ſunt. Rab igitur lingua Hebræa quæ uſitata erat cum Moſes & Prophetæ ſcriberent, & ☧ Cherubim apud Judæos erat uſus, ſignificabat Præfectum alicui rei, Præpoſitum, Rectorem, Dominum, Principem, nunquam Ludimagiſtrum aut Doctorem. Significabat Magiſtrum eo ſenſu quo Latinè dicimus Magiſtrum Equitum, Magiſtrum Peditum, Magiſtrum Navis. In his omnibus nihil eſt quod ad ſcientiam & doctrinam referatur, Poteſtas tantùm & autoritas conſideratur. Ita Jerem. c. 39. ℣. 9. רב טבחים, B Hieronymus interpretatur *Magiſtrum militum*, Et Danielis 2. ℣. 14. eadem verba transfert *Principem militiæ*. Et c. 4. ℣. 6. Nabuchodonozor vocat Danielem רב חרטמיא *Principem Ariolorum*. Eſther, 1. 8. רב ביתו, Princeps, *Magiſter domus ſuæ*. Eſaiæ 19. ℣. 20. Mittet eis Salvatorem, ורב, & Magnatem qui liberet eos, Hieronymus transfert, *propugnatorem*. Jerem. 41. 1. ורבי המלך. Hieronymus, *Optimates regis*. Lamentationum c. 1. ℣. 1. facta eſt quaſi vidua, *Domina gentium* רבתי בגוים. Geneſ. 25. ℣. 23. *Major ſerviet minori*, רב יעבד צעיר Multa ſunt alia quæ optimi autores Hebræi & Latini eodem ſenſu interpretantur, ut Pſalm. 48. 3. C Proverb. 24. 6. Amos 3. verſu ultimo. Oſeæ 8, 12. Eſther 4. ℣. 3. Poſteriores Judæi poſtea hoc nomen ad Doctores ſuos, & traditionum enarratores tranſtulerunt, quod tempore Chriſti obtinuerat. Etymologia igitur iſta licet longiſſimè petita ſit, & abſurdè huic nomini Cherub conveniat, nihil tamen prorſus ad rem facit, cum ſenſum adventitium dictioni, רב tribuat, qui tempore quo ſcriptura edita fuit, nullus erat. Hoc tamen ſolo fundamento fretus autor Hierarchiæ cœleſtis ☧ Cherubim naturam virtuteſque nobis deſcribit.

Abraham Ekellenſis Maronita, vir egregiè doctus, & de Literis Orientalibus bene meritus, edidit nuper Latinè & Syrè libellum D Hebed-Jeſu autoris Syri, & adnotationibus illuſtravit, in quibus ait Joannem Daræ in Syria Epiſcopum commentarios in S. Dionyſii libros ſcripſiſſe, & eorum exemplar antiquum ſe habere in quo ſcriptum erat Abbatem quendam Syrum illum Librum cum 250. aliis voluminibus an. Alexandri 1243. emiſſe, hoc eſt Chriſti 932. Joannem autem illum Darenſem Epiſcopum ſcribit Abraham quarto ſeculo vixiſſe. Verùm hoc poſterius nullo argumento docet. Illuſtriſſimus & doctiſſimus Præſul Franciſcus Boſquetus Lutubenſis Epiſcopus cum Romæ hoc audiſſet, Librum deſcribi curavit, ſecumque Pariſios exemplar E aſportavit, & cum hæc Syriaca prelo cudi inciperent, Joannis Darenſis opuſcula ſe exſcribi curaſſe mihi ſignificavit, codicemque ipſum mihi tradidit utendum. Librum nactus multis locis evolvo ſed nihil mihi occurrit quod tantam antiquitatem argueret. Incipit equidem ab Angelica Hierarchia quam explicat, Dionyſium velut κατὰ πόδα ſequens, & caput pro capite reponens. Idem facit in quatuor primis capitibus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Quum autem ad ſacras ordinationes pervenit, longè fuſius iſta perſequitur quàm Dionyſius, & libellos ſeu tractatus peculiares de iis edit. Sed codex in capite undécimo tractatus ſecundi deſinit, cæterea temporis injuria conſumpta ſunt. Videtur præterea ex primis verbis tituli aliquis alius liber Joannis Darenſis præceſſiſſe, quem non exhibet codex, ܟܬܒ ܡܫܟܚܢܐ ܕܝܘܚܢܢ ܕܪܥܝܢ ܒܥܠ ܡܕܝܢܚܐ ܕܐܠܗܐ ܘܐܦ ܠܐ ܡܫܠܡ ܠܗ ܒܟܠ ܡܢ ܕܐܬ ܠܢ. *Præterea tractatus compoſitus à Sancto Joanne Metropolita Dare.*

Libri longè majorem partem percucurri; ſed nihil deprehendi quod illi tantam antiquitatem aſſereret, verùm nonnulla quæ contrarium videntur evincere. Primùm enim ubique aſſumit velut vulgatum apud omnes Dionyſii libros eſſe publicè cognitos & approbatos; non dico eſſe Dionyſii Areopagitæ. Non enim memini huic autori, quem ſæpe Dionyſium vocat, Joannem Darenſem Areopagitæ cognomen dediſſe. Qua ratione fieri poteſt, ut res tanti momenti tam utilis ad convincendos Adverſarios, fuerit quarto ſeculo ubique cognita & publicata, in linguam Syriacam converſa, & commentariis non modo Græcis, ſed etiam Syris illuſtrata, cujus tamen tot inſignes Patres eodem quarto ſeculo in media Græcia & Syria viventes, Athanaſius, Apollinaris, Lucifer, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Ephrem, Syrus, infiniti denique Patres numeroſiſſimis Conciliis, Nicæno, Tyrio, Sardicenſi, Antiocheno, Ariminenſi, Alexandrino, Mediolanenſi, aſſidentes, non meminerint, licet omni conatu Adverſarios Arianos convincere fategerint? Si Joannes Darenſis quarto ſeculo commentarios in S. Dionyſii opera in lucem edebat lingua Syriaca, unde factum eſt ut ineunte ſeculo ſexto Catholici Epiſcopi & Presbyteri, quorum plures erant Syri, atque inter cæteros Innocentius Maroniæ in Syriæ Umbilico Epiſcopus, una voce clamant iſta opera eſſe S. Dionyſio ſuppoſita, & antiquis Patribus qui quarto ſeculo vivebant planè incognita? Unde, inquam, factum eſt, quod Orthodoxis hæc in Hæreticos regerentibus, Hæretici quorum plures ipſi in ea collatione Syri, & Syrè tantùm loquentes, cachinnos non ſuſtulerunt, tantam Orthodoxorum ignorantiam conſpicati, qui Joannis Darenſis Metropolitæ concivis ſui commentarios in Dionyſium non legerant, nec de iis fando audiverant? Unde factum quod Hæretici ad hanc Orthodoxorum exceptionem cui tam facilè præſcribere poterant, obmutuerunt? Sanè Joannes Darenſis Orthodoxis & Hæreticis anno 532. ex æquo erat incognitus.

Ferunt hodierni Syri Joannem Darenſem S. Ephrem diſcipulum fuiſſe. Quamobrem verò S. Ephrem tot autores coætanei & ſuppares

pares meminerunt, Darensis nusquam? Sancti Ephrem non meminerunt modo antiqui Patres, sed etiam eum maximi fecerunt. Basilius homil. 2. in Examerum: Gregorius Nyssenus Basilii frater, ejus vitam laudesque fusè descripsit, ut videre est ad calcem tom. 2. quod præstiterunt & alii Græci complures quorum nonnulli editi sunt. S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Palladius histor. Lausiacæ c. 101. Theodoretus histor. Ecclesiast. lib. 2. c. 30. & l. 4. c. 29. Historia tripartita l. 5. c. 45. & lib. 8. c. 6. Amphilochius in vita S. Basilii. Græcorum Menologium v. Kal. Febr. Anastasius Sinaïta, libri qui inscribitur Dux vitæ c. 7. & 10. B sæpius: & Photius in Bibliotheca c. 196. Joannes Damascenus orat. de Fidelibus defunctis non semel. Sed præ omnibus Sozomenus histor. l. 3. c. 15. & post eum Nicephorus histor. l. 9. c. 14. in ejus laudes divertunt & excurrunt, nec ipsius tantùm, sed & discipulorum, *quorum*, inquiunt, *illustrissimi fuerunt, Abbas Zenobius, Abraham, Mervi, & Simeon, de quibus tum Syri, tum quotquot doctrina Syriaca diligenter operam navant, magnoperè gloriantur. Pari ratione etiam Paulonam, & Aranad propter eloquentiam laudant.* At de Ioanne Darensi Archiepiscopo, C cujus cum propter dignitatem, tum propter doctrinam & ingenii acumen præ cæteris meminisse debuerant, profundissimum silentium. Ipsius tamen in S. Dionysium elucubrationes S. Maximi Scholiis, & Pachymeris paraphrasi ingenii acumine, & Philosophicis in re Theologica ratiociniis longissimè antecellunt. Si tum cognita fuissent ejusmodi opuscula, non secus ac quæ sunt S. Dionysii laudata fuissent, & Sancti Ephrem opusculis multò pluris facta. Solent enim quæ sunt abstrusioris Theologiæ, & philosophicis subtilitatibus explicata hominum animos admiratione percellere, & longè potentiùs commovere, quàm quæ sunt moralia tantùm, & D simplici stylo elaborata, ut sunt S. Ephrem opera quæ extant omnia.

Admodum etiam mihi videtur efficax argumentum ab Anastasii silentio petitum. Erat enim Syrus, atque in monte Sinaï Monachus, qui anno Christi 561. Patriarcha dicitur creatus Antiochenus; quam Ecclesiam cum rexisset annis undecim, à Iustino Imperatore in exilium pulsus est, à quo exactis 23. annis revocatus, throno Antiocheno restituitur, tandemque multa ab Hæreticis passus anno 599. diem obiit. In toto illo opere ... cum Nestorianis, & præsertim Eutychianis, Se- E verianis, & Iacobitis disputat. Plurimos autores Græcos, Syros, partim citat, partim sibi oppositos conciliat, S. Ephrem sæpiùs, S. Dionysium sæpiùs: Darensis tamen Metropolitæ nusquam meminit. Severiani & Jacobitæ sæpiùs illi Dionysium obtendunt, quem virum Apostolicum plenis buccis crepant, Areopagitam & Pauli discipulum. Ille verò non amplius ut Orthodoxi fecerant, suppositium esse causatur sed concesso virum esse Apostolicum, illius verba non interpretatur tantùm, sed etiam ex ejusdem opuscu-

lis argumenta in Eutychis sectas assumit: Quædam verò quæ non facilè solvi possunt, ab Hæreticis corrupta docet. Hæc c. 13. 22. 24 præsertim habentur. Dionysium Alexandrinum refert Scholia in antiquum Dionysium composuisse: Sed vel ex illo solo testimonio demonstrari potest Scholia ista esse Dionys. Alexandrino supposita. Anastasii verba in commentarium suum transcripsit S. Maximus ad cap. 5. cœlestis Hierarchiæ, aut certè Anastasius à Maximo; nisi apud multos constaret Maximum esse Anastasio aliquot annis posteriorem. Diligentius his incumbere nec est hujus loci, nec otii præsentis. Eodem prope modo de Ioanne Damasceno argumentari licet, qui tot Patres in opusculis citat; Dionysium areopag. S. Ephrem; Darensem verò Syrum Syrus ipse nunquam.

Ioannis Darensis opera nunc in hypothesi tantisper examinemus. Capite sexto primi sui tractatus inquirit in ordines & acies substantiarum cœlestium, aitque disputari solere de earum quantitate, qualitate, & ordine, an postremæ perficiantur per medias, necne; Quænam purificent, quæ illuminent, &, quæ perficiant; quæ priores, quæ posteriores, quive inter eas habitus, & relatio: Ex scripturis sacris edoctos respondere, novem esse substantiarum cœlestium ordines seu choros, & tres cœtus seu Hierarchias, & in unaquaque Hierarchia tres Choros

ﭐ ﭐ ﭐ

non Sacerdotibus. Nomine Theologi alius intelligi non potest quàm Nazianzenus. Nam ut ait Gregorius Presbyter, nullus præter ipsum & Joannem Apostolum eo cognomento appellatus est. Obiit autem Nazianzenus an. 390. finiente quarto seculo. Nec statim à morte vulgo dictus est καθ' ἐξοχὴν Theologus. Temporis aliqua fuit intercapedo. Itaque Darienſis ille citius Gregorium eo nomine appellare non potuit quam quinto seculo ad finem jam vergente. Nec etiam probabile est Gregorii libros statim in linguam Syriacam conversos.

Sed Joannem Darensem hoc tempore longè posteriorem fuisse demonstrat quæstio quam toto illo capite exagitat. Egregie quidem primò refutat eorum sententiam qui asserebant Paulum Apostolum, cum dixit de Diaconis & Presbyteris, *sed unius uxoris vir*, esse intelligendum de pluribus uxoribus quas simul ante baptisinum duxerant; aut de iis quas quidam post fidem ex legis Mosaicæ privilegio duxerant, atque etiam de iis qui legitimæ uxori Concubinam superinduxerant; Non autem de iis qui mortua prima secundam desponsaverant, aut mortua secunda tertiam. Sed postea Græcorum morem ut suo seculo communem amplectitur, qui Diaconis & Presbyteris permittunt iis uxoribus uti quas ante ordinationem virgines duxerunt. Contrarium tamen de Oriente præsertim, testantur S. Epiphanius in Expositione fidei, & S. Hieronymus in Epistola ad Vigilantium, quorum prior Salaminæ in Cypro, Syriæ & Ægypto finitimæ erat Episcopus; posterior magnam ætatis partem Hierosolymis & in vicinis regionibus transegerat. Certum est consuetudinem illam in illis regionibus non invaluisse nisi uno aut altero post quartum seculo, quam tandem decreto suo 13. confirmavit Græcorum Synodus an. Christi 692. in Trullo celebrata. Quapropter probabile est Joannem illum Darensem post illam Synodum scripsisse. Imò in fine illius capitis autoritate Synodi Ancyranæ malè intellectæ pressus admittere plura videtur quàm Græci concedunt, Diaconos scilicet post susceptum Diaconatum uxores ducere posse.

23. *Angelorum igneorum oculos.* Addidimus facilioris intelligentiæ causa, *Angelorum*; Textus enim solum habet igneorum. Intelligit autem eos Angelos qui vulgo dicuntur Seraphim quos ܢܘܪܢ ignitos à ܢܘܪ igne lingua sua vocant hic, & postea non semel. Sic eos vocare solet Liturgia S. Dionysio in Missali Maronitarum tributa. Autumant hodierni Maronitæ Dionysium cui hæc Liturgia nuncupatur, esse Areopagitam. Oscitante uno statim omnes oscitare solent: Atque, ut ait Ovidius, *Dum spectant oculi lassos, laduntur & ipsi.* Postquam ista de Dionysio Areopagita opinio sese in hominum animos insinuavit, cum quis Dionysius, autor alicujus operis antiqui nuncupatus est, statim Areopagitæ cognomen illi est inditum. Nusquam tamen Dionysius Angelos absolutè Igneos vocat, quasi hoc esset ipsorum proprium nomen; nec ullo modo istius Liturgiæ stylus cum Dionysiano Græco convenit. Paulò post Liturgiæ initium hæc habet. ܩܕܝܫ ܐܠܗܐ ܩܕܝܫ ܚܢܐ ܕܠܐ ܡܝܬ ܕܡܚܝܐ ܠܥܠܡ ܩܕܝܫ ܚܢܐ ܕܡܚܝܐ ܠܥܠܡ ܕܠܐ ܡܝܬ ܩܕܝܫ ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܐܒܐ ܕܒܪܗ ܗܘ ܠܐ ܝܠܝܕ ܐܠܗܐ ܩܕܝܫ ܚܝܠܐ ܕܡܢ ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܗܘ ܕܡܢ ܐܒܐ ܢܦܩ ܘܡܢ ܒܪܗ ܡܩܒܠ ܐܠܗܐ ܚܕ ܗܘ ܕܦܕܐ ܠܢ ܐܡܝܢ *Sanctus Pater genitor, & non genitus. Sanctus Filius genitus, & non genitor. Sanctus Spiritus Sanctus, qui procedit à Patre, & accipit à Filio; Unus Deus verus qui redemit nos, &c.* Quamobrem hæc & similia Arianis non opposuerunt Athanasius & Nicæni Patres? Numquid etiam Liturgiæ istius omnia exemplaria de medio Orthodoxorum subduxerant Ariani, & in alio mundo sibi confœderato absconderant, ad quem nullus esset Orthodoxis accessus?

24. *Ut sanetur à morbo suo.* Subauditur, Infirmitas mea, & verbum ܢܫܬܦܐ est tertia persona fœminina futuri temporis.

25. *Muta.* Hoc verbum in textu alio atramento scriptum, mihi videtur admonitio toni in pronuntiatione vel cantu mutandi cum ad hæc verba perventum est.

26. *Stephanum caput Diaconorum.* Hæc duo Epitheta S. Stephano conjunctim dare solent, ut in hoc rituali sæpius videre est, & in libro Ministri p. 72. *Et commemoramus* ܘܡܕܟܪܝܢ ܚܢܢ ܠܣܛܦܢܘܣ ܪܫ ܕܝܩܢܐ ܘܩܕܡܝܐ ܕܫܡܫܐ ܘܩܛܝܪܐ ܩܕܡܝܐ ܕܣܗܕܐ *Sanctum & Laudatum Dominum Stephanum caput Diaconorum, & primum Martyrum.* Ita quoque Prophetas appellare solent veraces, ut in hoc rituali sæpissimè, & in eodem Ministri libro.

27. *Gratia divina.* Prima sunt verba celeberrimi apud Græcos, & omnes Orientales Christianos illius decreti electionis quod ante manuum impositionem publicè pronuntiatur. Decretum integrum hîc habetur in consecratione Metropolitæ seu Patriarchæ, & inde repetendum. Græci eo non utuntur in ordinatione Lectoris & Hypodiaconi. Primùm illud usurpant in ordinando Diacono, cujus rei supra causas reddidimus Exercitationis 11. cap. 4. Syri verò Maronitæ ubique exceptis ordinationibus Psaltæ, Lectoris, Archidiaconi, & Chorepiscopi, ut formulas examinanti perspicuum erit.

28 *Ordinatus est N. in Ecclesia sancta.* Sæpe repetitur hæc proclamatio in fine ordinationis, ut videre est in ordinatione Diaconi, & in Ordinationibus Jacobiticis & Nestorianis. Non ita in ordinatione Presbyteri, & Episcopi Maronitici; de qua differentia mox disseremus. Ubique verbum Syriacum idem est, ܐܬܪܡܝ quod est conjugationis Etpael, cujus significatio ordinaria apud Syros est passiva, non reci-

reciproca, ut apud Hebræos, niſi rariſſimè. Sub iiſdem autem literis & vocalibus ſeu pronuntiatione hoc verbum poteſt eſſe vel tertia perſona maſculina præteriti temporis indicativi modi; vel ſecunda perſona Imperativi. Itaque hoc verbum ita ſcriptum, ut conſtanter ſcribitur, transferendum eſt, vel *ordinatus eſt*, vel, *ordinare*. non autem, *ordinetur*. Nam Hebræi, Chaldæi, & Syri non habent tertias perſonas imperativas, ut Latini & Græci: Non ſolent ita loqui; Nec etiam habent primas ut Latini. In ſecunda perſona loquuntur tantùm imperativè: Græci in ſecunda tantùm & tertia, Latini omnibus modis. Græci non habent futuri temporis Imperativum, ſed tantùm præſentis; & ipſa futura licet apud eos per alios modos varientur, nullum tamen habent modum imperativum, ut nec ſubjunctivum. Hebræi, Chaldæi, Syri, uſurpant tantùm modum imperativum futuri temporis, nullum præſentis agnoſcunt. Latini utroque tempore loquuntur imperativè. Hinc Judæorum Grammatici duplex futurum tempus vulgo conſtituunt; unum quod vocant futurum imperativum, alterum futurum literarum איתן additarum. Ita R. David Kimhi in libro Michlol verſus initium capitis de verbis, ubi utriuſque futuri conjugationem explicare incipit. Item paulò poſt eodem capite, Sæpe inquit, Præteritum pro futuro literarum איתן & futurum ejuſmodi pro Præterito, & utrumque pro præſenti tempore ſumuntur. Sed nunquam Benoni ſeu participium præſentis temporis (præter hoc nullum aliud præſens tempus habent illæ nationes) pro præterito aut futuro uſurpatur. והצוי לא ימצא בכל ם העבר ולא העבר במקום דצוי אבל הצוי במקום העתיר שהוא איתן כמאנו ככו עלה ומות בהר שהוא ככו תכות וכו אבל העתור במקום הצוי רבים ואין צריכין לזוכירן. *Verùm futurum imperativum pro Præterito tempore non reperietur uſurpatum, neque præteritum pro imperativo. Sed Imperativum pro futuro literarum* איתן *uſurpatum deprehendimus, ut Deuter.* 32. *Aſcende & morere in monte, idem eſt ac ſi dixiſſet, morieris, &c. Sed futuri iſtius Aithan pro imperativo multa ſunt exempla, quæ neceſſe non eſt commemorare.* Eadem prorſus eſt linguæ Chaldaïcæ & Syriacæ ratio.

Itaque illud verbum ܐܬܬܩܢ hoc loco transferri tantùm poteſt, *Ordinatus eſt*: non *ordinatur*, nam tempus præſens non habent Syri, nec eſt participium præſentis temporis, dicendum eſſet ܡܬܬܩܢ, *Methſarach*, non *Eththſarach*. Neque ſignificare poteſt, *ordinetur*, Nam tertiam perſonam imperativam non habent nationes illæ. Neque etiam, *ordinare*, Nam nec præſens tempus Indicativi modi, nec Imperativi habent Syri, ut nec finitimi Orientales: Nec ſumi poteſt Imperativus pro præterito, aut pro præſenti. Ideo ſignificare tantùm poteſt in futuro, *ordinator tu*, vel ſimpliciter, *ordinaberis*. Sed in materia ſubjecta de qua diſſerimus, abſurdum planè eſſet hæc in futuro interpretari. Quid enim magis abſurdum quàm peractis ritus ordinationis ceremoniis dicere quaſi pro totius orationis complemento, *Ordinaberis*. Ideo in nullius unquam mentem venit, nequidem Hæreticorum, verba Sacramentorum operatoria per futurum interpretari: Hoc enim eſſet non modo Sacramenta omni virtute ſpoliare, verùmetiam gratiæ factæ aut præſentis ſignificatione privare. Neceſſariò igitur illud ܐܬܬܩܢ eſt tertia perſona præteriti indicativi modi paſſivi, & transferendum, *ordinatus eſt*, nec ulla eſt particula, aut ſenſus conſequentia quæ præteritum iſtud in præſentis temporis ſignificationem convertere poſſit. Itaque tota illa periodus quæ incipit, *ordinatus eſt*, *&c.* nihil aliud eſt quam Ordinationis per antecedentes ritus peractæ in Eccleſia publicatio, & annuntiatio, ut de eorum ordinatione nullus deinceps dubitare poſſit. Hoc luce meridiana clarius demonſtrant verba quæ in ordinatione Diaconi immediatè præcedunt, *reddamus ei gratias pro conſummatione hujus Chirotoniæ ſervi Dei N. Diaconi*, *&c.* Conſummata igitur eſt ordinatio cum hæc verba proferuntur.

His argumentum efficax jungi poteſt ex Neſtorianorum ordinationibus, qui ubique iſtis verbis, *ordinatus eſt*, *&c.* conjungunt ܐܬܩܕܫ, *conſecratus eſt*, quod neceſſariò præteritum eſt, non Imperativum. Dicendum enim eſſet, ܐܬܩܕܫ. Itaque antecedentia neceſſariò per præteritum ſunt interpretanda. Hoc autem non faciunt ſemel, ſed in omnibus ordinationibus, Diaconi, Archidiaconi, Presbyteri, Epiſcopi, Catholici, Verbum ܐܬܩܕܫ præteriti temporis aliis conjungitur, nec poſtremum ponitur. Deinde iſta proclamatio ſemper in fine pronuntiatur, cum omnia quæ ad ordinationem pertinent, peracta ſunt. In ritu ordinationis Epiſcopi à Catholico factæ poſtquam iſta pronuntiata ſunt, *Sanctificatus eſt*, *conſecratus eſt*, *&c.* Patriarcha Catholicus cum cruce ſignat, Trinitatem invocans, eumque ſuper caput oſculatur, & in ſede collocat, & ad eum ita collocatum accedunt Presbyteri & Diaconi ܘܡܫܬܚܘܝܢ ܠܗ ܘܡܩܒܠܝܢ ܠܗ ܘܡܫܠܡܝܢ ܠܗ ܠܐܬܬܩܕܫ, *& ſalutant altare, & Patriarcham, & eum qui conſecratus eſt.* Hic ܐܬܩܕܫ non modo terminatione, ſed etiam ſenſu neceſſariò præteritum eſt.

Non abs re opponetur conſecrandi Presbyteri formula, in qua cum primùm fit impoſitionis manuum mentio, ſimul cum ipſo manus

manus iſtius impoſitionis actu pronuntiat, ﷺ. Transferri non poteſt, *Ordinatus eſt*, Nondum enim facta fuit manus impoſitio, aut aliqua alia actio quæ materiæ rationem induere poſſit. Itaque illa declaratio ſeu pronuntiatio non eſt rei factæ, ſed quæ fit dum pronuntiatur, & conſequenter forma eſt quæ materiæ præſenti applicatur. Sed idem argumentum præſto ſemper eſt. Si verbum illud non eſt præteriti temporis, eſt imperativi. Ergo futuri ſignificationem habet non præſentis, niſi adverbium præſentis, temporis illi adnecteretur, quod nuſquam fit. Alio argumento idem demonſtratur. Verbum illud neceſſariò B eſt tertia perſona, ut ex enuntiationis modo fit evidens *Ordinatus eſt talis Presbyter.* At tertias perſonas imperativas nullas habent iſti populi. Nomen illud vagum & indefinitum perſonæ innominatæ פלוני, Hebraïcæ פלוני *à Deva*, de tertiis perſonis innominatis tantùm dicitur, niſi per vocativum, aut exclamationem, enuntiationem formemus ut 4. c. Ruth, ℣. 1. cum vidiſſet Boos eum tranſeuntem de quo ſermo habitus fuerat, cum vocavit & dixit, פלוני אלמני, *diverte huc & ſede.* In enuntiatione autem de qua quæſtio, nihil ejuſmodi fingi poteſt.

Quod ad objecti ſolutionem facilis eſt: Rituales Syrorum qui præ manibus noſtris C ſunt non exprimunt orationes conſecratorias, ſed tantùm dicere ſolent, poſt manus impoſitionem, *Epiſcopus precatur*, ut videre eſt in cæteris ordinationibus, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, & potiſſimum Epiſcopi, in qua dum varia manus impoſitio fit ordinando à Patriarcha & Epiſcopis, *Patriarcha precatur precationem ſpiritus; & cum perfecit, precatur iterum*, Poſtea ſalutat populum, deinde ſeſe inclinat, & redit ad eum qui ordinatur, cum cruce ſignat & pronuntiat illud, ﷺ, *Ordinatus eſt*, *&c.* In ordinatione Diaconi Jacobitica hoc iterum evidenter conſpicitur, ut & in ordinatione Epiſcopi. Conjungitur igitur ſemper oratio D manuum impoſitioni apud Syros Maronitas & Jacobitas, ut & apud Latinos, & Græcos, quos præſertim in ritibus & ceremoniis ſuis imitantur. Itaque in ritu Ordinationis Presbyteri, ad hæc verba, *Epiſcopus imponit dexteram ſuam ſuper caput ejus, & dicit*, Supplendum eſt ex univerſa praxi *& precatur*, antequam ſcilicet dicat, *ordinatus eſt*, tum omnis evaneſcet difficultas. Id evidenter conſpicitur in ordinatione Sacerdotali apud Neſtorianos, in qua hæc verba ordinatione peracta pronuntiantur.

29. *Genuque dexterum coram altari flectere jubet.* In Syrorum ordinationibus eadem fulgent quæ in Græcorum: Omnia ſcilicet quæ E narrat S. Dionyſius in iis fieri ſolere, quorum è præcipuis unum eſt, Diaconi unius genu flexio; Presbyteri, utriuſque. Sed Syri omnes conſtanter notant, genu dexterum flectendum eſſe; Sanctus verò Dionyſius, alterutrum flectendum eſſe docet, quodnam autem duorum non definit. Rituale Neſtorianorum rationem iſtiuſmodi flexionis aliam reddit quàm S. Dionyſius, aliamque narrat huic conjunctam ceremoniam. *Et accedit Epiſcopus ad eos qui ordinantur, & jubet eos duo genua ſua flectere, extendentes manus ſuas ſuper oculos ſuos. In eo autem quod ambo genua ſua flectunt, ſignificatur eos duo talenta accepiſſe. Per hanc autem ambarum manuum ſuper oculos ſuos extenſionem ſignificatur eis eſſe datam facultatem & poteſtatem ſpiritum invocandi, & benedictiones impertiendi, gignendique filios ſpirituales, eoſque cibum ſpiritualem diſpergendi.* Hæc in ordinatione Presbyteri. In ordinatione verò Diaconi hæc ita ſe habent apud eos. *Archidiaconus autem jubet Ordinandorum unumquemque genu dextrum flectere, & ſiniſtrum erectum tenere, eo quod unum tantùm talentum acceperunt. Imponunt quoque ambas manus ſuper aures, & erigunt digitos pollici propinquos in altum verſus faciem.* Hujus ritus rationem non reddit.

30. *Veſtit eum tunica & orario ſuo.* Qua ratione tum orario Diaconus veſtiatur, ſpecialius explicat Rituale Neſtorianorum. Nonnulla etiam eodem loco continet quæ præcedentia confirmant, hæc infra in eorum ordinationibus legi poſſunt. Mos ille ſtolæ ſuper unum humerum à Diacono geſtandæ antiquiſſimus eſt, & apud omnes Chriſtianos celebris. Notandum autem eſt Neſtorianos poſt peractam ordinationem, his verbis illam populo annuntiare. *Separatus eſt*, *&c.* Ita fit & iiſdem verbis in fine ordinationis Presbyteri, & Epiſcopi. Crucis quoque ſignum eodem modo ſuper ordinatum ante publicationem exprimitur. Paulò poſt lecta Epiſtola S. Pauli, additur, ﷺ *Domino autem*, nihil præterea. Hæc duo verba ſunt initialia precatiunculæ pronuntiari ſolitæ cum finiit Epiſtolæ lectio. Precatiuncula integra hæc eſt, ﷺ. *Domino autem laudes, Confeſiones, benedictiones, & omnes adorationes, nunc, & omni tempore in ſecula.* Hæc igitur precatiuncula ſubaudienda eſt poſt hæc verba, *Domino autem*, *&c.* Ita quoque poſt lectionis uniuſcujuſque Epiſtolæ finem.

31. *Ordo.* Genus eſt precis aut hymni, cujus eſt uſus frequentiſſimus in officio Maronitico, ut videre eſt p. 21. 43. 45. 63. &c. & unicuique titulos luſtranti perſpicuum eſt. Talis igitur oratio ſeu hymnus tum dici jubetur. Eadem ratio eſt eorum quæ ſequuntur. Hic non deſcribuntur, ſed aliunde hæc Ordinaria peti debent. Quod ſæpiſſimè propter brevitatem uſuvenit in hoc rituali.

32. *Et Nicolaum Proſelytum.* Nomen, ﷺ, tranſtulimus Proſelytum non Advenam. Nomen advenæ generalius æquo mihi videtur. Omnis equidem Proſelytus eſt Advena, ſed non omnis Advena eſt Pro-

Proſelytus. In textu Græco qui originarius eſt, ſcribitur προσήλυτος. Proſelytus eſt Judæis Ethnicus qui populo Dei certis quibuſdam legibus aggregatur, quorum duo erant genera; unum eorum qui dicebantur Proſelyti juſtitiæ, qui circumcidebantur, & ideo ad univerſam legem complendam tenebantur, cenſebanturque nativis Judæis pares. Iſti erant perfecti Proſelyti. Alterum erat imperfectorum, qui non circumcidebantur, nec ad legis obſervationem ideo tenebantur, ſed tantùm ad idololatriam fugiendam, ſcortationem, ſanguinis effuſionem, rapinam, nonnullaque alia vitanda quæ Judæi vocant præcepta filiis Noæ data. Ejuſmodi Proſelytus erat Nicolaüs ille Antiochenus. Proſelytum autem fuiſſe non ſimpliciter Advenam præter textum Græcum demonſtrat nomen, ܓܝܪܐ quo interpres Syrus utitur, frequentiſſimè enim illam dictionem גיור גירא & גר Chaldæi Interpretes, Talmudici, & Rabbini recentiores & antiqui pro Proſelyto ſignificando uſurpant, ut & verbum in Pael & Hithpael pro Proſelytum facere, Proſelytum fieri, כהגר ההגיר ,גייר יגיר. Dubium non eſt Syrum Interpretem eodem nomine apud Judæos & Chaldæos frequentiſſimo utentem ad eandem ſignificationem reſpexiſſe.

33. *Euangelium ſuper caput ejus.* Ceremonia illa eſt extraordinaria, ut apud Neſtorianos in conſecratione Epiſcopi poſitio ejuſdem Euangelii ſuper dorſum Epiſcopi, de qua infra pluribus. In codice poſt hæc verba, *pectus ejus* additum erat, ſed in margine ܘܥܠ ܟܬܦ ܕܐܦ ܥܠ ܟܬܦ ܕܐܦ ܥܠ ܟܬܦ ܕܐܦ



Veniat Domine Spiritus tuus vivus & Sanctus, & inhabitet super me, & super oblata ista. Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. Sacerdos, & mysterium † istud † Corpus † Christi Dei nostri fiat, ut sit nobis in redemptionem nostram & vitam æternam. Et poculum † hoc † Sanguis † Christi Dei nostri fiat, ut sit nobis in redemptionem nostram & vitam æternam. Paulò post p. 75. non dissimilia leguntur: Multa alia similia diligenter legenti occurrent. Hinc etiam sacra dona per Ecclesiam in omnes partes cum solemni pompa circumducunt. In eadem Xisti Missa p. 63. 64.



Sacerdos circumfert calicem habentem super se patenam; dumque illum in circuitu cum pompa gestat; facit cum eo crucis signum in omnes mundi plagas, ad Orientem, Septentrionem, Occidentem, & Meridiem, dicens. Iterum, atque iterum te Domine confitemur, & laudem offerimus; quia corpus tuum dedisti nobis manducandum, & sanguinem tuum vivum bibendum. Hæc est fides non modo Maronitarum, & Catholicorum Orientalium omnium, sed & Hæreticorum Nestorianorum, & Jacobitarum Eutychianorum, ut multis istorum Hæreticorum testimoniis demonstravit Abraham Ekellensis Syrus Maronita in Romano Collegio linguæ Syriacæ Professor in notis ad Catalogum librorum Chaldaïcorum Hebed-Jesu.

37. Illa litera, *Mem*, solitaria in textu Syro, signum est repetitionis hymni, aut totius, aut partis, qui incipit, *Messia*, sive, A *Christe Deus omnium.* Quod quinquies fit, ut vides, alternatim & ἀντιφωνῶς.

38. Litera, *He*, similiter solitaria, Notaricum est, sive signum eo loco cantandum esse, Alleluja.

39. *Archipresbyteri.* Dictio ܪܫܡܫܢܐ aut, ܪܫܡܫܢܝܐ, Syris Archipresbyterum significat, significatio, petita videtur a, ܫܡܫ quod vigilantem significat, quia ipsius munus est Presbyteris invigilare. Archipresbyterum significare ex verbis ritus lector facilè colliget.

B 40. *Impressionem chrismatis.* Usurpant Syri vocem Græcam μύρον, ܡܘܪܘܢ. In novo Testamento tamen non usurpatur, sed μύρον transferunt semper ܡܫܚܐ, aut etiam ܣܘܟܐ, unguentum. Adduntur verba quæ demonstrant chrismate materiali apud eos unctionem non fieri, sed chrisma illud spirituale esse, gratiam scilicet spiritus quæ ordinatione confertur.

41. *Figurant nobis Pontifices.* ܟܗܢܐ. & ܟܗܢܘܬܐ, Pontificatus, Syris frequentissimè usurpantur. Ita Pontifices & Pontificatum Christianorum passim vocare solent. At Hebræi his dictionibus in malam partem tantùm utuntur, pro idolorum scilicet sacrificulis, ut videre est 4. Reg. c. 25. ℣. 5. Sophon. 1. 4. Hoseæ 10. 5. Unde est quod Chaldæi Interpretes ubicunque mentio fit in Scriptura Sacerdotis Idolorum, transferunt כומרא, ut videre est Judic. 17. & locis jam citatis. Sic etiam hodierni Judæi Monachos vocant, & Monachas כומרים.

42. *Portas Cancellorum.* Dictionem. ܬܪܥܐ Cancellos significare non autem gradus altaris ex hoc loco constat. Gradus enim portas non habent, sed Cancelli illi videlicet, qui Ecclesiæ Sanctuarium à Navi seu loco fidelium separant. In Cancellis ejusmodi duæ saltem sunt apud Orientales portæ, Magna quæ est in medio Cancellorum, vocaturque sancta, atque etiam regia; minor ex parte mensæ propositionis quæ Septemtrionalis dici solet. Sine his portis pleræque eorum ceremoniæ celebrari non possent, ut illæ quas vocant Græci magnum, parvumque introïtum.

43. *Novem ordines Sacerdotii.* Maronitæ novem ordines sive gradus Sacerdotii distinctis ordinationibus seu benedictionibus celebrant, ut hîc videre est, Lectoris, Psalmistæ, Subdiaconi, Diaconi, Archidiaconi, Presbyteri, Archipresbyteri, Chorepiscopi, & Episcopi, quos sæpe novem choris Angelorum comparant.

44. *Qui ascendit cælos.* In textu Syro omissa est dictio ܠܫܡܝܐ quam in translatione reposuimus.

45. *Tu ille es.* Hæc personarum enallage frequenter hîc usurpatur, estque apud Syros fre-

frequens. Nos ſecundam perſonam poſuimus, ut ſenſus eſſet clarior. In textu enim ſcribitur, *Ille qui elegit ſibi in medio Eccleſiæ ſanctæ Sacerdotes, &c.* Id eſt, Tu elegiſti in medio Eccleſiæ, &c. Enallage hæc ſæpius infra repetitur. De illa litera, *Alim*, idem dicendum quod jam dictum eſt adnotatione 37.

46. *Servum ſuum N. Metropolitæ.* Verba Syra ſunt ambigua. Poſſunt enim hæc verba, *ſervum ſuum N.* referri ad Metropolitam, aut ad eum qui ordinatur in Archipresbyterum. Senſus neceſſariò petit ut ad Archipresbyterum referantur, quod & fecimus. Dictioni ܠܟܗܢܐ ܪܒܐ videntur Lomad addendum ut in caſu dandi accipiatur.

47. *Chorepiſcopi.* In textu Syro dictio ܒܝܬ ܐܦܣܩܘܦܐ, in duas erat ſeparata, Putant enim Maronitarum plerique duas eſſe voces. Ideo ſcriba noſter in fine iſtius Ordinationis eundem errorem, ſed alio modo erravit, Dicit enim, Explicit ordo ܕܩܘܕܫܐ non addit ܐܦܣܩܘܦܐ. Ita quoque infra initio ordinationis Epiſcopi. Unde quidam ex Maronitarum dictatis Dictionarium Syrum utile colligens, ܐܦܣ, interpretatus eſt Archipresbyterum, & Epiſcopum. Una dictio eſt Latinis & Græcis vulgo nota: Ideo diſtinctionem eliſimus.

48. *Iterum atque iterum, &c.* Tota oratio quæ ſequitur à Græcis deſumpta eſt, ut paſſim ſupra videre eſt in ordinatione Diaconi, & aliorum ordinum. Dictiones illæ ܟܠ ܬܩܝܦܘ ܟܠ, *omni ejus firmitate*, quas paraphraſticè vertimus, *ſtabilitate proſperi ſui ſtatus cujuſlibet*, poſitæ ſunt pro Græcis iſtis, ἰσχυσάντος, ἀνελλήψεως, ἀμέμπτως, ἁγίως, ὑγείας, σωτηρίας αὐτῶ.

49. *Nuntium primum veritatis.* Textus habet ܒܣܝܡ ܫܠܝܚܐ. Conjunctio, ܘ, videtur jungenda adjectivo ſequenti, ita ut ſit ſenſus, Nuntium primum & veracem.

50. *Miniſterium videlicet.* Addidimus, *videlicet*, explicationis cauſa, quia virtus de qua ſermo eſt in miniſterio traditur. Itaque videtur Zeugma eſſe, aut addenda copulativa, ܘ, quæ abeſt.

51. *Magnates*, Syrè ܪܘܫܡ, Dominationes, Majeſtates. Sic vocatur unus è Choris Angelorum, per quandam metonymiam, Dominationes poſuit pro Dominatoribus; vel per ſyntheſim abſtractum pro concreto.

52. *Alleluia duplicata.* ܗܠܠܘܝܐ ܫ. Vult hæc nota, Alleluja duplicandum eſſe: Initio harum adnotationum de hac nota aliquid diximus.

53. *Docuerunt.* Syrè, ܝܠܦܘ, à radice ܝܠܦ, docuit. Ita Matth. 28. 19. ܝܠܦܘ, docete, & Act. 14. ℣. 20. Paulò poſt ܐܪܒܝ, magnificavit. Sic Lucæ 1. 46. ܡܪܒܝ ܢܦܫܝ ܠܡܪܝܐ Magnificat anima mea Dominum.

54. *Benedictus eſt ille.* Scribitur, ܒܪܝܟ; transferendum videretur Benedicite, vel benedixerunt; Sed eſt participium Pahul, ſeu paſſivum, ܒܪܝܟ, cui adjungitur ܐܢ, & contractè ſeu Euphoniæ cauſa, eliditur ܢ, & ſcribitur ܒܪܝܟ, pro ܐܢ ܒܪܝܟ.

55. *Altera oratio.* Scribitur in textu ܬܪܥܝܬܐ oratio, ſupplicatio: Sed mihi legendum videretur, ܩܕܡܝܬܐ. Quare dicitur alia oratio, cum oratio non præceſſerit; ſed Peſita?

56. *Tu ille es qui elegit ſibi.* Perſonarum eſt enallage. Iſta in tertia perſona dicuntur, *Ille qui elegit ſibi, &c.* Sed ſubaudienda ſecunda perſona quam expreſſimus, alias mancus eſt ſenſus, & ſubaudienda eſſet periodus velut redditio quæ ſemper abeſt. Eadem perſonarum Enallage continuatur ad finem uſque ritus. Vide quæ ſupra diximus ad numerum 45. Hic eadem magna ex parte repetuntur.

57. *Miſceamur, & inferamur.* Hoc Syris propriè ſignificat verbum ܡܫܚ, ut Luc. 13. 1. de Galilæis, *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum* ܕܡܗܘܢ ܡܫܚ ܥܡ ܕܒܚܐ ܕܗܘܢ? Hebr. 3. 14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus*, ܫܘܬܦܐ ܗܘܝܢ. 1. Cor. 5. 11. *Scripſi vobis non commiſceri.* ܠܐ ܟܬܒܬ ܠܟܘܢ ܡܫܬܚܠܦ. Eadem ſignificatio eſt Chaldæis & Rabbinis uſitatiſſima.

58. *Clerus hunc hymnum.* Scribi debet dictio ܟܗܢܐ hoc modo ܟܗܢܐ, Clerus, aut ܟܗܢܝܐ, Clericus. Pluralis ſæpe legitur ܟܗܢܐ. Dictionem ܫܒܚܐ; quæ ſequitur interpretati ſumus hymnum, licet frequentius pſalmum ſignificet. Vide quæ diximus ſupra n. 20. Titulus eſt in codice qualem expreſſimus. Sed error videtur: Nam ex lectione ritus colligitur nihil in eo de ordinatione ſpeciali Patriarchæ præcipi, ſed eſſe Epiſcopi ordinationem à Patriarcha factam: Ritum verò præcedentem eſſe Epiſcopi ordinationem à Metropolita celebratam, ſed imperfectam, & inchoatam tantùm. Videtur unus tantùm ritus utroque titulo contineri; & in priore deſcribi quæ ſpecialia ſunt cum Metropolita eſt ordinator. Cætera ex poſteriore titulo pendere.

59. *Unus autem ex Epiſcopis legit acta.* Lectio iſta conſarcinata eſt ex variis locis, ex actorum capite primo verſus ſecundi medio uſque ad 9. Deinde jungit verſum 24. & 25. Poſtea aliquid delibat de cap. ſecundo; de verſu

verſu ſcilicet 14. 22. 23. Quibus jungit verſus 2. 3. 4. 5. 6. cap. ſexti. Deinde tranſit ad cap. 8. verſum 14. uſque ad 22. poſtea tranſit ad caput 12. verſum 25. & ſecundum cap. 13. Quibus aliquid adaptat de verſu 13. & 15. atque 16. cap. primi Epiſtolæ primæ S. Petri. Denique his omnibus ſuperaddit quatuor primos verſus capitis quinti ejuſdem Epiſtolæ. Hæc autem omnia ita ſibi invicem attexuntur, ut exoratione continua videantur petita. Scriba tamen nonnunquam verbula quædam oſcitanter omiſit, quæ ex textu Novi Teſtamenti Syriaco reponi poſſunt.

60. *Hoc præceptum.* Id quod diximus de B præcedente teſtimonio, de hoc dicendum eſt. Deſumptum eſt ex variis Epiſtolæ primæ ad Timotheum locis continuo tenore conjunctis, Ex cap. 1. ℣. 18. ℣. 13. cap. 4. 9. 11. 12. 14. cap. 5. ℣. 1. 19. cap. 6. ℣. 11. 12.

61. *Nec ſit puer diſciplinæ ſuæ.* Præclara Metaphora qua Neophytum deſcribit Interpres, Periculoſum eſt à Neophytis diſcere. Referunt Talmudiſtæ c. 4. libri Aboth hanc R. Joſe filii Judæ ſententiam הלומד מן הקטנים למה הוא דומה לאוכל ענבים C קהות ושותה יין מגתו והלומד מן הזקנים למה הוא דומה לאוכל ענבים בשולות ושותה יין ישן. *Qui diſcit à Iuvenibus cui ſimilis eſt? Comedenti uvas acerbas, & bibenti vinum de torculari ſuo. Diſcens autem à ſenibus cui ſimilis eſt? Comedenti uvas maturas, & bibenti vinum vetus.*

62. *Et fiduciam multam.* Syri hoc vocant, ܦܬܓܡܐ ܓܠܝܐ *revelationem facierum*, eo quod qui explicata & exporrecta fronte loquitur, confidenter quoque loquitur, dicitur D etiam eodem ſenſu ܓܠܝ ܥܝܢܐ, *revelatio oculi.* Rabbini in malam partem hanc phraſim uſurpare ſolent, pro impudentia, protervia, מגלה פנים באלהים בתורה. Revelat faciem contra Deum, contra legem, id eſt impudenter, protervè; perfricata, & inverecunda fronte.

63. *Legit volumen confeſſionis.* Nomen ܡܘܕܝܢܐ, Græcum eſt, ὁμολογία: Ritus ille à Græcis ſumptus, atque etiam à E Latinis. Græci triplicem edere ſolebant confeſſionem ut vidimus. Latinorum etiam conſuetudo hac in re ex ante dictis conſtat, quam quilibet cum Maronitarum ceremoniis comparare poteſt. Ejuſmodi confeſſionem edit quoque Epiſcopus Jacobitarum cum ordinatur, ut infra enarrabitur.

64. *Ornatus Presbyteratus.* Nomen ܫܘܠܡܐ, Chaldæis ut Syris jactum & projectionem propriè ſignificat. Itaque habere projectionem Presbyteratus in hac cauſa eſt veſtibus Presbyteralibus eſſe indutum. Senſus eſt, A ordinandum dum genua flectit geſtare adhuc ornamenta Presbyteralia, nondum Pontificalia.

65. *Cidarim ab eo detrahunt.* Nomen, ܩܝܛܪܐ, Hebraïcum eſt צניפה, & legitur Exodi 28. 4. & Levit. 16. 4. ut & apud Syros & Chaldæos. Chaldæi iiſdem literis illud efferunt quibus Syri. Ab omnibus interpretari ſolet cidaris, capitis tegumentum quo Reges & viri principes caput operire ſolent; frequentius Hebræis צניף dici ſolet. Samaritani in dialecto ſua efferunt כצנפרה. Derivatur a verbo צנף quod Hebræis, Chaldæis, & Syris eſt involvere, circumdare. Unde Iſaiæ 22. 18. צנוף יצנפך צניפה, circumdando circumdabit te cidari. Vulgata interpretatur, coronans coronabit te tribulatione: ultimam dictionem alio ſenſu accepit, ut & alii interpretes.

66. *Gratia divina, &c.* Illa eſt proclamatio ſolemnis apud Græcos, in qua nonnulli Ordinationum ſacrarum formas omnes venantur. De ea in operis noſtri tertia parte multa diſputamus, quæ Lector curioſus adire poteſt.

67. *Cum velo.* ܐܦܘܕ. Ephod ſignificat, ut legere eſt Exodi 28. ℣. 4. 6. 8. & c. 39. 5. quod eſt amictus humeralis è lino contextus, cujus ſacræ Scripturæ veteris teſtamenti non infrequenter meminerunt. Samaritani ut & Chaldæi dictionem Hebraïcam. אפודה retinuerunt. Hic tamen velum aliquod ſacrum ſeu linteum videtur potius ſignificare quàm ſuperhumerale quodlibet.

68. *Eaſque imponit ſuper caput ejus.* In textu Syro pronomen relativum, *Eas*, non exprimitur, neceſſariò tamen ſubaudiendum & ad *manus* quod præcedit referendum. Verbum ܫܕܐ, propriè jacere ex alto deorſum Chaldæis & Syris ſignificat. Matth. 13. ℣. 42. Et projicient eos in fornacem ignis, ܢܫܕܘܢ ܠܗܘܢ, &c. ſic verſu 50. Itaque ex materia ſubjecta neceſſariò hîc manuum impoſitionem denotat. Quid enim aliud ſignificare poteſt? *& projecit ſuper caput ejus.* Ita interpretandum Joan. 5. ℣. 7. *hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam:* ܠܝܬ ܠܝ ܕܡܫܕܢܝ ܠܗ, *qui ponat me in piſcinam:* Non enim projiciebatur ut lapis. Ibidem ℣. 3. & 6. ܢܦܠܝ, jacentes, de ægrotantibus in lecto dicitur. Matth. 10. ℣. 34. *Ut mittam pacem in terram,* ܐܫܕܐ *ut ponam & ſtabiliam.* 1. Timoth. c. 1. ℣. 4. ſignificat animum alicui rei applicare, apponere, attendere.

69. *Ac ei aptat.* Verbum Syrum ܡܫܘܐ, duo ex æquo pro ratione ſermonis ſignificare ſolet, menſuram & unctionem. Eadem fere ſignificationis ratio eſt apud Chaldæos. Menſuræ ſignificationem hîc ſecuti ſumus. Imponit Patriarcha manus capiti, caſque ei commetitur ſeu accommodat. Hoc autem illi

illi eſſe neceſſarium ſequentia docent. Manus enim ita componere debet, ut & ipſe ut Epiſcopi qui adſtant ceremonias quæ manuum impoſitionem ſtatim ſubſequuntur, rite exercere valeant. Poſſet forſan hic per commotionem interpretari, ſi ſpectemus Jacobitæ ordinationis ritus: Nam Maronitici & Jacobitici ritus iidem prope ſunt. Eo autem ordinationis loco, & eadem occaſione propter quam Maronitæ dicunt, ܡܫܚ, & *optat*, ſive *commetitur*, Jacobitæ dicunt, ܡܨܝ, & *commovet*, ſeu *motitat*, ut legitur in Ordinatione Epiſcopi. Uſurpatur quoque ab iis idem verbum in Ordinatione Diaconi, ubi de eadem manus impoſitione Diacono facienda res agitur. Sed unctionis ſignificationem induere non poteſt, cum ne quidem in Occidente unctio Diaconorum fuerit uſurpata. Deinde unctio convenire non poteſt cum eo quod tum agit Epiſcopus: Corpus & ſanguinem Chriſti manu tangit, poſtea de ſanguine Chriſti in pugillum infundit, ſicque manus præparatas ſuper Ordinandi caput imponit, & cætera manibus peragit quæ ad unctionem nullo modo referri poſſunt, ut textum legenti erit luce meridiana ſplendidius. Sed huic loco quem explicamus omnium minimè convenire poteſt. Quis ita Lynceus ut in his verbis manuum unctionem, & unctionis figuram inſpicere poſſit? *Patriarcha imponit manus ſuper corpus & calicem ut ordinationem conſummet, teguntur que manus ejus cum velo ſacro. Tum revertitur ad ordinandum, & eas capiti imponit, & ungit: Epiſcopique duo manibus ſuſtinent librum Euangeliorum ſuper manus Patriarchæ.* Quæ hæc ſequuntur, cum unctione non minus ſunt ἀσύμφωνα.

Præterea ſi demas hanc dictionem ambiguam quæ ex circumſtantiis nullo modo ad unctionem referri poteſt, nullum eſt in toto ritu Maronitico unctionis indicium. In aliis porro Orientalium ritibus nihil prorſus eſt, quod eo vergat, aut alludat. Si unctionis occurrat mentio unctionem intelligunt ſpiritualem Spiritus S. dona, virtutiſque divinæ communicationem: ut in ritu Neſtoriano ordinationis Presbyteralis, *Oleo Sanctitatis, Domine, Unge ſervos tuos; manus tua eis auxilietur, brachium tuum confortet eos, ut ſacrificio fungantur in Eccleſia, &c.* Et in ordinatione Epiſcopali ante medium, *Unge eum oleo Sanctitatis tuæ, & indue eum ſtolam gloriæ tuæ, &c.* Et paulò poſt, *Da ſervo tuo ô Princeps Pontificum ut ungat Sacerdotes, atque etiam Pontifices, & cidarim gloria plenam ei impone.* Et verſus finem, *Eum elige electione ſancta per Spiritus S. unctionem, ut ſit tibi Sacerdos perfectus, &c.*

Poſtquam hæc ſcripſi mutuo accepi ab illuſtriſſimo Epiſcopo Lutubenſi Joannis Darenſis Syri Metropolitæ elucubrationes in S. Dionyſium: De quo Joanne ſupra adnot. 22. pluribus. Cum igitur hunc librum Syrum evolverem, deprehendi eum cap. 12. libri ſeu Sermonis ſecundi de Eccleſiaſtica Hierarchia quæſtionem quam hic movimus præciſè & enucleatè diſſolvere, moremque Syrorum hac in cauſa ita perſpicuè explicare, ut nullus ſuperſit obſcurationi locus. Illo igitur capite in quo agit de Sacerdotii Chriſtiani excellentia & prærogativis, comparat illud cum Moſaïco, & exſcribit omnia pene quæ Levitici c. 8. de Sacerdotum legalium variis veſtibus & unctionibus dicuntur: Quo facto ſubjungit, ܗܠܝܢ ܒܟܠ ܕܐܡܪ ܠܢ ܡܪܢ ܫܠܝܚܐ ܕܠܐ ܐܬܐ ܠܡܫܕܪ ܒܝܕ ܠܟܗܢܐ ܕܝܠܢ ܐܠܐ ܠܡܐ

verba, ... A ... cum Olaph in fine: Nullus enim eſt locus conſtructioni. Ita poſt aliquot lineas in eadem dictione expungenda eſt, & dictio verbaliter intelligenda, non adjectivè, *Tu Epiſcopum iſtum victoria extuliſti, &c.* propter tamen nomen adjunctum, *Victoria*, verbum in Imperativo deprecativo commodius videtur. Iterum poſt aliquot lineas ..., videtur ... irrepſiſſe.

. *Primum quidem ex oleo materiali perficiebatur; hoc autem ſecundum,* (novæ legis) *oleo ſpiritus immaterialis per impoſitionem manus perficitur.*

70. *Attollunt Euangelium.* Dum Patriarcha manus attollit deſuper caput ordinandi, caſque demittit, Epiſcopi qui adſident ei, attollunt quoque & demittunt Euahgelium, ut Patriarcha poſſit commodè manus attollere, cumque eas demittit, ab Euangelii codice longiùs æquo non diſtent: Euangelium enim ſuper cervicem ordinandi non ponitur immediatè, ſed ſuper Patriarchæ manus. Idem quoque facere neceſſè eſt eos qui flabella Diaconica tenent. Videtur omiſſa conjunctio, O, & legendum, ...: flabella autem motitant ventus excitandi cauſa, forſan ut Spiritum S. in ordinandum illabentem figurent. B

71. *Kyrie ologon.* Quare hanc vocem Græcam uſurpent, deinde reſpondeant, Kyrie eleïſon, non video, niſi forſan error ſubſit. Fieri poteſt ut velint dicere, Domine qui es verbum Patris miſerere. C

72. *Sed gratia.* Textus habet, *& gratiæ*, ſed copula, Vau, hic requirit hunc ſenſum, aut pro vau, legendum ....

73. *Affertur baculus.* ..., Muronito, Chaldæis & Syris eſt haſta, lancea, ſeu ſcipio quivis ferrea cuſpide munitus: ſæpè uſurpatur; ſed hîc peculiariter pedum Paſtorale ſignificat. In Neſtorianorum ritibus perpetuò ... vocatur, id eſt baculus, virga, quæ dictio Chaldæis & Rabbinis idem D ſignificat.

74. *Et alternant cum Antiphona.* Scribitur in textu Syro, ..., & quieſcunt, ſeu ſilent. Sed legendum mihi videtur Ain pro Lomad, Nam Clerus non tacet, ſed antiphonam, ſeu antiſtrophen cantat & ſæpius repetit, *Chriſte Deus omnium noſtrum* ... autem Syris & Chaldæis, narrare, annuntiare, colloqui, ſæpe ſonat, ut Joan. c. 1. ỳ. 18. qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit, ... Ita Math. 11. ỳ. 4. Hinc ... Confabulatio, narratio.

75. *Qui neque quantus eſt, &c.* Verba verbis reddita ſic habent, *Qui non eſt quantus in qualitate, una ſolitudo quæ etiam in Trinitate adoratur, &c.* id eſt, perfectiſſima ſubſtantiæ unitas in perſonarum Trinitate adoratur. Forſan aliquid deeſt in textu Syro. E

76. *Omnibus excelſiore.* Legendum videtur

77. *Lectoribus imponuntur.* Textus habet ... *Diaconis.* Verùm eo nomine non modo complectitur Diaconos, ſed etiam inferiores Diaconatu ordines, ut textus ſeries demonſtrat. Primùm autem Lectorum ordinationem explicat, ideo huic primæ parti titulum peculiarem fecimus è materia tractata petitum. In fine Ordinationis Lectorum diſertè eam ab Ordinatione Subdiaconi diſtinguit: Sed Ordinationem Subdiaconi cum ordinatione Diaconi uno tenore tradit. Utramque tamen diſtinximus, & ordinationi Diaconi peculiarem titulum, cui nullus erat, fecimus. Exemplar Ordinationum iſtarum Neſtorianorum non erat ita correctè ſcriptum ut præcedens. Puncta apud Syros ſignificationis vocabulorum ... ſæpè omittebat; ea nonnunquam ſupplevimus: ſed hæc non ſunt magni momenti verba ſenſumque attentè conſideranti. In textu ipſo mendæ erant multæ, ſeu potius incurioſi Scribæ ..., eas magna ex parte correximus, & Lectorem correctionis monuimus.

78. *Coram gradibus Secretarii.* Dictio Syra, ... multa ſignificat, Secretarium Eccleſiæ, ſacrarium quod Sacriſtia vulgò dicitur, Græcis, Diaconicon, unde ... Ædituus. Significat etiam cancellos quibus Sanctuarium a navi ſeu Laïcorum loco ſeparatur. In ſequentibus iſta ſignificatio ſæpe nobis occurret. Ut ad finem iſtius Ordinationis ..., *hymnus cancelli*, qui cantatur ante Eccleſiæ concellos. Et paulò poſt, *Et accedunt* ... *illi qui intra cancellos, &c. & ſalutant altare, &c.* Hoc eſt, Presbyteri & Diaconi qui jus habent in Sanctuario conſiſtendi. In catalogo librorum Hebed-Jeſu dicitur Salita Epiſcopus Riſainæ compoſuiſſe ..., preces & canones ...

Ejuſdem etiam ſunt capita quæ metro dicuntur ad portam concellorum, atque eciam ea capita quæ ſine metro. Videtur à Latinis dictio deſumpta, à Concha ſcilicet. Sanctus Paulinus Secretaria ſeu paſtophoria quæ Eccleſia-

rum

rum Sanctuariis adjacent, Conchas vocat Epist. 11. ad Severum. Rabbini antiqui eadem dictione sed sensu plane diverso utuntur: Iis enim est calicis genus in formam Conchæ concavi, de quo bibere consuetum erat. Ita autor antiquus commentarii Beresith Rabba, Sect. 60. in Genesis c. 24. ℣. 53. Unde S. Hieronymus ad Nepotianum, *Sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque succum non calice sorbere, sed Concha* Virgilius Georg. 2. ad fin. *Ut Concha bibat, & Sarrano dormiat ostro.*

79. *Quod per ejus gratiam.* Scribebatur in textu Syro mendosè ܕܒܝܕ ܡܢ ܛܒܘܬܗ, B sed legendum ܕܒܝܕ ܛܒܘܬܗ ܡܢ. Et iterum paulò post scriptum erat ܕܒܝܕ, legimus ܕܒܝܕ. Item paulò post ܥܠ ܟܠ ܗܘ, legimus ܥܠ ܗܘ ܟܠ.

80. *Stolas duplicatas.* Hoc est eo loco; involutas, & complicatas, quæ, ut apparet, evolvuntur, & explicantur, ut eas induat ordinatus. Scriptum erat, ܕܡܫܚܐ, emendamus ܕܡܫܚܐ.

81. *Tradit ei unam ex partibus Lectionis.* C Idem dictum est initio ritus. Iste loquendi modus videtur innuere Lectiones Ecclesiasticas in varia volumina seu tomos esse partitas, unamque ordinato dari. Paulò post scriptum erat, ܡܢ ܚܕ, correximus ܡܢ ܚܕ ܦܪܩܝ. Videtur liber iste vitæ in duos tomos distinctus, unusque ordinato dari solitus.

82. *Ut ambulem.* Syrè, ܕܐܙܠ, à radice ܐܙܠ, iter fecit, navigavit, erudiit. Act. 9. 2. *Qui ambularent in hac via,* ܕܐܙܠܝܢ. Marci 10. 17. *Cum incederet per viam* ܒܡܐ ܕܐܙܠ ܠܐܘܪܚܐ.

83. *Et ad te respiciunt.* Scriptum erat, ܘܠܟ ܡܣܬܟܠܝܢ emendavi ܘܠܟ ܡܣܬܟܠܝܢ. Paulò post, *pro gradu suo,* ܒܬܪ, id est, prout unumquemque decet, ܒܬܪ enim Chaldæis & Syris est modus, mos, species.

84. *Cum servis tuis Justo & Athanasio.* In textu est, Athanatus; Videtur Athanasium intelligere. Nestoriani enim colunt & venerantur Sanctos Patres omnes qui Nestorium præcesserunt, eorumque doctrinæ arbitrantur se adhærere. Exemplum hujusce rei evidens habetur in ordinatione Episcopi, ubi E commemorant magna cum laude S. Athanasium cum Polycarpo, Ignatio, Meletio, Paulino, Gregorio, Basilio, Joanne Chrysostomo, eorumque precibus sese commendant. Deinde dictioni ܩܕܝܫܐ pluralis numeri nota est affixa: Itaque referenda est ad Sanctos Justum & Athanasium, licet dictionum Syrarum positio videatur nonnihil aspera; Si ἀθανάτῳ interpreteris, immortalem, & sensus & verborum situs erit asperior.

85. *Mercedem cœlestem.* Omissa est dictio ܐܓܪܐ aut similis quæ mercedem significet. Ita hæc verbo tenus, *ut digni fiant accipere à te mercedem bonam & cœlestem, in die retributionis pro ministerio hoc puro & sancto, &c.* Paulò superius scriptum erat ܙܕܩ correximus ܙܕܩ, *elegisti.* Ita paulò post ܕܡܫܘܚܝ, sine sensu legimus ܕܡܫܘܚܝ colla eorum.

86. *Et Diaconus.* Initium est canonis quem Episcopus ordinationis publicatione facta recitat.

87. Et *μετάνοιαν, seu prostrationem.* Retinuerunt Syri non modo nomen Græcum; ܡܛܢܘܝܐ, sed etiam recentem significationem. Est enim hic *μετάνοια* prostratio quædam seu genuflexio. De hac significatione multa diximus in opere nostro de administratione Pœnitentiæ lib. 1. c. 1. Sect. 12. & sequentibus, atque etiam alibi.

88. *Concede auxilium.* Scriptum erat ܠܥܕ ܐܠܗ sed scribendum ܐܠܗ ܠܥܕ. In his ritualibus hoc verbum sæpe significat, dare, præstare, concedere.

89. *Capillos illius.* Scriptum erat, ܫܥܪ, legi ܫܥܪ. Paulò post, *Dejicit cucullam ejus.* ܓܠܝ ܠܥܕ, *gulitho,* cuculla Monachorum, eo quod forsan sit capitis involucrum, à Verbo, גלל quod Hebræis Chaldæis, & Syris, involvere & rotare significat. Unde Targumistis, גולה & גלתא, Pallium & corporis amictus quod corpus involvat.

90. *Statuit, seu erat pacem.* Phrasis Rituali- D bus frequentissima, ܡܫܪܐ ܫܠܡܐ, hoc est, Archidiaconus proclamat, seu alta voce adprecatur pacem. Verbum è verbo, statuit, ponit pacem. Antiqui nostri Rituales dicebant imponere Antiphonam. Variis locis variè interpretati sumus, eodem tamen sensu. Perpetua est & quotidiana ejusmodi Diaconorum & Presbyterorum in Ecclesia Romana adprecatio, cum dicunt Dominus vobiscum: Nam pacem adprecari Episcoporum est.

91. *Commendati sumus.* Dictio, ܐܬܬܡܣܪ, erat in duas sine sensu di- E visa, eam conjunximus. ܐܬܡܣܪ, credidit, passivè creditus, concreditus, fidei commissus. Paulò post ܐܬܡܣܪ, emendavimus ܐܬܡܣܪ. Iterum paulò post ܠܥܠ legimus ܠܥܠ.

92. *Et virtutibus Labores eorum.* Ut scribitur in Exemplari meo transferendum esset, *& in virtutibus eorum, in seculo,* quorum verborum sensus absurdus. ܘܒܚܝܠܐ Le-

gendum ܐܬܩܕܫ. Legendum quoque paulò ſuperius, ܐܬܩ non ܐܬܩܕ. Et paulò inferius ܐܬܩ, legendum ܐܬܩ̈ܝ.

93. *Sinum propitiantem.* Ita graphicè deſcribunt Chriſtianorum baptiſmum. Propitiantem vocant, ſeu propitiatorem, eo quod per aquæ ablutionem baptizati à peccatis mundantur, Deuſque fit nobis propitius. Expreſſiùs dixit in eundem ſenſum S. Leo Serm. 4. de Nativitate; *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis eſt inſtar uteri virginalis, eodem Spiritu S. replente fontem qui replevit & virginem, & peccatum quod ibi vacuavit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Sermone ſequente ſimilia repetit. ܚܒܐ, Hubo, ſinus ita Syris & Chaldæis. Joan. 1. ℣. 18. *Qui eſt in ſinu Patris,* ܒܥܘܒܐ. Prov. 21. 14. *Donum in ſinu,* בעובא, Ita Pſalm. 36. 13. ſæpius alibi apud iſtos Interpretes occurrit. Paulò poſt, ܐܫܬܪܠ ſcriptum erat, reſtituimus, ܐܫܬܪܠ. Itemque paulò inferius malè ſcriptum erat ܐܦܩ repoſuimus ܢܦܩ.

94. *Et egrediuntur in templum.* ܗܝܟܠ, videtur ibi ſignificare, non Sanctuarium, ſed eam Eccleſiæ partem quæ ad cæteros Eccleſiaſticos, atque etiam Laïcos ſpectat, quæ Græcis ab annis circiter mille ναὸς dicitur, cum Eccleſiam diſtinguunt in βῆμα, ναὸν καὶ ναῦθηκα. Templum in hac ſignificatione nobis eſt id quod chorum vocare ſolemus prout à Sanctuario diſtinguitur, in quo licebat olim ſolis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis commorari, quod a Sanctuario cancellis dividebatur: utrumque adhuc apud Græcos, alioſque Orientales religiosè obſervatur. Judæi quoque templum Hieroſolymitanum in tres partes diſtinguunt אולם & היכל, דביר, Oraculum, templum, & porticum, Syri eodem prorſus nomine quo Judæi ſecundam templi Chriſtiani partem appellant. Ne mirêre igitur ſi dicatur in Rituali de iis qui jam ſunt intra Eccleſiam, *egrediuntur in templum, &c. Et precantur ut conſuetum eſt,* hoc eſt, de Sanctuario in quo conſecratus eſt Presbyter, in templum ſeu Chorum ſecedunt, in quo antequam in Eccleſiæ Secretarium ſeſe recipiant, aliquas preces fundunt.

95. *Palliis Pontificalibus.* Syrè eſt ܒܝܪܘܢ, *Birunn.* Quale ſit veſtis genus ignoro. Videtur pallii genus quod cæteris veſtibus ultimò ſuperponitur. Quoties enim illius mentionem faciunt ei adjungunt baculos paſtorales, ut hic videre eſt; ſed clarius in Conſecratione Epiſcopi quæ ſit ab eorum Catholico,

ܘܐܚܕ ܐܦܣܩܘܦܐ ܡܢ ܥܠ ܡܕܒܚܐ
ܘܠܒܫ ܐܝܬܘܗܝ ܒܝܪܘܢ ܘܫܕܪ ܠܗ
ܠܟܪܣܝܗ ܘܡܣܪ ܠܗ ܫܒܛܐ ܕܪܥܝܐ

Et accipit Archidiaconus Amictum de altari, & dat Catholico; & involvit eum amictu, & eum induit Birunn, eique tradit baculum. Iterum in ordinatione Catholici non longè à principio.

ܐܒܗܬܐ ܠܒܫܝ ܒܝܪܘܢ ܘܣܐܕܝ ܐܝܬܘܗܝ ܘܣܐܕܝ ܠܗ ܫܒܛܐ ܕܪܥܝܐ *Patres ornati erant amictibus, Birunis, & pedis.* Ita quoque ad finem iſtius ordinationis, cum jam publicanda eſt Catholici ordinatio

ܘܗܫܐ ܡܬܩܪܒ ܩܦܠܐ ܕܡܛܪܦܠܝܛܐ ܘܣܡ ܥܠ ܪܫܗ ܘܠܒܫ ܐܝܬܘܗܝ ܒܝܪܘܢ ܘܡܫܕܪ ܠܗ ܫܒܛܐ ܕܪܥܝܐ ܕܝܠܗ.

Tunc adducitur Kephila quam Metropolita illius capiti imponit, & induit eum Birunn, traditque pedum Paſtorale in manus ejus. Ex iſtis colligitur Birunum eſſe veſtem exteriorem aliis ſuperimpoſitam.

96. *In tono hoc.* Dictio Syris converſionem, mutationem, & reverſionem ſignificat. Quia tamen additur ܗܢ, *hac*, videtur eadem ſoni ſeu toni converſio continuanda. Paulo ante ſcriptum erat ܐܬܩܕܫ emendavi ܐܬܩ̈ܝ.

97. *Theodorus mare Sapientiæ.* Theodorus ille videtur fuiſſe Mopſveſtenus Epiſcopus qui permulta ſcripſit, & in multis occaſionem errandi Neſtorio dedit, licet dum viveret errores ipſius nec condemnati, nec deprehenſi fuerint, imò quædam ipſius Epiſtolæ in Synodo Chalcedonenſi probatæ fuerint, quæ poſtmodum magnas excitarunt in Eccleſiis turbas & contentiones, tandemque in quinta Synodo damnatæ ſunt, ut in actis iſtorum Conciliorum legitur. Paulò poſt ܐܢܘܣ, emendavi ܐܢܘܣ.

98. *Ad largitionem pronus.* Dictio ܡܟܝ ܡܕܠ, videtur à radice נוח, derivari, quæ Hebræis & Chaldæis exire, prodire, erumpere ſignificat. In Aphel, אניח, erupit. Syris uſurpatum ut ſupra, vertimus *inunda.*

99. *Et cidarim.* In textu eſt, ܩܛܘܠܐ, ornamentum eſt capitis Sacerdotalis. An dicendum ſit ܩܛܘܠܐ aut ܩܛܘܠܐ, mihi dubium eſt. Quod enim hîc dicitur, ܩܛܘܠܐ verſus finem ordinationis Catholici ſcribitur, ܩܛܘܠܐ, cum dicitur, ܩܛܘܠܐ ܕܡܫܪܝ ܠܗ ܥܠ ܪܫܗ, *afferunt Kaphilo, & imponit illius capiti,* Unde colligitur fuiſſe

fuiſſe capitis tegumentum: forſan à Græco deſumptum eſt, φακιόλῳ enim & φακιόλιον Suidæ eſt ἡ κεφαλῆς φόρημα capitis geſtamen.

100. *Et palliis.* Si veſtitus ordinem ſpectemus, ut hîc deſcribitur, ܡܗܦܪܢܐ, Mahaphro, veſtis eſt pontificalis quam poſtremò induit Pontifex poſt ipſum Birunum. Itaque locum habet illius ornatus Pontificii qui vulgo pluviale dicitur. In ordinatione Oeconomi ſic legitur, ܘܢܬܠ ܠܗ ܡܚܦܪܢܐ ܕܒܝܕܗ ܘܣܡ ܠܗ ܥܠ ܪܫ ܟܠ ܐܚܘܗܝ ܘܐܠܒܫ ܠܗ ܠܒܘܫܐ ܕܟܗܢܘܬܐ ܘܐܦ ܗܘ ܢܣܒ

ܐܦ ܗܠܝܢ ܡܛܪܦܘܠܝܛܐ ܕܣܒܐ ܘܦܝܪܐܛ ܕܡܝܫܢ ܘܐܝܢ ܕܡܢ ܒܬܪܝܗܘܢ ܡܩܒܠܝܢ ܠܗ ܠܦܛܪܝܪܟܐ ܘܡܫܪܝܢ ܠܗ ܡܢ ܝܡܝܢ ܘܫܡܐܠ ܘܡܢܚܝܢ ܠܗ ܒܟܘܪܣܝ ܦܛܪܝܪܟܝܐ ܘܣܠܩܝܢ ܦܬܝܟܝ ܡܛܪܦܘܠܝܛܐ ܡܢ ܥܠ ܓܒܗ ܕܠܝܬ ܠܗ ܫܘܠܛܢܐ ܕܡܪܗܒ ܒܩܕܡ ܦܛܪܝܪܟܐ. *Accedunt Metropolitæ Hilam Sebæ, & Pherat de Miſan, & qui iſtos ſequuntur ſecundum ordinem, eumque* (Patriarcham) *apprehendunt à dextris & ſiniſtris, & collocant eum in ſedem Patriarchalem, & peda Metropolitana tollunt ab eis, eo quod coram Patriarcha nulla eſt illis dominandi poteſtas.* Præter iſtos Metropolitas habent Neſtoriani longè plures alios. Penetravit enim iſta hæreſis abſtruſiſſimas Orientis partes, ut videre potes in præfatione quam Neſtorianis ordinationibus præpoſuimus. Nomina quoque illa urbium Metropoleωn comparare potes cum pluribus metropolibus quæ ibidem enumerantur.

106. *Pherat de Miſchan.* Sic interpretandum eſſe non Miſchan ad Euphraten ſuadet id quod jam protulimus, ubi iterum Pherat præponitur τῷ Miſchan: Quid enim eſſet Euphrates de Miſchan?

107. *Tunc Epiſcopus.* Ea verba uſque ad paragraphum, *Statim poſtea*, deſumpta ſunt ex codice Goenſi, quæ omiſerat Compendium ordinationis. Similiter ea periodus, *Dignare nos Chriſte* uſque ad, *Illa eſt quæ*, &c. ſuppleta ſunt. Deinde, *Cum periculo ſuo*, uſque ad, *Revertitur ad eum* ſuppleta quoque ſunt. Quæ deinceps, uſque ad §. *Tunc revertitur Epiſcopus*, erant in Compendio. Cætera quæ ſequuntur ad finem uſque ex antiquo illo codice reſarcita ſunt.

108. *Dei genitricis Mariæ.* Eutychiani ſæpius ſanctam Virginem Dei genitricem prædicant: Admittunt enim Concilium Epheſinum quod contra Neſtorium negantem Mariam Dei eſſe Matrem celebratum eſt. Peccabant enim Eutychiani in altero extremo confundentes quod Neſtoriani dividebant. Itaque σύνθημα ſeu teſſera qua Eutychiani à Neſtorianis ſeſe diſcernebant, erat Mariæ Dei genitricis confeſſio. Eſt nunc penes nos antiquiſſimus officiorum diurnorum codex Eutychianus in quo paſſim preces & hymni ad Dei genitricem diriguntur.

109. *Et Patris Domini noſtri Matthæi.* Viri illi qui ibi commemorantur, nobis ſunt incogniti, ſed nationibus illis admodum celebres, cum Apoſtolis & ſanctiſſimis Martyribus conjungantur. Eos compendium omiſerat, ſed uterque noſter Goenſis codex exhibebat.

110. *Phaina ſua.* Veſtis quædam linea Sacerdotum propria: Videtur dicta à Græco φαίνειν, eo quod ſit propter nitorem & candorem dilucida. Forte Græcorum eſt φαινόλιον. In ordinatione Epiſcopi Jacobitici adnumeratur veſtibus Pontificalibus.

111. *Orationem inflexionis.* Oratio eſt quam vocare ſolemus, Secretam, eo quod ſecretò pronuntiatur. Græci vocant μυστικὴν, unde in eorum ritualibus frequenter admonent orationem aliquam μυστικῶς eſſe pronuntiandam, id eſt ſecretò; oppoſitum ἐκφώνως, alta voce. ܟܪܥ, Syris eſt inclinare ſe, incurvare. Marci 1. ℣. 7. *cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam*, &c. ܫܪܟ ܣܘܪܟܐ. Chaldæi magis aſpirant & pro, He, Syrorum pronuntiant, Cheth, ח, eodem planè ſenſu. In ordinatione Diaconi Neſtoriani ſupra reperitur oratio ܟܪܥ ܘܣܓܕ, inclinationis. Sæpe eodem ſenſu legitur apud eos ܫܠܝܐ, quietè, remiſsè, cui opponitur, ܩܠܐ ܪܡ attollens vocem, ἐκφώνως. Paulò poſt, *Sanctus es ſpiritus*, &c. ܩܕܝܫ ܐܢܬ ܪܘܚܐ, compendiosè pro ܩܕܝܫ ܐܝܬ ܠܟ.

112. *Presbyterorum.* Omnia fere quæ ſpectant ritum Ordinationis Presbyteralis deſumpta ſunt ex codice noſtro Goenſi. Nam pauciſſima exhibebat compendium noſtrum. Incipiebat ab illis verbis, *Illa eſt quæ vocat & offert*, &c. Deinde una brevi periodo relata quæ finiebat his verbis, *à Chriſto amata*, omiſſis quæ interſeruntur de Matthæo, Bohenam, &c. ſequebatur, *Poſtea revertitur Epiſcopus*, & deſinebat in benedictione Epiſcopi, *In nomine Patris*, &c. Itaque ex quinque aut ſex partibus totius ritus vix unam complectebatur compendium noſtrum.

113. *Throni Apoſtolici Thagarith.* In compendio noſtro hic & in ordinatione Diaconi pro Thagarith ſcribebatur *Antiochiæ*. In codice autem Goenſi poſteriore ſcribebatur Thagarith in utraque ordinatione, ſed in ordinatione Diaconi quidam Syrus ſcripſerat ſupra Thagarith, *Antiochiæ*, quod ſequi maluimus. In antiquioris verò codicis textu ita ſcriptum erat utrobique, *Illa eſt quæ vocat & offert ex ordine Diaconorum ad ordinem Presbyteratus, N. Presbyterum ad altare ſanctum Eccleſiæ ſanctæ loci N. Periculo ſuo illum offerunt. Precemur*, &c. In margine verò poſt *ſanctum*, alia manu erat additum, *& divinum domus genitricis Dei Mariæ, & 12. Apoſtolorum Sanctorum, & quadraginta Martyrum victorioſorum, & S. Domini N. loci N. qui eſt ſub poteſtate throni Apoſtolici Thagarith, amantis Chriſtum, & à Chriſto amatæ.* Matthæi & aliorum in poſteriori codice inſertorum nulla mentio. Antiochiam vocant Thagarith penitiſſimi iſti Orientis incolæ: Quamobrem neſcio, niſi forſan à mercibus & negotiationibus eam olim ſic vocaverint. Hinc apparet gentes illas Orientales Antiochenam Eccleſiam ut matrem & principem veſterari, nec illi reverentiam exhibere, dedignari. Unde eſt quod Catholici illi Primates plerique, etiam Maronitarum, ſeſe appellent & inſcribant Antiochiæ Patriarchas. Antiochena enim Eccleſia à S. Petro Apoſtolorum Principe fundata eſt, atque inde Orientis principatum & Patriarchatum adepta, thronique Apoſtolici denominationem.

Quæ referunt hæc ritualia, confirmant canones Arabici, qui nomine Concilii Nicæni in primo tomo Conciliorum vulgò circumferuntur. Sic can. 33. de Antiochenæ ſedis præ Seleucienſi πρωτοκαθεδρίᾳ decernitur. *Sit præterea honorandus, qui tenet ſedem Seleucia, ſitque obediendum ei, & poſſit is ordinare Archie-*

Archiepiſcopos ſicut faciunt Patriarchæ; & non fiet injuria Patriarchæ Antiocheno, ſiquidem ipſe conſenſit, poſtquam hoc ab eo Synodus petivit, ne de ſublata poteſtate iſta iraſceretur. Et can. 35. *Quod non facilè habenda ſit magna Synodus in Provincia Perſidis ſine conſenſu & auctoritate Patriarchæ Antiocheni, ne qua in re leges Eccleſiaſticæ detrimentum patiantur, &c.* Definiunt quoque ibidem Patres ſedem & juriſdictionem Patriarchæ Æthiopum. Qui plura ſcire cupit conſulat Librum primum Exercitationum noſtrarum de Patriarcharum & Primatum origine, Exercit. 3. atque etiam 16. ubi de Antiochenæ Eccleſiæ principatu multis diſſeruimus.

114. *Epiſcopus ponit.* Tanta eſt iſtorum populorum in Euchariſtiam reverentia ut antequam manus Ordinando ad ipſius conſecrationem imponant, Epiſcopum prius jubeant corpus Chriſti tangere, veluti ſecuri vim maximam ex iſto ſacro contactu in manus ordinatrices effuſum iri. Idem Maronitæ præſtant in Ordinatione Epiſcopi. Sed Jacobitæ præterea aliquid ſanguinis Chriſti in volam Epiſcopi Ordinantis effundunt, quo velut unctus Ordinandum ungat, & effuſione Spiritus S. largius locupletet.

115. *Caſulam & Tunicam, & Zanadat.* Veſtes ſunt, & ornamenta Sacerdotum. Sæpius uſurpatur ﻟﺒﺎﺩﺎ, phaino, tunica, linea veſtis, & ﺯﻨﺎﺭ, Zonro, cingulum. Ex ſerie textus manifeſtum eſt alia duo ornamentorum Eccleſiaſticorum eſſe vocabula. ﺍﻟﻒ erat affixa nota pluralis numeri. ﻣﻌﻠﻤﺎ vertimus caſulam, à ﻣﻌﻞ conjicientes quod projicere ſignificat. Supra n. 64. ſumebatur pro univerſa armatura Eccleſiaſtica. Vide quæ ibi dicta ſunt. Verùm ſpecialis iſtorum verborum ſignificatio eſt à Syris ipſis exquirenda.

116. *Jubetque Patriarcha, &c.* ﺍﻣﺮ, videtur potius legendum iſtud verbum in Aphel, ﺍﺍﻣﺮ, & ponere fecit.

117. *Tunica & phaino albo.* Tunica illa, ﻟﺒﺎﺩﺎ *chutino*, veſtis eſt Sacerdotalis linea corpori adſtricta. Simili ornabatur Pontifex Aaronicus Exodi 28. 4. 40. Dictio eſt Hebraïca כיתנת in ſacra Scriptura non infrequens ut ex locis Exodi jam citatis, aliiſque colligitur. Eſt etiam dictio verè & originariè Græca χιτὼν, Tunica interior, atque etiam exterior, Induſium, interula, χιτώνιον. Dictio quoque Chaldæis & Syris frequens. Dicitur autem ﻟﺒﺎﺩﺎ à materia ﻟﺒﺪ, quod linum Syris & Chaldæis ſignificat, nec tantùm linum, ſed etiam à lino confecta ut videre eſt Joannis c. 20. ℣. 5. 6. 7. De Phaino jam diximus adnotat. 110.

MONITUM AUTHORIS

Commatis abundant Syrorum periodi, ſed plerumque malè inciſis: Ea tamen ut jacebant in Archetypo expreſſimus, & quàm pauciſſima expunximus, aut emendavimus. Nonnulla erant in Archetypis quæ corruptelæ ſuſpicione non carebant: ſed horum Lectorem in adnotationibus monemus.

PRÆ-

PRÆFATIO

IN RITUM ORDINATIONUM COPHTICARUM SEU ÆGYPTIACARUM.

CUm audiſſet vir clariſſimus, & de Literis Theologicis, Græcis & Latinis bene meritus Leo Allatius, me commentariis edendis de ſacris ordinationibus ſedulò incumbere, monuit ſe ritum Ordinationum Cophticarum edidiſſe in libro cui propter materiæ diverſitatem nomen fecit, τὰ σύμμικτα, Miſcellanea, *qui altero abhinc anno Coloniæ Agrippinæ excuſus eſt. Cum autem difficilè Pariſiis reperiretur, eo quod propter itinera bellis impedita non facilè mercium exportationes fiant, Roma miſit ad me excerpta ex hoc libro quæ illas Ordinationes ſpectant; Poſtea tamen librum integrum Pariſiis recuperavi. Eo Lecto viſum eſt nobis hunc ritum Cophticum locupletaturum Syſtema ſacrarum Ordinationum quod adornamus, noſque Lectori gratificaturos, ſi cæteris illum adderemus. Cophticus ille liber ex Ægypto Romam miſſus eſt ad Sacram Congregationem de propagânda fide. Antiquiſſimus eſt codex lingua & charactere Cophticis ſeu Ægyptiacis ſcriptus: Nonnulla etiam erant Arabicè, & charactere Arabico exarata: Hunc codicem juſſu Cardinalium S. Congregationis de propaganda fide ex lingua Coptica & Arabica in Latinam tranſtulit Athanaſius Kircherius è Societate Jeſu Presbyter, vir linguarum, & variarum ſcientiarum cognitione inſignis, qui jampridem linguæ & antiquitatum Cophticarum illuſtratione nomen ſuum celebre reddidit. Hæc de Codice & interpretatione ſua monuit Kircherius. Hunc libellum, ut eum interpretatus eſt Kircherius Collectioni ſuæ inſeruit Allatius: Ita quoque nos noſtro ſacrarum Ordinationum Syſtemati. Paucula quædam reſecuimus quæ ad Ordinationes noſtras nihil pertinebant, ſcilicet de benedictionibus vaſorum ſacrorum, fragmentum ritus, baptiſmi, & aliud cui titulus, Conſecratio ſedis Epiſcopalis, Thymiamatis, & veſtium ſacrarum: Sed nihil eorum quæ ibid. ſubſequuntur, eiuſmodi titulo convenit. Nihil in eo ritu præter exſcriptionem, & editionis curam noſtrum eſt.*

Novit eruditus Lector Coptos ſeu Cophtitas vulgo dici Chriſtianos Ægyptios: Neſcio quo fato Ægyptii dicti ſunt Copti. Coptus equidem eſt urbs non incelebris in ſuperiore Ægypto, cuius mentionem faciunt, Strabo lib. 17. Plinius lib. 6. c. 24. Ptolomæus in Geographia ſua, & Plutarchus ſæpe in tractatu de Iſide & Oſiride. Multæ enim ſunt Ægypti urbes iſta & celebriores & populoſiores, à quibus Ægyptios nomen trahere æquum erat. Vocat Strabo Coptum communem Ægyptiorum, & Arabum urbem, *affirmatque,* omnes Indicas & Arabicas merces, atque etiam Æthiopicas, quæ Arabico ſinu advehuntur, Coptum deferri. *Probabile eſt Arabes Coptum urbem frequentare ſolitos, poſtquam Mahometis deliramenta amplexi ſunt, Chriſtianos illius regionis Coptos ſeu Coptitas appellaſſe, eo quod ii cum quibus commercia exercebant, Coptitæ dicerentur. His accedit quod Arabes Meccani & Medinenſes à quibus religio exorta eſt, urbi Copto vicini ſunt, intercedente tantum freto Arabico. Huic etiam conjecturæ favet Georgius Elmacin in Hiſtoria Saracenica non longe à principio, qui ſcribit Muhamedum ſuis præcepiſſe ut benefacerent* Coptitis Ægypti, *Chriſtianos intelligens.*

Forſan probabilius eſt Cophtitas dictos eſſe Ægyptios per aphæreſin prioris ſyllabæ quaſi Gyptios. Elmacin enim eo loco Coptos ſcribit per Gain literam Arabicam deinde per Be, denique per tta, Gobt. *Similiter Chronicon Orientale ſeu Alexandrinum inſcribitur,* Hiſtoria Patriarcharum Cophtitarum, *hoc eſt, Ægyptiorum:*

Et textus prima verba ſunt, Incipimus ope Dei ſcribere nomina Patriarcharum Cophtitarum Ægypti. *Et in Theodoſio Patriarcha*, clauſæ ſunt Eccleſiæ Cophtitarum. *In Patriarcha Abulmagedo*, Confeſſionem ab Eccleſia Cophtitarum abrogavit. *Et in Macario*, filii Cophtitarum prius baptizabantur. *Hoc eſt*, *Ægyptiorum Chriſtianorum. Nam alias ſemper Chriſtianos Ægypti vocat Jacobitas. Arabes igitur Ægyptios Chriſtianos vocant* Gobth, *Gophtos. Ægyptus autem Arabibus ut Hebræis dicitur*, בצר, Metſer. *Ideo non malè ab iis vocantur Gophtitæ Ægypti, hoc enim apud eas ſonat*, Gobt Metſer. *Favet huic conjecturæ Talmud Babylonicum in tractatu Megilla fol.* 18. *p.* 1. *Vocat enim Ægyptios* גיפטיים, gyptios, ביתיבי קראה גיפתית עברית עילמית מדית יונית לא יצא הא לא רמיא אלא להא גיפתית לגיפטיים עברית לעברים עילמית לעילמים יונית ליונים יצא Opponunt: Non licet *Megillam ſeu librum Eſther* legere Ægyptiacè, Aſſyriacè, Elamiticè, Medicè, Græcè. Non eſt res ſimilis: licet enim Ægyptiis eam legere Ægyptiacè, Aſſyriacè Aſſyriis, *ſeu iis qui trans fluvium habitant*, Elamiticè Elamitis, Græcè Græcis. *In Talmudis textu paragramma manifeſtum eſt*, גיפטית לגיפטית *legimus* לגיפטים. *Ita Gloſſa cum repetit hæc verba, & Autor Aruch in hac dictione: Senſus denique & ſequentes dictiones id poſtulant. In Talmude Hieroſolymitano tractatu Megilla ad eadem verba Miſnajoth, ſic commentantur*, מגילת אסתר אינה נכתבת אלא אשורית. אכר רבי שמואל בר סוסרטי תיפתר שהיתה כתוב גיגנטון. Liber Eſther non ſcribitur niſi Aſſyriacè. Dixit R. Samuël filius Suſrati, permittitur ut ſcribatur giganton. *Quid eſt ſcribere giganticè? Ex locis præcedentibus videtur legendum*, גיפטית, *Ægyptiacè.*

Quidquid ſit ritus Coptitarum ſunt ritus Chriſtianorum Ægyptiorum, qui etiam paſſim Jacobitæ dicuntur ut ſupra monuimus præfatione in ritum Eutychianum, ſeu Jacobiticum. Diſcrimen igitur inter ritum iſtum & præcedentem hoc eſt, quod præcedens Jacobitarum eſt qui in Syria, Aſſyria, Perſide, & toto Oriente diſperſi ſunt: Hic verò Jacobitarum qui Ægyptum, & utramque Æthiopiam incolunt. Cæteras differentias Lector ritum unum cum altero comparans colliget.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, DEI unius.

LIBER RITUUM CONSECRATIONIS
ſive Ordinationis ad Sacerdotium, tantùm.

ORDINATIO ANAGNOSTÆ SIVE LECTORIS.

STet Ordinandus ſine tunica ante Altare, capite obvelato, profunda cervicis inclinatione. Epiſcopus autem ſtet ſupra gradus Altaris. &, qui præſentant eum, detrahant ei operimentum.

Epiſcopus vero dicit eis: Voſne teſtamini, quod hic in veritate dignus ſit hujus Ordinationis? *Et teſtantur, dicentes*: Immo, ô Pater noſter, dignus eſt. *Epiſcopus autem accipit novaculam, & tondet caput ejus in quinque Cruces; in medio unam, & quatuor in lateribus; dicendo*: In nomine Trinitatis ſanctæ. *Deinde dicit gratias; & acceptum thymiama benedicit; & converſo vultu verſus Occidentem, hanc orationem dicit*: Supplices te rogamus & obſecramus, ô Domine, Domine Deus, accipe ſervum tuum (*talem*) Anagnoſten in Eccleſiam tuam: ſit intellectus ejus ſuper juſtitia & æquitate tua: da ei timorem ſervitutis tuæ: pone eum dignum, qui contrectet vaſa ſacra; ut ſit Anagnoſtes ſive Lector venerabilis ante te; & in hoc conſequatur gratiam tuam, cum omnibus, in quibus tibi complacuiſti ab æterno. Quia miſericordia, exiſtens in voluntate tua, eſt tibi incrementum honoris & venerationis ab unoquoque cum cultu & adoratione; ô Pater & Fili & Spiritus ſancte.

Hoc peracto, dicit Archidiaconus: Orate.

Epiſcopus autem, converſa facie in Orientem, hanc orationem dicit: O Deus, dives in donis tuis; qui benignum te præbes ſuper Eccleſiam tuam in Ordinatione, & ſtatuis eos ante te in eâ per hoc myſterium: en ſervus tuus (*talis*) cum omni puritate & munditia, ſervus tuus (*talis*) quem vocaſti ad officium Lectoris: dignum eum fac, & imple eum omni ſapientia & intellectu, ut meditetur in eloquiis tuis divinis, & in officio Lectoris. Conſerva eum in dignitate ejus ſine defectu. Perfice eum in donis tuis ſine moleſtia & difficultate, in miſericordia tua, unà cum Filio tuo unigenito & Spiritu ſancto. Amen.

Converſus ad Occidentem, tenet tempora ejus, dicens: Deus magnus amator hominum, qui tenes omnia manu tua, & fundis Spiritum tuum ſuper unumquemque; cujus poteſtate omnia continentur, manifeſta faciem tuam ſuper ſervum tuum hunc, in conſpectu tuo ſtantem, quem tuo aſpectui ſiſtimus (*ſive* præſentamus) ut prædicet eloquia tua ſancta, A tam veteris quam novi teſtamenti, populo tuo; & doceat eos hoc ſanctum verbum tuum, in quo eſt ſalus & ſanitas animarum. Benignum te fac, ô Domine, oſtendendo ei pulchritudinem ſplendòris tui: perſpicax fac cor ejus in lumine & ſplendore tuo: da ei cor humile, ut legat, & inquirat in eo intelligentiam & prudentiam: qui vero audiunt eum, gloriam & horem dent regno tuo; ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte.

Converſus ad Occidentem, tenet tempora Ordinandi, dicens: O Domine Deus, cujus Filius omnipotens: tu qui præceſſiſti tempore, ut cognoſceres gradum (*ſive* numerum) electorum tuorum in mundo, & incepiſti B ut hominem vocares: ſuccurre inopiæ ſervi tui: da ei ſapientiam, ut prælegat legem tuam populo tuo: tu nunc etiam ſuccurre ſervo tuo (*tali*) qui ſignatus eſt in Anagnoſten: concede ei ſapientiam & ſpiritum propheticum, ut operetur verba tua in meditatione ſancta, populo tuo in bonitate, ſine exacerbatione, per gratiam & charitatem hominis, qui eſt Filius tuus unigenitus, Dominus noſter & Salvator noſter Jeſus Chriſtus.

Poſt hæc dabit librum, ut portet Evangelium ſupra pectus; & oſculetur altare, manus autem Epiſcopi, & præſentes cum eo. Tunc declarant ei Sacramenta ſancta. Ille vero (ſcil. Epiſcopus) non ponit ſuper eum manum, ſed tantum legit ſupra eum hanc exhortationem. C

Exhortatio ad Anagnoſten, poſt ritus peractos.

O Fili. Hæc eſt prima manſio Ordinatorum: vocaturque ingreſſus ad eam. Stude igitur, ut ſcias eam unicam. una hæc ex rivulis Eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt ex ipſo Deo, liberaliter diffundente ſuper eam gratias ſuas; ut & tu præbeas populo ex iis. Et quia hoc opus arduum eſt, neceſſe eſt, ut erigas teipſum, & præpareris, ut ſis inſtar lucernæ fulgentis ſupra candelabrum ſuum, & repleas auditum auſcultantium te, iis quæ legiſti, D & quæ de iis prælèges eis. Sis ſollicitus, ut omni tempore recorderis verbi Domini, juxta id quod dicitur: Qui legit, intelligat: ut, qui ad hanc Ordinationem conſtituerunt te, videant bonam converſationem tuam, ædificenturque exemplo tuo, & tandem promoveàris ad gradum majorem hoc; qui vero præſentarunt te, glorientur in te, & teſtimonium præbeant bonitatis tuæ in omni tempore, in veritate, in Domino noſtro Jeſu Chriſto: quem decet laus, honor & adoratio, cum Patre ſuo & Spiritu ſancto, nunc

& in omni tempore in ſecula ſeculorum, Amen. Laus datori intellectus.

CTNΘEON.

ORDINATIO SUBDIACONI.

Cum vocatur Subdiaconus, ſtabit is ante altare, ſine tunica, profunda inclinatione capitis; & adorabit ille, & qui producunt eum in medium, ante Epiſcopum. &, ipſo ſtante ſupra gradus altaris, dicit Epiſcopus benedictionem; & accipit thymiama, & benedicit illud: deinde dicit hanc Orationem, converſa facie ſua in Orientem:

Domine Deus virtutum, qui duxiſti & feciſti nos portionem hujus miniſterii, qui erigis intellectum hominis, & ſcrutaris corda & renes: audi nos in multitudine gratiæ & benignitatis tuæ: purifica nos ab omni iniquitate corporis & ſpiritus: diſſipa in amore peccata noſtra & iniquitates noſtras, caliginis & nebulæ inſtar: imple nos virtute tua divina, & benignitate Filii tui unigeniti, & operatione Spiritus ſancti, ut condigni ſimus miniſterii hujus teſtamenti novi, ut locupletemur in meritis, & exaltemus nomen tuum ſanctum, & ut ſtemus & miniſtremus miniſterium beneplaciti tui divini: ne computes nos inter eos, qui communicant peccatis alienigenarum, ſed concede nobis, ô Domine, ne operemur quod non licet; ſed da nobis cognitionem, ut loquamur quod expedit, & accedamus ad altare tuum ſanctum. Ecce accedit ad te Subdiaconus ſervus tuus (*talis*) ſtans hic perfectus, exſpectans dona tua cœleſtia. Quia tu bonus es, multæ miſericordiæ omnibus qui invocant nomen ſanctum tuum; quod potens eſt & poteſtas tua cum unigenito Filio tuo Jeſu Chriſto Domino noſtro, & Spiritu ſancto. Amen

Dicit Archidiaconus. Gratia complente defectus noſtros, venit ad me frater, quem ſtipamus, ei applaudentes, ut tollamus nomen ejus ſuper hunc gradum, & hanc Ordinationem, quæ eſt Subdiaconatus in Eccleſia Dei ſancta: hæc eſt, quæ liberavit nos a maximis periculis & laboribus. Orate omnes hic præſentes, ut veniat ſuper eum Spiritus ſanctus in verbis noſtris.

Omnes dicant tribus vicibus, O Domine, miſerere.

Epiſcopus autem, converſo facie ſua ad altare, hanc Orationem dicit: Quæſo, ô Domine, pone eum dignum vocatione Subdiaconatus, ut pro meritis à charitate tua, homini conceſſa, glorificet nomen tuum ſanctum, & ſerviat tibi, & adminiſtret ſanctum altare tuum, & accipiat miſericordiam in conſpectu tuo: quia miſericordia & benignitas gratiæ tuæ ante te, & gloria & honor te decet, cum Filio unigenito, & Spiritu ſancto. Amen.

Hic converſus Epiſcopus ad Occidentem, tenens tempora Subdiaconi, dicit hanc Orationem: O Domine Deus omnipotens, qui purificaſti, in tabernaculo teſtimonii, decorem templi, eoſque qui ſervant vaſa ſacra: tu nunc etiam, ô Rex noſter, manifeſta faciem tuam ſuper ſervum tuum (*talem*,) qui datus eſt, ut ſit in judicium juſtificationis omnibus, qui præſentant eum. Reple eum Spiritu ſancto, ut dignus ſit, qui contrectet vaſa miniſterii hujus, & ſtet ad portas templi (*Oſtiarius ſit*) & accendat lucernam fulgidam domui orationis tuæ. Planta eum in Eccleſia tua, ſicuti arborem olivam, proferentem fructum ſanctificantem omni tempore; ſpeculum juſtitiæ in jucunditate.

Deinde, converſa facie ſua ad altare, dicit: Reſpice, ô Domine Deus, ſupra miniſterium noſtrum: mundifica nos ab omni iniquitate: & mitte gratiam tuam ſuper ſervum tuum (*talem*) ut dignus efficiatur ante te, qui perficiat miniſterium Subdiaconatus indeclinabiliter; ut abundet in gratia tua, cum omnibus, in quibus tibi complacuiſti ab æterno, jam verò miſericordia in beneplacito tuo eſt, teque decet honor & gloria & adoratio ab omnibus, ô Deus & Fili & Spiritus ſancte. Amen.

Converſus ad Occidentem, ſignat frontem ejus pollice ſuo, dicens: Vocamus te in Eccleſiam Dei ſanctam. Amen.

Dicit Archidiaconus: Hic Subdiaconus in Eccleſia ſancta Dei Amen.

Epiſcopus vero alta voce dicit: Vocamus te (*ô talis*) Subdiaconum in Eccleſia (*talis*) in civitate (*tali*) in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Epiſcopus facit duas Cruces ſupra faciem ejus, invocando Trinitatem. Deinde converſus ad Orientem, dicit: Gratias agimus tibi, ô Rex noſter omnipotens, per omnia & in omnibus; laudamus & glorificamus nomen tuum ſanctum, qui feciſti nobiſcum magna, & erudiviſti in juſtificationibus tuis ſervum tuum (*talem.*) Supplices te deprecamur, ô Rex noſter; exaudi nos propter multitudinem gratiæ tuæ; & complaceat tibi, ut ſit benedictio in Subdiacono ſervo tuo (*talis*) concede ipſi veritatem, & munda eum, & perfice eum in omni re miniſterii hujus; ut ſervetur in ſpe tua bona per gratiam Filii tui unigeniti, Jeſu Chriſti Domini noſtri. hic qui, &c.

Poſtea Epiſcopus converſus ponit veſtem ſuper humeros ejus, dicens: Gloria & honor nomini ſancto tuo, ô Pater, Fili, & Spiritus ſancte, conſubſtantialis. Pax ejus & intelligentia ſupra Eccleſiam ſanctam. Amen.

Atque hæc ex Cophto originali.

Qualitas Subdiaconi. ex Arabico.

Sint ipſi virtutes Diaconi. ne imponatur ei manus; neque juret; una contentus uxore, cui fidem præbeat, alterius uxorem relinquat; ab uſu & conſuetudine mulierum remotus ſit, ut pote mundatus ex lavacro. Laus Deo ſemper.

Exhortatio ad Subdiaconum, peracta Conſecratione. ex Arabico.

O Fili, cum jam ſupra te collatus ſit gradus Subdiaconatus, ad quem conſecratus es; propone tibi eum. Hic enim conſiſtit in eo, ut ſequaris Diaconum, & mutuam ipſi operam præſtes in operibus miniſterii: quemadmodum Diaconus quoque imitari debet Sacerdo-

cerdotem. Obligatus igitur es, ut cuſtodias portas domus Dei, quæ eſt Eccleſia; & non ſuſtineas, ut ingrediatur in eam Judæus, neque canis, neque perverſus, hora miniſterii ſancti: &, cum clamaverit Diaconus, non ſtabit detrectans diſciplinam in loco iſto, & nemo, cui non ſint explanata Sacramenta ſancta. Tu ſollicitè cura, ut ſummo ſtudio obſerves portas Eccleſiæ, quia jam tibi collata eſt gratia, ut tractare poſſis vaſa ſacra miniſterii ſancti & impolluti: propterea cognoſce præceptum venerandum, & dona, quæ data ſunt tibi, ſicut ſervus prudens & fidelis, faciens voluntatem Domini ſui cum omni diligentia, ut conſequaris fructum vocationis tuæ altiſſimæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro: cui honor & gloria & adoratio cum Patre ſuo bono, & Spiritu ſancto vivificante, nunc & in omni tempore, & in ſecula ſeculorum. Amen. Laus datori intellectus.

DE ORDINATIONE DIACONI.

Poſtquam præſentator diaconi ex Sacerdotibus intellexit, eum hoc miniſterio dignum eſſe; præſentabunt eum Epiſcopo, teſtificantes de eo. ſtabit autem præſentatus ante altare coram Epiſcopo, genu dextro flexus ſupra gradus altaris: dicitque Epiſcopus Orationem benedictionis, accipiendo thymiama: & poſtquam benedixit id, hanc Orationem dicit: O Domine Deus virtutum, qui induxiſti nos in ſortem hujus miniſterii, qui conſtituis intellectum homini, & ſcrutaris corda & renes: exaudi nos in multitudine gratiæ & benignitatis tuæ, & eripe nos ab omni coinquinatione corporis & animæ: dele per amorem tuum peccata noſtra & inquitates noſtras ſicuti nebulam: reple nos virtute divina, & gratia Filii tui unigeniti, & operatione Spiritus ſancti, & fiamus digni hoc miniſterio novi teſtamenti; ut illud exequamur cum dignitate, portantes nomen ſanctum tuum, & ſtemus miniſtrantes juxta beneplacitum tuum divinum. Et ne annumeres nos inter eos, qui communicant peccatis infidelium; ſed concede quod nobis expedit. Concede nobis, ô Rex noſter, ut operemur quod deceat, & aſſiſtamus altari tuo ſancto. Ecce præſentat ſe tibi Diaconus (*talis*) ſtans ſive exſpectans dona tua cœleſtia; quia tu bonus & multæ miſericordiæ in omnibus, qui invocant te: valida enim eſt fortitudo tua, cum Filio tuo unigenito, & Spiritu ſancto. Amen.

Dicit Archidiaconus has preces. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, perficiens noſtrum defectum in Euangelium Dei Patris & Spiritus ſancti, veniat ſupra hunc (*talem*) qui ingreſſus eſt ad hoc altare, cum timore & tremore adorans, & elevans oculos cordis ſui ſurſum ad te, ô habitans in cœlis; exſpectans dona tua cœleſtia, ut transferatur ex Ordinatione Subdiaconatus ad Ordinem Diaconatus in Eccleſia tua ſancta. Oremus omnes, ut veniat ſuper eum donum Spiritus ſancti. O Domine miſerere.

Epiſcopus dicit hanc Orationem, converſus facie ſua ad altare: Quæſo, ô Domine, pone A cum conſortem vocationis ad Diaconatum; ut per merita dilectionis tuæ, qua dilexiſti homines, portet nomen tuum ſanctum, & ſerviat tibi, adminiſtrando ſanctum altare tuum, & inveniat miſericordiam in conſpectu tuo: quoniam miſericordia & pietas ante te ſunt; & te decet laus, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte, qui à ſeculo es, ex nunc & uſque in ſeculum.

Converſus ad Occidentem, ponit manum ſuam dextram ſupra caput ejus, & orat hanc Orationem ſecreto: O Domine Deus omnipotens, verus ſine falſitate in promiſſione tua, dives in omnes qui invocant te: audi nos: petimus enim à te, ut reveles faciem tuam ſuper ſervum tuum (*talem*) præſentatum ad Diaconatum per judicium & juſtificationem eorum, qui eum hic tibi ſiſtunt in medium. Reple eum Spiritu ſancto & ſapientia & virtute, qui repleviſti Stephanum Archidiaconum & Protomartyrem, conformatum doloribus Chriſti. Fac eum creſcere in gratia tua: conſtitue eum miniſtrum altaris tui ſancti, ut miniſtret tibi ſecundum beneplacitum tuum, in gradu quem contuliſti ei; non declinando ad dextram neque ad ſiniſtram, & ſine ullo peccato; ut dignus ſit alterius gradus, majoris iſto: neque enim gratiam concedis per noſtras manus peccatrices, ſed in viſitatione miſericordiæ tuæ divitis, quæ data eſt ſoli ei, quem tu dignum feceris. Et ecce ego etiam; purifica me à peccatis meis alienis: & redime nos ab omni malo, per mediatorem Filium tuum, Dominum noſtrum & Deum noſtrum & Salvatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum. ille qui tecum, &c.

Converſus ad Orientem contra altare, dicit hanc Orationem: Reſpice, ô Domine, ſuper nos & ſuper miniſterium noſtrum: & purifica nos ab omni coinquinamento: & mitte deſuper ad nos gratiam tuam ſupra ſervum tuum (*talem*) ut dignus ſit coram te, qui compleat miniſterium tuum ſine defectu; ut abundet in gratia tua cum omnibus in quibus tibi complacuiſti ab æterno. quia miſericordia exiſtit in voluntate tua, & te decet honor ab unoquoque & adoratio, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte. Amen.

Converſus ad Occidentem, ſignat ejus frontem pollice ſuo, dicens: Vocamus te in Eccleſiam Dei ſanctam, Amen.

Archidiaconus autem dicit: (*Talis*) Diaconus eſt in Eccleſia ſancta, Eccleſia Apoſtolica, Eccleſia Dei. Amen.

Epiſcopus autem dicit: Ordinamus (*talem*) Diaconum ſupra altare, id eſt, ſupra Eccleſiam orthodoxam (*talem*) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Deinde facit Epiſcopus tres Cruces ſupra faciem ejus, in invocatione Trinitatis ſanctæ. Deinde converſus ad Orientem, ita deprecatur: Gratias tibi agimus, ô Domine Deus omnipotens: per omnia & in omnibus benedicatur & laudetur ſanctum nomen tuum: quoniam feciſti nobiſcum mirabilia, & dilataſti dona tua ſuper ſervum tuum (*talem*:) Te ſupplices exoramus propter charitatem, quâ dilexiſti hominem; exaudi nos per gratiam

&be-

& benignitatem tuam, & complace tibi in A ſervo tuo (*tali*) per gloriam Spiritus tui ſancti, & complace tibi in eo, & in populo, poſtulante Ordinationem ejus in puritate & gratia bonitatis tuæ; & voca nos cum eo ad bonum, ut mereamur invenire lucrum talenti; ut ſumamus cum omnibus, qui faciunt voluntatem tuam à ſeculo, mercedem diſpenſationis veri & prudentis œconomi, in apparitione Domini noſtri, Dei noſtri, & Salvatoris noſtri, Jeſu Chriſti. ille qui tecum, *&c.*

Poſt hæc converſus Epiſcopus, ponit balthеum ſupra humerum ejus ſiniſtrum, dicens: Gloria & honor ſanctæ Trinitati coæquali, Patri & B Filio & Spiritui ſancto. Pax Eccleſiæ fabricæ uni & ſoli ſanctæ, Apoſtolicæ Eccleſiæ Dei. Amen.

Deinde accedit altare, & manus Epiſcopi cum eo, & omnes qui cum eo præſentes fuerint.

Finis ordinationis Diaconi. Salus à Domino. Amen.

Præcepta ſive Exhortatio ad Diaconum. Ex Arabico.

Scias, ô fili benedicte, hunc gradum, quem tibi Deus contulit, eſſe gradum magnum, & miniſterium majeſtate plenum. eſt enim gradus S. Stephani Archidiaconi. ut viſites populum Dei, viduas, pupillos & afflictos, ut conſoleris eos, & juxta poſſe tuum adjuves eos, & ores pro iis. ſis iis in exemplum, ut, videntes opera tua bona, ædificentur viis tuis. Sequaris Epiſcopum & Sacerdotes, & doceas hoſpites & advenas; & viſites eos ſecundum Canonem meum: & honorabis altiorem te in Ordinatione. Qui ſunt Sacerdotes, ſint apud te loco patrum. Sis dignus qui beatificeris in verbo Domini, dicentis: Qui mihi miniſtrat, honorificabit eum Pater meus. & ſicuti dicit Apoſtolus Paulus: Quoniam qui miniſtrant bene, bonus gradus fiet eis & revelatio magna in fide Domini noſtri Jeſu Chriſti. Intellige igitur menſuram & gradum dignitatis, quem contulimus tibi, qui eſt, portare Sanguinem verum qui datus eſt in ſalutem mundi; qui commiſſus eſt manibus tuis. Et laus Deo noſtro, & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto, Domino noſtro. Amen, Amen, Amen.

Tunc Epiſcopus benedicit eum iterum, exponendo illi Sacramenta: & ponit ſuper eum manum tribus vicibus. & omnes Sacerdotes dicunt tribus vicibus, Dignus eſt. *Quibus peractis, dicit Epiſcopus. (Talis)* Diaconus conſtitutus eſt ſupra Eccleſiam Dei ſanctam. Amen.

ORDINATIO SACERDOTIS

Cum volunt præſentare Ordinandum Sacerdotem, teſtificantur primo Sacerdotes de operibus ejus bonis, & de ſcientia ejus in verbo doctrinæ bonæ; & quod ſit manſuetus, conſolator, benignus, & quod uxor ejus talis ſit qualem lex requirit, & ſecundum Canonem; & quod acceperit gradum Diaconatus; & quod ſeparatim gradus, Anagnoſtæ, Subdiaconi, & Diaconi, acceperit. & benedicetur altero die.

Deinde prodit foras, veſtitus veſte Diaconi; & balthеus ſuper humerum ejus ſiniſtrum, coram altari. Stet autem Epiſcopus cum Sacerdotibus; & qui ſeparatus eſt, incurvat genua ſua ante altare. Epiſcopus vero iterum dicit gratiarum actionem, & accipit ſimul thymiama, & erat ſuper illud: converſusque facie ſua ad altare, dicit hanc Orationem: O Domine Deus, qui venire nos feciſti in ſortem miniſterii hujus, qui conſtituis homini intellectum, & ſcrutaris corda & renes: exaudi nos virtute divina, & gratia Filii tui unigeniti, & operatione Spiritus ſancti; ut ſimus digni miniſterio hoc teſtamenti novi; ut proficiamus in melius, & nomen ſanctum tuum glorificemus, & miniſtremus Sacerdotium beneplaciti tui ſancti; neque participemus in peccatis infidelium; ſed dele iniquitates noſtras: & concede, ô Rex noſter, ne faciamus quod non expedit nobis; ſed da nobis cognitionem, ut loquamur quod oportet, & adſiſtamus altari tuo ſancto. Ecce, venit ad te Ordinandus in Sacerdotem: perfice eum in ſervum tuum (*talem*,) ſtantem & exſpectantem dona tua cœleſtia. quia tu bonus es & multæ miſericordiæ in omnes qui invocant te: qui C potens es in poteſtate tua, cum Filio tuo unigenito, & Spiritu ſancto. Amen.

Dicit Archidiaconus: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui perficit defectum noſtrum per voluntatem Dei Patris; & Spiritus ſanctus, veniat ſuper (*talem*) hunc, qui te ſibi ſiſtit in timore & tremore, & humilis corde, ad altare tuum ſanctum, & ipſe incurvatus tollit oculos cordis ſui ad te ô habitans cœlos, exſpectans dona tua cœleſtia, ut transferatur ex Ordine ſui Diaconatus ad Sacerdotium in Eccleſia (*tali*) & ad altare ſanctum. Orate omnes ut veniat ſuper eum donum Spiritus ſancti.

Dicit populus, Kyrie eleiſon, *tribus vicibus. Epiſcopus verò, converſus ad Orientem, hanc Orationem dicit*: Quæſo Domine Deus, D pone eum dignum vocatione Presbyteratus, ut per merita charitatis tuæ erga homines glorificet nomen tuum ſanctum, & ſerviat tibi, & miniſtret altari tuo ſancto, & inveniat miſericordiam in conſpectu tuo: quoniam miſericordia & gratia ante te eſt, ô Deus, quem decet laus, o Pater, & Fili, & Spiritus ſancte. Amen.

Dicit populus. Kyrie eleiſon, *tribus vicibus. Converſus ad Occidentem Epiſcopus, ponit manum ſuam dextram ſupra caput ejus, ſic orando*: O Domine Deus omnipotens, qui E omnia creaſti in verbo tuo, & curam habes omnium quæ ſunt ante te, ſecundum voluntatem tuam, qui reſpicis ſemper ſuper Eccleſiam tuam ſanctam, ut, qui ponuntur in ea, creſcant & confortentur, proficiant verbo & opere: Reſpice ſuper hunc ſervum tuum (*talem*) qui tibi præſentatur ad Sacerdotium per approbationem & judicium eorum, qui tibi eum ſtiterunt: reple eum Spiritu ſancto tuo, gratia & beneplacito tuo, ut timeat te & gubernet populum tuum, quem elegiſti, & præcepiſti ſervo tuo Moyſi, ut eligeret

ſibi ſeniores, plenos Spiritu ſancto, qui ſine A mutatione procedit à te.

Orate. Quæſo, Domine, exaudi nos in iis quæ ſupplices à te poſtulamus: & conſerva in nobis etiam ſpiritum ſanctum ſine defectu: concede Spiritum ſapientiæ tuæ, ut repleatur operibus ſalutis, & eloquio doctrinæ, ut doceat populum tuum in vocatione ſua, ut ſerviat tibi in ſanctificatione & cogitationibus mundis & animo ſincero, & compleat opera Sacerdotii ſupra populum tuum, & ſupra eos, qui præceſſerunt eum, & qui reſtaurati ſunt per lavacrum regenerationis. Et ecce ego quoque: purifica me ab omni peccato occulto, & ſolve me à manifeſtis, per mediatorem Filium tuum unigenitum, B Dominum noſtrum & Deum noſtrum & Salvatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum: ille qui, *&c.*

Converſus ad altare, ſic orat: Reſpice, ô Domine, ſupra nos & ſupra miniſterium noſtrum, & munda nos ab omni coinquinatione; & mitte cœleſtem gratiam tuam ſupra hunc ſervum tuum, ut dignus inveniatur ante te, qui compleat Sacerdotale munus ſine defectu; ut accipiat gratiam tuam cum iis qui tibi complacuerunt ab æterno: quia miſericordia in voluntate tua; te quoque decet honor & gloria ab omni creatura, & adoratio, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte. Amen.

Et converſus ad Occidentem, ſignat frontem ejus pollice ſuo, dicens: Vocamus te in Eccleſiam Dei ſanctam. Amen.

Deinde alta voce dicit Archidiaconus. (Talis) Sacerdos eſt altaris ſancti, quod eſt in Eccleſia ſancta Catholica & Apoſtolica, Eccleſia Dei. Amen.

Deinde clara voce Epiſcopus dicit: Vocamus te *(talem)* Sacerdotem altaris ſancti, quod vocatur orthodoxorum, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Facit Epiſcopus, ſupra frontem ejus, tres Cruces, ſignificando Trinitatem; deinde veſtit illum ſtola, dicens: Gloria & honor Trinitati ſanctæ conſubſtantiali. Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Pax & incrementum Eccleſiæ Dei ſanctæ. Amen. D

Converſus ad Orientem Epiſcopus, orat ſic: Gratias tibi agimus, ô Domine Deus omnipotens, propter omnia & pro omnibus, ut glorificetur nomen tuum ſanctum: quia feciſti nobiſcum mirabilia, & dilataſti dona tua opulenter ſupra ſervum tuum. te ſupplices exoramus, ô Rex noſter, exaudi nos per multitudinem gratiæ tuæ, & complaceas tibi ſupra has cerimonias, quæ factæ ſunt ſupra ſervum tuum, qui accepit Spiritum ſanctum tuum ſupra ſe, & ſupra populum circumſtantem vocationis, quem elegiſti in ſanctificationem & gratiam bonitatis tuæ, & e- E legiſti nos cum eo in bonum, ut operetur, & lucretur cum talento ſuo, & conſequatur cum iis, qui fecerunt voluntatem tuam ab æterno, mercedem œconomi fidelis & prudentis in apparitione Domini noſtri, Dei noſtri, & Salvatoris noſtri, Jeſu Chriſti. Amen.

Monita ad Sacerdotem novum.

Nota tibi ſit, ô frater, menſura doni, quâ hodie dignus effectus es, qui eſt Presbyteratus; quo conſtituimus te ſupra myſteria magna Teſtamenti novi, & ſupra gratiam Doctorum. Tuum erit, operari, & docere exemplo & converſatione bona; præſtantem verbo, & recordare verbi principis Apoſtolorum Petri, dicentis: Seniores, qui inter vos, obſecro ego, particeps veſtri in Sacerdotio, teſtis paſſionis Chriſti, & conſors gloriæ, quæ revelabitur in nobis; paſcite oves Dei, quarum cura vobis commiſſa eſt, & viſitate eas non in violentia, ſed in voluntate cordis in Deo ædificate; & non ſicut dominantes populis; ſed ſitis ſicuti oves; ut, cum apparuerit princeps paſtorum & magnus ille judex, recipiatis coronam gloriæ incorruptibilis. Impendantur igitur opera tua ſecundum talentum traditum tibi, & conducat tibi & duplicetur; accipiaſque mercedem ſervi prudentis & fidelis, & congreges populum ad verbum doctrinæ, eum alimento ſpirituali reficiens; ut ſalvetis tu, & qui te audierint. Abi in pace. Dominus ſit tecum. & laus Deo ſemper.

Et juramento præſtito oſculetur altare, Epiſcopum, & præſentes. Deinde explanet aliquid de myſteriis. & Epiſcopus ponet ſuper eum manum ſuam tribus vicibus: & omnes dicunt alta voce. Dignus eſt (*talis*) ut ſit Sacerdos in Eccleſia ſancta Catholica & Apoſtolica, quæ eſt in civitate (*talı.*) Et charitas Chriſti in pace Dei. Amen.

CONSECRATIO PRÆLATI

ſive illius, qui curam habet ſubditorum, dicti Abigumenos animarum.

Cum adductus fuerit conſecrandus in Prælatum, examinetur primùm à Sacerdotibus: & ſtet veſtitus, Sacerdotis inſtar, incurvetque genua, cum iis qui præſentant eum, ante Epiſcopum. & ipſe ſtet ante altare ſanctum. Deinde dicit Epiſcopus Orationem gratiarum actionis, & ſumit thymiama, benedicitque illud: deinde populus dicit, Miſerere, *tribus vicibus. Dicitque Epiſcopus hanc Orationem:* O Domine Deus virtutum, qui nos venire feciſti in ſortem hujus miniſterii, qui conſtituis intellectum homini, & ſcrutaris corda & renes: exaudi nos per multitudinem gratiæ tuæ, & munda nos ab omni coinquinatione corporis & animæ: diſſipa nubes peccatorum noſtrorum, & malitiarum noſtrarum caliginem diſperge; imple nos virtute divina, & gratia Fili tui unigeniti, & operatione Spiritus ſancti, ut ſimus digni hoc miniſterio novi teſtamenti, ut creſcamus in meritis, exaltemuſque nomen tuum Sanctum, & miniſtremus Sacerdotium beneplaciti tui ſancti: neque imputes nobis participationem peccatorum alienorum, ſed propria noſtra dele: & concede nobis, ô Domine, ne committamus defectus; ſed te nobis benignum præbe in ſcientia, ut loquamur quod expedit, & appropinquemus altari tuo mundo. Ecce, accedit

cedit ad te, intentione perfecta, ſervus tuus (*talis,*) qui ſtat exſpectans dona tua cœleſtia. Quoniam tu bonus & multæ miſericordiæ omnibus qui invocant te; & poteſtas tua fortis cum Filio tuo unigenito, & Spiritu ſancto, Amen.

Dicit Archidiaconus hanc Orationem: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, defectus noſtros complens in beneplacito Dei Patris, & Spiritus ſanctus, veniat ſupra (*talem*) qui cum timore & tremore intrat altare tuum ſanctum, elevatque oculos cordis ſui ad te qui habitas cœlos, exſpectans dona tua cœleſtia, ut transferatur ex Ordine Sacerdotii ad ordinem Prælaturæ in Eccleſia (*tali,*) in civitate (*tali.*) Orate omnes, ut veniat ſuper eum gratia Spiritus ſancti

Populus dicit, O Domine, miſerere, *tribus vicibus.*

Epiſcopus vero dicit hanc Orationem, converſus facie ſua ad Orientem: Quæſo, ô Domine, pone dignum vocatione Prælaturæ, ut per merita & propter gratiam tuam exaltet nomen tuum ſanctum, & ſerviat tibi, adminiſtretque altare tuum, inveniatque miſericordiam in conſpectu tuo, quoniam miſericordia & benignitas ante te, ô Deus: te enim decet laus, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte. Amen.

Converſus ad Occidentem, imponit manum ſupra caput ejus, & dicit hanc Orationem ſecreto: O Domine Deus, omnipotens Pater, Dominus noſter & Deus noſter, & Salvator noſter Jeſu Chriſte, cognoſcens omnia antequam exiſtant: tu elegiſti ſervum tuum (*talem*) ut ſit pater, director, & præfectus ſervorum tuorum congregatorum in loco uno propter nomen tuum ſanctum: ideo te deprecamur, ô amator hominum, ut reſpicias ſupra eum, benedicas ei, & ſanctifices eum; charitas Spiritus ſancti tui ſit ſuper eum: & diſpone nos cum eo ad omne opus bonum: da ipſi ſapientiam & virtutem, ut ante Spiritum ſanctum tuum exiſtat ſine culpa dies & noctes. Da ei, ô Domine, ſpiritum quietum, benignum, plenum fiducia, & Chriſtianum, ut ſit placens tibi in operibus bonis, & ſit præfectus ei qui ei voluerit obedire; ſollicite operetur, & doceat eos præcepta legis tuæ; curam eorum habeat, ac conſervet eos in puritate & amore: ut ſanctificet eos, dirigatque eos ad ſponſum cœleſtem Chriſtum; ſublimitate vitæ ſpiritualis accepta, compleat quod ſcriptum eſt: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Poſtquam hanc Orationem dixit, converſus facie ſua ad Orientem, dicit: Pax vobis. Reſpice, ô Domine, ſuper nos, & ſuper miniſterium noſtrum; & munda nos ab omni coinquinatione, & mitte gratiam tuam de cœlo ſupra ſervum tuum (*hunc*) ut dignus ſit per te, qui compleat Sacerdotium ſuum ſine defectu, ut creſcat ante te per viſcera miſericordiæ tuæ, cum omnibus qui tibi placuerunt à ſeculo. Quoniam miſericordia in voluntate tua eſt; & te decet honor ab omnibus & adoratio, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte, nunc & omni tempore.

Converſus ad Occidentem, ſignat frontem ejus, pollice ſuo, dicens: Vocamus te (*talem*) Abigumenon in Eccleſia ſancta Dei. Amen.

Clamat Archidiaconus alta voce, dicens: (*Talis*) Abigumenus ſupra altare mundum, quod eſt in Eccleſia ſancta Catholica & Apoſtolica, id eſt, Dei. Amen.

Clamat alta voce. Epiſcopus: (*Talis*) Abigumenus in altari ſancto. præſentamus memoriæ ejus Orthodoxos & civitatem (*talem*) quæ amat Chriſtum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Dei pacis; & fabricam unicam ſanctam & Apoſtolicam, Eccleſiam Dei.

Converſus ad Occidentem, dicit: Gratias tibi agimus, omnipotens, propter omnem gloriam, & in omni gloria, & benedicimus te, & laudamus nomen ſanctum tuum; quia tu feciſti nobiſcum mirabilia; quia venire feciſti à te dona tua ſupra ſervum tuum (*hunc.*) Te ſupplices exoramus, ô Domine, audi nos propter multitudinem gratiæ tuæ; ut complaceat tibi ſupra promotionem hanc in Prælaturam, ſervi tui (*hujus,*) quæ facta eſt ei, per gratiam Spiritus ſancti tui. Te ſupplices exoramus, ô Rex noſter, propter eum quem vocaſti, & circumſtantes quos elegiſti per ſanctificationem & gratiam bonitatis tuæ, & elegiſti nos cum iis ad bonum, ut conſequi mereamur cum omnibus, qui faciunt voluntatem tuam ab æterno, mercedem Præpoſiti fidelis & prudentis in apparitione Domini noſtri & Dei noſtri & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. ille qui, &c.

Oſculetur altare & Epiſcopum & præſentes. Deinde incipiant Miſſam. Et Epiſcopus det ipſi ſacram Synaxin; & monita ſalutaria prælegat.

Monita prælegenda ad Prælaturam aſſumpto.

Notam tibi facio, ô frater, menſuram hujus Ordinis, ad quem aſſumtus es ante Dominum; quæ eſt Prælatura. Sit tibi magna cura in verbo doctrinæ; & manifeſta primus opera bona, quæ & doceas populum hunc, pro quo dabis rationem Deo: quemadmodum præcepit Doctor Apoſtolus: Sis vigilans ſuper animas eorum, & dirige eas ad opera bona, ut faciant ea; increpa peccantes; & incedere facias eos juxta legem Apoſtolicam in omni ſimplicitate & manſuetudine; labora pro iis; ſana membra tua, & ſumma ſollicitudine cura; neque permittas appropinquare lupum gregi, ſed exſcindas eum & diſcerpas in verbo veritatis. Perfice quod ſcriptum eſt: Oportet nos eſſe fortes, ſupportantes infirmos cum omni patientia, ut non deficiamus in nobis ipſis. Ut audias tandem & tu: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui. Laus Deo ſemper.

PRÆSENTATIO ARCHIDIACONI.

Dicit Epiſcopus hanc Orationem: O Domine Deus magnus in donis tuis, & in miſericordia ſummus: in gratia & bonitate, quæ

eſt per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum: tu fundasti Jerusalem cœlestem, & tu solus caput omnium etiam super terram; & ex similitudine tua creasti omnes formas eorum; & nominasti omnem ordinem & omnes virtutes & potestates Ecclesiæ tuæ, veluti archetypon quoddam, in quo omne ministerium Sacerdotale absque omni contrarietate.

Dicit Diaconus: Orate.

Episcopus vero dicit: Tu nunc etiam, ô Domine, amator hominum, accipe preces nostras; peccatores enim sumus. Mitte gratiam Spiritus sancti tui super servum tuum (*talem*) quem præsentarunt ad Archidiaconatum per judicium & approbationem eorum, qui cum tibi stiterunt in medium, & approbatum tibi desponsarunt eum. Pone eum dignum, ut sit Archidiaconus supra omnia Ecclesiæ tuæ sanctæ; purifica eum sicuti unum ex septem Diaconis, quos constituebant Apostoli sancti; Stephanum, primum Diaconum & principem Martyrum. Imple eum virtute & timore & intellectu, sicuti Stephanum primum Archidiaconum, supra Ecclesiam tuam sanctam in ministerio incruento, & sublimitate puri eloquii: portetque calicem sanguinis tremendi, Agni immaculati & inculpati, qui est Filius tuus unigenitus: ministret pupillis, & subveniat viduis, indefessus in servitio Dei: Doceat ignorantes, corrigat indisciplinatos, perversos increpet, reducat errantes; revereatur Sacerdotes, & serviat peregrinis; & jubeat ubi oportuerit; sitque exemplar omnibus reliquis in Ecclesia; ut faciat sibi gradum bonum, altum valde, & inveniat authoritatem apud omnes, *& non gratiâ, quæ datur impositione manuum nostrarum, peccatores enim sumus, sed in visitatione gratiæ tuæ, habentis divitias, quæ datur dignis eâ.

Diaconus dicit: Orate. *Episcopus vero dicit*: Nunc, ô Rex noster, supplices deprecamur bonitatem tuam, ô amator hominum, pro oblatione servi tui (*talis*) ut dignus ponatur gratia vocationis, qui est Archidiaconatus; veniatque super eum Spiritus sanctus tuus. Et ecce ego etiam, munda me ab omni peccato alieno, & renova me, à peccatis omnibus immunem, per mediatorem Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum & Deum nostrum Jesum Christum ille qui, &c.

Finis Exemplaris Rituum Ordinis Sacerdotii, quod deductum fuit ex Cerimoniis & ritibus *Archipresbyterorum, qui non sunt descripti in hoc volumine. Laus datori intellectus.*

FINIS.

COMMENTARII
DE SACRIS ECCLESIÆ
ORDINATIONIBUS SECUNDUM
antiquos & recentiores, Latinos, Græcos, & Syros.

PARS TERTIA.

QUÆ VARIAS EXERCITATIONES CONTINET
in quibus quæcumque à Scholaſticis de Sacramento Ordinis diſputari ſolent, ſecundùm antiquos Patres, & Rituales omnium gentium, probabiliter ſuadentur: & antiqua Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali convenientia docetur; & quando, quave occaſione aliquid novum in antiquum ritum inductum eſt, adnotatur.

Digitized by Google

EXERCITATIO I.

DE VARIIS CONCILIATIONIBUS GRÆCARUM Ordinationum cum Latinis; denique origine explicationis ſubſtantiæ Sacramentorum per materias & formas, ordiniſque & χειροτονίας ſignificatis.

CAPUT I.

Ex comparatione antiquorum Ritualium Latinorum cum Græcis non colligitur in materia Ordinum aliquid eſſe immutandum, Regula colligendi materias & formas ordinum, ex utriſque Ritualibus. Antiqui ſcholaſtici Græcarum ordinationum ignari. Decepti ſunt in forma baptiſmi Græci, verecundè tamen & modeſtè de ea pronuntiarunt: Cognita Græcorum praxi eam probarunt, & ſecundum eam ſententiam ſuam temperarunt. Variæ Græcarum ordinationum cum Latinis conciliationes à recentioribus Scholaſticis inventæ recenſentur. Pauci quidam & obſcuri Scholaſtici Græcorum baptiſmum improbarunt. Vaſta admodum quorumdam conciliandi ratio explicatur: Aliæ enarrantur ex quibus idem planè conſequitur. Ritualia ordinum Græca & Latina inter ſe non pugnant, ſed pronuntiata ſcholaſtica cum Ritualibus Græcis. Pontificale Romanum hodiernum omnia continet quæ antiqua; ſed antiqua non omnia continent quæ hodiernum.

PRæcedentibus præſumptis & ſtabilitis, quibus nullus error ſubeſſe poteſt, facile erit unicuique de veris, genuinis, & primitivis ſingulorum ordinum materiis & formis judicium ferre; atque illud celebre & antiquum Doctorum Scholaſticorum dogma confirmare, nempè ſacramentorum materias & formas eſſe perpetuas & immutabiles. Si quis enim diligenter attendat antiquos rituales Latinos, eoſque comparet cum Græcis antiquis, & recentioribus, traditionem Apoſtolicam de ſacris ordinationibus tanquam in ſpeculo contemplabitur facileque dijudicabit quæ ſunt in hodiernis ritualibus Apoſtolicæ traditionis, quæ verò Eccleſiaſticæ inſtitutionis. Unde colliget quanta cum æquitate Pontifices continuis decretis, unoquoque ſeculo, & qualibet occaſione data editis, & admiſerint ordinationes Græcas, & admittendas ſtatuerint, & de iis detrahentes compeſcuerint. Colliget inſuper immane quantum aberraverint à vero plerique Scholaſtici, cùm Græcarum ordinationum ignari, & antiquæ Latinorum traditionis incurioſi definire voluerunt quæ ſunt in ſacris ordinationibus Apoſtolicæ traditionis, quæ Eccleſiaſticæ inſtitutionis; quæ ſubſtantialia, quæ accidentalia. Quanquam autem res iſta non ſit ex antecedentibus collectu admodum difficilis, attamen operam noſtram non fore ſupervacaneam credidimus, ſi Lectori in ea colligenda præiremus, eumque in eo ſtudio exercitationibus noſtris exerceremus.

II. Nemo, ut mihi videtur, dubitare poteſt antiquos Latinos à quibus accepimus & ordinationes, & quod ſacerdotes ſumus, legitimè & validè ſacerdotes conſecraſſe, & cætera ſacrarum ordinationum munia contuliſſe. Eadem antiquorum Græcorum ratio. Certiſſimum enim eſt, & evidentiſſimum neminem ordinationes Græcas criminari poſſe, quin crimen in Latinas redundet: cum utrique mutuò alterius ordinationes probaverint, Græcuſque apud Latinos, & Latinus apud Græcos ſine ulla unquam ordinationis querela, ſacra myſteria celebraverit. Pari veritatis evidentia certum eſt recentiores Latinos in hunc uſque diem legitimas ordinationes celebraſſe, & celebrare. Eadem ratio hodiernorum, Græcorum, cum, ut ex iis quæ manifeſtiſſime καὶ ἀντοψίᾳ quadam demonſtrata ſunt, ab antiquis non differant, eoſque publicè in ſuis ordinibus miniſtrantes ſuſcipiat Eccleſia Romana, ſemperque ſuſceperit. Complectuntur igitur utræ-

que illæ ordinationes omnia quæ ſunt ordini abſolutè ſubſtantialia, & conſequenter in iis ritibus & verbis quæ ſunt omnibus communia, ineſt vera materia, veraque forma: In iis verò quæ ſunt alicui ritui vel tempori ſpecialia, hoc eſt, quæ ſunt in ritu Græco non in Latino; vel in Latino non in Græco; vel quæ antiquitus ritui Græco vel Latino non inerant, ſed poſtea vel à Conciliis, vel à Pontificibus addita, vel quacumque conſuetudine uſurpata ſunt, Ordinationum materias & formas non ineſſe.

III. Cum igitur ex antecedentibus certiſſimum ſit Latinos & Græcos antiquos & hodiernos validè Sacramentum Ordinis conferre, alia nec eſt nunc, nec olim fuit Græcis materia & forma quàm Latinis. Inde neceſſariò & evidentiſſima conſequentia ſequitur id eſſe ad materias & formas notandas & explicandas, ex ritibus Latinis & Græcis eligendum & ſecernendum, quod eſt ſemperque fuit utriſque commune. Illud verò quod eſt vel Latinis vel Græcis ſpeciale, aut quod ſemper apud alterutros non fuit, rejicendum eſſe velut ad veram & abſolutam Sacramenti ſubſtantiam conſtituendam minimè idoneum; licet illud additamentum credere par ſit, imò neceſſe adjunctum eſſe ad ſignificationem myſterii explicatius repræſentandam, & ritus ſolemnitatem auguſtiorem reddendam. His itaque fixis & immotis regulis facile nobis erit in Ordinationum ritibus quod ad ordinum ſubſtantiam abſolutè pertinet, eſtque illis nativum, ab eo diſcernere quod eſt aſcitum & adoptivum.

VI. Antiquorum & recentiorum Theologorum nulli de Græcis ordinationibus ſoliciti fuerunt; ne quidem earum umbram videntur agnoviſſe. Nulla diſquiſitione facta velut rem confeſſam aſſumpſerunt Græcos & Latinos iiſdem ritibus ordinationes celebrare. Imò hoc ipſum vix unquam ab iis diſertè dictum leges, nedum agitatum. Contrà quàm id quod de Lamiis dicitur, domi oculatiſſimi fuerunt, foris planè cæcutierunt. Quæ domi gerebantur, diligenter inquiſierunt, ſuoque lare contenti exteros ritus profundo ſilentio merſerunt, iſtud Homericum præpoſterè obſervantes.

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰὼν τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε.

Nam cum generalia axiomata Latinos cum Græcis uno taſce complectentia de his ritibus pronuntiarent, eorum erat ſedulò diſpicere, & animo verſare an exceptione aliqua poſſent debilitari. Verùm iſta ſedulitate prætermiſſa, ita infeliciter aliquando eorum plerique conjecerunt, ut neque cœlum, neque terram, ut dici ſolet, attigerint, velut ex ſequentibus Exercitationibus lectori innoteſcet. Unicus eſt baptiſmus è Sacramentis Eccleſiæ Græcæ de quo verba diſertè fecerunt Doctores Scholaſtici: Perperam tamen illius Sacramenti formulam ſubſtantialem enuntiarunt. Dixerunt enim omnes, ſi hodiernos excipias quorum multi abſurditatem ſubodorarunt, eam eſſe deprecativam, cùm reverà ſit, ſemperque fuerit indicativa.

V. In hac tamen falſa opinione Lectorem maximè velim notare prudentem, verecundam, & modeſtam Scholaſticorum propè omnium ſententiam. Omnes enim tantùm detulerunt ritui Græco, licet perperam intellecto, & propter pravam intelligentiam à Latino ſecundum eorum principia longè diverſo, ut eorum baptiſmum non modò judicaverint validum, & non iterandum; verumetiam dixerint Sacramenti iſtius & aliorum quorumdam formas, licet deprecativè efferrentur, valere poſſe. Quid ſi Ordinationum Græcarum ritus antiquos & recentiores cognoviſſent, atque ut nos fecimus examinaſſent, & ſibi invicem comparaſſent, eoſque iterum cum antiquis Latinis contuliſſent, eandum proculdubio nobiſcum de Græcarum ordinationum non modò validitate, verumetiam de formarum & materiarum ejusmodi cum Latinis paritate opinionem concepiſſent. Itaque ſcholaſticos omnes antiquos & recentiores, licet longè diverſa ſtatuerint, nobiſcum tamen non immeritò ſentire & ἀδιαφίζειν exiſtimamus.

VI. Ut hoc evidentiùs ante Lectorum oculos proponam, operæ pretium mihi videtur explicare qua ratione antiqui Scholaſtici Græcos cum Latinis in cauſa Baptiſmi concilient. Idem proculdubio de Sacris Ordinationibus ſtatuiſſent, ſi Græcorum Ordinationes illis innotuiſſent, nec Latinarum auctoritate Græcas evertiſſent. Diſputatur ab iis omnibus an neceſſe ſit perſonam Miniſtri in baptiſmo exprimere. Reſpondent propè omnes id non eſſe neceſſarium. Quamobrem verò? Quia Græci id non faciunt. Modus igitur & ratio conciliationis eſt Græci ritus approbatio, & auſteritatis quæ ex Latino ritu colligi poterat, ſecundum Græcum ritum moderatio. S. Thomas in 4. diſt. 3. art. 2. ad primum, *Sed utrum expreſſio perſona Miniſtri quæ ſit ſecundum nos, ſit de neceſſitate baptiſmi, apud quoſdam dubium eſt. Probabilius tamen dici poteſt quod non ſit; ne cogamur totam Græcorum Eccleſiam abſque baptiſmo ponere qui perſonam non exprimunt baptizantis. Quod dicitur conſilio Sanctorum Patrum fallum contra errorem qui in baptizantis perſona ſpem ponebant, de quo* 1. Cor. 1. Paludanus in eandem diſt. q. 1. in tertio quæſito, Quærit an perſona Miniſtri debeat exprimi? Reſpondet negativè, hoc ſolo argumento fretus, cujus utramque propoſitionem Lectorem velim attendere, *Illud quod eſt de neceſſitate baptiſmi eſt idem apud omnes conferentes verum baptiſmum: Quia omiſſio alicujus quod eſt de neceſſitate Sacramenti, evacuat Sacramentum. Sed expreſſio perſona baptizantis non obſervatur apud Græcos; baptizant enim ſic, baptizetur ſervus Chriſti Nicolaus in nomine Patris, &c. Et tamen conferunt verum baptiſmum; quia revertentes ex eis ad obedientiam Eccleſiæ non baptizantur. Ergo expreſſio perſona baptizantis non eſt de neceſſitate Sacramenti.* Eodem prorſus argumento in ordinationes converſo nituntur quæcunque ſequentibus nonnullis Exercitationibus dicentur.

VII. Ita quoque Franciſcus Suares ratiocinatur q. 66. de baptiſmo ſect. 1. *Certum de fide eſt formam quâ Græci utuntur, eſſe ſufficientem, &c. Nam Eccleſia Græca habet uſum illius formæ*

mæ antiquiſſimum. Unde credibile eſt à Sanctis Patribus & Epiſcopis Catholicis illum accepiſſe. Neque credibile eſt totam illam Eccleſiam cariuiſſe vero baptiſmate; alioqui reliquis Sacramentis omnibus, veriſque ſacerdotibus carniſſet, quod eſt abſurdum, & contra id quod univerſa Eccleſia Romana ſentit. Nam cum Græci à ſchiſmate ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ redeunt, nec baptizantur, nec ſi ſacerdotes vel Epiſcopi ſint, iterum ordinantur, ac conſecrantur; ſed in ſuo gradu & ordine recipiuntur. Ergo hæc omnia verè & rite apud illos perficiuntur. Atque iterum ſect. 2. eodem ratiocinio quo cæteri, colligit perſonam Miniſtri non eſſe neceſſariò in baptiſmate exprimendam. *Ulterius verò addendum eſt etiam hoc implicito modo non eſſe neceſſarium indicari perſonam Miniſtri, ut conſtat ex forma Græcorum, Baptizetur ſervus Chriſti. Nam, ut notat Soto, Græci illis verbis non ſubintelligunt perſonam Miniſtri &c. Ergo ex vitalis formæ non exprimitur ullo modo perſona Miniſtri, & tamen eſt ſufficiens. Ergo expreſſio Miniſtri in forma non eſt ſimpliciter neceſſaria, &c. Nam licet Eccleſia Latina hoc obſervet, non tamen Græca, quæ in hac parte non arguitur erroris ab Eccleſia Latina.*

VIII. Idem argumentum, ut demonſtrationem uſurpant, Gabriël Biel in 4. diſt. 3. q. unica, art. 2. Concluſ. 2. Guilelmus de Vorilong ibidem, diſt. 3. initio ubi de forma baptiſmi, Adrianus Papa in 4. de baptiſmo q. 2. §. *ad Videndum.* Thomas de Argentina in 4. diſt. 3. ad finem art. 3. Michaël Aiquanus Carmelitarum olim Generalis. in 4. q. 23. Dominicus Soto ibidem q. unica, art. 5. Henriquez lib. 2. de baptiſ. c. 8. n. 3. & lib. 4. c. 2. Koning de Sacram. baptiſmi q. 66. art. 6. dubio unico, Vaſquez Tom. 2. in 3. partem q. 142. c. 3. Laymannus de Sacramento baptiſmi tract. 2. c. 24. Nugnes de baptiſmo in q. 66. articulo 5. Joannes Puteanus in 3. part. q. 66. art. 5. 6. dub. 2. Cardinalis Toletus ſummæ lib. 2. c. 19. Plures autores citavimus lib. 8. de ſacram. Pœnitentiæ c. 16. ſect. 16. qui in eandem ſententiam commodè explicari poſſunt; citarique poſſent autores alii innumeri, ſi operoſitatis iſtius eſſet aliquod operæ pretium, qui licet Græcorum praxim non eodem modo interpretentur, in eo tamen conſentiunt, ut ſententiam ſuam illa Græcorum praxi velut certiſſima demonſtratione confirment. Ex dictis velut ex ungue colligis, lector, quanto conatu Ordinationum Græcarum materias formaſque cum Latinis conciliare adnixi fuiſſent, ſi vel levi earum cognitione eos aſpergi contigiſſet.

IX. Hoc diligenter præſtiterant Neoterici Scholaſtici quotquot Græcarum ordinationum cognitione delibuti ſunt. Illas enim pro viribus conantur cum Latinis conciliare, maximumque diſcrimen quod intereſt, & legentium oculis ſtatim ſe objicit, emollire, & tollere. Verùm cum ante oculos ſibi tantùm proponant Pontificale Romanum hodiernum, & axiomata Scholaſtica ab aliquot ſeculis inde deprompta, & erudito Scholarum pulvere trita atque celebrata, in varios difficultatum laqueos ſe induunt, quibus facillimum erat conſultis antiquis Latinorum codicibus, & antiqua ſimpliciorique ordinandi conſuetudine ſeſe expedire. Nam poſitis & ratis Ordinationum Latinarum formis & materiis, ut à pleriſque Scholaſticorum definiri ſolent, difficillimè illis Græcarum gratiam conciliabit: Id eſt, ut ait Lyricus Poeta, ire per extentum funem in quo ſingulis greſſibus caſus imminet. Virorum tamen Doctorum hic labor & induſtria duo nobis commoda ſuppeditat: Prius, Græcarum ordinationum veritatem confirmat. Quidvis enim tentare malunt viri docti, ut iis efficientiam aſſerant, quàm tantillum de iis detrahere. Poſterius, Nonnullæ conciliationis viæ ab iis ineuntur, quarum explicatione & lumine graviſſimæ difficultates intra commovendæ & ſedandæ evolvuntur, & illuſtrantur. Quapropter operæ pretium aliquod nobis facturi videmur, ſi huc eas breviter retulerimus. Sanè earum quædam ejuſmodi ſunt, ut ſtantibus axiomatis vulgaribus nihil melius, & difficultati enodandæ convenientius excogitari poſſit.

X. Gravina autor recens in Italia celebris doctrinæ S. Thomæ maximè addictus diſput. 2. de materia & forma Sacramenti ordinis §. 3. hæc duo principia fixa & immota velut ſuæ diſputationis fundamenta ſolidiſſima jacit: Prius, ſacramenti ordinis materiam & formam in porrectione inſtrumentorum ſedere: Poſterius, materias & formas Græcas validas eſſe, & nullo modo iterandas. Cùm autem videret Græcos ordinandis nulla inſtrumenta porrigere, in omnes partes ſeſe verſat, & torquet, ut in Græcis ordinationibus inſtrumenta deprehendat; ſed aquam citius è pumice. Abſurda multa à ſe inventa, fateor, variis ratiunculis colorare, & ornare nititur, ut quocunque modo Græcos cum Latinis in unam ſententiam conſpirare doceat. In has anguſtias illum præcipitem agit iſta Eccleſiæ Latinæ anticipata opinio, quam toto hoc opere demonſtratum imus, Græcas ordinationes eſſe legitimas. Ideo nihil non tentat ut hoc axioma & illæſum, & illibatum conſervetur, & Eccleſiæ Latinæ traditioni non repugnare demonſtret. Infra pluribus de Conciliationis iſtius inanitate diſſeremus.

XI. Præpoſitus Atrebas Societatis Jeſu inſignis Theologus cùm Romæ vidiſſet ordinari Presbyterum à Græco Epiſcopo more Græco à Latino tam diverſo, ſtatim ille conjecit, & tandem apud ſe ſtatuit de materia & forma Ordinationum longè aliter in pleriſque judicandum quàm hactenus Græci ritus ignoratione judicatum fuerat, ut ipſe teſtatur agens de Epiſcopatus materia & forma n. 75. quod ille demonſtrat quinque corollariorum collectione, quæ ex Latina ordinatione deduci non poſſunt. Deinde n. 96. cum de Presbyteratus materia & forma diſſeruiſſet, addit, *& hæc dicta intellige quoad Eccl. Romanam. Nam quoad Eccl. Græcam aliter eſt ratiocinandum, &c. Et n. 109. Notandum ex hactenus dictis de materia & forma ordinationis, & diverſitate in Eccl. Romana & Græca patere quam ſit probabile Chriſtum non inſtituiſſe Ordinum materiam & formam in particulari, ſed ſolùm in genere,* &c. De iſta conciliationis modo mox

verba faciemus. Ita quoque eminentiſſimus Cardinalis Lugo diſput. 2. de ſacramentis in genere ſect. 5. n. 85. & ſeq. licet nullum aliud ſuæ ſententiæ fundamentum haberet præter Arcudium ex Euchologio Græcorum formas enarrantem, ac Presbyteri Romæ probante Pontifice, more Græco ordinati conſpectum. Sic quoque eodem loco ut præcedentes argumentatur n. 87. *Aliunde autem habemus nec porrectionem panis & vini determinatè requiri ex divina inſtitutione, cum Græci abſque illa porrectione ordinentur. Ergo fatendum eſt Chriſtum ſolum voluiſſe pro materia aliquod ſignum proportionatum, hoc, vel illud.*

XII. Verum equidem eſt olim paucos quoſdam Scholaſticos incognitos, quos innominatos commemorant Alexander Halenſis 4. parte ſummæ q. 8. memb. 3. art. 3. §. 4. in fine, Albertus in 4. diſt. 3. art. 2. ad quæſtiunculam 2. S. Thomas ibidem q. 2. art. 2. Sylveſter in ſumma V. Baptiſmus 1. in fine, de Græcorum baptiſmo dubitaſſe, eoſque rebaptizandos judicaſſe. Sed paucorum & obſcurorum hominum ante aliquot ſecula ea ſententia fuit, cui cæteri, & eo tempore, & ſequentibus ſeculis contradixerunt, ſemperque obtinuit Eccleſiæ praxis huic ſententiæ contraria. Alexander tamen ut & Sylveſter locis citatis videntur in eam ſententiam aliquantulum propenſius inclinare. Refert Albertus loco citato reſp. ad octavum argumentum quæſtiunculæ ſecundæ, Gregorium IX. in hac quæſtione dubium fuiſſe, & de ea interrogatum primò reſpondiſſe, ſic baptizatos eſſe rebaptizandos: Poſtea tamen iſtum baptiſmum toleraſſe, treſque minimùm Dominicanos Romæ ipſo jubente fuiſſe rebaptizatos. Idem fecerunt, faciendumque ſtatuerunt de Latinis Græcorum nonnulli, atque Balſamon imprimis Patriarcha Antiochenus, & ante eum aliqui. Sed longè plures reſtiterunt, & cum Latinis communionem Eccleſiaſticam & civilem coluerunt, ut à nobis capite primo hujus operis demonſtratum eſt. Quanquam non exiſtimo Gregorium IX. de veritate baptiſmi Græcorum apud Græcos dubitaſſe, ſed an baptiſmus Latinis more Græco datus valeret; ut nonnulli viri docti antiquitùs dubitarunt, atque etiam nunc nonnulli dubitant, an Græcæ ordinationes apud Latinos valerent; & Latinæ apud Græcos, quos ſtatim enarramus.

XIII. Doctores nonnulli recentiores hanc varietatem ita conciliant ut admittant in materiam & formam Ordinationis Latinorum, porrectionem inſtrumentorum, verbaque ſolemnia tunc pronuntiari ſolita; in materiam ſimiliter & formam Græcarum Ordinationum, quidquid ſolemne ab iis agitur, ſed hæc valere tantùm volunt in Eccleſiis propriis, id eſt, Græcos Græco more ordinatos Sacerdotio validè donari; Latinos multò magis à Latinis ordinatos: Verùm Latinum Græco more, & Græcum Latino invalidè ordinari; Latinum ritum in gratiam Latinæ Eccleſiæ, Græcum in gratiam Græcæ antiquitus inſtitutum eſſe. Hanc ſententiam amplectuntur Innocentius IV. in titul. de baptiſmo & ejus effectu c. 2. n. 45. Felinus in cap. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtit. n. 26. & alii Canoniſtæ cum de baptiſmo verba faciunt. Hallerius de ſacris ordinat. ſect. 2. cap. 2. art. 2. §. 6. Præpoſitus ubi de forma Epiſcopatus n. 109. Parum mihi probatur iſta conciliandi methodus: Quanquam enim nonnulli Pontifices, ut Celeſtinus III. & alii rituum commixtionem prohibuerint, Ordinationem tamen datam non pronuntiarunt irritam, ſed contra decretis ſuis ſuppoſuerunt validam & ratam. Vide quæ de hac quæſtione ſcripſimus cap. 2. primæ partis hujus operis.

XIV. Scholaſtici plurimi, præſertim recentiores, etiam Præpoſitus & Hallerius jam laudati, aliam reconciliationis viam ineunt mea ſententia multò probabiliorem. Opinantur enim Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nonnullorum ſacramentorum materias & formas generaliter tantùm inſtituiſſe; earum verò determinationem & deſignationem Apoſtolorum & Eccleſiæ autoritati & prudentiæ commiſiſſe: Atque hinc materiarum & formarum varietatem fluxiſſe; dum Eccleſia Græca has materias & formas in ſpecie, Latino verò iſtas, unaquæque pro ſibi conceſſa poteſtate, definivit. Si enim Chriſtus eas definiiſſet in hypotheſi, eædem eſſent apud omnes Catholicos, atque etiam apud pleroſque Hæreticos qui hæc myſteria ut ſacramenta colunt, ut in baptiſmo & Euchariſtia videre eſt, quorum materiam Catholici omnes, & Hæreticorum magna pars eandem confitentur, & amplectuntur. Hanc ſententiam fuſè explicavimus, & autorum plurimorum teſtimoniis demonſtravimus lib. 8. de ſacramento Pœnitentiæ cap. 17. ubi multos autores retulimus antiquos & recentiores, Innocentium IV. Rebuffum, Angelum, Felinum, Decium, Jacobum Cardinalem de Vitiraco, Summam Manuſcriptam Petri Cantoris, Symeonem Theſſalonicenſem Archiepiſcopum in Libro Manuſcripto de Sacramentis, Alexandrum Halenſem multis locis, Cardinalem Bellarminum, Petrum Arcudium, Philippum Gamachæum, Franciſcum Hallerium, Chamærotam, Præpoſitum, & Cardinalem Lugonem, qui nonnullos alios ad eandem ſententiam comprobandam referunt. His igitur omnibus prætermiſſis brevitatis cauſa, Nicolai Iſamberti viri clariſſimi, tota Gallia celeberrimi qui plurimos annos Theologiam regiis ſtipendiis magna cum fama & hominum concurſu Pariſiis publicè docuit, ſententiam mihi antea non lectam hîc enarrare ſufficere exiſtimo. Omnium fuſiſſimè eam explicat, & explicando nonnulla conſectaria aſſumit quæ comprobant, & plurimum illuſtrant ea quæ ſequentibus Exercitationibus nobis ediſſerenda ſunt.

XV. Illius igitur ſententia, ut & aliorum eſt, Chriſtum nonnullorum ſacramentorum, ſed potiſſimum Ordinis hanc vel illam materiam in particulari non inſtituiſſe, ſed hanc autoritatem Eccleſiæ commiſiſſe. Inſtituiſſe tantùm ut Eccleſia ſenſibile aliquod eligeret, per quod poteſtas tradenda ſignificaretur, & cujus traditione poteſtas ſignificata traderetur. Itaque in poteſtate eſt Eccleſiæ hoc vel illud ſenſibile eligere cujus traditione poteſtas Sacramenti

cramenti conferatur. Eodem modo de forma colligendum. Instituit Christus ut verba formæ hoc significarent: Nunc autem quæ debeant esse illa verba, Latina, Græca, Hebræa, Gallica, Hispanica, quáve ratione significare debeant, non definivit Christus, sed Ecclesiæ definiendum reliquit. Unde præcisius loquendo id quod in materiis & formis materialiter se habet, instituit Ecclesia, id est, ipsum individuum sensibile; quod verò formaliter, id est, significatum, instituit Christus. Propositionem suam sic enuntiat, *Christus Dominus instituendo Ordines, determinavit tantum eorum materias in genere, nimirum ut ea esset legitima cujuslibet Ordinis materia quæ existens sensibilis, sui traditione debitè & sufficienter facta tam ex parte Ministri, quam intentionis significaret tunc de facto potestatem talis ordini propriam dari ei qui materiam illam sensibilem, seu signum istud sensibile acciperet in sua ordinatione. Particularem autem istius signi determinationem, seu imponere, & veluti affigere significationem practicam illius potestatis huic vel illi rei sensibili in particulari reliquit faciendum Ecclesiæ, prout & quando illa judicaret esse conveniens.* Illius propositionis singulas partes sigillatim probat.

XVI. Longum esset & importunum probationes integras huc referre: Apud autorem ipsum legantur. Quædam tantùm in scopum nostrum seligemus. Tribus exemplis hanc sensibilis particularis mutationem demonstrat. Primùm in subdiaconatu qui olim, ut ait, ab Apostolis per manuum impositionem, & verba manuum impositioni conjuncta conficiebatur, quod probat autoritate Constitutionum Clementis, *Quod Apostoli*, inquit, *loquantur ibi de impositione manuum quæ sit essentialis istis ordinationibus patet, Tum quod ibi agant ex professo de illis, ut ex simplici lectione patet; tum ex eo quod isti impositioni manuum conjungant benedictionem consistentem in quibusdam verbis tanquam illarum forma quæ tunc Episcopus ordinans proferre debet, &c.* Nunc autem constat ex praxi Ecclesiæ, & Concilio Carthag. Subdiaconos per manuum impositionem non amplius ordinari.

XVII. *Probatur*, inquit, *eadem mutatio in Presbyteratu.* Probat enim autoritate ejusdem Clementis, & Concilii IV. Carthag. manuum impositionem Episcopi, & Presbyterorum Assistentium fuisse tunc Presbyteratus materiam, & precationem illius formam, *Quæ tamen*, ait, *impositio manuum Episcopi & Presbyterorum assistentium nunc est tantum accidentalis quædam ceremonia ordinationis Presbyteralis dispositiva, & non sacramentalis, ut expressè notat S. Thomas 3. parte q. 35. art. 3. & docet communis sensus Doctorum. Quod autem Concilium ibi assignet istam impositionem manuum tanquam essentialem ordinationi Presbyterorum patet, &c.* Essentialem autem tunc fuisse, & à Concilio essentialem haberi multis argumentis demonstrat; tandemque concludit, *Igitur cum hoc nostro tempore hæc impositio manuum sit tantum accidentalis, & illa posterior quæ fit a solo Episcopo simul dicente ei quem ordinat, Accipe Spiritum S. Quorum, &c. sit nunc essentialis, ut supra ostendimus, aliqua mutatio est facta per Ecclesiam in ista materia Ordinum.* Verum equidem est S. Clementem & Concilium Carthagin. credidisse illam manuum impositionem esse Presbyteratui substantialem: Sed S. Thomas, aut si quis alius est qui substantias Ordinum in instrumentorum porrectione primùm constituit, non credidit illam manuum impositionem esse substantialem. Hoc si mentem ipsius insedisset, eam à substantia Presbyteratus nunquam eliminasset. Credidit ille, & qui eum secuti sunt, manus illam impositionem esse Ordini accessoriam, & ad illius substantiam nullo modo pertinere. Id eodem modo & una opera de Diaconatu demonstrat Ysambertus, substantialem scilicet illi esse manus à solo Episcopo impositionem. Denique præcedentibus hæc addit, *Christus Dominus non determinavit formas sacramentorum Ordinis, vel alterius cujuscumque sacramenti immediate in particulari quoad suum materiale, ut supra observavimus, & admittunt communiter omnes Theologi, docetque ipsa praxis Ecclesiæ. Igitur neque istas ordinum materias Christus Dominus determinavit in particulari, sed Ecclesia.*

XVIII. Philippus, Gamachæus alterum dum viveret Sorbonæ lumen, his planè affinia scribit in fine cap. 4. de Sacramento Ordinis. *Respondemus*, inquit, *potuisse hoc modo materiam Diaconatus immutari quoad aliquid, prout exigebat temporis opportunitas, vel necessitas, &c. Neque hæc mutatio facta fuit autoritate humana, sed divina, quatenus Christus docuerat Apostolos se instituere hanc materiam Sacramentorum quæ esset temporibus conveniens, & quam vel Apostoli ipsi postea judicarent, vel Ecclesia futuris seculis declararet: sic etiam fere videmus in matrimonii sacramento aliam fuisse olim materiam quam nunc post Concilium Tridentinum, quod clandestinas nuptias fecit omnino invalidas & nullas. Sic etiam probabile Apostolos aliquando administrasse sacramentum Confirmationis per solam manus impositionem absque ulla unctione Chrismatis, ut suo loco notavimus; hodie verò sublata unctione nullum esset tale sacramentum.*

XIX. Admissâ hac distinctione, & iis quæ assumit Ysambertus, nulla supereſt amplius difficultas, nec in varietate quæ conspicitur inter Latinos & Græcos comparanti utriusque gentis ordinationes; nec in varietate quæ conspicitur inter Latinos solos comparanti antiquos eorum rituales cum recentioribus. Semper enim erit in promptu, & usque quaque recurret ad unamquamque innovationem, vel factam, vel faciendam, Christum materias & formas quorumdam sacramentorum in genere tantùm instituisse, & universaliter decrevisse sensibile quoddam pro materia esse ab Ecclesia assignandum, quod ex usu gentis potestatem significaret quam tradit per illius sensibilis applicationem: Hoc autem vel illud sensibile in individuo Ecclesiam illis seculis secundum potestatem a Christo acceptam assignasse pro materia: illis verò seculis, atque etiam nunc aliud sensibile, sive aliam materiam optimis de causis substituisse; vel declarando priorem esse tantùm nunc accidentalem, posteriorem autem substantialem; vel priorem & antiquam prorsus abrogando.

XX. Si-

XX. Similiter ad cujuſlibet innovationis & mutationis materiæ vel formæ oppoſitionem, reponentur hæc Franciſci Hallerii verba, de materia & forma Ordinationum art. 1. c. 2. §. 21. ſect. 57. *Negandum eſt materias Sacramentorum Pœnitentiæ, Ordinis, ac Matrimonii ab Eccleſia variatas eſſe in ea ratione formali ſecundum quas à Chriſto inſtitutæ ſunt Sacramentorum materiæ. Negandum in diverſis Eccleſiis eas ſecundum illam rationem eſſe diverſas; quamvis materialiter, ut ita dicam, & ut res quædam in ſe ſunt, nec per reſpectum ad ſacramentum cujus ſunt materia conſiderentur, & variatæ fuerint, & in diverſis Eccleſiis diverſæ ſint &c. Alio ritu Græci, alio Latini ordinant, alio à nobis ritu hoc tempore, alio primis Eccleſiæ ſeculis Ordinationes peractæ ſunt, manente ſemper eadem materia, ut eſt ſignum ſpiritualis poteſtatis traditæ, quamvis diverſa ſit, prout diverſæ res ad hanc poteſtatem ſignificandam aſſumptæ ſunt.* His doctiſſimorum hominum ſolutionibus bene ſe res habet. Plura nacti ſumus quàm quærebamus; inſtar delphici gladii verſatiles ſunt.

Ἀμφότερον, κινεῖται βοῦν, ἓ μέτρον ἀρούρης.

XXI. Denique Lector, ut mihi videtur, in animum ſuum facilè inducet eos qui ita de Ordinationibus philoſophantur, approbaturos eam ſententiam quæ aſſereret Eccleſiam poſſe Ordinationibus faciendis conditiones affigere quarum prætermiſſio Ordinationem faceret irritam & iterandam. Conditiones enim illæ materiam Ordinationis tantùm afficiunt. Sanè ſi poteſtas Eccleſiæ antiquam Ordinationum materiam abolere potuit, aliamque ſubſtituere, multò magis potuit eam conditione irritante appoſita reſtringere, aut ſublata, latius diffundere.

Longè enim incredibilius eſt Eccleſiam poſſe materiam ab Apoſtolis aſſignatam & introductam tollere, aliamque ſubſtituere; aut eam tolerando & uſurpando illius ſtatum immutare, & de ſubſtantiali, ut Apoſtoli & antiqui Patres conſtituerant, accidentariam facere; quàm eandem venerando ſemper, & inviolatè conſervando, in ſuo ſtatu ut ſacroſanctum, id quod Apoſtoli voluerunt eſſe ſacramento ſubſtantiale, poſſe ei conditiones apponere, quibus violatis non ſecus ac ſi eſſent ab Apoſtolis appoſitæ, ordinatio eſſet irrita & inanis, ob ſpretam Eccleſiæ autoritatem, ad quam traditionis Apoſtolicæ conſervatio jure divino pertinet.

XXII. Nolim inſuper iis omnibus quæ hac in cauſa ſentit Iſambertus, aſſentiri, licet ſic ſentientes facilè feram; eo quod iſta ſententia viros magnos habeat autores. Multo minus approbarim quod articulo ſequente demonſtrare conatur, idem eſſe de cæteris ſacramentis dicendum, cùm multorum materias & formas Chriſtus in ſcripturis ſpecificè & in hypotheſi deſignaverit. Diſtinguit equidem eo quod videat paritatem in omnibus ſe aſſequi non poſſe: ſed malo ingenii mei tenuitatem acculare, quod iſtis diſtinctionibus intelligendis hebeſcit, quàm viri de Eccleſia bene meriti ſententiam condemnare.

XXIII. Martinus Becanus Societatis Jeſu Theologus in Germania & Gallia celebris, parte 3. Theologiæ Scholaſticæ. c. 26. de ſacramento Ordinis quæſt. 4. alio modo hanc varietatem conciliat. Sententia ipſius eſt materiam & formam Ordinationis eſſe duplicem, unam à Chriſto inſtitutam, aliam ab Eccleſia, & alterutrius defectu, ſed prioris potiſſimum, Ordinationem reddi irritam & iterandam. Sic enim reſpondet primo argumento quo concludebatur ſolam porrectionem inſtrumentorum eſſe eſſentialem, eo quod Concilium Florentinum nullam aliam aſſignet. *Concilium*, inquit, *Florentinum in inſtructione Armeniorum ſolum meminit materiæ accidentalis quæ ab Eccleſia fuit inſtituta, non autem ſubſtantialis, quam Chriſtus præſcripſit: Quia hæc ex ſcripturis & antiquis Patribus erat ſatis cognita, non autem illa. Addo, ſi hoc argumentum valeret, poſſe optimè retorqueri ita; Antiqua Concilia non aſſignant aliam materiam niſi impoſitionem manuum. Ergo, &c. Nota antiqua Concilia aſſignaſſe materiam à Chriſto inſtitutam; Florentinum verò materiam aſſignaſſe, quam Eccleſia introduxit.* Objectionem è Concilio Florentino eodem modo diſſolvit Gamachæus c. 4 §. *Secundò probatur.* Ludovicus Meratius aliter reſpondet, *Concilium non ſuſcepiſſe ex profeſſo declarandam accuratè ſingulorum Ordinum materiam & formam totalem ac integram, &c. ſed ſolum per cujus rei traditionem poteſtas Ordinis conferretur* diſput. 7. ſect. 2. Iſambertus utramque ſolutionem conjungit, diſput. 3. art. 3.

XXIV. Quærit autem ea quæſtione Becanus, an impoſitio manuum ſit de eſſentia Ordinis. Duplicem opinionem de hac quæſtione refert: Priorem, *ſolam porrectionem inſtrumentorum eſſe materiam eſſentialem*: Poſteriorem, *non ſolam inſtrumentorum porrectionem, ſed etiam manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem.* Poſteriorem amplectitur Becanus, & multis argumentis confirmat. Objectionem autem contra hanc ſententiam ab autoritate Concilii Florentini petitam, quod impoſitionis manuum nullam facit mentionem eo modo ſolvit quem retulimus. Itaque ſentit utramque materiam, & à Chriſto & ab Eccleſia inſtitutam eſſe eſſentialem; alterutriuſque conſequenter omiſſionem, niſi ſuppleatur, Ordinationem reddere irritam. Opinatur enim Becanus Sacramentorum efficientiam Moralem eſſe, non Phyſicam, quæ exiſtentiam & præſentiam cauſæ ſemper requirit. Deinde ſecundam concluſionem ſuam his effert verbis, *Hoc tempore confertur hæc duplex poteſtas* (ſacrificandi & abſolvendi) *cum duplici ceremonia externa, & cum duplici forma verborum &c.* Hoc tempore, inquit, ut doceat hoc non ſemper ità factum eſſe, ſed ab Eccleſia poſteriùs inſtitutum. Eandem ſententiam multis ante Becanum ſeculis docuit Alexander p. 4. Summæ q. 9. membro 1. membro quoque 2. ejuſdem quæſtionis art. 2. §. 1. reſp. ad 1. & §. 3. reſp. ad ultimum, diſtinguit inter formas Sacramentorum à Deo inſtitutas, & ab Eccleſia. *Quæ enim* inquit, *ab homine ordinata ſunt, ab homine poſſunt mutari: Quæ autem à Deo inſtituta ſunt, non niſi diſſante Deo de-*

debent mutari. Vide iterum quæ ſcribit q. 5. memb. 3. art. 2. §. 3. S. Bonaventura illius diſcipulus eadem docet, in 4. d. 7. art. 1. q. 1. art. quoque ſequente, & novis rationibus confirmat.

XXV. Ex iſta ſententia non ſecus quàm ex præcedente ſponte conſurgit, Eccleſiam Ordinationibus conditiones ponere poſſe quarum prævaricatio Ordinationis actionem reddit irritam & inanem: materia enim quam Becanus vocat accidentalem non ſecus ac ea quam Chriſtus immediatè præſcripſit, Ordinationi eſt ſubſtantialis, ejuſque omiſſio Ordinationem facit inanem, ſaltem quoad ad effectum formalem qui ex illa materia & forma producitur. Verbi gratia, omiſſio iſtorum verborum in Ordinatione Presbyteri, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. & impoſitionis manuum, efficit ut Presbyter ordinatus careat abſolvendi poteſtate, ſitque velut ſemiordinatus, ſacrificationis potens non abſolutionis; ſic omnes Theologi qui hanc partialem materiam admittunt uno conſenſu decernunt. Itaque accidentalis illi dicitur, eo quod formis & materiis à Chriſto conſtitutis ex Eccleſiæ decreto advenerit. In rebus enim moralibus quæ ex hominum conſtitutione pendent, quæ poſteriùs ex eorum decreto rei conſtitutæ adjunguntur, in rei ſubſtantiam non minus quàm priores coaleſcunt. Eadem ratione antiqui Patres permulti credidiſſe videntur Presbyterorum & Epiſcoporum Ordinationem iterandam eſſe quæ ſecundum canones non fuiſſet celebrata, licet regulæ ordinationum ab antiqua traditione inſtitutæ in ea fuiſſent obſervatæ. Ut enim non ſufficit illis Theologis antiquum ritum ab Apoſtolis introductum obſervare; ſed etiam neceſſe eſt poſteriorem ab Eccleſia decretum non negligere; ita pari ratione antiquorum Patrum multi Ordinationes rejecerunt contra canonem aliquem celebratas. Omnes iſtæ recentiorum Theologorum conciliationes, & antiquorum illorum Patrum actiones uno & eodem fundamento nituntur; nec ovum ovo, nec lac lacti ſimilius mihi videtur.

XXVI. Franciſcus Hallerius paragrapho jam citato comparat materiam Ordinationum cum materia ſacramentorum Pœnitentiæ, & Matrimonii. Trium, inquit, iſtorum ſacramentorum materias in genere Chriſtus præſcripſit, peculiarem determinationem Eccleſiæ reliquit. Peccata in genere conſtituit, Confeſſionis materiam, & Confeſſoris juriſdictioni ſubjecit. *Ut autem hæc vel illa peccata hujus vel illius Confeſſarii cognitioni ac juriſdictioni relinquerentur, vel ad majus tribunal referrentur; arbitrio Eccleſiæ reliquit. Materiam Sacramenti Matrimonii conſenſum legitimum ſtatuit: Utrùm autem conſenſus eſſet legitimus, qui foret clandeſtinus, vel non, Eccleſiæ judicio ſubjici voluit. Ordinationis quoque materiam præſcripſit, ritus quibus poteſtas ſpiritualis traderetur, ac ſignificaretur: Ritus autem iſtos præſcribendos Eccleſiæ reliquit, qui ſingulorum Ordinum officia, vel potiſſima, vel magis uſitata, aut notiora ſignificarent.* Ex ſententia igitur iſtorum Doctorum Ordinationi convenit ut illius materia coarctetur, vel amplietur ab Eccleſia pro perſonarum, locorum, & temporum ratione; non ſecus quàm id ab Eccleſia in peccatorum reſervatione, & matrimonii impedimentis fieri videmus.

XXVII. Hac doctrina poſita ſequitur inſuper conditiones Ordinationibus ab Eccleſia poſitas, ab eadem tolli poſſe, ut æquum & utile judicaverit. Hinc nihil mirum ſi multi canones ſecundùm quos olim Ordinationes celebrari debebant, non amplius vigent, habenturque nunc aliquæ ordinationes ratæ quas olim Patres noſtri irritas pronuntiaſſent. Ad eandem enim poteſtatem pertinet leges ferre, & eas reſcindere. Nec etiam mirari debet Lector, ſi nonnunquam apud antiquos legat diverſis temporibus in pari cauſa has Ordinationes admiſſas fuiſſe, iſtas repudiatas, prout Eccleſia id judicavit ad pacem conciliandam neceſſarium. Quum enim aliquid contra canones factum eſt, ab Eccleſiæ prudentia pendet illud in integrum benigna diſpenſatione reſtituere, aut irritum declarare. De hac Eccleſiæ œconomia pluribus agemus in fine Exercitationis quintæ.

XXVIII. Nonnulli eorundem autorum de quibus jam verba fecimus, quintam conciliandi Græcos cum Latinis rationem invenerunt quæ magis illis placet quàm præcedentes; quamquam mihi ad eam diligenter attendenti videatur eadem cum aliis commoda & incommoda ferre. Eam eminentiſſimus Cardinalis Lugo his verbis explicat loco citato n. 98. *Verior ergo & planior conciliandi modus eſt, quem ſupra inſinuavimus, Eccleſiam Latinam retinuiſſe itaque priſcum illum ritum ab Apoſtolis introductum ordinandi Sacerdotem per manus impoſitionem; illam tamen materiam magis explicitam reddidiſſe adjungendo traditionem panis & vini, quod Græci non faciunt: ita ut ex manus impoſitione & traditione panis & vini fiat una integra materia magis explicita cum forma quæ tunc profertur, explicante poteſtatem ſolam ad ſacrificandum. Poſtea verò adhibetur iterum alia manus impoſitio cum altera forma explicante poteſtatem ad abſolvendum*, &c. Explicatio illa materiæ latiſſima eſt, & quod libuerit complectitur. Itaque hic explicandi modus autoritatem tradit Eccleſiæ quodlibet de ordinationibus ſtatuendi. Quod enim ſtatuit ſeculo præterito, ut implicitum nimis, per aliud quodcumque libuerit hoc ſeculo explicare poteſt. Quemadmodum manuum impoſitionem magis explicitam reddidit, ei addendo porrectionem calicis & patenæ cum pane & vino; ſic & æquo cum jure per quodlibet aliud hoc magis explicare poteſt. Una hæc eſt ex conciliationibus à Gravina adinventis, *Græci*, inquit *manus imponunt; in manuum impoſitione autem inſtrumenta explicitè continentur. Implicitè igitur & virtualiter tangunt Græci: explicitè & formaliter Latini. Inſtrumenta enim in manu, ut in organo organorum continentur.* Mihi videtur impropriè admodum implicitum hac ratione explicari, cum ſua vaſtitate, quidquid libuerit, complectatur.

XXIX. Sed non opus eſt tanto conatu in eam conciliationem incumbere: Hoc

videtur nihil aliud esse quam ignem gladio dissecare. Si ordinationes istas in ipsa origine, ut initio capitis fecimus, consideremus, eadem comparebit utrobique materia, eadem forma; nec ullum effulgebit in eis momentosum discrimen, donec eas cum Scholasticorum dictatis comparaveris. Ut hoc lector penitùs intelligat, illum duo præscire necesse est, quæ eo libentius enarrabimus, quo evidentius eorum magna pars quæ sequentibus Exercitationibus, nobis dicenda sunt, iis ut fundamentis nititur. Prius est, Ordinationes ab Episcopo Catholicam communionem integram habente factas secundum Pontificale Romanum, validas esse & legitimas, ad fidem omnino pertinere: Sed in his verbis Pontificalis inest materia vel forma istius vel hujus ordinationis, non autem in illis, disputationem esse Scholasticam, de qua quisque pro prudentia sua & doctrina pronuntiat, nisi forsan aliquid eorum quæ in Scholis disputantur, jam definierit Ecclesia. Quocirca his Scholasticorum pronuntiatis tantum creditur, quantum argumentis demonstratur. Discrimen autem quod inter Ordinationes Latinas & Græcas deprehenditur; inter Latinas quoque antiquas & recentiores, ex rebus ipsis non oritur, sed ex præpostera quorundam Scholast. electione, qui Ordinationum Græcarum & antiquarum Latinarum ignari, ea verba in Pontificali selegerunt quibus materias & formas Ordinationum affigerent, quæ in antiquis Latinis Pontificalibus omnibus desunt, & posterioribus seculis à Conciliis aut Pontificibus addita sunt. Quare nihil mirum est si lapsu temporis cognitis Græcis Ordinationibus chasma maximum inter utrasque conspexerunt, & permulti nihil de suis materiis & formis in iis notare potuerunt. Quid enim Ordinationibus Græcis cum instrumentorum porrectione commune est? Cum autem posterioribus Scholasticis quibus tantum discrimen cognitum fuit, religio esset universam Orientalium Ecclesiam condemnare, ideo omnem lapidem moverunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut Latini cum Græcis in gratiam redirent, easque omnes inundæ pacis conditiones quas explicavimus proposuerunt. Verum cùm nunc certum sit, recentiores Græcorum Ordinationes nec ab antiquis Græcis, nec ab antiquis Latinis substantialiter differre, supervacaneus mihi videtur labor, licet antea laudandus, animum his conciliandis anxium diutius affligere. Hæc Pontificalis verba dixerunt materiam vel formam Ordinationis continere. Digitum paulò altius moveant, cumque in alia Pontificalis verba intendant, tunc omnis contentio sedabitur, & disputationis calor defervescet. Pronuntiatum enim Scholasticum cum ritu Græco pugnat, non ritus Latinus.

XXX. Posterius quod lectorem præscire necessarium judicamus, est, Pontificale Romanum hodiernum omnia complecti quæ habent anteriora Pontificalia: Sed anteriora Pontificalia non omnia complectuntur quæ Pontificale Romanum hodiernum. Nonnulla enim recentioribus Pontificalibus propter varias causas pias & religiosas addita sunt, quæ ab omnibus antiquis absunt. Et quo Pontificalia recentiora sunt, eo magis hoc in iis elucet. Fons igitur & origo varietatis hæc est, quod Scholastici habentes tantùm præ oculis sui seculi Pontificale, inconsultis Græcis Pontificalibus & antiquis Latinis de materiis & formis Ordinationum pronuntiarunt. Ita autem aliquando eorum multis hoc præpostera cessit, ut relicto antiquo & Apostolico ritu religiosè in hunc usque diem conservato in iis religiosis additamentis materias & formas Ordinationum collocaverint. Illorum postea successores ea sententia imbuti & occupati spinas plurimas & acutissimas quæ nullæ erant, in Græcis Ordinationibus sese videre crediderunt. Hoc autem solemne est, & admirandum in omnibus antiquis codicibus, recentioribus, & hodiernis, quod una semper est verbis & rebus Ordinationis forma, nihilque posteriores omittant eorum quæ priores nobis exhibent. Itaque nullo modo differt hodierna Ordinandi formula, nec re, nec verbis, ab ea quam antiqui Patres observarunt. Si quis tamen contendat ad substantiam Ordinationis pertinere quæ Scholastici adnotarunt, contrà contendere nolim, cùm hoc ipsum Ecclesia præstare potuerit. Hoc tantùm asfero, mihi probabile videri, non esse necesse ad conciliandas Græcorum Ordinationes cum Latinis, ad tam operosas distinctiones confugere, nec terminos ab antiquioribus Scholasticis positos loco movere.

CAP. II.

Varia χειροτονίας apud Græcos, & Ordinis apud Latinos significatio discutitur. Quid propriè χειροτονία Græcis Christianis. Hæc dictio vix in novo Testamento occurrit, in Ritualibus Græcis perpetua. Aliquando χειροθεσία idem. Ea noluit uti S. Dionysius, ut nec aliis vulgaribus vocabulis. Rarissimè electionem significat. Ordo definitur, & ipsius potestas dividitur. Ordinum numerus varius. Ordines majores, minores, sacri, non sacri.

DOctrinæ tradendæ methodus à nobis nunc expostulare videtur, ut Ordinem & Ordinationem de quibus tam multa in præcedentibus dicta sunt, definiamus & distribuamus, antequam quæstionis dubias & obscuras explicare aggrediamur, licet hujus rei scientia sit in scholis vulgatissima, & nemini, ut ita dicam, non cognita. Ordo Latinè significat aptam & decoram rerum variarum collocationem & dispositionem; istaque significatio est communissima. Unde Cicero dixit, *rationem ordinis & disponendarum rerum quærere*; & alibi, *Cum admiraretur Lysander & præceritates arborum, & directos in quincuncem ordines.* Virgilius, *insere nunc Mebbæe pyros, pone ordine vites.* Ovidius, *Triplici stant ordine dentes.* S. Augustinus l. 9. de civitate Dei c. 13. hanc Ordi-

Ordinis apud Latinos vulgatiſſimam ſignificationem deſcribit, *Partium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuentem diſpoſitionem.* Ideo vulgò ferebant multi Platonici, pulchritudinem ex ordine efflorescere; ita ut ex eorum ſententia nihil aliud eſſet pulchritudo quàm ſplendor quidam gratioſus ex convenienti partium diſpoſitione effulgens, qui ſenſibus & animo ſeſe objiceret, eumque ad ſe ſuaviter alliceret. Hinc apud eos tritum axioma præcedenti affine, Bonitatem eſſe in centro, pulchritudinem in circulo.

II. Secundò ſumitur Ordo, & Latinè, pro hominis ſtatu & dignitate quæ ipſi cum multis aliis communis eſt. Eo ſenſu dicitur ordo ſenatorius, ordo equeſtris: Ordinem publicanorum dixit Cicero. Ita qui vulgò dicuntur tres ſtatus, Eccleſiaſticus, nobilis, & plebejus, Latinè loquentibus tres Ordines dicuntur. Tertia ſignificatio Chriſtianorum eſt propria, & ad ſecundam proximè accedit: Eſt enim Ordo, ſtatus quidam & dignitas hominum qui conſecratione quadam pollentes, ſacerdotio apud Chriſtianos fungi poſſunt; aut deſtinatione & benedictione quadam conſecrati jus habent ad miniſterium aliquod in ſacerdotii functione exercendum. Verùm nec in ea ſignificatione Ordinem hìc ſumimus, ſed pro actione qua homo in eum ſtatum allegitur, & cooptatur. Actio autem illa eſt quædam benedictio & conſecratio verbis & cæremoniis præſcriptis concepta. Itaque propriè magis Ordinatio dicitur quàm Ordo. Illa enim actionem ſignificat, hic verò propriè ſtatum ad quem actione illa pervenitur. Nobis autem præcipuè propoſitum eſt de actione diſſerere, ſive de conſecratione qua ad ſtatum illum, ſive ad unumquemq; ordinem aſcenditur & pervenitur.

III. Græcis Ordines illi, ſive Ordinationes vocantur vulgatiſſimo nomine χειροτονίαι non modo ſanctis Patribus, ſed etiam Ethnicis uſitatiſſimo. Duo ſignificat: Prius originatione ſua, electionem, deſtinationem; Poſterius conſecrationem, ordinationem. Eſt enim propriè χειροτονία manus extenſio & porrectio, ἀπὸ τῦ χεῖρας τείνειν, ſeu χεῖρας τείνειν, manus extendere. Hinc χειροτονία apud autores exoticos ſuffragium dicitur, eo quod antiquitus apud Græcos ſuffragia manus elevatione, ſeu in altum extenſione & porrectione ferrentur, & χειροτονίᾳ κρατεῖν, *ſuffragio vincere*, χειροτονίᾳ ἀγχώμαλον εἶναι *ſuffragio prope æqualem eſſe.* Græcum hunc morem expreſſit Cicero pro Flacco, *Data Concio Lælio eſt, proceſſit ille, & Græcus apud Græcos non de culpa ſua dixit, ſed de pœna queſtus eſt. Porrexerunt manus, Pſephiſma natum eſt.* Inde apud eos χειροτονεῖν Magiſtratum creare, conſtituere, decernere. Bis Sacra Scriptura novi Teſtamenti eo verbo uſa eſt, & utramque ſignificationem uſurpavit. Occurrit primò hoc verbum Act. 14. v. 23. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν *conſtituentes illis Presbyteros per ſingulas eccleſias.* Deinde 2. ad Corinth. c. 8. 19. v. ubi quidam Sancti Pauli comes dicitur χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν, electus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ; itaque priori loco poſterior ſignificatio, & poſteriori prior uſurpatur.

IV. Autoribus Græcis Chriſtianis, & Ritualibus, antiquis, hodiernis, ſi unum Dionyſium excipias, frequentiſſimè & vix aliter accipitur quàm pro ſacra illa actione qua quis ſacerdotio inauguratur, vel aliquo alio miniſterio ad ſacerdotium ſpectante. Unde propriè χειροτονία eſt ipſa Ordinatio, καθιέρωσις, Conſecratio. Quoniam autem Conſecratio illa in manuum impoſitione potiſſimùm conſiſtit, ideò χειροθεσία Patribus aliquando dicitur. Sed frequentiſſima eſt eo ſenſu Cheirotonias appellatio. Omnium Ordinationum Græcarum titulus eſt, τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ ἀναγνώσου, id eſt, *Ordo*, ſive, *ritus obſervandus in Ordinatione Lectoris.* Hinc χειροτονεῖν, χειροτονούμενος, χειροτονηθείς, *ordinare jam jam ordinandus*, vel, *qui jam ordinatur, ordinatus*; Verba in Patribus, & canonibus frequentia, ſed in Ritualibus, ubi de Ordinatione agitur, perpetua. Dionyſio cui ſolemne eſt nunquam arctè loqui, illud verbum vileſcit, ideò fruſtra apud illum requires. Mavult dicere ἱερᾶλικὴν τελείωσιν, ἀποπλήρωσιν, διακόσμησιν, τελεταρχικὴν τελεσιουργίαν τελῶσῃς, ταῖς παναγεστάταις ἐπιπλήσεσιν ἱερατελῶσῃς, & ejuſmodi grandia & magnifica verba; ita nec illi placent Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi nomina, & ut plebeja, & vilia nimis, ἀποῤῥαπίζει, ut ipſius verbo utar; fuſte ab univerſo tractatu ſuo de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis fugat: Verùm Monachorum nomen, & ab eo conjugata, viſa ſunt ei digna quæ verborum ſuorum pompam ornarent.

V. Rariùs Græci nomine χειροτονίας pro Electione utuntur. Reperire tamen eſt in ea ſignificatione, Ut in cap. ex 2. ad Corinth. jam enarrato. Concilii Nicæni c. 4. ita neceſſariò explicari debet, ut teſtatur Zonaras in hunc canonem: ſic & canon Antiochenus 19. eodem teſte, ut & Laodicenus quintus, *Non oportet χειροτονίας fieri in præſentia eorum qui audiunt.* Nam, ut ait, in electionibus crimina Electorum à Pontificibus denudantur, quod publicè non fieri conſentaneum eſt. Eundem Zonaram iterum legito in canonem primum Apoſtolicum, ubi utramque ſignificationem dilucidè explicat. Syri nomen Græcum retinuerunt, eandemque conſecrationem Cheirotoniam nomine apud eos vulgatiſſimo, vocarunt, ut videre eſt in ritibus quos edimus.

VI. Ordinem ſeu potius Ordinationem, ut à nobis jam explicata eſt, varii variè definiunt, in eundem tamen finem omnes conſpirant; alii tantum expreſſiùs aliis Eccleſiæ mentem aperiunt. Hæc deſcriptio, ſeu mavis, definitio commodiſſima nobis viſa eſt, qua definitur, *Sacramentum quo poteſtas quædam Spiritualis ſignificatur & traditur ſpectans ad ſacroſanctum Corpus Chriſti conſecrandum.* Hæc definitio generalis eſt, & omnes Ordinationes complectitur, ſed primò & perfectè ſacerdotium. Eo enim revera traditur conſecrandi corporis Chriſti poteſtas, quæ omnium Ordinationum finis eſt ultimus, cujus gratia inſtitutæ ſunt. Completur autem & perficitur illa poteſtas ſacerdotii collatione, ad quam ſuſcipiendam cæte-

ræ pro modulo ſuo ſacerdotem futurum præparant & diſponunt Notabit autem lector duplicem eſſe ſacerdotis poteſtatem, primò & per ſe ipſi qua ſacerdos eſt convenientem: Una in Corpus Chriſti verum, altera in Corpus Chriſti myſticum. Illâ Corpus Chriſti verum ſacrificatur; hac Corpus ipſius myſticum, id eſt, Eccleſia, gubernatur. Non minus enim eget Eccleſia ſacerdote ut regatur & defendatur, quàm ſacrificio ut nutriatur. Hoc docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. cum ait, *Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, miniſtrandi Corpus & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi.* Hæc enim verba utramque poteſtatem amplectuntur. Deinde omnes ordines, ſi prima eorum inſtitutio ſpectetur, creati non ſunt tantùm ad ſacrificium Eccleſiæ celebrandum, ſed etiam ad bonum Eccleſiæ regimen conſtituendum. Quemadmodum enim ſi ſacrificium tollas, perit omnis religio: ita ſi regimen auferas, Eccleſia non erit ampliùs Eccleſia, ſed hominum turba, quæ ut temere confluit, ſic nullo cum conſilio diſſolvitur. Iſta tamen differentia eſt, quod poteſtas in Corpus Chriſti verum ſacerdoti primò convenit, & Epiſcopis qua ſacerdotes ſunt. Poteſtas autem in Corpus Chriſti myſticum primò convenit Epiſcopo, ſacerdoti verò & aliis, quatenùs cum ipſis ab Epiſcopo canonicè communicatur: Juxta illud Pauli Apoſtoli Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* De hac poſteriore poteſtate non differunt Doctores aut illius mentionem faciunt, cùm Ordinationes explicant & definiunt; neque etiam ſcopus noſter eſt hic de ea ullo modo verba facere, cum in Ritualibus præcedentibus qui ſunt totius noſtræ diſſertationis fundamentum, expreſſè non contineatur. Intra fines igitur Ordinationis, ut ſuperius definita eſt, nos continebimus.

XXVI. Ordinationum ſic generatim definitarum vulgò ſeptem ſpecies feruntur Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. Quidam octo enumerant; his enim adjungunt Epiſcopos, & huic ſententiæ plurimum favent Rituales omnes tam Græci quàm Latini, & univerſæ prope Eccleſiæ traditio. Omnes enim Epiſcopis ordinandis conſecrationem particularem adhibent, longeque majore cum ceremonia & apparatu quam in quavis alia Ordinatione. Nonnullis placet primam tonſuram addere; Cuidam Cantores. Sic decem ſpecies Ordinatio complecteretur. Nec deſunt illis argumenta quibus ſententiam ſuam tueantur, nec deeſſent aliis qui plures conſtituere vellent. Communi enim principio uſi, dignitatibus aliis id nomen & nominis rationem poſſent indere, & communi ſolutione ab objectionibus ſe liberare. Trium mentionem facit ſcriptura, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum: Cæterorum verò quinque Patres qui ab Eccleſiæ incunabulis ſcripſerunt. Græci ab antiquiſſimis temporibus quinque tantùm uſurpant. Exorciſtas enim & Oſtiarios nec ipſi habent, nec nobis repræſentant eorum Rituales, licet antiquiſſimi. Agnoſcunt tamen eos in quibuſdam Eccleſiis ab antiquo uſurpatos fuiſſe, nec uſurpantes unquam reprehenderunt. Maronitæ verò novem habent ritibus conſecrationum diſtinctiſſimos, quos novem Angelorum choris comparare ſolent: Pſaltas ſcilicet, Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Archidiaconos, Presbyteros, Archipresbyteros, Chorepiſcopos, Epiſcopos. Ordinum iſtorum alii dicuntur majores, alii minores; alii ſacri, alii non ſacri. Majores ſunt Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus. Antiquitus tres tantùm priores eo nomine cenſebantur; poſt modùm iis adjunctus eſt Subdiaconatus. Minores nunc & a multis ſeculis quatuor tantùm dicuntur, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarii: Græci tamen licet Subdiaconos à matrimonio contrahendo arceant, hactenus tamen diſtinctionem antiquam maximi momenti conſervarunt, ut tres Ordines priores ad altare & inter Miſſarum ſolemnia conferant, cæteros verò extra Eccleſiam in Diaconico, ſive Secretario; aut ſi in Eccleſia, extra ſanctuarium & Chorum ad portas Chori ſpecioſas, ubi Chorus Nartheci conjungitur. Sacri Ordines iidem ſunt qui Majores, & non ſacri qui minores. Nominis eſt non rei diſtinctio; diverſa tantùm conſideratione iidem Ordines dicuntur ſacri & Majores. Hæc paucis, cætera fuſè diſquirentur & definientur, ubi de uno quoque ſigillatim agemus.

CAP. III.

Qua occaſione & quando cœptum eſt Sacramenta explicare per materias & formas. Quas formas Magiſter, & Hugo à S. Victore, & alii intelligunt, quum eas in Sacramentis aſſerunt. Quam diſparem materiam ab hodierna enarrent. Quis primus diſertè hanc methodum in Sacramenta invexit. In Orientem tandem cum approbatione penetravit. Materiæ & formæ in Sacramentis, Metaphyſicæ & Logicæ intelligendæ ſunt, per analogiam ad Phyſicas ſic dictas. Quid ſi materia & forma Phyſica, & quomodo concipiatur. Ante hanc Doctrinæ methodum qua ratione explicabatur ſubſtantia Sacramentorum.

I. NIhil frequentius in Scholaſticorum ſcriptis & ſcholis occurrit, cùm de Sacramentis diſputant, quàm ſpinoſæ de eorum materiis & formis quæſtiones: Singulæ paginæ materiæ & formæ nomina reſonant, atque ad hæc nomina veluti ad ſacras anchoras confugiunt, ut iis falti Sacramentorum doctrinam explicent, & difficultates perplexas quibus aliquando ſcatet, evolvant.

evolvant. Hæc tradendæ doctrinæ ratio ſeſe præſertim in Sacramento Ordinis conſpicuam præbet. Cum enim iſtius Sacramenti minimùm ſeptem ſint ſpecies, quibuſdam octo; aliis novem, vel decem, nihil aliud in paulò expanſiore de hoc Sacramento tractatione quæri videas, quàm quæ ſit hujus ordinis, quæ ſit illius, quæ ſit alterius materia & forma. Animum eorum qui iſta legunt, ſi modo lectione Patrum & antiquorum Autorum leviter imbuti ſunt, non poteſt non ſubire hæc admiratio. Unde eſt quod antiqui autores à quibus Theologiæ medullam & Sacramentorum doctrinam hauſimus, nihil nobis explicitè de materiis & formis Sacramentorum tradiderunt, ſed univerſam illam explicandi rationem prætermiſerunt. Quando primùm in Eccleſia Dei cœpit hæc tractandi methodus? Nobis hoc animo perpendentibus viſum eſt curam non fore ſupervacaneam ſi de ſingulis Ordinibus ſermonem longum habituri, pauca in ipſo limine præfaremur de tempore quo primùm in Eccleſia Dei audita eſt iſta explicationis methodus, qua occaſione introducta & accepta, qua ratione & quibus cautionibus intelligenda.

II. Iſta Sacramenta explicandi ratio è Philoſophia Peripatetica nata eſt, quæ rerum naturas ſub his nominibus inquirere & examinare ſolet; res artificiales imitata, in quibus materia & forma diſtinctè oculis conſpiciuntur. Ut igitur totum artificiale materia & forma conſtare videmus, priuſque materiam conſpicimus, deinde varias diſpoſitiones manu artificis introduci, tandemque formam exurgere quæ artificium illud denominat, & à quocumque alio diſtinguit. Sic in rebus naturalibus negotium ſe habere imaginatus eſt Ariſtoteles, & ideo ipſius induſtria potiſſimum verſata eſt in rerum materia & forma & utriuſque cum alterutra habitudine aperienda & cognoſcenda. Scholaſtici Doctores axiomatis Peripateticis imbuti & innutriti hanc Philoſophandi rationem in Theologiam, & potiſſimum in Sacramentorum doctrinam introduxerunt. Hinc potiſſima eorum cura fuit definire quæ fuerint Sacramentorum materiæ, quæ formæ, & ſub horum nominum inſigniis principales de Sacramentis quæſtiones efformare, & protendere. Scholas Theologicas annis jam centum integris occupaverat Philoſophia Peripatetica, antequam iſtam tradendi Sacramenta methodum uſurparent Theologi. Nihil de ea Lanfrancus, Guitmundus, Anſelmus, Ivo, Abaillardus, qui eo tempore, & aliquanto poſt, maxima cum omnium admiratione multa ſcripſerunt. Nec etiam qui hos Doctores immediatè ſecuti ſunt, horum nominum in doctrina Sacramentorum quam diligenter explicant, mentionem faciunt.

III. Ipſe Petrus Lombardus qui ſcribebat ſententiarum Libros circa annum Chriſti 1150. quique omnium Doctorum conſenſu omnes qui ipſum præceſſerunt, doctrina longè ſuperavit, cum de Sacramentis in genere, & poſtea de ſingulis tractat, nunquam innuit iſtum explicandi Sacramenta modum illi fuiſſe cognitum. Nec etiam qui illum primò commentatus eſt Petrus Pictavienſis. Idem dicendum de Hugone à S. Victore, qui paucis annis eos præceſſit, & bis terve dataque opera fuſè ſatis de Sacramentis agit. Nec etiam Petrus Bleſenſis qui his paulò poſterior aliquando de Sacramentis quæſtiones agitat. S. Bernardum, alioſque coævos prætermitto qui eorumdem verborum non meminerunt, quia obiter tantum de Sacramentis verba fecere, quanquam nunc & ab aliquot ſeculis vix reperiatur, qui de Sacramentis in genere, aut de aliquo in particulari tria verba faciat, & materiam, formamque ſtatim non exagitet.

IV. Opponet forſan aliquis quod ſcribit Magiſter l. 4. diſt. 2. l. f. *Hic conſiderandum eſt ſi baptizati à Joanne iterum baptizati ſunt baptiſmo Chriſti, & qua forma verborum uſus ſit Joannes.* Et initio diſt. 3. *Poſt hæc videndum eſt quid ſit Baptiſmus, & quæ ſit forma, & quando inſtitutus, & cauſa inſtitutionis. Baptiſmus dicitur intinctio, id eſt, abintio corporis exterior, facta ſub forma verborum præſcripta.* Simile quid diſt. 8. lit. b. Nulla eſt in objectione difficultas. Non alludit Magiſter ad materias & formas Phyſicas, ut ex verbis in textu ſequentibus eſt evidens, ſed ad Juris conſultorum formulas, quibus actiones à Prætore in rem, Perſonam, vel factum dabantur, & ſecundùm quas judicare tenebantur Judices. Erant autem formulæ illæ judiciariæ, ſolemnes quædam verborum conceptiones ſecundum quas actio inſtituenda erat, aut formula cadendum, & cauſa conſequenter, niſi actionem reſtitueret Imperator. Unde formulæ Teſtamentorum, formulæ ſponſionis, formulæ poſtulationis, ſtipulationis &c. *Jura & formulæ*, inquit Cicero, *de omnibus rebus conſtituta ſunt.* In hunc modum formæ Sacramentorum ſunt formulæ verborum præſcriptæ & ſolemnes in adminiſtratione Sacramentorum pronuntiandæ, quæ niſi conceptis & præſcriptis verbis pronuntientur, adminiſtratio Sacramenti effectum non conſequitur. Ideo Magiſter ſermone in modum quem diximus, inſtituto, de materia nihil habet, quod erat planè neceſſarium ſi formas Phyſicas intellexiſſet. Eadem ratio eſt ejus quod dicit Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 1. & 2. atque alibi. Nihil illi tum cogitabant de materiis & formis Phyſicis.

V. Forſan objici poſſet cum majori probabilitate quod ſcribit Hugo lib. 1. de Sacramentis fidei part. 9 Capite enim primo illius partis è quatuor quæ ſibi tractanda proponit, tertium eſt, *Quæ ſit unuſcujuſque materia Sacramenti, in qua conficitur, & ſanctificatur.* Sed hoc nihil ad materiam qua formam reſpicit. Nihil enim tota illa libri parte de Sacramentorum forma ſcribit. Sed audiamus ab ipſo quomodo materiam illam explicet cap. 6. *Reſtat nunc tertia pars de quatuor quæ propoſita ſuerant diſcutienda. In triplici materia omnia divina Sacramenta conficiuntur; ſcilicet aut in rebus, aut in factis, aut in verbis.* In rebus exempla profert Sacramentorum ſolidas materias, aquam in baptiſmo, oleum in unctione, panem & vinum in Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, ſed nulla cum relatione ad formam.

mam. Ibi materiam vulgato more accipit, pro re ſolida & corpulenta quacunque ex qua fit aliquid; ut cum dicitur materiam ſuperabat opus. Addit enim ſtatim poſt exempla, quæ retulimus, *& quæcunque ſunt aliæ corporales ſpecies in quibus Sacramenta divina conficiuntur.* In factis verò exempla profert, ſignum crucis, manuum expanſionem, elevationem, erectionem &c. At cum de verbis differit planè oſtendit doctrinæ illius methodum fuiſſe ſibi incognitam: Nam verba, & ea in quibus formæ Sacramentorum propriè paulò poſt à Scholaſticis conſtitutæ ſunt, materiæ attribuit: *In dictis Sacramentum invenitur; Quemadmodum eſt invocatio Trinitatis, & cætera ejuſmodi, quotieſcunque cum verborum prolatione ſacrum aliquid & Sacramentum exprimimus & ſignificamus.* Deinde paucis additis, colligit, *Hæc breviter de materia Sacramentorum prælibatis ad ſequentia tranſeamus.*

VI. Primus Scholaſticorum quem legi, qui hanc explicandi Sacramenta methodum amplexus eſt, & docuit, Guilelmus eſt Antiſiodorenſis, qui ſcribebat paulò poſt annum Chriſti 1215. Non memini illam tradidiſſe Præpoſitivum omnium qui eum præceſſerunt σχολαστικώτατον, nec alios ejuſdem temporis à me lectos qui jacent in antiquis Bibliothecis inediti. Alius eſt Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus Altiſiodorenſi coætaneus, aut paulò junior, qui ſimiliter multa Scholaſticè & ἀπλουκῶς, magno cum omnium applauſu ſcripſit, atque inter cætera de Sacramentis in communi, & in ſpecie de Baptiſmo, de Confirmatione, de Pœnitentia, de Ordine, reliquiſque Sacramentis longos tractatus; in quibus tamen nihil iſtius methodi conſpicitur; Altiſiodorenſis autem non ita terminis illis Philoſophicis adhæſit, ut qui eum ſecuti ſunt Doctores Scholaſtici. Nam in explicatione Sacramenti Pœnitentiæ & Ordinis iſtos terminos præterit. Cùm verò de extrema Unctione tractat, ſolius materiæ mentionem facit, licet eodem tractatu repetat in Baptiſmo & Euchariſtia materiam eſſe & formam; nunquam tamen dicit orationem, aut quid aliud eſſe Extremæ unctionis formam, ut oleum conſecratum dixerat eſſe materiam. In Sacramento Matrimonii explicat cauſas finales, materiales, formales, & efficientes. Materiales, legitimas perſonas contrahentes; formales verò ſcribit eſſe ſolemnitatem quæ uſurpatur in matrimonio, ut quòd fiat in facie Eccleſiæ, quòd benedicantur ſponſus & ſponſa: hoc enim, inquit, facit ad decorem matrimonii: Efficientem autem matrimonii, conſenſum per verba de præſenti expreſſum. Manifeſtum eſt formam eo loco longè alia ſignificatione ab eo intelligi quàm nunc accipi ſolcat, & uſus hodiernus ferat.

VII. Hunc in exornanda hac explicationis methodo ſecuti ſunt ex familia Franciſcanorum Alexander Halenſis, ex familia Dominicanorum Albertus magnus, qui primi iſtarum familiarum Theologicè ſcripſerunt. Iſti in omnibus Sacramentis materias & formas expiſcantur; quanquam Albertus Pœnitentiæ formam non tantùm aliter prorſus interpretetur, quàm nunc id fieri ſoleat; Verumetiam omninò aliter quàm ferat formæ pro verbis acceptio: Poſt iſtos nemo Sacramenta rectè ſibi viſus eſt explicaſſe, qui in eorum materias & formas diligenter non inquiſierit.

VIII. Modus iſte loquendi & explicandi in Orientem penetravit, & Græcis probatus eſt, ut colligitur ex cap. 7. reſponſi Hieremiæ Patriarchæ CP. ad Theologos Witembergenſes, qui ejus verba ſic Latinè vertunt; *Unumquodque horum myſteriorum in ſacris literis ſanctum eſt: definitam verò materiam, formamque habet; nec non efficientem, aut potius inſtrumentalem cauſam definitam. Ut in baptiſmate materia aqua eſt: forma verba Sacerdotis, ſcilicet hæc: Baptizatur hic Dei ſervus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Inſtrumentalis cauſa ſacerdos eſt, quanquam neceſſitate poſtulante per Laicam perſonam baptizari non rejicitur. Eodem modo in cæteris ſingulis, materia & forma inveniri poteſt.* Gabriël Philadelphiæ Metropolita, & Exarchus Patriarchicus qui poſt Hieremiam libellum de Sacramentis ſcripſit, eundem loquendi modum amplectitur, materiamque & formam in unoquoque Sacramento aſſignat.

IX. Quum igitur hanc docendi methodum Univerſus Occidens ab aliquot ſæculis amplexus fuerit, atque Oriens non improbaverit, fieri non poteſt, ut id utile non ſit & commodum quod tanto conſenſu uſurpatur. Attamen cavendum eſt ne minutè ſingulas materiæ & formæ Phyſicas proprietates, uniuſque cum altera affectiones & habitudines conſectemur, eaſque preſſè nimis & ad amuſſim materiis & formis Sacramentalibus applicemus. Scrupuloſa enim hæc applicatio nos in varia incommoda præcipitaret. Sacramenta enim conſideranda ſunt, non ut tota Phyſica, ſed Metaphyſica, ſive Logica: materiæ conſequenter, & formæ Sacramentales, Phyſicæ non ſunt, ſed Metaphyſicæ, quæ ita vocantur Metaphoricè, & per analogiam quandam ad formas & materias Phyſicas cum quibus conveniunt. Res enim omnes, corporeæ, incorporeæ, morales, & hominum arbitrio conſtitutæ, Metaphyſicè, atque etiam Logicè conſiderari poſſunt ut tota quædam ex variis partibus tanquam ex materia & forma compoſita. Unaque conſiderari poteſt ut forma, quæ ſcilicet totum complet & perficit, cætera ut materia. Nec refert an partes illæ diſtinguantur inter ſe realiter, nec ne: Satis eſt quod mente à ſe invicem præſcindi poſſint, unaque ſine alia concipi, ut ex iis unæ materiæ, aliæ formæ rationem induere poſſint. Quod ſi propter uniformitatem partium inter eas concipi non poſſit diſtinctio cujus ope habitudo formæ cum materia definiatur, ut in totis homogeneis contingit partes omnes ſimul ſumptæ, materiæ; totum verò ipſum qua tale, formæ rationem habere intelliguntur. Deinde res omnes definiri poſſunt. Sed omnis definitio conſtat genere & differentia; Genus autem, ut ſcribit Ariſtoteles, eſt analogum materiæ, differentia formæ. Nam ſicut materia diverſis formis ſubeſt, atque ad eas eſt indifferens, determinatur autem per formam, & perficitur; ſic, genus ad varias differentias ſe habet, & per

eas ad certam ſpeciem quæ totum eſt, reſtringitur. Hoc modo cum in unaquaque re quantumlibet immateriata, vel morali, genus & differentia reperiri poſſint, materia quoque & forma aſſignari poſſunt. Id fecerunt Doctores Scholaſtici in cauſa Sacramentorum, dicentes omnia conſtare materia & forma, ut ſubſtantia, formamque ut in Phyſicis principem locum obtinere: & verba quædam ſolemnia in omnibus Sacramentis formæ vicem ſuſtinere; materiæ verò in pleriſque ſolida & materiata corpora, in aliis autem actus voluntatis noſtræ. Concilium Florentinum hanc formæ & materiæ metaphyſicæ non Phyſicæ rationem in Sacramentis evidenter confirmat, cum dicit in inſtructione ad Armenios, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quæ facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.* Idem docuit Concil. Tridentinum ſeſſ. 14 c. 3.

X. Cum igitur mille & ducentorum annorum ſpatio Doctores Eccleſiaſtici uſi non fuerint hac in docendis Sacramentis methodo, non abs re interrogabit lector quibus docendi formulis toto illo tempore uſi fuerint. Breviſſimè dicam, ſolemnes illis erant tres potiſſimum formulæ. Explicabant hoc per verba ſigni & rei ſacræ ſeu inviſibilis, dicentes Sacramenta conſtare ſigno & re ſacra, ſeu inviſibili. Per ſignum intelligebant, quod poſtea per materiam ſignificatum eſt, atque etiam quod per formam; quidquid ſcilicet ſenſibus percipitur: Per rem ſacram ſeu inviſibilem, effectum Sacramenti, gratiam ſcilicet ſanctificantem. Hic eſt apud antiquos frequentiſſimus explicandi modus; unde illa definitio, Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma: Formam vocant ſpeciem quæ ſenſibus percipitur. Dicunt præterea in omni Sacramento duo reperiri, Sacramentum & rem. Per Sacramentum, ſignum tantùm intelligunt, quod ſenſibus externis ingeritur, ſub cujus ſpecie Chriſtus Sacramentum inſtituit: Per rem gratiam quæ conferitur. Ideo Doctores illorum temporum diligenter examinant quid ſit Sacramentum, quid res Sacramenti. Denique vulgo dicebant Sacramenta rebus conſtare & verbis, rebus, ut aqua, oleo & ejuſmodi: verbis, ut invocatione Trinitatis. Aliis etiam verbis quæ eodem tendunt, utebantur, aſſerentes in Sacramentis eſſe elementum & verbum: juxta S. Auguſtini celebre illud effatum. *Verbo baptiſmus conſecratur. Detrahe verbum, Et quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum &c.* Lectore de iſta docendi ratione paucis commonefacto, viam quam ab aliquot ſeculis tot Eccleſiaſticæ ſtellæ ſignarunt, ingrediamur.

EXERCITATIO II.

DE EPISCOPATUS MATERIA ET FORMA ſecundum Græcos & Latinos.

CAPUT I.

An Euangelii ſuper caput conſecrandi impoſitio ſit materia Epiſcopatus. Latini & Græci in materia Epiſcopatus conveniunt. Euangelium ponitur ſupra caput Epiſcopi juxta Græcos & Latinos. A traditione demonſtratur iſtam impoſitionem non eſſe Epiſcopatus materiam. Plurimi eum ritum omiſerunt. In impoſitione Euangelii triplex varietas obſervatur.

I. DE Epiſcopatu acturi omnium Ordinum ſupremo, tractationem noſtram ad ſeptem Capita revocabimus. Primùm de materia Epiſcopatus, deinde de forma agemus: Materias & formas hic vocamus ſolemnes quaſdam actiones, & præſcripta verba, ita neceſſaria, ut niſi adhibeantur, effectu caſſus ſit ritus & inanis. Tertiò an characterem imprimat, ſive an ſit Ordo à Sacerdotio diſtinctus inquiremus. Quartò an ſit Sacerdote ſuperior, & quo jure. Quintò de Chorepiſcopis. Sextò de antiquorum varia praxi & traditione in iteratione certarum Ordinationum quæ more Catholico collatæ fuerunt. Septimò de unctione Epiſcopali, & Sacerdotali, ejuſque antiquitate.

II. In materia Epiſcopatus omnes video convenire, Latinos & Græcos. Latini Scholaſtici diſertè; Græci vero qui his verbis uti non ſolent, conſequenter. Omnes enim manus Epiſcoporum impoſitionem adhibent, ut planè neceſſariam. Latini qui in omnibus aliis Ordinibus inſtrumenta ſtudioſiſſimè conſectantur, nulla in univerſis ceremoniis, juxta quas confertur Epiſcopatus, deprehenderunt quibus cum aliqua veriſimilitudine materiæ ratio-

rationem tribuerent. An in baculo, in Annulo, in Mitra, in Chirothecis? hoc æquum illis visum non est. Isambertus tamen baculi pastoralis & annuli traditionem materiæ partem constituit, disputat. 3. de Sacramento Ordinis artic. 5. secutus, ut opinor, Michaëlis Medinæ sententiam, qui in his omnibus Episcopatus materiam assignat, ut & fere ante eos Durandus lib. 2. Rat. c. 11. Causa justiorⓐ & speciosior erat Euangelii traditio, quæ consecrato fit Episcopo. Sed jam Diaconum eo munere ditaverant. Itaque tandem coacti ad manus impositionem confugerunt, quam solam agnoscunt Patres omnes, Ritualesque omnes antiqui, tam Græci, quam Latini.

III. Una est Euangelii super caput consecrandi impositio, cui materiæ ratio unà cum manuum impositione magna probabilitate tribuitur à nonnullis Scholasticis Antonino 3. part. tit. 14. c. 16. §9. Hostiensi de sac. unct n. 5. Carolo Bovio in Scholio c. 3. l. 8. Constit. Clementis. Turriano l. 2. pro Epist. Pontif. c. 21. & aliis; Isamberto consequenter, loco citato, Medina, & Durando: Quam omnes Rituales antiqui & recentes Latini, Græci, Syri, commemorant: Quam S. Clemens, S. Dionysius, Concilium Carthaginense quartum referunt, & explicant, ut supra vidimus: Quam denique laudat S. Chrysostomus, ut Posteriores innumeros omittam, in Oratione qua probat unum esse novi & veteris Testamenti legislatorem, *Propterea & in Ecclesia in Ordinationibus Episcoporum Euangelium Christi capiti eorum imponitur, ut dicat qui per impositionem manuum ordinatur, se veram Euangelii tiaram accipere, &c.* Et paulò post: *Quod igitur habeat Pontifex Euangelium, signum est eum esse sub potestate.*

IV. Nonnulli Scholastici contendunt Episcopatus materiam dici non posse; eo quod ab eodem materia adhiberi debeat; à quo forma pronuntiari possit, sed Euangelii liber ab Episcopis non imponitur scapulis consecrandi, verùm à Capellano, ut habet Rubrica Pontificalis, vel à Diaconis, ut statuit S. Clemens. Primùm hoc falsum est: Aperiunt Episcopi librum Euangeliorum & cervici, scapulisque Ordinandi imponunt, & Capellani sive Diaconi hoc facto illum supra scapulas Ordinandi tenent, & firmant, ne dilabatur. Verùm quis eos docuit hoc axioma quo velut immoto principio nituntur, Ab eodem adhiberi debet materia à quo pronuntiari debet forma? In ejusmodi rebus fallacia sunt omnia argumenta aliunde quàm à sacra scriptura, & Ecclesiæ traditione deprompta. Ista enim argumenta, semotis his duobus principiis, in infinitum variari possunt, pro uniuscujusque præjudicio, commodo, & sententia.

V. Aliis tamen rationibus fretus ex traditione scilicet Ecclesiastica petitis, colligo illam Euangelii super cervicem & scapulas Ordinandi impositionem ad Episcopatus substantiam non pertinere. Primùm, Quia S. Patres cum Episcopatus causam & rationem allegant, ad manus impositionem confugiunt; nunquam ad istam Euangelii impositionem. Semper enim dicunt per manus impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel Ordinatum, vel factum Episcopum: se huic manus imposuisse; vel noluisse ab eo, ut potè schismatico aut hæretico manus impositionem accipere, ut infra innumeris exemplis docebimus, quibus nullum opponi potest. Secundum, antiquissima hæc ceremonia non fuit universaliter ab omnibus Ecclesiis accepta. Multæ & celebres Ecclesiæ Episcopos suos hac omissa ceremonia consecrarunt, ut infra de Alexandrina Ecclesia demonstrabimus. Plures Ecclesiæ in Gallia & Germania id non observabant, nec forsan primis temporibus Ecclesia Romana, ut ex Alcuino qui scribebat circa annum Christi 760. non inevidenter colligitur libro de divinis officiis in titulo, *Qualiter Episcopus Ordinetur in Ecclesia Romana*: sic scribit, *Illud verò quod duo Episcopi tenent codicem Euangeliorum super caput, & uno fundente super eum benedictionem, reliqui qui adsunt Episcopi manibus suis super caput ejus tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque nova, sed neque in Romana traditione.* Idem etiam scribit post ipsum annis 70. Amalarius ipse Archiepiscopus, & Episcoporum consecrator lib 2. de officiis Eccles. c. 14. *Dicit libellus secundum cujus ordinem celebratur Ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneat Euangelium super caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimet, neque canonica auctoritas.* Libellus cujus mentionem facit hîc, & sæpe, alibique, dictus est Ordo Romanus.

VI. Quidquid sit de illo libello, ex his autoribus certum est Euangelii impositionem multis locis in Gallia & Germania non fuisse usitatam: Ignorare enim non potuissent Alcuinus & Amalarius, licet hic, ut quidam ajunt, fuerit tantùm Diaconus, de Ordinationibus ex professo scribentes quid in Ecclesiis Galliæ & Germaniæ usurparetur. Nec etiam Alcuinus vir suo tempore celeberrimus & Caroli magni Præceptor, qui loco citato breviarium facit rituum omnium & interrogationum quæ in Episcopi Ordinatione fiunt secundum Romanam consuetudinem, ita constanter negasset hunc ritum à Romana Ecclesia usurpari, si Galliæ, Germaniæ, & Italiæ Ecclesiæ eo ritu passim usæ fuissent. Alcuino & Amalario favet antiquissimus noster ritualis quem supra loco secundo inter rituales Latinos collocavimus. Nullibi enim apparet in eo ista Codicis Euangeliorum super Ordinandi cervicem impositio, licet singula satis minutè describat. Tres alii rituales ad octingentorum annorum ætatem accedentes ritum Euangelicæ impositionis omittunt; sed cum alia non minus necessaria in Presbyteratu & Diaconatu prætermittant, orationibus potissimum intenti, nihil hac in causa affirmare ausim. Sed Alcuino & Amalario contradicunt plures Rituales quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior, alii coævi, qui omnes ut cæteros juniores præteream, ceremoniam Euangelicæ impositionis commemorant.

VII. Alcuino & Amalario sanè non parum favet S. Isidorus lib. 2. c. 5. de divinis officiis, qui multis agit de Episcopis, eorum con-

se-

ſecratione & muneribus, de manus impoſitione, numero ordinantium, cæterorum conſenſu, de baculo, & annulo, multiſque aliis. At de Euangelii ſuper caput impoſitione nullum verbum, licet ſenſus tropologicus quem ibi ſtudioſè ſectatur, inde bellè colligi poſſit. Hic ritus Provinciam Bæticam nondum pervaſerat.

VIII. Uſurpatam non fuiſſe primitus hanc ceremoniam in Provincia Carthaginenſi ex iis quæ in Ordinatione Cæciliani perpetrata ſunt, colligi videtur. Donatiſtæ Cæciliani Ordinationem calumniabantur, eo quod traditionis deificorum codicum reus eſſet. Cum verò id probare non potuiſſent, in Felicem Cæciliani Ordinatorem crimen retorſerunt. Quid ad hæc Cæcilianus? *Ab eo mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Cæcilianus filius ſororis ejus eſſet, ſic ait, Exeat huc, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pœnitentia. His rebus compertis tota Eccleſia Cæcilianum retinuit, ne ſe latronibus tradidiſſet.* Purpurius iſte ira & odio in Cæcilianum æſtuans, liberiuſque in eum invehens, eo quod eſſet eius ex ſorore nepos, manuum impoſitionem Ordinationis propriam ad manuum impoſitionem quæ in Pœnitentia datur, retorquet, furentiſque verbo utitur: Quaſi diceret, Vult iterum manum ſibi imponi, imponatur; ſed loco manus impoſitionis ordinativæ quaſſetur illi caput de Pœnitentia, hoc eſt, detur illi manus impoſitio Pœnitentialis. Sanè ſi Euangelici codicis capiti impoſitio cum manus impoſitione tum conjuncta fuiſſet, furenti multò convenientius erat exclamare: Exeat huc, & quaſſetur illi caput de Euangeliorum codice. Hoc poſterius omnino quadrabat verbo, *quaſſetur*, non autem Pœnitentiæ impoſitio, cui metaphoricè tantum convenit. Admodum igitur probabile mihi eſt impoſitionem Euangelici codicis ad Ordinationis Epiſcopalis ſubſtantiam non pertinere, cum ubique & ſemper non extiterit. Sed certum eſt hunc ritum in Oriente ab ipſa Eccleſiæ infantia fuiſſe uſurpatum, & ab Oriente in Occidentem emanaſſe: Primùm in Africam, deinde in Italiam, Romamque, ſeriùs in Galliam & Germaniam.

IX. In codicis Euangeliorum impoſitione de qua verba fecimus, non mihi prætermittenda videtur triplex varietas. Prima reſpicit ipſum Euangelium. Clemens Romanus, Simeon Theſſalonicenſis, & Rituales omnes Græci, uno excepto qui variare videtur, diſertè docent apertum imponi. Ita quoque Maronitarum & Jacobitarum rituales. Latini verò omnes nihil definiunt, dicunt ſimpliciter Euangelium imponendum; ſed duo antiqui, Conſtantini ſcilicet Caëtani, & Ordo Romanus editus diſertè exprimunt clauſum eſſe imponendum. Pontificale Romanum hodiernum jubet eſſe apertum, cui præter Græcos & Syros codices ſuffragatur unus Victorianus codex antiquus. Secunda varietas locum reſpicit cui Euangelium imponitur. Græci rituales, ut & Simeon Theſſalonicenſis, dicunt imponi ſuper caput & cervicem ejus, hoc eſt, occiput & inferius; Neſtoriani ſuper dorſum: Clemens & Dionyſius hæc minutiora non definiunt. Unus codex ſed recentior videtur hoc de ſyncipite intelligere, ſed improbabile eſt. Latini variant: Alii & antiquiſſimi dicunt generaliter ſuper caput ejus; alii ſcapulis imponendum eſſe; alii diſtinctiùs, *ſuper verticem ejus & inter ſcapulas.* Tertia Euangelium tenentes ſpectat. Hoc officium tribuit S. Clemens Diaconis; Rituales verò Epiſcopis adſiſtentibus. Archiepiſcopus librum aperit & imponit capiti, alii Epiſcopi ſuſtinent. Sic quoque Rituales Latini pene omnes; Cæteri verò Epiſcopi qui adſunt manus imponunt. Sic etiam diſertiſſimè Victorianus codex. Ab hac ceremonia non diſſentiunt Syri, Maronitæ, Neſtor. & Jacobitæ. In hac poſtrema ceremonia ab omnibus differt Pontific. Romanum hodiernum: His verbis totum ritum ſigillatim explicat, *Conſecrator accepto libro Euangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Epiſcopis aſſiſtentibus, nihil dicens, imponit ſuper cervicem, & ſcapulas Electi, ita quod inferior pars libri cervicem capitis Electi tangat, litera ex parte inferiori manente, quem unus ex Capellanis Electi poſt ipſum genu flexus, quouſque liber ipſe eidem Electo in manus tradendus ſit, continuè ſuſtinet. Deinde Conſecrator & Aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt.* Hæc varietas velut in ſpeculo demonſtrat quàm caduca ſint & fragilia argumenta quibus plerique freti aſſerunt vel negant, codicis Euangelici impoſitionem ad Epiſcopatus materiam pertinere. Id ſtatim evidentiùs deprehendet qui ea cum traditione Eccleſiaſtica à nobis expoſita comparabit.

CAP. II.

De forma Epiſcopatus diſſeritur; Non eſſe imperativam: Quando, & qua de cauſa additum ritui, Accipe Spiritum Sanctum. Nec contradicit Concilium Tridentin. Traditio Euangelii Epiſcopo facta poſt Ordinationem recens eſt.

I. OMnes propè Scholaſtici qui de materia & forma Epiſcopatus diſputant, illius formam in his verbis conſtituunt, *Accipe Spiritum ſanctum*, quæ Conſecrator & Aſſiſtentes Epiſcopi, poſito Euangelio ſuper ordinandi caput, & illud tangentes ſtatim pronuntiant, ut præcipit Pontificale Romanum. Vix eſt referre Doctorem qui diſſentiat: Neque aliter fieri potuit, cum apud eos pleroſque ratum ſit & fixum Ordinum formas neceſſariò eſſe imperativas; imò Nugnez addit. ad 3. part. q. 34. art. 4. aſſerit hoc ad fidem pertinere, & oppoſitum eſſe hæreſim manifeſtam. Nihil

eſt autem in toto ritu Latino Conſecrationis Epiſcopalis, præter hæc verba, modo imperativo, vel etiam indicativo pronuntiatum, quod veriſimiliter formæ rationem poſſit inducere; niſi velit quis formam Epiſcopatus in verbis quæ in baculi, vel annuli, vel Euangelii traditione proferuntur, reponere; quod hactenus, ut opinior, præter Hambertum, & unum aut alterum jam citatos, Theologorum nullus fecit. Quanquam Canoniſtas pleroſque imitatus, qui volunt omnia quæ canones præcipiunt, eſſe de medii neceſſitate, ut loquuntur, obſervanda, hoc aſſerenti non admodum repugnarem. Favere videtur præcedenti ſententiæ Concilium Tridentin. ſeſſ. 23. art. 4. *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari ſpiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe ſpiritum ſanctum, &c. anathema ſit.*

II. Nihilominus unum & nobis conſuetum argumentum opponimus, Eccleſiæ traditionem, & perpetuam praxim, quæ tot ſeculis iſtorum verborum immemor Ordines contulit. Nulli enim rituales Latini antiqui hæc habent verba, nuſquam comparent; etiam in recentioribus multis nulla eorum mentio. Antiqui Scholaſtici, Hugo de S. Victore, Alexander Halenſis, Guilelmus Altiſiodor. S. Bonaventura, S. Thomas, licet quæ ad Ordines ſpectant diligenter & minutè perſequantur, eorum non meminerunt. Apud Latinos cœpta ſunt uſurpari vix ab annis quadringentis. Apud Græcos autem & Syros, nec eſt, nec unquam fuit illorum uſus. Itaque nulla ratione dici poſſunt ad Ordinis ſubſtantiam pertinere.

III. Neque huic univerſi traditioni contradicit Concilium Tridentinum. Certum eſt quod ait per ſacram Ordinationem tradi Spiritum ſanctum, neque fruſtra Epiſcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum*, cum Ordinationis virtute detur Spiritus ſanctus. Alludit Concilium ad ea verba quæ ab aliquot ſeculis non tantùm in Epiſcopatus, ſed etiam in Presbyteratus & Diaconatus collatione dicuntur. Non fruſtra igitur dicuntur iſta verba, cum Catholicis certum ſit Ordinationis ritu obicem non ponentibus Spiritum ſanctum dari, & gratiam produci. Præterea ab antiquiſſimis temporibus tam apud Latinos quàm apud Græcos non modo in Ordinatione Epiſcopi, ſed etiam Presbyteri & Diaconi, invocatur Spiritus ſanctus. Invocationem iſtam nobis repræſentant Rituales omnes, Latini, Græci, Syri, antiqui & recentiores in hunc uſque diem.

IV. Sed aliqui ab annis, paulò plus minuſque quadringentis exiſtimantes invocationem Spiritus ſancti non ſufficere, addere voluerunt traditionem Spiritus ſancti modo imperativo præter præcedentem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ hactenus invocatione contenta fuerat, & diſertè teſtabatur ſe id facere ſuppliciter, non imperativè. Quo ſanè factum eſt ut in eodem ritu bis, terve diſertè invocaretur Spiritus ſanctus. Nam in Ordinationis Epiſcopalis ritu ante orationem illam quæ in omnibus codicibus antiquis Conſecratio dicitur, addita ſunt hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum*: Deindè in medio Conſecrationis, additus eſt hymnus integer, *Veni creator Spiritus*: In Ordinatione verò Presbyterali ad finem Conſecrationis. Syllogiſmis ſuis collegerunt aliqui ad operis ultimam perfectionem dicendum eſſe, *Accipe Spiritum ſanctum* ut dicebatur, Accipe baculum paſtoralem, Annulum, Euangelium, &c. Verùm Concilium Tridentinum declarato Ordinationis ſacræ principali effectu, inde verba illa ab Epiſcopis non fruſtra dici tantùm colligit, & meritò; de forma autem in qua Ordinationis ſpecie hæreat, ne verbum quidem. Si his verbis formam definire voluiſſent Patres, cum tres ſint Ordinationis ſacræ gradus, ſive ſpecies, & in unaquaque dicatur, Accipe Spiritum ſanctum, aut unam ſaltem cui conveniret, definire debuerunt, quod ab iis non eſt factum; aut tribus ſpeciebus conveniet, quod nemo admittit. Sed rem ita ſe non habere ex argumento præcedente indubitanter conſtat.

V. Forſan aliquis cenſeat partem materiæ Epiſcopatus eſſe Euangelii traditionem; Cum ſcilicet Archiepiſcopus unctione facta, dato baculo paſtorali, & annulo ei quem conſecravit, tradit Euangelium clauſum dicens, *Accipe Euangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo: potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam, qui vivit & regnat, &c.* Sed contra hanc ſententiam eodem modo excipitur. Traditio iſta res eſt nupera quam nulli rituales ante quingentos annos ſcripti, nulli autores ante idem tempus commemorant, licet nonnullis ut Iſidoro, Alcuino, Amalario, & aliis commemorationis cauſa non defuiſſet. Nec etiam illa ætate invenies autorem, aut ritualem qui de Ordinationibus ſacris agens iſtius ceremoniæ meminerit. Ipſe denique Pontificalis liber id teſtatur. Primò datur baculus Paſtoralis: 2. Annulus, tertiò Euangelium: ſed in horum omnium traditione ſemper Epiſcopus dicitur conſecratus, antea ſemper Electus. Ceremonia eſt igitur recens Conſecrato Epiſcopo accidens, non ſecus ac baculi & annuli traditio: In eo tantùm diſcrimen eſt quod hæ ſunt admodum antiquæ, Græcis, Latinis & Syris communes; illa verò noviter & nudius tertius inſtituta, Latinorumque tantum propria.

CAP.

CAP. III.

Formam Epiſcopatus apud Græcos ab Arcudio, aliisque aſſignatam, eſſe tantum decreti de electione facti promulgationem. Eadem eſt mutato nomine in Presbytero & Diacono. In Epiſcopo variatur pro Conſecrantis dignitate. Mos Græcorum de rebus divinis loquentium, omnia ad Deum, nihil ad ſe referre. Quid propriè ſignificet προχειρίζειν. *Decretum iſtud in primo Ordinationis principio pronuntiatur. Poſt pronuntiationem ſemper vocatur ad finem uſque precum Ordinandus. Idem decretum & ſolemnius ab antiquis Latinis Ordinantibus ter pronuntiabatur. Hujus moris veſtigia nunc ſuperſunt.*

I. PEtrus Arcudius Corcyræus, qui Romæ vixit, ſcripſit, & docuit, cum omnem lapidem moveret, animumque per omnia raperet & verſaret, ut concordiam Græcarum Ordinationis formularum cum Latinis aſſequeretur, in ea tandem formula acquievit, quæ modo indicativo pronuntiatur, & ne ſæpius inveſtigando fatigaretur, ex una inventa per unius verbuli mutationem tres confecit. Anxietatis cauſa vera nulla fuit, ſed anticipata quædam multorum Doctorum opinio, qui nullam aliam agnoſcebant Ordinationis formam quàm Imperativam: Quum autem nihil ejuſmodi deprehenderet in Ordinationibus Græcis, ſed omnia deprecatoria, id quod imperativo modo ſecundum Doctores Scholaſticos vicinius eſt, ſponte elegit, indicativam ſcilicet formulam in Majorum Ordinum ritibus occurrentem. In ea pedem fixit, ratus ſe facilè Græcorum Ordinum cum Latinis concordiam hac ratione initurum. Cum autem Græcus fuerit Latinis literis & moribus egregiè eruditus, qui de Latinis poſt ipſius ſcripta quæſtiones iſtas tractavere, eum ſecuti ſunt, Græco de rebus Græcis definienti credentes.

II. Euchologii verba quibus formæ naturam tribuit, iſta ſunt, ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται τὸν δεῖνα ὑπηρέτην διάκονον, διάκονον· τὸν δεῖνα ὑπηρέτην διάκονον, πρεσβύτερον. τὸν θεοφιλέστατον πρεσβύτερον, ἐπίσκοπον, quæ ſic vertit, *Divina gratia quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat ſeu promovet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum, venerabilem Diaconum in Presbyterum, Dei amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum.* Cum igitur eſt Ordinandus Diaconus ex ipſius ſententia, ab Epiſcopo dicitur, Divina gratia promovet & creat hunc N. Subdiaconum in Diaconum: Cum verò Presbyter, Divina gratia promovet hunc Diaconum in Presbyterum, &c. Sententiam ſuam A tuetur autoritate Simeonis Theſſalonicenſis qui verbum προχειρίζειν, & ſequentia in hunc modum interpretatur, *deſignat, creat, conſtituit, conſecrat, ſeu conſecratione perficit. Una cum verbo ſimul donum datur. Neque enim potentiæ omnipotentis ſuapte natura perfectiſſimæ opus eſt tempore, &c. Porro cum dicit Diaconum, & officium conſecrans diſtribuit, & qui conſecratur una cum verbo Pontificis continuò miniſterium accipit, ſanctiſſimoque ac divino ſpiritu ad operandum potens evadit. Siquidem & ipſe conſecrans non ut homo, ſed ut Pontifex una cum gratia ea verba profert, & gratiam invocat, ipſaque gratia operatur. Nam verbum Dei efficax eſt, & omnia operatur unus & idem ſpiritus. Tum igitur ſtatim à Subdiacono factus eſt Diaconus.* Sententiam iſtam quam Simeon videtur evidenter docere, illuſtrat S. Dionyſii teſtimonio qui ſacrorum Ordinum creationem vocat ἱερὰν ἀνάῤῥησιν, *ſacram renuntiationem, acclamationem*; & S. Gregorii Nazianz. qui dicit divinam gratiam noſtris Magiſtratibus ἐπιφημίζεσθαι, acclamari. Denique verbi προχειρίζεσθαι quo Græcorum Euchologia utuntur, aſſerit genuinam eſſe ſignificationem, creare, inſtituere, conſtituere.

III. Si Græcorum mentem, & Euchologiorum verba attendas, nihil poterat ab utrorumque concilio proferri magis alienum. Si verò zelum, finemque quos ſibi induerat Arcudius: Nihil in toto ritu Græco deprehendere poterat commodius. Perſuaſerat ſibi Arcudius formas Ordinationum Latinarum eſſe imperativas: ſic edixerant multi & celebres Scholaſtici, antiqui & recentiores. Perſuaſerat ſibi cum vulgo verba imperativa quæ nunc in ritualibus leguntur, ab Apoſtolis eſſe derivata, ſemper iis uſam eſſe Eccleſiam Latinam. Falſo hoc principio nixus nihil occurrebat in ritu Græco magis opportunum ut concordiæ conſilium exequeretur. Verùm ſi antiquos codices Latinos inveſtigaſſet, in hac conciliatione incunda labore illi non fuiſſet opus, cum utrique ſint ſimillimi, & in utriſque nihil niſi deprecatorium deprehendatur, quod ad formam aliquomodo referri poſſit, ut iſtius formæ improbatione demonſtramus.

IV. Dico igitur renuntiationem illam, ſive proclamationem de qua Arcudius, nihil eſſe aliud quàm Electionis legitimæ jam factæ denuntiationem publicam fieri ſolitam cum Epiſcopus ad Ordinationem accinctus eſt, & eam poſt denuntiationem ſtatim incepturus. Rem ita ſe habere teſtantur univerſa Euchologia. Sic incipit antiquiſſimum Euchologium Cryptæ ferratæ Ordinationem Epiſcopi, *Poſt triſagion aſcendit Patriarcha in ſanctuarii crepidinem ante ſanctam menſam; ipſique charta datur, in qua hæc ſcripta ſunt; Suffragio, & approbatione Dei maximè amabilium Epiſcoporum, & ſanctiſſimorum Presbyterorum, & Diaconorum, Divina gratia quæ ſemper infirma curat, & deficientia ſupplet, promovet hunc N. religioſiſſimum Presbyterum in Epiſcopum urbis N. à Deo conſervatæ. Precemur igitur pro eo ut in ipſum veniat ſanctiſſimi Spiritus gratia. Hac charta in manus accepta, & Archidiacono di-*

cente, Attendamus, legit eam Patriarcha, ita ut omnes audiant. Lectione facta ter dicunt omnes, Kyrie eleison. Jamque à tribus Episcopis coordinatoribus adducto qui Ordinandus est, aperit Patriarcha Evangelium, & imponit super cervicem ipsius contingentibus Episcopis. Deinde factis super caput ejus tribus crucis signis manum habens impositam sic precatur, &c. Ita Euchologium Barberinum omnium antiquissimum diserte in Ordinatione Episcopi & Presbyteri.

V. Vaticanum exemplar non tantùm hæc fusè narrat in Ordinatione Episcopi, sed etiam in Diaconi, hoc modo, *Postquam facta est sancta oblatio, &c. ducitur Ordinandus ad sanctam mensam ab Archidiacono ex parte dextera Episcopi. Archidiaconus autem tradit Episcopo chartam scriptam. Et proclamante Archidiacono, Attendamus, legit Episcopus quæ in ea scripta sunt audientibus omnibus circumstantibus. Sunt autem ejusmodi, divina gratia*, ut supra, *Omnibus autem dicentibus Kyrie eleison, tum Ordinandus dextrum genu flectit ante sanctam mensam; Episcopusque tres cruces super caput ipsius facit, habensque super caput ipsius manum impositam sic precatur, &c.* In regio codice & Vallensi hæc in tribus Ordinibus repetuntur; quæ licet evidentissima sint, evidentius in Allatiano codice explicantur.

VI. Manifestum est igitur, illud, *Divina gratia, &c.* nihil aliud esse quàm decretum Electionis antea factæ solemniter publicatum. Ideo Euchologium editum adnotat in Ordinatione Episcopi in charta illa seu brevi quod Electionis decretum continet, si Patriarcha consecrator est, scribi, *suffragio & approbatione sacratissimorum Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum: Si verò Metropolita sit consecrator, hæc; suffragio & approbatione Deo amabilissimorum Episcoporum, & reverendorum Presbyterorum.* Cum Patriarcha Ordinat, hoc est, in Provincia Patriarchali, concurrunt tantùm ad Electionem Episcopi, Archiepiscopi, & Metropolitæ. Cum verò Metropolita, etiam Presbyteri. Quid opus in forma Consecrationis suffragium & approbationem dignitatum Episcopalium apponere? Quid ea distinctione, si Consecrator Patriarcha sit, ita faciendum, si verò Metropolita, hoc modo? Quid opus ista privatim scribere, & scripta consecranti tradere, eaque publicè omnibus audientibus ante Consecrationem inceptam legere? Ea omnia ad Electionis legitimæ substantiales ceremonias pro consuetudine cujusque provinciæ pertinent, aut pertinere possunt, ut unicuique, canonibus, legibus vel levissimè imbuto, constare potest.

VII. Id simili exemplo doceri potest & illustrari. S. Germanus referente Cedreno ex Archiepiscopatu Cyziceno ad Constantinopolitanum transfertur. Quibus verbis hoc decretum concipitur? *Suffragio & approbatione Dei amantissimorum Episcoporum divina gratia, quæ semper infirma curat, & deficientia supplet, transfert Germanum sanctissimum Cyzicenæ Metropolis Antistitem in Archiepiscopum hujus a Deo conservatæ regnatricis urbis.* De Electione unius Episcopi ad majorem Episcopatum, non de Ordinatione agebatur. Apud omnes enim Græcos & Latinos in confesso est, cum Episcopus ad sedem majorem transfertur, Ordinationem nunquam repeti, aut aliam quamcunque superimponi.

VIII. Lectori forsan negotium faceret loquendi formula, *Divina gratia*, &c. verùm de hac diseruimus supra adnotat. 48. in Græcos Rituales. Græci præ modestia in tertia persona cum de actionibus divinis quæstio est, loqui solent, vel directè eas divinitati tribuunt; vix unquam de se primam personam usurpant, cujus rei exempla multa eodem loco cumulavimus. Illud ipsum quod è Cedreno jamjam retulimus id demonstrat evidentissimè. Idem quoque demonstrat & explicat Simeon Thessalonicensis cujus librum integrum hoc opere edidimus. Electum enim Episcopum, ut apud eum videre est cap. 5. Ecclesiam ingressum, & fidem Catholicam professum, antequam Missæ officium inchoetur, & sanctuarium ingrediatur, Archiepiscopus in omnium conspectu cruce signat, & his verbis Electionem ejus adnuntiat, *Gratia sanctissimi Spiritus per mediocritatem meam promovet te in Episcopum vel Metropolitam civitatis N.* hoc est, Ego te cum Collegis meis canonicè Eligo in Episcopum. Idem decretum è scripto postea pronuntiat iterum alta voce postquam Electus in Sanctuarium ab Episcopis adductus, & altari applicitus est, liturgiaque ad ea verba promota est, ad quæ Episcopi Ordinatio inchoari solet. Manifestum est eodem modo esse explicandum decretum illud, *Divina gratia*, &c. quo & illud *Gratia sanctissimi spiritus*, &c. Sic supra vidimus Electis tribus à Concilio ut Imperator quem vellet è tribus Patriarcham designaret, designationem ab Imperatore sic pronuntiatam esse, referente Codino, *Sancta Trinitas per imperium ab ipsa nobis concessum renuntiat te Archiepiscopum Constantinopoleos, &c.* Id præterea quod in Symeone adnotavimus in postremo Euchologio iisdem verbis, & eodem modo legitur.

IX. Scribit præterea Arcudius ad sententiæ suæ confirmationem τὸ προχειρίζεσθαι significationem esse creare, constituere. Verum equidem est; sed significatio Electionis, designationis, propositionis, promotionis, primaria est, & longè frequentior Græcis πρόχειρον, unde προχειρίζομαι, dicitur id quod præ manibus habemus, quod est nobis in promptu & obvium: Unde προχειρίζομαι, publico, notum facio, ante oculos propono, & inde illius significatio magis Ordinaria, eligo, destino, repræsento, cujus posterioris significationis multa exempla apud autores prophanos in Budei commentariis leguntur. S. Clemens lib. 8. ubi de Ordinationibus, sæpius illud in eligendi necessaria significatione usurpat, ut cap. 18. de Diacono, Φάνων τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου, τὸν ὃν τὸν προχειρίζομαί σοι εἰς διακονίαν. *Ostende faciem tuam super hunc servum tuum Electum tibi ad ministerium.* Similiter c. 20. de Diaconissa ἔπιδε ἐπὶ τὴν δούλην σου ταύτην ἣν προχειρίζομαί σοι εἰς διακονίαν. *Respice hanc ancillam tuam Electam ad ministerium.* Et de Subdiacono

c. 21.

cap. 21. Ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου, τὸν ἢ τὸν προχειριζόμενον ὑποδιάκονον, *Reſpice ſuper hunc famulum tuum, qui ad miniſterium hypodiaconi electus eſt.* Ita Concilii Nicæni Patres in Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam de Meletio ſtatuunt, μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν αὐτὸν, μήτε προχειρίζεσθαι, μήτε χειροτονεῖν, *nullam autoritatem eum habere, nec eligendi, nec manus imponendi.* Hinc nonnunquam etiam creandi & inſtituendi ſignificatione à ſacris autoribus uſurpatur; eo quod quæ eligimus & deſignamus, ea volumus & inſtituimus, vel fieri jubemus. Ideo multis locis occurrit illius verbi anceps ſignificatio, adeo ut vix conſtet quænam ſit adhibenda. Rectè igitur, & appoſitè in hoc decreto tranſfertur, *Divina gratia elegit, proponit, & promovet hunc Diaconum ut ille manum in Presbyterum imponatur.*

X. Denique ſi textum ritualium Græcorum examinemus, decretum hoc à forma rei conſtitutiva plurimùm alienum deprehendemus. Primum enim quod apparet in ritualibus manuſcriptis, cujuſque fit ab ipſo limine mentio, eſt illud decretum, *Divina gratia &c.* Nondum materia ſubeſt, manuum videlicet impoſitio, ſed tantum poſt aliquot actiones interpoſitas ſubjicitur, ut in Euchologiis videre licet. Decreto enim ſolemniter primùm lecto, ter ſigno crucis ab Archiepiſcopo ſignatur Ordinandus: Deinde, ſi ſit Presbyter aut Epiſcopus, duo genua flectit prope altare; unum ſi Diaconus: Poſtea ſi Presbyter eſt in Epiſcopum creandus, imponitur ipſi Euangelium, tum demum ſequitur manus impoſitio, quâ permanente fiunt Orationes. Repugnat ſanè rationi formæ, ut non modo materiam, ſed etiam quaſcunque diſpoſitiones præcedat, ita ut hoc effato nihil dici poſſit abſurdius. Verum equidem eſt Euchologia edita, ex manuſcriptis poſtremum, & Simeonem Theſſalonicenſem ſignificare Archiepiſcopum, cùm hoc decretum pronuntiat, manum habere ſuper caput Ordinandi impoſitam. Sed hoc recentius eſt: Nos autem ea ſpectamus quæ ſemper & ubique fuerunt, quale quid eſt manuum impoſitio cum prece conjuncta. Deinde attento diligenter poſtremo noſtro codice nullam facit mentionem manuum impoſitionis in Ordinatione Diaconi, nec in priore Presbyteri Chirotonia, nec etiam in Epiſcopi Ordinatione, cum iſtud decretum pronuntiatur. In Euchologio Barberino antiquiſſimo manus etiam imponit Archiepiſcopus, cum decretum illud pronuntiat; ſed forſan hoc incuria ſcriptum eſt; nam nihil iſtius rei habetur in Ordinatione Presbyteri aut Diaconi; imò in Ordinatione Presbyteri hoc pronunciatur antequam Diaconus in Presbyterum Ordinandus ſanctuarium ingrediatur. Denique quid ex iſta varietate aliud colligi poteſt, quàm iſtius ceremoniæ non neceſſarius uſus, & conſequenter ad Ordinationis ſubſtantiam non pertinere?

XI. Præterea ſcopus iſtius decreti quem libri rituales exprimunt, cum Electione optimè convenit, non autem cum Ordinatione. Semper enim concluditur his verbis, *Precemur igitur pro eo, ut in ipſum veniat ſanctiſſimi ſpiritus gratia.* Id ſanè de Electo optimè dicitur, non autem de jam Ordinato. Nam gratiam ſpiritus ſancti Ordinatione jam ſuſcepit; poſtulanda eſt illi gratiæ ſuſceptæ conſervatio, poſtulandum gratiæ ſuſceptæ augmentum. Vi Sacramenti, atque ut dicunt, ex opere operato, gratiam Ordinationis præſumendus eſt obtinuiſſe, ſi antea Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus creatus fuerat. Idem diſertis verbis docet prima oratio quæ poſt hæc verba, *Divina gratia &c.* funditur ab Archiepiſcopo manum tenente ſuper Electum ad Epiſcopatum, *Ipſe omnium Domine hunc Electum,* ἀξιωθέντα *& dignum à nobis judicatum qui ſuſtineret jugum Euangelicum, & Epiſcopalem dignitatem per manuum mei peccatoris, & aſſiſtentium Miniſtrorum & Coepiſcoporum corroborationem, & confirmationem ſancti ſpiritus adventu, virtute & gratia.* In oratione ſimiliter quæ ſuper Electum ad Presbyteratum funditur, gratiam quam ei precatur, vocat *magnam illam gratiam ſancti ſpiritus,* quæ ſanè alia non poteſt eſſe quàm Sacramentalis, virtute Sacramenti ab eo producta. Denique hoc clariſſimè oſtenditur ex eo quod nec Epiſcopus, nec Presbyter nec Diaconus Ordinati & conſecrati dicuntur, poſt illius decreti ſuper Electum pronuntiationem, ſed tantum προχειριζόμενος, χειροτονούμενος, promovendi, Ordinandi, donec utraque Oratio ſuper Electum cum manus impoſitione pronuntiata fuerit; tum ſemper χειροτονηθεὶς Ordinatus dicitur; Imo pronuntiata prima oratione non aliter quàm promovendus, & Ordinandus vocatur, ſive qui promovetur & Ordinatur, ut videre eſt in omnibus ritualibus antiquis, & recentioribus.

XII. Illius de Electione decreti pronuntiatio illuſtrari poteſt ab antiquo Latinorum more apud quos idem factum eſt, ſed multò ſolemnius, ut videre eſt in Ordine Romano edito, ſub titulo, *Qualiter in Romana Eccleſia ſacri Ordines fiunt.* In quo Capitulo habetur compendium antiqui Romanorum in Ordinationibus ritus, *Poſt collectam aſcendit lector in Ambonem & elevata voce legit Brevem in auribus populi ſic continentem: Cognoſcat charitas veſtra quia ille & ille advocatur in tali officio, vel in tali. Si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum & ſecundum Deum, & dicat. Quod ſi nullus contradictor extiterit, ſequitur lectio & reſponſorium.* Hæc charta Electionis legebatur inter ſolemnia Miſſæ, feria quarta quatuor temporum poſt primam Epiſtolam, ejus graduale, & ſecundam Collectam. Miſſa completa omnes domum ſe conferebant; feria verò ſexta omnes ad Eccleſiam redibant, omniaque ut feria quarta peragebantur. Sabbato iterum magna cum ſolemnitate ad Eccleſiam Ordinandi conveniunt, & tandem lectis quinque lectionibus, *Apoſtolicus* (hoc eſt ipſe Papa) *legit Advocationis brevem coram populo, & ſtant parati ſingulorum Miniſtri cum indumento, donec Archidiaconus veniat & ſingulis ſingula ſuâ manu diſtribuat. Poſt hæc autem deſcendit Archidiaconus, innuente Pontifice, & dat uni ex ipſis manum, cæteri verò ſequantur eum, & aſcendant ad altare;*

tare; & proſternit ſe Pontifex cum ipſis in oratio- A *nem &c.* Id quod ſemel faciunt Græci ſolemniter, ter & diverſis diebus olim ſolemnius faciebant Latini.

XIII. In eodem Ordine paulò poſt ſub titulo, *Invitatio Ordinandorum* hæc Pontifex antequam Ordinationem inciperet, pronuntiabat, quibus pronuntiatis ſtatim Ordinationem incipiebat, *De domo S. Mariæ eligimus N. ad Oſtiarium ad eundem titulum. De titulo S. Stephani N. eligimus ad lectorem ad eundem titulum. De Eccleſia S. Petri N. eligimus ad Exorciſtam ad eundem locum. Poſt hæc celebrabitur conſecratio ſacrorum Ordinum.* Ibidem initio ritus Ordinationis Epiſcopalis, mos, verba- B que Græcorum expreſſius delineantur. Amplè deſcripto Electionis more, tandem Euangelio in miſſa cantato, id notatur, *Tunc advocantur in Baſilicam Presbyteri à dextris ejus, Diaconi à ſiniſtris. Ipſe verò inclinato capite in medio eorum incedit uſque dum veniat ante altare. Tunc exuitur caſula, & induit eum Pontifex planeta, & legit Brevem hunc modum continentem; Cives noſtri elegerunt ſibi illum Paſtorem, Oremus itaque pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam ſpiritus ſui, ut dignus habeatur ad Cathedram Epiſcopatus regendam. Et reſpondeatur à Schola; Chriſte audi nos. Et cantat Litaniam. Et tunc accedit propius ad altare ſubnixo capite. Pontifex verò tenet manum ſuper caput ejus,* C *& dicit unam orationem in modum collectæ, &c.* Hæc ad amuſſim ritui Græco quadrant. Quis tamen dicat lectionem iſtius Chartæ formam eſſe Epiſcopatus? ſi diſcrimen aliquod vis fingere, in modo enuntiandi tantùm reperies; eo quod nihil fere Græci in rebus ſacris per primam perſonam enuntient. Divina Gratia, dixiſſent, de domo S. Mariæ elegit &c. Divina gratia elegit hunc Paſtorem &c.

XIV. Hujus antiqui moris veſtigia multa ſuperſunt hodie in Pontificali Romano. Ita Archidiaconus Pontifici Subdiaconos conſecrandos in Diaconos offert: *Reverendiſſime pa-* D *ter poſtulat S. Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Subdiaconos ad onus Diaconii Ordinetis. Scis illos dignos eſſe?* &c. Poſtea Pontifex cum Mitra ſedens Clero & populo annuntiat, dicens, *Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hos præſentes Subdiaconos in Ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat &c.* Similia dicuntur in Ordinatione Presbyterorum antequam incipiatur, & multò ſolemnius in Epiſcoporum conſecratione, ubi mandatum Apoſtolicum petitur & legitur, & obedientiæ juramentum præſtat Electus, ut in Pontificali quiſque legere poteſt. E Quæ autem diffuſius habet antiquus Ordo Romanus editus, id habent, ſed paucis, omnes prope Rituales Latini antiqui, præſertim ubi incipit Subdiaconorum vel Diaconorum Ordinatio, & quidam præterea in ceremoniis Ordinationis Epiſcopalis. Multi quoque eorum, ſenſu, & prope verbis cum Græco decreto conveniunt, ut Lector comparans antiquos Rituales à nobis in hoc opere editos, evidenter videbit: Qua propter pluribus de his non agemus. Quid igitur formas Ordinationis Græcæ indicativas in ejusmodi verbis veluti nodum in ſcirpo quærimus.

CAP. IV.

Idem decretum eſſe electivum ex S. Dionyſio & illius interpretibus Græcis probatur. Quid Dionyſio Ἀνάῤῥησις, *& quando in Ordinatione fit. Ex Symeone Theſſalonicenſi objectio ſolvitur. Eadem ipſius in hac cauſa quæ Canoniſtarum ſententia. Quare in Subdiaconis & Lectoribus creandis non pronuntiatur hoc decretum. Non ſemper uſos hoc decreto Græcos. Ad hoc decretum alluſerunt Chryſoſtomus & Nazianzenus. Syri ut Græci, hoc decreto electivo utuntur, etiam in Subdiaconis Ordinandis, non in Lectoribus.*

I. INterpretationis quam huic edicto tribuimus, teſtem habemus certiſſimum & locupletiſſimum S. Dionyſium, tantùm abeſt ut contrariæ ſententiæ patrocinetur. Sex ritus enumerat omnibus Ordinibus majoribus communes, acceſſum ad divinum altare, genuflexionem, manus Pontificis impoſitionem, ſignum crucis, myſticam ſalutationem, & ἀνάῤῥησιν, proclamationem, deprædicationem. Hanc ἀνάῤῥησιν ſic interpretabatur S. Maximus ante annos 950. ἀνάῤῥησις, ἐστὶ κήρυξις ἐξ ὀνόματος· *veluti predicatio eſt, & denuntiatio de nomine.* Notat Maximus ſuo tempore ἀνάῤῥησιν iſtam vocatam fuiſſe Πανκήρυξιν, vel ἀνακήρυξιν renuntiationem, promulgationem, præconium. Id quod igitur præcipuè ſpectabat S. Dionyſius ἀνάῤῥησιν illam enumerans inter ſex præcipua quæ in omni Ordinatione ſacra celebrantur, eſt perſonæ conſecrandæ publica & honorifica de nomine appellatio quæ certè ad formam Ordinationum, ut eam Scholaſtici intelligunt, pertinere non poteſt.

II. Idem Maximus ſpecialius τὴν ἀνάῤῥησιν explicans illam ad duo refert quæ in Ordinatione apud Græcos fieri ſolent: Primò ad ea verba quæ profert Pontifex cùm crucis ſigno ſignat Ordinandos, quæ ſuo tempore hæc erant, ἐφαγίζεται ὁ δεῖνα διὰ πρεσβυτέρου εἰς διάκονον ἐν ὀνόματι πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου. ὁμοίως καὶ ἐπὶ πρεσβυτέρου καὶ διακόνου. *Conſignatur talis ex Presbytero in Epiſcopum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Similiter & in Presbyteri, & in Diaconi Ordinatione.* Secundò ad ea verba, de quibus agimus, *Divina gratia, &c.* τὸ δὲ ἀνάῤῥησίν φησιν ὅταν ἐν αὐτῷ τῷ χειροτονεῖν κηρύττῃ τὸν χειροτονούμενον, ἡ θεία χάρις προχειρίζεται τὸν δεῖνα εἰς τὸν ἡ. *Hæc autem vocat proclamationem nominis, cum in ipſa Ordinatione predicat Ordinandum, dicens, Divina gratia promovet hunc N. ad N.* Utrovis modo ſumatur, nihil ad formam pertinet, id eſt, ad ritum qui ſi deſit, irrita prorſus ſit Ordinatio, & iteranda, quanquam illegitima & illicita meritò dici poſſit, & conſecrans puniri, eo quod contra leges Ordinationi præſcriptas egerit.

egerit. Deinde, ut ex S. Maximo conſtat, illa ἀναῤῥήσει intelligit Dionyſius ſacram Ordinandi de nomine appellationem contenta voce proclamatam.

III. Sed ipſum S. Dionyſium tantiſper audiamus ſuam ἀναῤῥησιν in myſterii theoria explicantem, τὴν ἱερὰν δὲ τ τελ(ώσεων ϗ τ τελεσμένων ἀναῤῥησιν ὁ ἱεράρχης ἀναδοᾷ. τὸ μυηθὲν δηλῶντ@ ὡς ὁ φιλόθε@ ἱεροτελεσὴς ἐκφαντέρικός ἐϛι τῆς ϑεαρχικῆς ἐκλογῆς, οὐκ αὐτὸς ἰδία χάρι τ ἴδ τελεσμένος ἐπὶ τὴν ἱεραρχικὴν ἄγων τελείωσιν, ἀλλ' ὑπὸ ϑεῦ κινέμεν@ εἰς πάσας τὰς ἱεραρχικὰς ἀγιαϛείας. *Sanctam conſecrationum, & gradus nominumque eorum qui conſecrantur renuntiationem exclamans effert. Quod quidem myſterium declarat Pontificem qui Dei amans eſt, interpretem eſſe divinæ electionis; ipſum autem non ſuo munere & favore eos qui conſecrantur, ad Eccleſiaſtici Ordinis perfectionem efferre, ſed divini numinis inſtinctu in omnibus conſecrationibus Pontificalibus agi.* Nihil eſt igitur aliud ſacra iſta ἀναῤῥήσεις quàm publica Electionis Ordinandorum de nomine recitatio; Pontificem autem ad ſacram iſtam Electionem ſuo inſtinctu procedere non debere tribus exemplis S. Dionyſius eodem loco demonſtrat; Moſis qui Aaronem, licet fratrem ſuum ad dignitatem ſacerdotalem non antea evexit, quàm divinitus id Deo placere cognoviſſet; Chriſti qui ſeipſum non clarificavit, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es Sacerdos &c. S. Petri qui cum Pontificalis conſecrationis honor duodecimo Collegæ eſſet deferendus ἐπὶ τῇ ϑεαρχίᾳ τὴν ἐκλογὴν καταλέλοιπεν, *Electionem divino principatui religioſe reliquit*, cum dixit, *oſtende nobis quem elegeris*, &c. Notabit autem lector S. Dionyſii verba, τῶν τελεσμένων ἀναῤῥήσιν ἀναδοᾷ; Ideo diſertè notant omnia Euchologia oportere Pontificem iſtud decretum *Divina gratia, &c.* Ita pronuntiare ut omnes circumſtantes audiant.

IV. Eodem ſenſu S. Dionyſii verba interpretatur Pachymeres, ἀναδοᾷ ἤ ὄνομα τὸ χειροτονουμέν@ ὁ ἱεράρχης, οὐ ὀφιλόθεος ἱεροτελεσὴς μόνον ἐκφαίν τὴν ϑείαν ἐκλογὴν, ὅτι ὑ χάριτι, ἀλλ' ὑπὸ ϑεῦ κινούμεν@ αὐτὸν ἐξελέξατο. τοῦτο γὰ ἐϛιν ἡ ἐκφώνησις, ἡ ἔκφανσις τῆς ϑείας βολῆς. *Elata autem voce pronuntiat Pontifex nomen illius qui Ordinatur; quia Dei amans Conſecrator ſolùm declarat divinam Electionem: Quod non gratia aut munere, ſed Dei inſtinctu motus eum elegerit: Eſt enim proclamatio illa, divini conſilii declaratio.* Deinde poſt enarrata in eundem ſenſum, exempla Electionis à S. Dionyſio allata, Sermonem ſic recolligit, πάλιν τὸ προκείμενον λέγομεν, ὅτι χρὴ τὸν ἱεραρχικινούμενον ϑῦ τὸ παναγὲς πνεύμα@ τὰς ἐκλογὰς ποιεῖϑ, *Materiam propoſitam repetimus, quod ſcilicet oportet Pontificem a ſanctiſſimo Spiritu motum Electiones facere.* Evidens eſt igitur ex S. Dionyſio & ejus Interpretibus Græcis ἀναῤῥήσιν illam ſive decretum illud, *Divina gratia &c.* nihil aliud eſſe quàm Electionis legitimè factæ promulgationem ea verborum formula quæ docet Electionem ejuſmodi Dei inſtinctu, non hominum favore fieri debere.

V. Opponitur Symeon Theſſalonicenſis, qui diſertè teſtatur unà cum pronuntiatione iſtius decreti, Divina gratia promovet hunc Subdiaconum in Diaconum, ſtatim Subdiaconum fieri Diaconum, nec Dei verbum efficax tempore egere ad effectus ſui productionem: Ideo προχειρίζει interpretatur non modo promovet, ſed etiam creat, conſtituit, perficit, veluti ipſa electione & promotione, nulla alia re adhibita, ex Subdiacono fieret Diaconus, & ex Diacono Presbyter. Verùm ab eo ſenſu abeſt quàm longiſſimè Symeon, ut probant verba immediatè ſequentia. Poſtquam enim dixit verba quæ poſtrema citantur, & quæ videntur expreſſiſſima, *Tunc ſtatim è ſubdiacono fit Diaconus*, addit, *Nihilominus tamen opus adhuc habet myſterio, & perfectione precum Epiſcopalium, & caterorum omnium quæ in Ordinationum paradigmate continentur. Non enim vox ſola ſufficit, ut Subdiaconus in Diaconum creetur, dicere in Diaconum vel quemvis alium gradum promoveatur, ſed cum hoc oportet etiam caput ejus ſacræ menſæ incumbere, & flectentem genu, Epiſcopi manum impoſitam habere, & deſcriptas preces & Orationes recitari, & cruce ſignari &c.* quæ apud Symeonem legi poſſunt c. 3. Omnia in Rituali præſcripta judicat eſſe neceſſaria. Cum autem illud decretum primum ſit eorum quæ in Rituali præcipiuntur; ideo totam actionem illi tribuit; quod retulit Arcudius. Ne verò quis, ut Arcudius, verba ſua ad aliarum ceremoniarum neceſſitatem excludendam arriperet, ea ſtatim addidit quæ reticuit Arcudius, nos verò retulimus.

VI. Monendus eſt præterea lector Symeonem non attendere diſtinctionem Scholaſticam neceſſitatis in neceſſitatem medii, & neceſſitatem præcepti, ſed de neceſſitate generaliter verba facere. Si quis illi propoſuiſſet in ſpecie Diaconum in cujus Ordinatione ritus omnes obſervati fuiſſent præter decreti iſtius promulgationem, & interrogaſſet eum, An iſtius Diaconi repetenda eſſet Ordinatio, exiſtimo tum adhibiturum fuiſſe diſtinctionem Scholaſticam aut ſimilem. Promulgationem illam neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti, non autem neceſſitate medii: Diaconum illum illicitè Ordinatum eſſe, validè tamen; ideo Ordinationem illam ratam habendam. Forſan amplectebatur Symeon multorum Canoniſtarum ſententiam, quos refert, & ſequitur autor Summæ Aſtenſis lib. 6. de collat. Ordin. tit. 4. art. 5. qui aſſerebant omnia illa eſſe de ſubſtantia Ordinationis quæ in jure præcipiebantur, & expreſſum non erat ad illius ſubſtantiam non pertinere. Si igitur expreſſum erat ad ſubſtantiam non pertinere hanc & hanc ceremoniam, & omiſſa fuerat, tum ſufficiebat omiſſam ceremoniam cautè ſupplere. Si verò id expreſſum non eſſet, tum Ordinatio de integro eſſet iteranda, quaſi præcedenti actione nihil eſſet actum. Non enim, inquiebant, intelligitur iteratum quod neſcitur factum. Ita cenſent Innocentius, Raymundus, Hoſtienſis, Goffridus.

VII. Iſtius materiæ illuſtrandæ cauſa duas quæſtiones ciebimus: Prior quamobrem iſtud decretum, *Divina gratia &c.* non promulgatur apud Græcos in minoribus Ordinationibus? Iſtius conſuetudinis cauſa duplex mihi videtur reddi

reddi posse. Prima quod apud Græcos electione Clerici non conferrentur ejusmodi Ordines, sed solo Pontificis arbitrio. Itaque proclamatione Electionis opus non erat, ubi nulla erat electio. Nullam autem fuisse ex S. Clemente & omnibus Euchologiis colligitur, quæ illius nullam mentionem faciunt. Secunda causa, quod hæ Ordinationes sæpius fierent in Diaconico apud Græcos, ut etiam apud Latinos; nunquam autem in Sanctuario, sive choro, ut cum de iis sigillatim agetur, demonstrabimus. Quapropter licet Lectorum & Subdiaconorum electio facta fuisset, nulla in eorum Ordinatione istius electionis promulgatio necessaria fuisset, cum privatim coram solis Clericis, non publicè Ordines illi conferrentur.

VIII. Posterior quæstio est, an ista decreti electivi proclamatione semper usi sint Græci? Difficultatem facere videtur S. Clemens in Constitutionibus, qui ejusmodi decreti nunquam meminit, licet omnes suo tempore consuetas ceremonias multis verbis explicet. Deinde Theodoretus in Philotheo c. 13. Presbyteri Ordinationem ita narrat, ut nullus huic promulgationi locus esse possit. Flavianus, inquit, Antiochenus Episcopus pietatem Macedonii plurimùm celebrari audiens cum è vertice montis in quo habitabat, simulata accusatione evocat. *Postea mystico proposito sacrificio adducit ad altare, eumque cooptat in numerum Sacerdotum. Postquam autem finitum fuit sacrum officium, & hoc ei significavit aliquis (quod enim factum fuerat, ignorabat omnino) primùm quidem insessebat omnes maledictis & convitiis, &c.* Si Decretum hoc pronuntiatum fuisset, quo modo ignorare potuisset se in Sacerdotem Ordinari, & mysterio peracto se Ordinatum esse? Hoc fieri nunquam passus fuisset: Cum primùm enim hoc Clericis monentibus resciviť, circumstantes convitiis & scipione, quo sustentabat se, incessivit, donec doctus rem ampliùs aliter se habere non posse, tandem quievit. Idem etiam colligitur ex eodem libro c. 19. ubi vitam Salamani Eremitæ refert, *Pontifex civitatis cujus is erat vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit volens ei dare donum Sacerdotii, & domuncula perfossa aliqua parte est ingressus, manumque imposuit, & peregit precationem. Et sæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum advenerat gratiam, significavit.* Quid opus erat Pontifici toties illi significare gratiam Ordinationis illi advenisse, hoc est, illum Presbyterum constitutum, si decretum illud præcessisset.

IX. Objicies forsan idem dici posse de Orationibus quibus Ordinandi consecrantur: Explicant enim officia Sacerdotis. Non licet tamen ex ignorantia Macedonii colligere super eum in illius initiatione pronuntiatas non fuisse; sic nec ex illa admonitione ab Episcopo facta Salamano Presbyteri gratiam eum consecutum, cum disertè testetur Theodoretus preces illas super eum conceptas fuisse. Respondeo, si Græca consuetudo pronuntiandi preces consideretur, objectionem illam evanescere. Preces enim illæ mysticè dicuntur, hoc est, secretò, nec à circumstantibus exaudiuntur, finis tantùm qui omnibus Orationibus communis est, alta voce profertur. Itaque nihil mirum si simplices illi Monachi de Ordine recepto ex precibus nihil cognoscerent. Neque id colligere poterant ex impositione manuum, aut signo crucis, quia posterior in omnibus Sacramentis & Sacramentalibus adhibetur; Prior autem plurimis.

X. His diligenter animo perpensis mihi dicendum videtur hac solemni publicatione in Ordinationibus non semper usos Græcos, aut saltem non ubique. Id constat ex S. Clemente qui in nulla Ordinatione illius mentionem facit. Licet satis diffusè electionem Episcopi enarret, populi, Clerique partes in ea distinguat lib. 8. c. 4. de ista tamen solemni pronuntiatione nullum verbum. Idem ex Theodoreti locis allegatis mihi videtur manifestum. Antiquissimus tamen est apud Orientales istius solemnis pronuntiationis usus, cum eam nobis repræsentent omnia Euchologia etiam antiquissima; ad eam evidenter alludant S. Dionysii verba locis citatis quæ ante mille ducentos annos scripta fuisse nemo negare potest; ea Dionysii verba repetat, & de solemni illa pronuntiatione explicaverit ante mille annos S. Maximus. Cum denique, ut notavit Arcudius, ante hos omnes ad illud solemne edictum alluserit S. Chrysostomus oratione 4. de Sacerdotio his verbis, *μᾶλλον ὅτι πολλαὶ τούτων τῶν χειροτονιῶν οὐκ ἀπὸ τῆς θείας γίνονται χάριτος, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων σπουδῆς, Cum præsertim multæ harum Ordinationum à divina gratia non fiant, sed ab humano studio:* Et ante Chrysostomum Gregorius Nazianzenus oratione quam habuit in laudem Patris sui, *Νῦν δὲ κινδυνεύει τὰς δημοσίας ἀρχὰς διατάξεως ἀπολαμβάνειν τῶν ἡμετέρων, αἷς ἡ θεία χάρις ἐμφημίζεται, Nunc verò parum deest quin existimem publicos Magistratus præstantiore Ordine nostris administrari quibus divina gratia ἐμφημίζεται, acclamatur, & contenti advocatur.* Est enim *ἐμφημισμὸς* eo loco idem quod S. Dionysii *ἀνάῤῥησις*.

XI. Eadem ratio est Syrorum, eodemque modo quo ex Græca Ordinatione, ex Syra argumentari possumus: Omnia enim prorsus sunt similia, idemque & iisdem verbis Electionis decretum, ut supra videre potes in Ordinationibus Syris, præcipuè in Ordinatione Episcopi in qua ritus integrè & expansè refertur, quæ hic ideo importunè non repetimus. Ex isto ritu multò expansiore hac in causa quàm alii, explicari & suppleri debent, quæ in aliis ritibus aut desunt, aut dubia sunt. Tria tantùm ad hunc ritum breviter adnotabo. Primum, decretum istud à Patriarcha vocari, *prædicationem, promulgationem*; Iubet Patriarcha uni ex Episcopis, *ut promulget, deprædicet, prædicationem, promulgationem istam.* Hoc enim verba ista significant, ut S. Dionysii *ἀνάῤῥησις*, & Gregorii Nazianzeni *ἐμφημισμός*. Id est præterea quod Græca omnia Euchologia tam solicitè observari jubent, hoc decretum *εἰς ἔκθεσιν πάντων ἀναγινώσκειν*. Secundum, id decretum legi etiam in Ordinatione Subdiaconi apud Syros Maronitas, quod Græci non usurpant; sed omitti in Ordinationi-

tionibus Lectoris & Cantoris; cujus omiſſionis eadem ratio mihi videtur quæ apud Græcos in Ordinatione Lectoris & Subdiaconi quam ſupra explicavimus: Tertium, non videtur decretum iſtud uſurpatum in Ordinationibus Presbyteri & Diaconi apud Jacobitas. Sed dicendum in compendioſo ritu quem nacti ſumus ſubaudiri ſub pronomine, *Illa*, ubi dicitur, *Epiſcopus clamat & dicit, Illa quæ vocat & offert ex Ordine Diaconatus ad Ordinem Presbyterorum, Illa*, ſupple gratia &c. ut in eodem ritu legitur in Ordinatione Epiſcopi. Idem etiam colligitur ex verbo, *vocat*, quod apud Jacobitas & Maronitas in eo decreto legitur, & ad gratiam refertur. Itaque manifeſtum eſt nihil eſſe in ritibus Ordinationum Orientalium omnium, tam Græcarum quàm Syrarum, non ſecus ac Latinarum antiquarum præter orationes quod formæ rationem induere poſſit.

EXERCITATIO III.

DE EPISCOPATUS A PRESBYTERATU distinctione, Epiſcopi conſecrandi neceſſitate, ejuſque in Presbyteros & univerſos Clericos autoritate.

CAPUT I.

De diſtinctione Epiſcopatus à Prtsbyteratu quatuor Scholaſticorum ſententiæ enarrantur. De Charactere Variæ Scholaſticorum ſententiæ. Multi eorum ſentiunt à Patribus teſtimonium non habere. Ejus diſertam mentionem non faciunt recentiores Patres, nedum antiquiores, ſed poſtmodum duo Concilia generalia rem dubiam definierunt. Epiſcopatus nihil intrinſecum addit Presbyteratui, ſed tantum denominationem extrinſecam. Entitas moralis, & relationes licet fundamento ſuo nihil reale addant, ſunt plerumque efficaciſſimæ.

I. TErtio nobis edifſerendum propoſuimus an Epiſcopatus ſit Ordo à Sacerdotio diſtinctus, ſive an Characterem peculiarem à Charactere Sacerdotali diſtinctum in anima ſui collatione imprimat. Aſſumimus enim non probamus, characterem eſſe, atque à tribus Sacramentis in anima peculiarem imprimi, quorum Ordo unum eſt. Sic enim definivit Concilium Tridentin. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Idem Concilium Florentinum ſeſſ. 23. c. 4. Doctores Scholaſtici cum primùm de charactere in Scholis diſputari cœptum eſt, variè admodum ſenſerunt de illius natura & effectibus, ut videre eſt apud Albertum in 4. diſt. 6. artic. 3. Bonaventuram eadem diſtinct. q. 1. Alexandrum. 4. part. q. 8. memb. 8. art. 1. & Alios. Nonnulli, & numero & autoritate non contemnendi, profeſſi ſunt nulla aut admodum pauca à ratione aut traditione teſtimonia & argumenta ſupereſſe quibus character demonſtretur. Albertus magnus eodem loco artic. 4. ubi examinat characteris definitionem ad quæſtionem undecimam ſic cenſet. *Videtur mihi ſecunda ſolutio melior quam prima. Neutra tamen habet robur autoritatis, niſi quantum facit uſus Magiſtrorum: quia de charactere in ſenſu quo Magiſtri diſputant, de eo parum invenitur inditis ſanctorum.* Durandus in 4. diſt. 4. q. 1. ita loquitur ut eandem ſententiam dictis ſuis evidenter ſupponat, *Omnes moderni profitentur imprimi characterem in aliquibus Sacramentis: & nos loquentes ut plures, dicamus cum eis characterem non nihil eſſe. Quid autem ſit, inveſtigandum eſt.* Ipſe autem ex ſententia ſua & aliorum ita naturam ejus definit, ut antiquiores plures facilè habeat ſibi conſentientes: Nec ab ea multum abſunt Guilelmus Pariſienſis, Albertus, & Scotus. Verùm à poſterioribus Doctoribus paſſim improbata fuit illius ſententia, & hodiernorum nemini placere potuit.

II. Scotus in eandem diſtinctionem q. 9. ulterius progreditur: Non contentus enim idem generalius dixiſſe, diſſolvit rationes omnes, & teſtimonia Patrum quibus ſuo tempore character ille demonſtrari ſolebat; tandemque poſt longam de hac re diſputationem, colligit, *Sentiendum eſt de Sacramentis Eccleſiæ ſicut ſentit Romana Eccleſia. Romana autem Eccleſia videtur ſentire characterem imprimi in anima in baptiſmo, ſicut dicit Innocentius III. extra de baptiſmo & ejus effectu C. Majores.* Et paulò poſt, *Propter ergo ſolam autoritatem Eccleſiæ, quantum occurrit ad præſens, eſt ponendum characterem imprimi.* Gabriel Biel in eadem diſtinct. q. 2. idem facit quod Scotus, ſed breviùs, tandemque colligit. *Sic ergo patet, quod neque autoritates ſacræ ſcripturæ;*

re; neque ſanctorum Patrum originalia cogunt po- A *nere charactèrem ad hunc intellectum in quo accipitur à recentioribus autoribus.* Poſtea dicit probabiliter demonſtrari poſſe certis quibusdam convenientiis, quas tamen omnes infirmas eſſe probat, tandemque confugit velut ad ſacram anchoram ad Innocentii III. decretalem jam allegatam. Id etiam ingenuè fatetur Cardinalis Cajetanus in 3. part. q. 63. art. 1. *Adverte hic duo, primum, quod Sacramenta imprimere charactèrem ex ſacra ſcriptura non habetur: ſed ex Eccleſiæ autoritate, & non multùm antiqua, ut patet ex ſacris Canonibus, & priſcis quæſtionibus Patrum de reiteratione baptiſmi, qua locum non* B *habuiſſent, ſi Eccleſia jam determinaſſet imprimi in anima charactèrem per baptiſmum, quod Innocentius III. Extr. de Bapt. C. Majores, determinavit;* deinde ait S. Dionyſium id ſuadere probabilibus argumentis.

III. Ante hos omnes idem clarè innuit Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus c. 3. de Baptiſmo: *Sed jam conſenſerunt ſacri Doctores in hoc quod præter gratiam, præter totum decorem, virtutem, & honorem, ſine quibus Deo non placetur, imprimatur charakter; licet non declaraverint, nec fecerint ſcire quid ipſe charakter ſit ſpecie: Etſi tamen dicunt ipſum eſſe in genere qualitatum, non tamen determinant nobis qualem efficiat animam Baptizantis,* C *vel ipſum Baptizatum.* Deinde refutatis multis opinionibus ſuo tempore vulgatis in eam concedit ſententiam quæ evertere videtur eam in quam teſtatur ſui temporis Theologos convenisse: *Nos autem dicimus quod illud quod imprimitur in Baptiſmo præter gratiam gratum Deo facientem, & quod remanet poſt remiſſionem ipſius, ſanctitas quædam eſt, cujus exemplum & figura eſt ſanctitas Baſilicarum conſecratarum atque vaſorum. Baſilica enim conſecrata quantumcunque poſt conſecrationem polluatur aut prophanetur, ſancta remanet; alioquin non eſſent ſacrilegi violatores &c.* quæ multis proſequitur. Verùm ejuſmodi ſanctitas, ut rectè notat Scotus, & eſt res per ſe D evidens, nihil reale ponit in ſubjecto quod denominat.

IV. Petrus Pictavienſis Lombardi diſcipulus, & in cathedra Theologica Pariſienſi quam annis prope 40. magno cum plauſu tenuit, ſucceſſor, primuſque ſententiarum Lombardi Commentator in diſt. 24. L. K. fol. 109. ad hæc verba textus, *Si autem queratur quid ſit quod vocatur Ordo &c.* adnotat, *Dicimus quod adhuc ſub judicelio eſt, & eſt quæſtio eadem illi qua quæritur quid ſit genus & ſpecies. Dicitur tamen quod eſt quibuſdam charakter ſpiritualis, id eſt, diſcretio qua diſcernitur Ordinatus à non Ordinato.* De hoc charactère ſolùm quærit, *Utrum ſemel ſuſceptus* E *aliquo modo adimatur. Hæc quæſtio decretalis eſt. Quidam concedunt, & probabilius, quidam non.* Ipſe Magiſter ſententiarum, & qui eum paululùm præceſſit Hugo à S. Victore, qui ſuo tempore Theologorum principes erant, licet plurimas quæſtiones de Sacramentis qui charactèrem imprimere creduntur, civerint, & eas undique ex ſanctis Patribus, aliiſque collegerint, de characteris tamen iſtius natura, effectu, cæteriſque elogiis ne verbum quidem. Maximum eſt ubique in eorum ſcriptis de hoc charactère ſilentium, quanquam nonnullarum quæſtionum ab iis excitarum ſolutiones juxta doctrinam quæ paulò poſt eorum mortem in Scholis viguit, id urgentiſſimè viderentur expoſtulare. Qui Magiſtrum de his Sacramentis paulò attentius legent, & Hugonem libro 2. de Sacramentis fidei, & in ſumma ſententiarum, in quibus diverſis ſcriptis de iiſdem Sacramentis diffuſe agit, quique Scholaſtices peritus memor erit multiplicium & ſubtilium quæſtionum quarum origo & reſolutio huic characteri incumbit, non abs re mirabitur, viros tam doctos illius memoriam nunquam feciſſe.

V. Verùm dimiſſis iſtis ut huic loco ineptis, atque etiam ut poſt clariſſimam Concilii Tridentini definitionem à viro Catholico non committendis dubiæ, & ancipiti ſententiæ; Eſto nobis velut principium primum, & per ſe notum, Characterem eſſe ſignum ſpirituale & indelebile virtute Sacramenti animæ impreſſum, eam ad cultum divinum & gratiam juſtificationis præparans, & neceſſariò cum ea & fructibus ejus, niſi ponatur obex, connexum. Addamus aliquid ſpecialius, qualitatem eſſe ſpiritualem & indelebilem, cum Doctorum Eccleſiæ maxima pars in eam ſententiam inclinare & recumbere videatur. Quidni Poſteriores ex Priorum cognitione & ſcientia profecerint? *Plurimi pertranſibunt*, inquit Daniel, *& multiplex erit ſcientia.* Hoc igitur aſſumpto inquirimus, An Epiſcopatus charactèrem animæ imprimat à Sacerdotii charactère diſtinctum, Presbytero cum conſecratur Epiſcopus de novo accidentem; ſive an Epiſcopatus ſit Ordo & Sacramentum ſpeciale à Sacerdotio realiter diſtinctum. Reſpondeo quatuor eſſe Catholicorum de iſtius quæſtionis ſolutione ſententias, duas extremas; duas medias. Prima & antiquis Scholaſticis, eorumque Principibus communiſſima eſt, Epiſcopatum charactèrem non imprimere, non eſſe Ordinem ſeu Sacramentum à Sacerdotio diſtinctum, Epiſcopatum nihil illi addere ejuſmodi; ſed tantùm per conſecrationem aliquid Sacramentale: Quidquid Ordinis propriè dicti, qua ratione dicuntur ſeptem Ordines; quidquid Sacramenti & characteris habet, illud à Sacerdotio quo neceſſariò ante Epiſcopatum imbutus eſſe debet, haurire. Sed Epiſcopatum per ſe nihil aliud dicere quàm officium, dignitatem, poteſtatem, autoritatem Sacerdoti datam multò ampliorem, & auguſtiorem per conſecrationem Epiſcopalem, ea quam per Sacerdotii charactèrem nactus fuerat; quæ dignitas & poteſtas antiquitus, ut & nunc in quatuor gradus dividebatur, Patriarchas, Archiepiſcopos ſeu Primates, Metropolitas, & Epiſcopos.

VI. Hæc paſſim Scholaſticorum Doctorum Principes. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis fidei, part. 3. cap. 12. Magiſter in 4. diſt. 24. lit. l. Alexander Hal. p. 4. Summæ q. 20. membro. 8. art. 1. in fine reſolutionis. S. Bonaventura in 4. diſt. 24. part. 2. art. 2. q. 3. hanc ſententiam multis & dilucidè explicat, difficultatibus quæ moveri poſſunt, occurrit, & communem eſſe teſtatur. S. Thomas ibid. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 2. & diſtin. 25. q. 1. art. 2. reſp. ad. 2. & in ſupplemento

quæſt.

quæſt. 40. art. 5. in corpore, & reſponſ. ad ſecundum. Albertus magnus in 4. diſt. 24. art. 39. Nec etiam diſplicet Scoto ibid. quæſt. 1. §. *De ſecundo articulo.* Richardus eadem diſt. artic. 5. q. 2 ſed aliorum ſententiam referens non improbat. Thomas de Argentina quæſt. unica art. 2. Capreolus in 4. diſt. 25. q. prima art. 1. 22. Aureolus quoque, quem ibidem fuſè refert, Paulus Soncinas in 4 diſt. 25. q. 1. concluſ. 2. ſed Capreolus & Soncinas ambo Aureoli modum explicandi refutant, Abulenſis in c. 16. Matt. q. 74. Joannes de Turrecremata. C. Cleros diſt. 21. §. Ad quintum n. 16. Silveſter in ſumma, v. Epiſcopus, q. 1. Corauruvias tom. 2. variarum reſolutionum lib. 1. c. 10. n. 15. qui in hujus ſententiæ confirmationem multos citat autores Panormitanum, Cajetanum, & alios. Teſtatur præterea Covarruvias iſtam ſententiam apud Theologos eſſe receptiorem, ut & Dominicus Soto l. 10. de juſtitia & jure q. 1. art. 2. Eandem ſententiam amplecti neceſſariò debent quicunque ſeptem Ordines tantùm enumerant, aut ſaltem ei plurimùm favent. Septimus enim ſecundum illorum omnium enumerationem eſt Presbyteratus.

VII. Secunda ſententia huic oppoſita docet Epiſcopatum peculiarem eſſe Ordinem à Presbyteratu, ſpecie & numero diſtinctum, diverſum imprimentem characterem, ita tamen affectum ut Presbyteratum ad ſui impreſſionem naturâ ſuâ requirat. Unde illi Ordines octo numerant, quidam novem, Ordinum numero jungentes primam tonſuram. Eſt qui decem, Archiepiſcopatum omnibus ſuperaddens. Hanc ſententiam docent Guilelmus Altiſiodorenſis ſummæ lib. 4. tract. 8. q. 1. Major in 4. diſt. 24. q. 1. §. *ſequenti.* Almainus eadem diſt. q. unica art. 2. Nicolaus de Orbellis in 4. d. 24. Nicolaus Denize tract. 6. p. 3. Petrus Soto de inſtitutione Sacerdotum lect. 4. de Sacramento Ordinis. §. *ex his igitur.* Michaël Medina lib. 1. de Sacrorum hominum continentia cap. 16. & 18. Navarrus in Manuali cap. 22. n. 18. & cap. 27. n. 163. Joannes Eckius lib. 3. de Primatu Petri cap. 22. & homiliis 67. 68. de Sacram. Joan. Puteanus in ſummam S. Thomæ q. unica de Sacram. Ordinis, dubio 3. & ſexto, Concluſ. 3. Bellarminus de Sacram. Ordinis l. 1. cap. 5. Eſtius in 4. diſt. 24 §. 18. ubi hoc multis demonſtrare nititur. Franciſcus Sylvius in 3. partem. q. 40. art. 5. Concluſ. 2. Gregorius de Valentia de Sacramento Ordinis quæſt. 1. puncto 4. §. *Secundò controverſum*, ubi æſtimat cum Petro Soto ſententiam iſtam eſſe de fide. In hanc ſententiam videtur potius inclinare Ludovicus Meratius quam in ſequentem tom. 3. in S. Thomam, tractatu de Ordine, diſput. 5. ſect. 2. licet rationem explicandæ differentiæ characteris Epiſcopalis à Sacerdotali peculiarem & à nemine hactenus traditam in fine ſectionis ejuſdem doceat. Sed eam rigidè defendit Nicolaus Iſambertus dum viveret celebris Sorbonæ Doctor tom 3. diſp. in 3. partem diſp. 2. de Ordine art. & 3. diſp 4. art. 3.

VIII. Tertia ſententia inter has extremas media eſt. Non profitetur enim Epiſcopatum novum eſſe Ordinem à Presbyteratu plane diſtinctum, peculiarem characterem imprimere, octo eſſe Ordines: Nec etiam profitetur eundem eſſe planè Ordinem cum Presbyteratu, ſolo tantùm officio & dignitate, poteſtateque ipſi addita diſtingui, ut prima opinio; Sed ita priorem ſententiam cum poſteriore temperat, ut non unum abſolutè utriuſque characterem, nec duos; ſed unius characteris extenſionem & diffuſionem aſſerat; non unum omnino, & undequaque eundem Ordinem, nec duos, ſed unum imperfectè & inchoatè in Presbyteratu, perfectè & completè in Epiſcopatu tradat, adeò ut Epiſcopus ſit eis Presbyter perfectus & completus, cui poſt Episcopatus collationem nihil habeat Ordinatio quod inſuper addere poſſit. Itaque hac temperatura videntur ſibi Epiſcopatum præclarè à Presbyteratu diſtinguere, nec tamen duos Ordines, aut duplicem characterem conſtituere, cum res inchoata & imperfecta à conſummata & perfecta numero non differat. Ut puer generare impotens creſcente ætate vir factus & generationi idoneus, alter à ſeipſo juvene non evaſit: Sic nec Presbyter factus Epiſcopus, eo quod Epiſcopali conſecratione ad Presbyteros generandos, alioſque Eccleſiæ Miniſtros, factus eſt idoneus. Hunc explicandi modum etiam uſurpant nonnulli autores pro ſecunda ſententia citati, ut Gregor. de Valentia reſponſ. ad primum; & diſertiſſimè Meratius ſectione 2. n. 3 & 4.

IX. Extenſio illa characteris non concipitur ab iis ad modum quantitatis; ſed qualitatis quæ vires ampliores & perfectiores acquirit, eaſque in plura objecta diffundit. Rectiùs mihi videtur Paludanus hanc extenſionem explicare diſt. 24. q. 7. art. 4 ad primum: *Sicut habitus ſcientiæ aliquando augetur non intenſivè reſpectu ejuſdem concluſionis, ſed extenſivè reſpectu alterius: ut puta, quia de eodem objecto ſub eadem ratione formali per exercitium novum acquirit homo notitiam novæ concluſionis, tunc intenditur habitus ſcientiæ, non ſic quod poſſit limpidius ſpeculari illud quod prius obſcurius vel promptius, quia ponitur quod non plus frequentavit concluſionem prius notam; ſed quia per illum habitum, per quem prius non poterat conſiderare promptè, niſi unam concluſionem quam ſolùm frequentaverat, nunc poteſt æqualiter conſiderare ſecundam, quam prius non ſic poterat. Ita character Sacerdotalis qui prius non poterat Ordinare, vel confirmare, ſed tantùm inungere, conficere, & abſolvere, adhibita Epiſcopali conſecratione poteſt non plus conficere, ungere, vel abſolvere quam prius, ſed Ordinare, & Confirmare, quod non prius.*

X. Character Presbyteralis acceſſione Epiſcopatus non perficitur, aut intenditur ratione functionum Sacerdotalium: Nova tamen illi advenit perfectio & intenſio qua fit ad alias functiones habilis, ad quas antea erat aut minus aptus, aut ineptus. Itaque perficitur character Presbyteralis, & reapte augetur acceſſione Epiſcopatus, ut habitus ſcientiæ plurium concluſionum cognitione realiter creſcit. Hoc temperamentum primus forſan invenit Durandus in 4. diſtinct. 24. q. 6. Poſt ipſum Paludanus loco jam citato, Domini-

minicus Soto in 4. dist. 24. q. 2. art 3. & præsertim resp. ad 2. & 4. ubi concludit. *Gratia quæ ad potestatem characteris Ordinis attinet, completè per Sacramentum Ordinis Sacerdotalis confertur ad omnia administranda Sacramenta quæ quocumque tempore Sacerdos administrare debuerit. Et ideo licet dum consecratur in Episcopum, extendatur ejus potestas ad alia tradenda Sacramenta, scilicet Confirmationem & Ordinem, non tamen indiget nova gratia Sacramentali, tametsi per morum meritorumque augmentum debeat conniti ut cumulatiori provehatur.* Henriquez lib. 10. de Ordinis Sacram. cap. 7. n. 1. ubi in suam sententiam multos trahit autores, Hallerius de Sacris Ordinatio. part. 2. cap. 1. art. 1. § 4. n. 21. 22. Aegidius Konink tom. 2. de Sacram. disp. 20. in fine dubii 2. in fine sexti, & in fine 8.

XI. Quarta sententia inter primam & secundam alia ratione media intercedit, seu potius alia ratione characteris extensionem explicat. Eam tradit Gabriel Vasquez, in 3. partem disput. 240. cap. 5. n. 54. Censet igitur per Consecrationem Episcopalem alium characterem à Sacerdotali non imprimi, nec Sacerdotalem jam susceptum propriè extendi, sed eo permanente novam & distinctam à præcedente potestatem conferri. Interrogatus autem quæ sit illa potestas Characteri Sacerdotali per Episcopatum superaddita, respondet *Nihil aliud esse nisi relationem destinationis divinæ ad hoc aut illud ministerium, quæ est extrinseca denominatio*: Sic ille disput. 239. cap. 6. n. 57. istam potestatem explicat, & eò lectorem remiserat disput. 240. ut quid esset illa potestas, intelligeret, ne idem repetere teneretur. Ex ejus enim sententia eodem modo Philosophandum est de Charactere Sacerdotali quatenus spectat Episcopalem potestatem, ut de eo quatenus spectat Sacerdotalem absolvendi facultatem, philosophatur. Putat enim characterem Sacerdotalem perfectè imprimi per hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. nondum tamen Sacerdoti potestatem absolvendi concessam, donec protulerit Episcopus hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum &c.* quibus characteri jam susceptо nihil intrinsecum additur, sed nova quædam deputatio illi divinitus advenit, qua Absolutionis peccatorum tradendæ fit potens, quod prioribus verbis nondum acquisierat. Itaque juxta summi istius Theologi sententiam Ordinatió Episcopalis characteri Sacerdotali nihil addit præter relationem extrinsecam deputationis divinæ ad quædam ministeria quibus peragendis non erat idoneus Presbyter: Consequenter Ordinatio illa nullam formam, sive, ut ita loquar, nullam entitatem qualemcunque absolutam novam in Sacerdote ponit, sed relationem rationis puram in eo tantùm dicit ex deputatione divina exurgentem. Koning hanc sententiam probabilem judicat, & facilè defendi posse, in fine dub. 8. loco jam citato.

XII. Philippus Gamachæus tomo 3. Summæ Theologiæ de Sacramento Ordinis cap. 9. eandem sententiam & explicandi ratio-

A nem amplectitur, licet doceat Episcopatum esse non modò Ordinem propriè dictum, & à Presbyteratu distinctum; sed etiam Sacramentum, asserat. Extensionem enim illam ita interpretatur, ut meram rationis relationem ex divina deputatione ad nova officia consurgentem dicat; non secus ac Vasquez, sed evidentius. Ipsius verba referemus, quia sunt explicatissima, sic ille tom. 3. Commentario de Sacram. Ordinis cap. 9. in tertiæ Assertionis explicatione, in qua comparat ut Vasquez hanc extensionem cum extensione quæ fit ejusdem characteris, dum in fine Ordinationis Presbyteralis manus B Presbytero imponitur, eique dicitur, *Accipe Spiritum sanctum* &c. *Potestas Sacerdotalis in Corpus Christi verum, cum sit omnium præstantissima, facilè etiam applicari potest ad quælibet officia Episcopalia per solam extensionem, & novam relationem rationis ex institutione Christi.*

Capite præcedente in quo de Presbyteratu differit hanc extensionem multis verbis describit, *Ubi aliquis Sacerdos consecratur Episcopus, omnes fere docent fieri id per solam extensionem characteris Sacerdotalis: Ergo multò magis dicendum de Sacerdote, qui post facultatem* C *consecrandi, accipit etiam absolvendi. Neque opus est illa extensio sit aliquid Physicum, vel addat novam entitatem realem, sed sufficit nova relatio rationis ex institutione Christi ad novos effectus per concursum divinum edendos, &c. Explicatur à simili. Quando Rex unum eundemque subditum suum paulatim ad varias dignitates, variaque officia assumit, per solam deputationem, & relationem rationis id fit quæ nihil reale ponit in subdito: Et tamen actiones istius hominis nullius essent momenti, nullius autoritatis, nisi Rex prius tum eligere, hisque officiis præficere voluisset. Aliud exemplum. Si Rex augeat pretium pecuniæ; id enim fit etiam per solam relationem rationis, & solam Principis voluntatem, quamvis pecunia non mutetur substantialiter Physicè, nec plus quam ante habeat ponderis.* Hanc sententiam referunt, & explicant celebres nostræ ætatis Theologi Nicolaus Isambertus disput. 4. de Sacramento Ordinis art. 3. & Ludovicus Meratius disput. 5. de eodem Sacramento, sect. 2. n. 6. probabilemque judicant, licet oppositæ ut probabiliori adhæreant.

XIII. Huc etiam referri potest quod docet Tannerus de potestate spirituali per Ordinationem characteri adnexa, quæ tantùm moralis est, & denominatio extrinseca, disput. 7. de Ord. q. 2. dub. 5. n. 110. & disput. 3. de Sacram. in genere, quæst. 3. dub. 7. n. 187. Non ideo tamen aliquis existimare debet nullam esse destinationis illius & denominationis extrinsecæ efficientiam, eo quod nihil reale personæ destinatæ inferat, eique intrinsecus addat. Morales enim habitudines & respectus, qui nihil entitatis addunt subjecto ad quod per humanum intellectum referuntur, δογματικοὶ maximè sunt, καὶ πραγματικώτατοι, ad agendum efficaciissimi, & acerrimi, ut exemplis constat quæ protulit Gamachæus, aliisque innumeris demonstrari potest, quæ in usu quotidiano versantur.

Quid

Quid quod plerique celebres Philoſophi & Theologi aſſerunt relationem in univerſum nihil ſubjecto ſuo atque etiam fundamento prorſus addere intrinſecum, & ex parte rei ab iis quoquomodo diſtinctum, præter extrinſecam denominationem à ratione comparante illatam: Ita Ockam, Gregorius, Ægidius, Hervæus, Sylveſter, eoſque ſecutus Franciſcus Suarez Metaphyſicæ tom. 2. diſputat 47. ſect 2. n. 12. & 22. An ideo relationes dicemus ventoſum partum, cœcaque ſomniantium idola? Sufficit reale fundamentum ſeu ſubjectum cui intellectus humanus opera ſua ſuperſtruat: Sufficit character Sacerdotalis divinæ ad Epiſcopatum deſtinationi ſuſtinendæ.

XIV. Hæc ſententia mihi videtur proximè ad multorum antiquorum Patrum mentem accedere, & cum eorum verbis optimè B conſentire, quæ cum aliis ſententiis nequidem obtorto collo convenire poſſunt, ut ex iis quæ referemus evidenter conſtabit: Deinde iſta ſententia nihil aliud eſt quàm prima, ſive antiquorum omnium Scholaſticorum ſententia, paulò aliter, & ut ita dicam auguſtius explicata. Omnem enim illam poteſtatem & autoritatem qua Epiſcopus Presbyteris eminet, divinæ tribuit voluntati, quæ per conſecrationem deputat è Presbyteris unum ut ſit aliis ſuperior, multaque agere poſſit virtute illius deputationis & conſecrationis, quæ non poterat dum eſſet tantùm Presbyter. Quod ſanè optimè convenit cum antiC quorum Scholaſticorum jam à nobis explicata doctrina. Quid enim aliud contendebat S. Thomas, ut Hugonem à S. Victore, & Magiſtrum præteream, cum ait in 4. diſt. 24. q. 3. art. 2. reſp. ad 2. quod reperitur in ſupplemento q. 40. art. 4. *Licet detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſui promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa poteſtas habet rationem characteris, & propterhoc Epiſcopatus non eſt Ordo ſecundum quod Ordo eſt quoddam Sacramentum.* Quid aliud Albertus magnus S. Thomæ præceptor, eadem diſt. art. 39. ubi quærit an Epiſcopatus, & D aliæ dignitates ſuperiores ſint Ordines, & reſpondet, *Cum nullus poſſit eſſe actus excellentior quàm conficere Corpus Chriſti, nullus poteſt eſſe Ordo poſt Sacerdotium; ſed juriſdictionum officia ſunt quæ enumerat* (Magiſter) *diſtincta ſuper Corpus myſticum cui intenauni taliter officiati: & quando conſequenter accipiunt gratiam, non ad Ordinem, ſed ad executionem juriſdictionis in Eccleſia ſi ſunt digni.* Eadem pluribus S. Bonaventura locis citatis.

XV. Ulterius progreditur Alexander in ea quæ ex iſta ſententia conſequi poſſunt, 4. E parte q. 8. memb. 5. art. 1. §. 6. quo quærit an degradatus conſecrare poſſit, ad 2. cum ſic diſtinguit inter Epiſcopum & Presbyterum. Presbytero tolli non poteſt conſecrandi poteſtas, quia pendet à charactere qui eſt indelebilis, ſed tantùm executio: Epiſcopo autem utrumque, & poteſtas Ordinandi & executio, eo quod poteſtas Epiſcopalis qua talis, characterem non imprimit. *In Ordine Epiſcopali non imprimitur character, ſicut in Sacerdotali, qui impreſſus in anima deleri non poteſt, unde ſolummodò aufertur illi officium conſecrandi. Non enim aufertur illi poteſtas ſed executio poteſtatis. Sed quia in Ordine Epiſcopali non imprimitur character, in degradando aufertur ei poteſtas conferendi Ordines, & officium executionis.* Idem conſequens deducit Scotus ex iſta ſententia, cum in 4. diſt. 25. q. 1. reſp. ad 1. probabiliter infert, *Si teneatur quod Epiſcopus depoſitus ſimpliciter non eſt Epiſcopus, tunc quoad illum caſum neganda eſt ſimilitudo in conſequentia, quia character Sacerdotii tolli non poteſt nec per conſequens Sacerdotium ſicut Epiſcopatus.* Et ibidem reſp. ad tertium, *Si verò ſit præciſus & condemnatus ab Eccleſia non confert Ordines, ſi Epiſcopatus non ſit Ordo, & poſſit ſimpliciter auferri, ſicut habent reſpondere illi qui tenent Epiſcopatum non eſſe Ordinem, ſed quandam dignitatem additam ſuper Ordines, quæ ad juriſdictionem magis ſpectat.* Hinc Guilelmus Eſtius loco citato hanc ſententiam explicans ſcribit illius autores dicere: *Epiſcopatum non imprimere novum characterem, neque ex opere operato gratiam conferre; ſed characterem Sacerdotalem, qui prius inerat, extendere ad quædam officia.*

CAP. II.

Quænam Scholaſticarum ſententiarum ad Patrum ſententiam proximè accedat. Sententia S. Hieronymi de differentia Epiſcopi à Presbytero erat illo tempore in Eccleſia communis, & à poſteris ad Scholaſticos uſque diſertè & repetitis verbis ipſius aſſerta, & prædicata. Alexandriæ Presbyter electus Patriarcha non conſecrabatur. Qua alia actione inaugurabatur. Epiſcopi & Presbyteri una Ordinatio.

I. PRopoſitum noſtrum non eſt hîc in ſingulas ſententias capite præcedenti explicatas inquirere. Quam quiſque volet, amplectatur: Ex iis tamen quæ nobis dicenda ſunt, facilè de unaquaque lector judicabit. Duæ priores potiſſimum ita ſunt affectæ, ut alterutra eligatur, à contraria ſtatim validiſſimis argumentis confodiatur. Unaquæque enim ea gratis aſſumit fundamenta quæ facilè corruunt, dum ædificiis ſuperſtructis ab adverſa parte comparantur. Idem fere tertiæ ἀναλόγως contingit, ut videre eſt in Scholaſticorum de hac re diſputationibus. Poſtrema nobis videtur Patrum teſtimoniis admodum conformata, & omnium facillimè cum iis conciliari poſſe. Idem de prima dicendum; vix enim ab ea differt, unaque autorum mens, licet aliquando in ejus expreſſione tantillum varient. Quamquam autem hæ quæſtiones, An Epiſcopatus characterem imprimat à charactere Presbyteratus diverſum, An tantummodò extendatur prior character, & ſimiles, ſint non modò Patribus, ſed etiam primis Scholaſticis inauditæ, res tamen ſub his verbis latens

ab iis definita eſt, mea quidem ſententia, ad quartæ ſententiæ ſive primæ placitum proximè, ut ex eorum teſtimoniis, quæ permulta, & variis ſeculis edita referimus, demonſtratur. Initium iſtorum teſtimoniorum à S. Hieronymo, ducemus: Evidentiſſimè enim hanc quæſtionem explicat, ſed ſemper ad quartæ ſententiæ mentem, ut & innumeri Patres Latini qui pluribus ſæculis, ejus verbis mordicus adhæreſunt.

II. S. Hieronymus Epiſtolæ ad Titum caput primum explicans hæc verba: *Et conſtituas per civitates Presbyteros, &c.* illationemque Apoſtoli ſequentem, *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c.* ſic commentatur, *Idem eſt ergo Presbyter qui & Epiſcopus: & antequam Diabolo inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Epiſcoporum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut Schiſmatum ſemina tollerentur. Putet aliquis non ſcripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii, relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis: Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis, gratia vobis & pax, & reliqua. Philippi una eſt urbs Macedoniæ. Et certè in una civitate plures, ut nuncupantur Epiſcopi, eſſe non poterant. Sed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de Presbyteris eſt locutus.* Deinde poſtquam id probavit tribus aliis exemplis ex ſcriptura, Actor. 20. Hebræor. 13. & 1 Petr. 5. petitis, addit, *Hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: Paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi Præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate, Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.*

III. His verbis nihil clarius proferri poterat adverſus ſecundam & tertiam ſententiam: ita ut multi qui eas profitentur Hieronymum palam accuſent, & nonnulli cum Aerio Hæretico ſentire non diſſimulent. Epiſtola tamen 85. eandem ſententiam tradit, & novis inſuper argumentis confirmat. *Legimus in Eſaia ſatuus ſatua loquetur. Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos; quis patiatur menſarum & viduarum Miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur? Quæris autoritatem? Audi teſtimonium. Paulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis.* Deinde affert teſtimonia ex Actis, de Epiſtola ad Titum, ad Timotheum 1. cap. 4. 1 Petri cap. 5. 2. Joan. 1. 3. Joan. 1. Poſtea infert, *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris preponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat.* Multa alia eodem loco in eundem ſenſum, ſed hæc ſunt præcipua. Eandem ſententiam breviter perſtringit Epiſt. 83. *In utraque Epiſtola ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri, quanquam apud veteres iidem Epiſcopi & Presbyteri fuerint, quia illud nomen dignitatis eſt, hoc ætatis, jubentur monogami in Clerum eligi.* In dialogo adverſus Luciferianos ad eam alludit, cum ſcribit, *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes.*

IV. Secundo teſtimonio præter plura ſacræ ſcripturæ loca novum magni ponderis habetur argumentum in quod animum lectoris reflectere ſupervacaneum non erit. Teſtatur S. Hieronymus Alexandriæ nulla conſecratione inauguratos fuiſſe Epiſcopos à tempore Marci Euangeliſtæ ad Dionyſium, hoc eſt, annorum prope ducentorum ſpatio, ſed Presbyteros Alexandrinos mortuo Epiſcopo ſuo unum ex Ordine & gremio Eccleſiæ ſuæ elegiſſe, thronoque excelſiori collocaſſe, & Epiſcopum appellaſſe. Quo ſanè exemplo evidentiſſimè conſtat nec Hieronymum nec Alexandrinos agnoviſſe characterem illum quo Epiſcopus Presbytero præſtare dicitur, cum ſuper Presbyterum electum nulla oratio, nulla ceremonia, nulla verborum formula uſurpata fuerit. Dices, nullam commemorat, non ideo tamen colligi poteſt nullam fuiſſe, cum certum ſit autores non omnia quæ fiunt, ſemper referre. Verum equidem eſt, ſed in ſcopo & verbis S. Hieronymi locum non habet hæc exceptio. Contendit enim Presbyterum idem eſſe cum Epiſcopo, atque hoc demonſtrat ex ſpeciali & extraordinaria Alexandrinorum conſuetudine, qui nullam adhibent conſecrationem, nulla verba ut conſecrent in Epiſcopum, electum à ſe Presbyterum, ſed tantum in ſolio collocant, & appellant Epiſcopum. Hoc refert S. Hieronymus ad ſententiæ ſuæ confirmationem ut factum extraordinarium. Cum autem, ut evidens eſt ex antiquiſſimis undecim ſeculorum ritualibus, ex S. Dioniſio & Concilio Carthag. 4. quod ætate Hieronymo par erat, atque ex Cæciliani Ordinatione, & Clemente, qui Hieronymum multis annis præcedebant, orationes, & multæ ceremoniæ adhibitæ fuerint Ordinando Epiſcopo, ſi apud Alexandriam idem præſtitum

ſtitum fuiſſet, S. Hieronymi argumentum non modò non fuiſſet efficax, ſed Sophiſta meritò audiiſſet, qui occultata legis parte contra legis mentem argumentaretur, & celata Ordinaria conſuetudine, partem ipſius ut quid extraordinarium pueriliter venditaret. Quid illa temporis definitio, *ad Dionyſium uſque ita factum eſt*, Si ritus alios ſententiæ ſuæ contrarios prudens omittit?

V. Sed omnem exceptionis occaſionem amputare videntur duæ ſimilitudines quibus ſententiam ſuam illuſtrat, quæ, omne ritus & precis effugium, & ſuſpicionem intercludunt, *Quomodo ſi exercitus imperatorem faciat, & Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Certum eſt tempore Hieronymi, atque annis poſt ipſius mortem prope centum, imperatores renuntiatos fuiſſe nulla adhibita conſecratione Eccleſiaſtica, ſed in mediis caſtris ſola militum ſalutatione & acclamatione: Hoc ipſum notat Hieronym. cum ait, *Exercitus imperatorem facit.* Nihil erat huic actioni cum Eccleſiaſtica oratione commune. Sic, inquit, Presbyter electus ab Alexandrinis de corpore ſuo renuntiabatur Epiſcopus. Idem evincit ſecundum à Diaconis exemplum: Quis enim dicat Diaconum ab aliis Diaconis, aut ab alio quovis in Archidiaconum electum & renuntiatum charactere novo imbui, aut quo jam imbutus eſt, extendi & dilatari? Nihil poterat S. Hieronymus pronuntiare ſecundæ & tertiæ ſententiæ magis inimicum & infeſtum.

VI. Conſuetudo iſta creandi Alexandrinum Epiſcopum hoc modo poſt S. Hieronymum obſolevit, & alia inolevit, cujus mentionem facit Liberatus in Breviario cap. 20. Quando autem cœperit, mihi eſt incompertum. Illam ſic deſcribit Liberatus Patriarcha Mortuo Timotheo: Theodoſius Eutychianorum factione eligitur, inquit, à Clero. *Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ, illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo B. Marci pallium, & tunc legitimè ſedere. Dum hæc Theodoſius pertentat; cognoverunt populi & Monaſteria quid eſſet factum Veſpere in Epiſcopio, ſtudio Calotychii, & judicum, id eſt, Ariſtomachi ducis, & Dioſcori Auguſtalis. Mox Theodoſium perſecuti ſunt, & expulerunt, ne colligeret funus Timothei, &c.* Veſperi autem electus fuerat à Clero in locum defuncti Epiſcopi, decretumque electionis illi traditum fuerat, quo fretus ſtatim quæ moris erant erga defunctum agere tentat, ut legitimè ſederet: ſed rumore Electionis civitatem pervadente, ſtatim ad defuncti Timothei funus populus accurrit, & Theodoſium ab eo expellit. Nec iſte ritus Ordinandi Presbyteri in Patriarcham Alexandrinum electi tam extraordinarius characteri novo, aut veteris dilatationi favere poteſt. Itaque neceſſariò dicendum eſt S. Hieronymum, & Alexandrinos quartæ ſententiæ, ſive primæ de differentia Epiſcopi à Presbytero adhæſiſſe, quæ cum his ceremoniis & ſimilibus optimè convenire poſſunt.

VII. Iſta ſancti Hieronymi ſententia tum erat in Eccleſiis vulgatiſſima, paſſimque eo ſeculo & ſequentibus per ora Doctorum magno cum conſenſu ferebatur. Sic ſentiebant ſancti Patres S. Hieronymo æquales, aut ſuppares. S. Ambroſius, ſive quis alius autor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, ætate S. Ambroſio æqualis eandem profitebatur ſententiam ut vulgarem. Ita docet in Epiſtol. 1. ad Timoth. cap. 3. *Poſt Epiſcopum Diaconi Ordinationem ſubjicit. Quare? Niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una Ordinatio eſt? Uterque enim Sacerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt, & omnis Epiſcopus Presbyter, non Omnis Presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt: Denique Timotheum Presbyterum Ordinatum ſignificat: ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat.* Nihil evidentius videtur dici poſſe; Epiſcopi & Presbyteri una eſt Ordinatio. In hoc tantùm diſtant quod Epiſcopus ſit primus Presbyter. Fit autem primus Presbyter non Ordinatione aliqua, ſed electione, aut Ordinationis antiquitate. Timotheus, inquit, erat Epiſcopus, quia ante ſe alterum non habebat.

VIII. Eodem ſenſu idem autor diſſerens in Epiſtolam ad Epheſios cap. 4. de differentia diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Eccleſiæ naſcentis primordiis ab ea quæ poſtmodum inſtituta eſt, dixerat, *Primum Presbyteri Epiſcopi appellabantur, ut recedente uno ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad Primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſficiente Concilio; ut non Ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temere uſurparet, & eſſet multis ſcandalum.*

IX. Autor quæſtionum veteris & novi Teſtamenti qui S. Auguſtino antiquior eſt, licet ejus opus quarto tomo operum S. Auguſtini inſeratur, eandem tuetur ſententiam quæſt. 101. in qua adverſus Diaconos agit qui Presbyteris audebant ſe ſe præferre. *Major*, inquit, *Ordo intra ſe & apud ſe habet & minorem: Presbyter enim & Diaconi agit officium, & Exorciſtæ, & Lectoris. Presbyterum autem intelligi Epiſcopum, probat Paulus Apoſtolus, quando Timotheum quem Ordinavit Presbyterum, inſtruit qualem debeat creare Epiſcopum. Quid eſt enim Epiſcopus, niſi primus Presbyter, hoc eſt, ſummus Sacerdos. Denique non aliter quàm compresbyteros hic vocat, & conſacerdotes ſuos. Nunquid & Miniſtros Condiaconos ſuos dicit Epiſcopus? Non utique quia multò inferiores ſunt; & turpe eſt judicem dicere primicerium. Nam in Alexandria & per totam Ægyptum ſi deſit Epiſcopus, conſecrat Presbyter.* Non vocat, inquit, Diaconos Epiſcopus Condiaconos, quia ſunt multò inferiores; ſed Presbyteros vocat Compresbyteros. Quamobrem vero? Quia ſunt ejuſdem Ordinis. Epiſcopus eſt tantùm inter æquales primus. Alio præterea argumento utitur. Timotheum, inquit, Ordinavit Paulus Presbyterum, deinde creavit Timotheus Epiſcopum: Eadem eſt igitur Ordinatio Presbyteri & Epiſcopi, ſolaque dignitatis & autoritatis prærogativa differunt. Tertium addit Argumen-

mentum, in Ægypto ſcilicet & Alexandria Presbyteros abſente Epiſcopo confirmare. Irrepſit enim proculdubio vox, *conſecrat*, & legendum *confirmat*, aut, *conſignat*, ut ſectione præcedente in eadem cauſa loquebatur S. Ambroſius: Nam non in Ægypto tantùm, ſed ubique terrarum Presbyteri abſente Epiſcopo conſecrarunt, imò ipſo præſente, & annuente. Cum laboremus hic tantùm de mente iſtius autoris, non eſt nobis curioſè inquirendum, an aliquando Patres eo tempore Diaconis ſcribentes eos vocarint Condiaconos. Id aliquando fecit S. Baſilius. Si S. Baſilius, aut quis alius id aliquando uſurpavit humilitatis exceſſu, nihil ad rem noſtram. Satis eſt nunc nobis uſus autori noſtro cognitus, ut in ipſius mentem & ſcopum collimemus, eumque aperiamus.

X. Eandem ſententiam non obſcurè docent breves Commentarii in Epiſtolas S. Pauli apud S. Hieronymum, quorum autor licet ſit incognitus, antiquus tamen eſt, & S. Auguſtino æqualis: ita ille in verſum 17. cap. 3. primæ ad Timoth. *Quæritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem, ſed eos in Epiſcoporum nomine comprehenderit: Quia ſecundus, imò pene unus eſt gradus, ſicut ad Philippenſes Epiſcopis ac Diaconis ſcribit, cum una civitas plures Epiſcopos habere non poſſit: Et in actibus Apoſtolorum, Presbyteros Eccleſiæ iturus Hieroſolymam congregans, ait, inter cætera videte gregem, in quo vos ſpiritus ſanctus Epiſcopos Ordinavit.* Eodem utitur ſcripturæ ſacræ argumento quo S. Hieronymus, ut id demonſtret; ideo ſcilicet in ea Presbyteri & Epiſcopi nomina permutari: quia pene unus & idem Ordo eſt, ſolo Primatus & præſeſſionis jure alter alterum antecedens. Idem colligitur ex commentatione ipſius in verſum 3. c. 1. Epiſt. ad Philippenſes.

XI. Iterum operibus S. Hieronymi inſeritur libellus cui titulus eſt, de ſeptem gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum. Libellus eſt anonymus, ſed præcedentibus multò poſterior: Epiſcopos ille quibus poteſt laudibus effert, ut apparet cuivis legenti explicationem ſeptimi gradus, quæ licet bene longa ſit, ipſius tamen pars major eſt Epiſcopalis gradus encomium. Præterea ſeptimum gradum dat Epiſcopis, ſextum Presbyteris, quintum Diaconis, &c. *Septimus*, inquit, *Epiſcopalis ordo eſt, & qui primus & perfectus in cunctis eſt; qui omnipotentiæ Dei, & in Chriſto donatur, ex quo proceſſus omnium gloriarum, & plenitudo eſt virtutum, ex quo omnia, in quo omnia. Ipſe enim Ordinat Sacerdotes*, &c. fuſiſſimè. Attamen eandem ſententiam cum præcedentibus, ut ſuo tempore vulgarem amplectitur, & propugnat. *Ab initio, ut legimus, negotiorum judices eſſe mandati ſunt Presbyteri intereſſe Sacerdotum conſilio: quoniam & ipſi Presbyteri, ut legimus, Epiſcopi nuncupantur, ſecundum quod ſcriptum eſt ad Titum: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ &c. Vides ergo Presbyterum Epiſcopum dici, Apoſtoli Pauli eſſe ſententiam? Et alibi ad Timotheum de Eccleſiæ Ordine. Fidelis ſermo. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, &c. Vides ergo hic Presbyteri non fieri mentionem, ſed hunc eſſe locum quem Epiſcopatum vocat? Et alibi ad Timotheum Epiſcopum, Præcipe hæc, & doce, &c. Intelligis ergo in Presbytero ſummam Sacerdotii collocari, & alibi ad Majores natu, Qui vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam ſuam, &c. Quid niſi eos qui præſunt Presbyteri, Epiſcopos vocat?* Ideo ibidem ait Presbyteros in neceſſitate poſſe chriſma conficere, & nonnullas Eccleſias id obſervare; Ordinationem inſuper propter autoritatis culmen ipſis eſſe reſervatam, de qua re capite ſequenti diſputabimus.

XII. S. Auguſtinus eandem ſententiam ut vulgatam, & apud omnes in confeſſo videtur ſermoni ſuo ſuppoſuiſſe cum Epiſt. 19. ad S. Hieronymum ſic ſcribit, *Quanquam ſecundum honorum vocabula quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo major eſt.* Itaque videtur ex ejus dictis conſequi uſu tantùm Eccleſiæ Epiſcopatum Presbyteratu majorem eſſe; antequam autem obtineret uſus ille, qui dicebat Epiſcopum, non ſignificabat Magiſtratum Presbytero majorem: Erat enim utriuſque idem Ordo, ſed uſu invaleſcente paulatim obtinuit, ut qui primus inter Presbyteros eſſet, Epiſcopus vocaretur; & ſic uſus obtinuit, ut ait Auguſtinus, ut Epiſcopatus ſit Presbyteratu honorificentior. S. Auguſtino jungam Primaſium Epiſcopum Africanum annis centum Auguſtino juniorem. Hic paucis verbis hæc habet præcedentibus conſimilia in 1. ad Tim. c. 3. *Quæritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem: ſed in Epiſcopis etiam Presbyteros comprehendit; quia ſecundus, & pene unus eſt gradus, ſicut multis ſcripturarum teſtimoniis comprobatur.*

XIII. Sedulius Scotus Hieronymo & Auguſtino tempore ſuppar proſa & verſu multa egregiè ſcripſit. Sic ille de hac quæſtione commentans cap. 1. Epiſt. ad Titum. *Ipſum dicit Epiſcopum quem prius Presbyterum nominavit. Antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & dicerent in populis, Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur.* Deinde allegato teſtimonio ex cap. 20. Actorum, ſubdit: *Hic diligentius obſervato quomodo unius civitatis Epheſi Presbyteros vocans, poſtea Epiſcopos dixerit. Hæc propterea ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos Epiſcopos. Paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſolicitudinem eſſe delatam.* Quid ad mentem S. Hieronymi colligi poterat exactius? Ne quis de ipſius cum ſancto Hieronymo conſenſu dubitaret, illius verba quædam, licet tacitus, uſurpavit.

XIV. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus evidentiſſimè eandem ſententiam ut vulgarem & ab omnibus approbatam amplectitur, & docet lib. 2. officiorum Eccleſ. cap. 7. de Presbyteris, *Hi ſicut Epiſcopus diſpenſatio*

ſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt. Præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in conſecratione divina corporis & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed ſola propter auctoritatem, ſummo Sacerdoti Clericorum Ordinatio; & conſecratio reſervata eſt, ne à multis Eccleſiæ diſciplina vendicata, concordiam ſolveret, ſcandala generaret. Nam Paulus Apoſtolus eoſdem Presbyteros ut verè Sacerdotes ſub nomine Epiſcoporum ita aſſeverat, loquens ad Titum: Hujus rei, inquit, gratia reliqui te Cretæ &c. Quæ ſententia oſtendit Presbyterum etiam ſub Epiſcopi nomine taxari. Unde & Timotheus de Ordinatione Epiſcopi & Diaconi ſcribens de Presbyteris omnino tacuit; quia eos in Epiſcopi nomine comprehendit. Secundus enim & pene conjunctus eſt gradus. Hoc inſuper probat, ut S. Hieronymus, ex Epiſt. ad Philippenſes, & ex Actis Apoſtolorum.

XV. Venerabilis Beda commentans cap. 20. Actorum paucis verbis perſpicuè idem docet, *Dixerat enim ſupra Presbyteros Epheſi Miletum vocatos, quos nunc Epiſcopos, id eſt, ſuper inſpectores nominat. Non una civitate plures Epiſcopos habere potuit, ſed eoſdem Presbyteros ut verè Sacerdotes ſub nomine Epiſcoporum ſignificat. Conjunctus eſt enim gradus, & in multis pene ſimilis.* Quod ajunt Iſidorus & Beda unum eſſe gradum pene conjunctum, vel pene ſimilem; id faciunt habita ratione ad utriuſque poteſtatem. Nam ambo, Epiſcopus & Presbyter, eadem agere poſſunt, excepta, ut notat Hieronymus, Ordinatione.

XVI. Qui ſequuntur autores ſententiam Hieronymi non modo amplexi ſunt, aut ad eam alluſerunt, ut priores, ſed S. Hieronymi ſententiam eo citato palam profeſſi ſunt, ipſiuſque verba & argumenta in textum ſuum retuleruut. Alcuinus de divinis officiis, ubi de Ordinatione agit Epiſcopi, *Qualis autem eſſet antiquitus conſecratio Epiſcoporum oſtendit Hieronymus in Epiſt. ad Evagrium, Alexandriæ, inquiens, à Marco Enangeliſta uſque ad Heraclidem & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe Electum &c.* ut ſupra ex S. Hieronymo relata ſunt. Deinde ſubdit, *Archidiaconus eandem conſecrationem habet quam cæteri Diaconi, ſed electione fratrum præponitur.* Poſtea ad majorem hujus rei confirmationem alterum S. Hieronymi teſtimonium ex Epiſt. ad Titum exſcribit. Epiſcopi Itali, Galli, & Germani Aquisgrani an. 819. congregati integrum Hieronymi teſtimonium ex cap. 1. Epiſt. ad Titum in cap. 10. Concilii ſui tranſtulerunt, & tranſlatione ſua confirmarunt, ſeque iſtam ſententiam amplecti teſtati ſunt.

XVII. Amalarius Treverenſis Archiepiſcopus l. 2. de officiis Eccleſiaſticis cap. 13. inquirens in quo Ordine eſſent Presbyteri tempore Apoſtolorum, ſtatim S. Hieronymi teſtimonia jam citata refert, & integra exſcribit. Deinde rurſus inquirens, *Qualis eſſet eorum Ordinatio*, ut id explicet S. Hieronymi verba ex Epiſtola ad Evagrium refert de Romano Imperatore, & Archidiacono jam examinata, quibus addit hoc in cauſa quam agimus memorabile, *Archidiaconi conſecratio nobis notiſſima eſt. Archidiaconus eandem conſecrationem habet quam cæteri Diaconi, ſed electione fratrum præponitur.* Quibus verbis nihil poterat efficacius proferri ad refutandos ſecundæ & tertiæ ſententiæ autores; ut & id quod addit poſtea ex S. Hieronymo, *Quod autem unus electus eſt, qui cæteris præponeretur Presbyterorum, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.*

XVIII. Hincmarus ipſe quoque Archiepiſcopus cap. 10. Opuſculi 55. capitum, *Qui ſcilicet Epiſcopi & Presbyteri in primordio naſcentis Eccleſiæ, & uſque non ad parvum temporis progreſſum uno nomine in ſingulis officiis vocabantur, ſicut in Epiſt. Petri, & in Epiſtolis Joannis, & in Epiſtolis Pauli manifeſtatur, & ſicut Hieronymus ad Evagrium oſtendit.* His conjungendi ſunt Rabanus Maurus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 6. Remigius quoque Lugunenſis, in 1. ad Timot. cap. 3. & in Philip. c. 1.

XIX. S. Anſelmus eandem ſententiam ſæpe inculcat, verbis S. Hieronymi uſurpatis, licet non nomine, Commentario in cap. 1. Epiſt. ad Philipp. *Cum Epiſcopis, id eſt, Presbyteris, & Diaconibus, id eſt, Minoribus cum Majoribus. Epiſcopos namque pro Presbyteris more ſuo poſuit. Non enim plures Epiſcopi in una civitate erant: neque Presbyteros intermitteret, ut ad Diaconos deſcenderet. Sed dignitatem & excellentiam Presbyterorum declarat, dum eoſdem qui Presbyteri ſunt, Epiſcopos eſſe manifeſtat. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedio factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens, Chriſti Evangelium rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam &c.* ut jam ex S. Hieronymo relata ſunt. Denique ſic concludit, *Conſtat ergo Apoſtolica inſtitutione omnes Presbyteros eſſe Epiſcopos, licet nunc illa majores hoc nomen obtineant.* Iterum in 1. Epiſt. ad Timoth. cap. 3. ſed breviter. Verum in 1. cap. Epiſt. ad Titum diffuſè, *Oſtendit, quia idem ea Presbyter, qui Epiſcopus. Nam antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio gubernabantur Eccleſiæ. Poſtquam vero unuſquiſque eos quos baptizaverat, putabat ſuos eſſe non Chriſti &c.* ut ſupra ex S. Hieronymo & aliis retulimus. Tandem ſic concludit. *Hæc id circo diximus, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros quos Epiſcopos. Paulatim verò ut diſſenſionem plantaria evellerentur, ad unum omnem ſolicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverunt magis ſe conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in communi debere Eccleſiam regere &c.* Sententia igitur S. Hieronymi, ejuſque verba mirum in modum S. Anſelmo univerſiſque Patribus Latinis placuerunt. His adnumerandi ſunt Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis fidei, parte 3. c. 12. & 13. Gratianus diſt. 93. C. legimus, & diſt. 95. C. Olim idem. Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. c. 183. & Lombard. in

quarto, dist. 24. lit. l. Quapropter S. Hieronymi sententia universæ Ecclesiæ Latinæ acceptissima fuit, & immeritò à multis Theologis cum gravi Censura repudiata: Imprudentes enim cum S. Hieronymo universam propè Ecclesiam Latinam condemnarunt. Ideo sedulò caverunt Patres Tridentini ne quid in præjudicium istius sententiæ pronuntiarent; atque etiam probè intellecta longè abest ab eo sensu quem quidam illi affingunt: De qua re postea multis.

CAP. III.

Tres sententiæ enarrantur de Primatu Episcoporum in Presbyteros. Episcopos jure divino esse Presbyteris superiores nondum ut de fide ab Ecclesia definitum. Probatur tamen ex scriptura, ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis & exemplis, atque ex antiqua Ordinatione Episcopi. Verba S. Hieronymi explicantur. Demonstratur non simul & semel, sed paulatim Apostolos præcepta divina quæ politiam spectabant, executos esse. Apostoli & 72. discipuli ante multiplicatum Euangelium soli munere Episcopali fungebantur. Progressus Euangelicæ prædicationis describitur. Probatur ante illud initium quod ponit S. Hieronymus ipso teste creatos ab Apostolis Episcopos. S. Hieronymus in æstu contentionis indulgere solet exaggerationibus Rhetoricis. Exaggerationis hoc in loco occasio.

I. PAucis verbis expediendum est id quod quarto loco nobis proposuimus, An Episcopus sit Presbytero superior, & quo jure. Tres sunt de hac quæstione sententiæ. Prima docet Episcopum nihil differre à Presbytero; non modo nomina esse communia utrique; sed etiam rem ipsam. Primus hanc sententiam divulgasse perhibetur Aërius, qui ægrè ferens repulsam Episcopatus quem ambiverat, hanc Arianismo quem profitebatur hæresim adjunxit. De eo S. Epiphanius hæresi 75. sic scribit, *Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum & immane: inprimis enim, quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus; imponis & Presbyter. Divinum omnem cultum administrat Episcopus: non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet & Presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem abduxit.* Hanc hæresim ambabus manibus amplexi sunt Lutherus & Calvinus, eorumque Asseclæ hodierni Hæretici, & ante eos Wiclephus Anglus; ante hos omnes Valdenses, & Albigenses. Hæresis ista ab omnibus Doctoribus Catholicis exploditur: Ideò hoc opere supersedemus.

II. Secunda sententia admittit quidem Episcopum esse Presbytero superiorem, Hierarchiam esse in Ecclesia, Episcopis, Presbyteris, & Ministris constantem, sed ab Ecclesia, ut scandala & schismata vitarentur, non autem à Deo immediatè per Apostolos agente institutam. Pauci quidam Doctores Scholastici autoritatem Sanct. Hieronymi perperàm interpretati, posteriorem hanc sententiam docuerunt, Episcopum jure humano non divino majorem esse Presbytero. Michaël Medina priorem sententiam Hieronymo tribuit & nonnullis aliis Patribus, conaturque admodum imprudenter Hieronymi verba, mentemque ad primam sententiam trahere, quanquam in tertiam, quam explicamus, majore pondere inclinent, nedum in primam.

III. Tertia sententia est, Episcopum Presbytero jure divino majorem esse, imò Presbyterum jure divino subditum esse Episcopo. Hanc doctrinam Concilium evidenter tradit, non ita tamen evidenter, ut qui secundam sententiam amplexus fuerit, hæreseos accusari possit. Sic Concilium sess. 23. can. 4. *Sacrosancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere; & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre: Ministros Ecclesiæ Ordinare, &c.* & can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem Confirmandi & Ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit.* Primò clarum est Episcopos esse Presbyteris superiores, & contrariam sententiam esse hæresim. An verò Primatus ille sit juris divini, an Ecclesiastici, non est ita evidens. Videntur tamen Patres hoc non inevidenter dicere, cum dicunt eos à Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei. Autoritate igitur divina regunt Ecclesiam Dei, ad quam pertinent Presbyteri. Deinde ad eadem verba referri possunt, *eosque Presbyteris Superiores*, ita ut conjunctim intelligantur, eos quoque à Spiritu S. constitutos esse Presbyteris Superiores. Denique prima decreti verba cum canone sexto comparata videntur convincere: Ait Episcopos *ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere*: Canone verò sexto, *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Hierarchia igitur Ecclesiastica ex Ordinatione divina ex his tribus componitur, sed potissimum locum tenent Episcopi: Si Episcopus Presbytero major non esset, ad Hierarchiam divina Ordinatione institutam, qua Hierarchia est, non pertineret, Quà enim Episcopus non imperaret, sed tantùm quà Presbyter. Quomodo igitur verificatur istud, Episcopos præ cæteris gradibus, & potissimum ad Hierarchiam divinitus institutam pertinere?

IV. Hæc sententia Catholicis communis est, ut prima Hæreticis; eamque Catholici Doctores à sacra Scriptura, Patribus que antiquissimis

mis hauſerunt. Ita enim plerumque ſcribunt, ut eam velut notam & conceſſam aſſumant. S. Paulus Epiſt. ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Erat ſanè major & ſuperior Titus iis quos conſtituebat, & civitates multas, quantum ad religionem Chriſtianam attinet, adminiſtrabat, quod proprium eſt Epiſcoporum; & ſine præfectura intelligi non poteſt. At hoc illi præceperat, & rei gerendæ ordinem dederat Paulus. Eſt igitur præceptum divinum Epiſcoporum inſtitutio ab Apoſtolis declaratum gentibus, & executioni, ipſis viventibus demandatum. Similiter ad Timotheum ſcribit Ep. 1. c. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Nullis verbis clarius quàm iſtis exprimi poteſt officium & autoritas judicis in ſubditos. Nam inde colligitur illum exequi tria illa ſolemnia quibus apud Romanos Judicis officium continetur: Dat enim petentibus in Presbyteros actionem, & actionis formulam; cognoſcit de controverſiis; & jus dicit, ſive lite conteſtata ſententiam pronuntiat, remque judicatam in vincentem transfert. Nec tantùm hæc in Presbyteros jubente Apoſtolo exequitur, verùm etiam in univerſos Chriſtianos, *Peccantes coram omnibus argue, &c.* Itaque Apoſtolo teſte & jubente omnia Judicis munia Epiſcopis in Presbyteros conveniunt.

V. Argumentum efficax deducit S. Epiphanius ex c. 1. ejuſdem capitis, quo Apoſtolus ſic Timotheo jubet, *Presbyterum ne objurgaveris, ſed hortare velut Patrem*, &c. *Quid*, inquit Epiphanius, *attinebat Epiſcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, niſi majorem ipſo poteſtatem obtineret, &c. Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accuſationem contra Epiſcopum non admitteret; aut ut Epiſcopum non objurgaret.* Temerarium plane videtur ad jus divinum non referre quod Apoſtoli conſtituerunt, quod ipſis viventibus & jubentibus ubique obſervatum eſt. Qua ratione nobis conſtabit Apoſtolos aliquid jubere divinitus, ſi juſſa eorum ſcriptura teſte facta humano, ipſis hoc non monentibus, deputemus judicio? S. Joannes in Apocalypſi ſub ſeptem Angelorum typo ſeptem Epiſcopis ſeptem præcipuarum Aſiæ civitatum ſcribit, modò hunc laudans, modò alium ob nonnulla vitia increpans. Epiſcoporum igitur inſtitutio, viventibus Apoſtolis, totam Aſiam pervaterat, eſtque ab Apoſtolis approbata. Plurima poſſunt ejuſmodi Epiſcoporum exempla ab Apoſtolis aut ipſis ſuperſtitibus Ordinatorum ex antiquiſſimis & certiſſimis Eccleſiæ monumentis deprompta referri.

VI. Celebris eſt apud Euſebium l. 3. hiſtor. c. 23. hiſtoria cujuſdam juvenis, è Clemente Alexandrino petita, quem Joannes Euangeliſta Epiſcopo urbis quam viſitabat, ſolicitè commendaverat; qui poſtea Prædonum dux factus, redeunte ad urbem S. Joanne, & cum ab Epiſcopo repoſcente, ab eo repræſentari non potuit. Joannes tamen de ejus ſalute non deſperans locum adiit, quo cum prædonibus diverſabatur, etumque ad Epiſcopum & Eccleſiam pœnitentem reduxit. Lege ejuſdem Euſebii hiſtoriam, videbis eum ex antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis, quæ tum temporis recentia erant, & omnium Doctorum manibus verſabantur, texere catalogum ſucceſſionis Epiſcoporum ad ſuam uſque ætatem, ab Apoſtolis in quatuor primis ſedibus, Romana, Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana inſtitutorum. Ut quid uniusalteri ſuccedentis memoria ſcriptis tam ſtudioſè mandata ſi Presbyteri omnes æquales erant, nulluſque aliis Præpoſitus? Quamobrem ab hoc potius quàm ab iſto, cum omnes ſint æquales, catalogus inſtituitur? S. Marcus in ipſis Euangelicæ inter Gentes prædicationis initiis à S. Petro Alexand. Epiſcopus miſſus eſt. Hæc refert Euſebius in Chronico ad ann. Chriſtianæ ſalutis 45. ubi anno, ut ait S. Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Neronis octavo, Martyrio coronatus eſt, annis ſex antequam Petrus ipſe Martyrium ſubiret, cui ſucceſſit Anianus. Evodius, eodem Euſebio teſte, Antiochiæ circa eadem tempora à S. Petro creatus eſt Epiſcopus. Apoſtoli ſtatim à reſurrectione Domini Jacobum Apoſtolum, ut teſtatur eodem libro S. Hieronymus, Hieroſolymæ crearunt Epiſcopum, quod præter Hieronymum teſtantur Euſebius l. 2. hiſt. c. 23. & Clemens Conſtitut. l. 7. cap. 48. & lib. 8. c. 35. Denique longum Catalogum Epiſcoporum ab Apoſtolis Ordinatorum texit S. Clemens Apoſtolorum diſcipulus lib. 7. Conſtit. c. 48. in quo alii plurimi cum jam enumeratis inſeruntur. Quis hæc Apoſtolos feciſſe Chriſto non jubente ſuſpicabitur?

VII. Præterea antiquiſſima Eccleſiæ monumenta diſertè teſtantur Epiſcopos jure divino cæteris Presbyteris eſſe prælatos. Innumera ſunt hujus doctrinæ teſtimonia in Sanct. Ignatii ſcriptis: pauca tantum delibabimus. In Epiſtola ad Trallianos, *Revereminі Epiſcopum veſtrum, ſicut Chriſtum, quemadmodum beati nobis præceperunt Apoſtoli, &c. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt, & quoad homini licet pro viribus imitator Chriſti Dei factus? Quid verò Sacerdotium aliud eſt, quàm Sacer cœtus, Conſiliarii & Aſſeſſores Epiſcopi? Quid verò Diaconi quam imitatores Angelicarum virtutum?* Nova textus Ignatiani ex antiquo codice Florentino editio, licet ab antiquis editionibus plurimùm differat, in eundem tamen ſenſum hac in cauſa conſpirat, iiſdem nonnunquam verbis, aliquando diſparibus. Sic igitur nova editio, *Neceſſarium eſt quemadmodum facitis ſine Epiſcopis nihil operari. Sed ſubjici & Presbyteris, ut Apoſtolis Jeſu Chriſti*, paulò ante dixerat. *Quum enim Epiſcopo ſubjecti eſtis ut Jeſu Chriſto*, &c. Et paulò poſt. *Similiter & omnes revereantur Diaconos, ut mandatum Jeſu Chriſti, & Epiſcopos ut Jeſum Chriſtum exiſtentem filium Patris; Presbyteros autem ut conſilium Dei, & conjunctionem Apoſtolorum.* Et in fine Epiſtolæ, *Valete in Jeſu Chriſto ſubjecti Epiſcopo ſimiliter & Presbyteris.*

VIII. In Epiſtola ad Magneſianos, *Decet itaque & vos obedire Epiſcopo, & in nullo illi refragari. Terribile namque eſt tali contradicere:*

Nec enim hunc fallit, qui videtur; ſed inviſibilem fallere nititur, qui non poteſt à quoquam falli. Nam ſi id ſit, & non ad hominem, ſed ad Deum redit contumelia: Et paulò poſt, *Quemadmodum itaque Dominus ſine Patre nihil facit; Sic & vos ſine Epiſcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* In nova editione poſtquam plebem & clerum vehementer exhortatus eſt ad præſtandam juveni Epiſcopo ſinceram obedientiam, tandem addit. *In concordia Dei ſtudete omnia operari præſidente Epiſcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco conſeſſionis Apoſtolorum, & Diaconis mihi dulciſſimis, &c. Nihil ſit in vobis quod poſſit vos partiri; ſed uniamini Epiſcopo & Præſidentibus.* Et in fine Epiſtolæ, *Subjicimini Epiſcopo & ad invicem ut Chriſtus Patri ſecundum carnem, & Apoſtoli Chriſto.*

IX. Initio Epiſtolæ ad Philadelphienſes ſcribit, *Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis απεδεδειγμένοις εν γνώμῃ Θεοῦ Πατρὸς, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, deſignatis & inſtitutis in voluntate Dei Patris per Jeſum Chriſtum.* Idem prorſus legitur in nova editione: Sed initium Epiſtolæ idem diſertè confirmat, *Quem Epiſcopum cognovi non à ſeipſo, neque per homines poſſediſſe adminiſtrationem in commune convenientem, neque ſecundum inanem gloriam, ſed in charitate Dei.* Vix clarius dici poterat Philadelphienſem Episcopum à Deo fuiſſe inſtitutum. Et paulò poſt, *Una enim caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus calix in unienem ſanguinis ipſius, unum altare, & unus Epiſcopus cum Presbytero, & Diaconis.* Epiſcopum ſemper nobis exhibet Presbyteris, Diaconis, & univerſæ Eccleſiæ inſtitutione Chriſti præſidentem, ideoque cæterorum turbæ eximit, & gradui, locoque eximio adſcribit. Ut paulò poſt in eadem Epiſtola, *Clamavi in intermedio exiſtens, locutus ſum magna voce, Dei voce, Epiſcopo attendite, Presbyterio, & Diaconis, &c. Spiritus autem prædicavit, dicens hæc: ſine Epiſcopo nihil faciatis.* Et verſus finem de Euangelicis Sacerdotibus verba faciens, *Boni & Sacerdotes, melius autem Princeps Sacerdotum, καλοὶ οἱ ἱερεῖς, κρεῖσσον ὁ ἀρχιερεύς.*

X. Et in Epiſt. ad Smyrnenſes, *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Chriſtus Patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apoſtolos, Diaconos reverearmini, ut ex Dei præcepto miniſtrantes. Sine Epiſcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant, &c. Honora Deum ut omnium autorem & Dominum, Epiſcopum verò ut principem Sacerdotum imaginem Dei referentem; Dei quidem propter principatum, Chriſti verò propter Sacerdotium.* In nova editione prius teſtimonium eodem modo deprehenditur, ſed poſterius, *Honora Deum, &c.* in ea non legitur. Quod verò ſequitur ex Epiſtola ad Antiochenos, eodem modo deprehenditur in antiquo codice Florentino, atque in antiqua tranſlatione recens edita; hoc videlicet, *Mementote Evodii beatiſſimi Paſtoris veſtri, qui primus vobis ordinatus eſt ab Apoſtolis Antiſtes.* Deinde eo quod hæc ad Antiochenos ſcribebat Romam ad Martyrium proficiſcens, Antiochiam nunquam amplius viſurus, Presbyteros ſuos ſic exhortatur, *Presbyteri paſcite gregem qui inter vos eſt, donec Deus deſignaverit eum qui principatum in vobis habiturus eſt. Ego enim jam immolor, ut Chriſtum lucrifaciam:* ἀναδέξῃ demonſtraverit, inſtituerit. En quemadmodum de ſucceſſore ſuo creando loquitur S. Ignatius, ab Apoſtolis ipſe creatus Epiſcopus. In Epiſtola ad Tarſenſes ejuſdem novæ editionis, *Presbyteri ſubjecti eſtote Epiſcopo: Diaconi Epiſcopo & Presbyteris, Populus Diaconis.* Pleraque ſunt alia ejuſdem veritatis teſtimonia, quæ Lector in ipſis originibus legere poteſt.

XI. Percontabitur forſan Lector unde tanta textus diverſitas? Paucis dicam quod cenſeo. Utrumque legendo non conjicio dolo id factum eſſe. Itaque hoc contigit aut feſtinatione ſcribæ, qui multa prudens omiſit, ut penſum celerius abſolveret, & quæ hiare videbantur, verbis propriis refarſit: Aut quod mihi probabilius videtur, Aliquis ſua cauſa exemplar exſcribens, non putavit ſibi neceſſe eſſe integrum deſcribere, ideo ſparſim multa hic & illic tranſiliit, & tranſennas ne nimium hiarent, aliquando verbis ſuis conjunxit. Quapropter antiqua Ignatianarum Epiſtolarum editio genuinum textum nobis exhibet. Nova vero mancum & interpolatum. Hinc negotium non faceſſit id quod in Epiſt. ad Magneſios novæ editionis negatur è Silentio Chriſtum proceſſiſſe. Eſt enim additamentum quo breviſſimè Valentinianorum hæreſis perſtringitur, ab exſcriptore non abs re textui infartum, quo caret antiquæ editionis textus. Neutrum tamen textum omnis mendæ purum aſſeruerim. Quædam etiam, ſed pauciſſima, in antiqua deficiunt; in nova verò innumera. Multa conjecturæ meæ argumenta dare poſſem, ſed tam longæ digreſſioni locus non eſt opportunus.

XII. Longè major pars canonum Apoſtolicorum eundem Epiſcoporum Primatum demonſtrat, qui ſanè à temporibus tam antiquis uniformiter ab omnibus acceptus non fuiſſet, niſi divinæ judicatus inſtitutionis, canon 38. *Presbyteri & Diaconi ſine voluntate Epiſcopi nihil faciant. Is etenim eſt, cujus fidei populus Domini creditus eſt, & à quo repetetur animarum populi ratio.* Omnes conveniunt Presbyteros à Deo inſtitutos, at ex iſto canone multò magis Epiſcopi. Et canon. 32. *Si quis Presbyter aut Diaconus ab Epiſcopo ſit à communione remotus, hunc non licere ab alio recipi, quàm ab eo qui removit*, & can. 55. *Si quis Clericus per injuriam laſerit Epiſcopum, deponatur. Nam principem populi tui maledictis non inceſſes.*

XIII. Sic Clemens Conſtitutionum Apoſtolicarum innumeris locis lib. 2. cap. 26. Epiſcopi autoritatem deſcribens. *Hic Princeps & Dux veſter: Hic veſter Rex, & Præfectus. Hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro ſrui debet. De his enim & ſimilibus ajebat Deus, Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes, & duis populi tui non detrahes. Epiſcopus igitur vobis præſideat, ut dignitate Dei cohoneſtatus, qua Clerum ſub poteſtate ſua tenet, & toti populo præeſt.* Similia fuſè proſequitur eodem lib. c. 29. 34. Deinde lib. 8. c. 4. & 5. ſcribit Ordinem & ritum Ordinationis Epiſcopalis à S. Petro eſſe inſtitutum: Deinde in oratione qua Epi-

Epiſcopi Ordinatio conficitur, verbis ſæpius utitur quæ Ordinationis Deum demonſtrant autorem. *Da huic famulo tuo Deus quem ad Epiſcopatum elegiſti, ut paſcat ſanctum gregem tuum, &c. Da ipſi Domine omnipotens per Chriſtum tuum participationem Spiritus S. ut habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum*, &c. Item c. 28. refertur Simonis Cananæi conſtitutio, *Epiſcopus benedicit, & non benedicitur. Manum imponit, ordinat, offert; benedictionem ab Epiſcopis accipit; à Presbytero autem non accipit. Deponit omnem Clericum qui dignus ſit ut deponatur præter Epiſcopum.* Hæc ſunt Epiſcopatus πρωτοκαθεδρίας fundamenta, Hæ origines quibus Eccleſia continuò in hunc uſque diem firmiter adhæſit. Innumera poſſent Patrum ſequentium afferri teſtimonia. Sed ne Hæretici quidem diffitentur Epiſcoporum Primatum ſecundo ſeculo cœpiſſe.

XIV. Huic ſententiæ opponi tantùm poſſunt verba Sanct. Hieronymi, & autorum plurimorum Latinorum quæ ſupra retulimus, qui Hieronymum ſecuti, videntur cum eo ſentire Primatum illum humanæ eſſe conſtitutionis, & ab Eccleſia ex occaſione, non Chriſto ſic jubente & definiente inſtitutum. Verùm ex Sanct. Hieronymi verbis preſſè ſumptis contraria ſententia potius colligitur. Docet enim Primatum inter Presbyteros Epiſcopis datum initio Chriſtianiſmi, cum primùm Apoſtolorum prædicatione Eccleſiæ multiplicatæ eſſent, & conſequenter cum primùm Presbyterorum numerus increviſſet: Ab Apoſtolis igitur id factum fuiſſe divino mandato neceſſariò præſumendum eſt. Quis enim quod omnium Apoſtolorum conſilio factum eſt, expreſſæ autoritati divinæ non imputabit? Hoc principium ſi ſemel quaſſes, vix erit aliquid in Sacramentis, ut cætera omittam, quod probari poſſit eſſe juris divini, *Antequam*, inquit, *diceretur ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Epiſcoporum conſilio Eccleſiæ gubernabantur.* Igitur non multis annis poſtquam Euangelium in gentibus prædicari cœptum eſt, Epiſcopus Princeps Presbyterorum ab Apoſtolis creatus eſt. Operæ pretium mihi videtur ante Lectorum oculos aperire quibus gradibus, & conſiliis uſi Apoſtoli ad Epiſcoporum inſtitutionem devenerunt.

XV. Hinc enim evidenter colligetur nihil ſcripſiſſe Sanct. Hieronymum, quod divino Epiſcoporum ſupra Presbyteros Primatui repugnet. Non omnia, ut notat Epiphanius, ſtatim conſtituerunt Apoſtoli quæ ipſis Chriſtus imperaverat, ſed paulatim ut ſeſe dabat occaſio; præſertim autem quæ Miniſtrorum creationem ſpectabant. Non modo enim inutile, verumetiam moleſtum illis fuiſſet in ipſiſſimis Eccleſiæ incunabulis Sacrorum Miniſtrorum multitudinem & apparatum ad Sacrificandum habere, quem poſtea decreverunt. Plures Sacrorum Miniſtri fuiſſent quàm Auditores. Sed prout neceſſitas expetiit, mandatum quod à Chriſto hac in cauſa habebant, executi ſunt. In primis illis initiis vix erat Apoſtolis opus Presbyterorum primatu; quia ipſi ubique aderant, & Epiſcoporum vice fungebantur. Ut quid creaſſent Epiſcopos in locis in quibus ipſi vivebant, & Epiſcoporum Provinciam adminiſtrabant? Cum quis igitur dicit in illis initiis nullos fuiſſe in Eccleſia Epiſcopos, diverſa ratione & verum & falſum dicit. Verum, quia aut nullus reverà tum Presbyter ab Apoſtolis factus erat aliis Superior; aut ſi qui fuerunt, erant rariſſimi: eo quod circumſtans neceſſitas hoc eſſe faciendum nondum eos admoneret. Falſum quia tum erant Apoſtoli unicuique Eccleſiæ principali præſidentes, è qua vicinas ut Epiſcopi facilè regebant. Verùm multiplicatis diſcipulis, & Euangelio gentibus per varias orbis regiones diſſeminato, non potuerunt amplius Apoſtoli officium Epiſcopale per ſeipſos ubique præſtare, ſed neceſſe fuit illos in variis civitatibus Epiſcopos conſtituere quorum ope Eccleſias ut Archiepiſcopi & Primates regebant. Hoc autem fecerunt Apoſtoli non proprio arbitrio, aut humano ſenſu ducti, ſed Spiritu S. impulſi, qui inſpirabat illis quæcunque ad bonum Eccleſiæ regimen conducebant. Itaque ut ſapientes Oeconomi mandata Domini ſui non intempeſtivè, ſed opportunè & prudenter executi ſunt.

XVI. Idem faciliùs intelligetur, ſi paucis progreſſus Euangelicæ prædicationis hîc velut in tabella deſcripſerimus. Euangelium prædicari cœpit ab Apoſtolis, anno poſt Domini noſtri nativitatem triceſimo quarto. Eo enim anno Chriſtus mortuus eſt, reſurrexit, cœlos aſcendit, & in diſcipulos ejus Spiritus Sanctus deſcendit. Annis ſeptem integris Apoſtoli ſeſe intra Judææ terminos continuerunt, non audentes Euangelium gentibus prædicare. Primus hoc auſus eſt S. Petrus cum monente ipſum Spiritu Sancto ut actorum 10. refertur, Cornelium Centurionem baptizavit. Id contigit juxta annales Eccleſiaſticos 41. annis poſt Chriſti nativitatem, ſeptem poſt ipſius mortem. Petrus Joppe in qua Cornelium baptizaverat, Hieroſolymam reverſus, facti ſui hactenus tam inuſitati cauſam Eccleſiæ reddidit, & miraculum quo perſuaſus hoc egerat, enarravit, act. 11. Perſecutione in Eccleſiam commota, in qua Martyrio coronatus eſt Stephanus, multi Diſcipuli in varias regiones diſperſi ſunt, ſed eorum nullus Euangelium Gentibus annuntiare audebat, *Perambulaverunt uſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum niſi ſolis Judæis.* Act. 11. v. 19. Tandem à facto Petri occaſione ſumpta Euangelium Antiochiæ Gentibus prædicari cœptum eſt anno Chriſti 43. ibique eo anno Diſcipuli Chriſtiani vocari cœperunt. Intra tamen ſeptennium illud quo Euangelica prædicatio Judææ limitibus contenta eſt, licet Apoſtolorum magna pars Hieroſolymis ſemper commoraretur, Jacobus juſtus Domini frater Hieroſolymorum Epiſcopus ſtatim à reſurrectione Domini conſecratus eſt, & ipſi peculiariter iſtius Eccleſiæ cura commiſſa, ut teſtantur Euſebius in Chronico, & hiſtor. lib. 2. initio, S. Clemens Conſtit. lib. 8. & ipſe Hieronymus in Autoribus

Eccleſiaſticis, quos ſupra retulimus. Quo Apoſtolorum facto duo demonſtrantur. Prius, Eccleſiam diu ſine Epiſcopis ſubſiſtere non poſſe, & imperio divino eorum creationem eſſe tribuendam, cum ſtatim multiplicata plebe & Presbyteris, licet præſentes eſſent Apoſtoli, unum ex ſeipſis, credentibus jam numeroſis præfecerint. Poſterius, abſolutè falſum eſſe, ad tranquillandum & extinguendum ſchiſma jam natum Epiſcopos primùm creatos, cum ſchiſmatis omnis memoriam Jacobi, Marci, & Evodii in Epiſcopos Ordinatio longè præceſſerit.

XVII. Quod fecerant Apoſtoli fidelibus Judæis jam multiplicari incipientibus; fecerunt erga Gentes poſtquam fidelium numerus ex iis plurimùm auctus eſt. Antiochiæ anno Chriſti 43. credentium è Gentibus numerus plurimùm adaugebatur; ita ut paulò poſt id tempus, anno ſcilicet Chriſti 44. miſſi fuerint à Chriſtianis Antiochenis Barnabas & Saulus Hieroſolymam ut eleemoſynas pauperibus diſtribuerent, eoſque famis tempore, quæ eo anno contigerat, ſuſtentarent, ut refertur act. 11. v. 29. Hac legatione functi Antiochiam reverſi ſunt act. 12. 25. quibus reverſis manus jubente Spiritu S. impoſitæ ſunt, & ad gentibus prædicandum miſſi, ut videre eſt initio cap. 13. actorum. Hæc facta ſunt anno Chriſti 46. & ab eo tempore confidenter, & ſine ullo animi ſcrupulo, à Paulo præſertim & Barnaba, Euangelium Gentibus eſt prædicatum. Peragratis igitur Cypro, & plurimis Aſiæ civitatibus Euangelium annuntiando, ut hæc ſigillatim enarrantur capitibus 13. & 14. Actorum, *Navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei. Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.* Hæc in fine cap. 14 Actorum Apoſtolicorum.

XVIII. Cum igitur Paulus & Barnabas moram facerent Antiochiæ, nonnulli Judæi adverſus eos tumultum concitarunt quod Gentes non circumciderent. Hujus quæſtionis occaſione Antiocheni miſerunt Hieroſolymam Paulum & Barnabam, celebratumque eſt primum Chriſtianorum Concilium, quod à Chronologis in annum Chriſti, 51. collocatur. Facto Concilio decreta illius Antiochiam retulerunt Paulus & Barnabas, & ibi aliquantum temporis commorati ſunt. Poſtea Paulus circumivit civitates, in quibus Euangelium annis præteritis prædicaverat, multaque in itinere illi contigerunt quæ narrantur capitibus 16. & 17. Actorum: Tandemque Corinthi ſubſtitit ſeſquiannum. Corinthum appulit anno Chriſti 52. & inde diſcedere potuit circa anni quinquageſimi tertii finem. Itaque ſchiſmatica illa verba: *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ*, Corinthi facta poſt S. Pauli diſceſſum, annum 53. ſubſecuta ſunt, & 56. anteceſſerunt. Scripta eſt enim prima ad Corinthios quæ hæc refert, anno 56. Totum igitur illud tempus quo, ſecundum S. Hieronymum Ethnicorum Eccleſiæ Epiſcopo privatæ ſunt, octennium, aut ſi maximè extendas, novennium excedere non poteſt. Cum autem tum viverent Apoſtoli omnes præter Jacobum fratrem Joannis; & præcipui, Petrus, Paulus, Joannes, Andreas, Marcus, Lucas, Barnabas, & alii poteſtate Epiſcopali longè ſuperiores, Eccleſias Gentium indeſinenter viſitarent, profectò non erat neceſſe Apoſtolos & Euangeliſtas qui omnia paulatim & prudenter ad perfectum regimen diſponebant, tam citò Epiſcopos creare. Sufficiebant Presbyteri in Eccleſiis qui eos Apoſtolorum juſſu & ductu regerent: Et forſan niſi contigiſſet Corinthi ſchiſmatis periculum, mandatum de creandis Epiſcopis quod à Deo acceperant, nondum executi eſſent. Quapropter ſchiſmatis illud principium creandorum Epiſcoporum occaſio non fuit, nedum cauſa; ſed creationem maturavit, moraſque omnes rupit, ne diutius eam differendo, maximum detrimentum caperet Eccleſia.

XIX. Itaque manifeſtum eſt tantillum temporis quod interceſſit inter principium vocationis Gentium decretæ, & Epiſcoporum inſtitutionem, nihil divinæ eorum autoritati derogare, cum Apoſtoli, aliique Apoſtolici viri Epiſcopale munus obirent; & occaſionem inſtitutionis opportunam expectarent. Multæ enim dilationis juſtæ cauſæ oboriri potuerunt: Quod ipſis eſſet variis locis prædicandum, & Neophytos ex Gentibus aliis præponere non auderent: Quod aliquando nullos haberent ſatis inſtructos & in fide firmos. Quod autoritatem & magiſtratum, ut aliis præficerentur, præ ſe non ferrent: Quod fidelium numerus nondum ad eam multitudinem creviſſet, qui ad ſui directionem egeret Epiſcopo, & multa ejuſmodi quæ Apoſtolos ab Epiſcoporum creatione retardare potuerunt.

XX. Denique licet concedamus omnia eo ſenſu quem explicavimus & demonſtravimus; tamen ſi intelligamus abſolutè initium creandorum quorumlibet Epiſcoporum ab occaſione quam commemorat S. Hieronymus, ortum habuiſſe, falſi ſtatim convincetur Propoſitio. Hiſtoriæ enim Eccleſiaſticæ certiſſimè docent S. Jacobum fratrem Domini paulò poſt ejus in cœlos Aſcenſum, creatum fuiſſe ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopum, ut jam demonſtravimus. Imò, ſi credimus Photio Epiſtola 117. non modo Epiſcoporum primus eſt, ſed etiam *διατολμᾷ χειρὶ τὸ ἱερὸν χρίσμα ἢ τὴν ἱεροσολύμων λαχεῖν*, *Domini manus ſacram unctionem, & Hieroſolymitanam præeciam ſeu territorium ſortitus eſt.* Illi adſtipulatur Nicephorus hiſt. lib. 2. cap. 38. *τὴν ἱεροσολύμων ἐπισκοπὴν πρῶτος τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος χειρὶ ἐγκεχείρισται.* Eo mortuo, quod contigit anno Neronis Cæſaris ſeptimo, Chriſti 63. ei ſufficitur Simeon Cleophæ filius, de quo Cleopha, quem nonnulli fratrem Joſephi ſponſi beatæ Virginis dicunt, in Euangeliis ſæpe fit mentio. Clemens l. 7. cap. 47. Hegeſippus l. 3. cap. 3. Euſebius lib. 2. hiſtor. cap. 1. Petrus Apoſtolus cum primum Euangelium Antiochenis Judæis prædicatum eſt, ſedem Antiochiæ fixit, ibique Eccleſiam Antiochenam rexit, non modo ut Apoſtolus, ſed etiam ut ſpecialis illius Eccleſiæ Epiſcopus. Hoc autem factum eſt annis, 13. aut 14. antequam Corinthi dictum eſſet,

ſet, *Ego ſum Apollo, Ego ſum Cephæ* &c. Deinde Antiochia, Judæaque Romam diſcedens Euodium Antiochenum Epiſcopum creavit, ſibique ſucceſſorem reliquit, Euſebius in Chronico, Clemens lib. 7. cap. 47. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos. Evodio autem mortuo Ignatium Antiochiæ ordinavit S. Paulus. Deinde Marcus Euangeliſta a S. Petro Alexandriam Roma miſſus eſt, ut ibi Epiſcopum ageret; quo mortuo Neronis Cæſaris anno octavo, ante Apoſtolos Petrum & Paulum, ei ſucceſſit Anianus. Evodii autem & Marci Ordinationes Epiſcopales, octo, aut novem annis Corinthiacum ſchiſma præcedunt. Colligitur inſuper tum ex Actis Apoſtolorum, tum ex antiquis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis invicem comparatis, S. Dionyſium Areopagitam annos aliquot Athenienſibus, Timotheum autem Epheſiis anno uno aut altero, ante illud Corinthiorum ſchiſma à S. Paulo Epiſcopos conſecratos. Quapropter ipſo teſte Hieronymo, tum in Chronico Euſebii quod edidit, & ampliavit, tum in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & alibi verum non eſt abſolutè & univerſè occaſione ſchiſmatis Corinthiaci primùm creatos ab Apoſtolis Epiſcopos.

XXI. Eſt tamen in verbis S. Hieronymi periodus una quæ videtur in gratiam cum his interpretationibus redire non poſſe, *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi Præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores.* Videtur S. Hieronymus totius Epiſcoporum *πρωτοκαθεδρίας* cauſam & originem ad Eccleſiæ conſuetudinem referre. Hoc non ferunt verba ipſius; ſed tantùm, magis ad Eccleſiæ conſuetudinem cauſam illam referendam, quam ad dominicam diſpoſitionem. Ad utrumque igitur ex ipſius ſententia referenda eſt. Sed inquies, ſaltem conſuetudini Eccleſiaſticæ videtur primas deferre. Duæ fuerunt hujus rei cauſæ. Prior S. Hieronymi in his locis ſcopus. Propoſitum ipſi erat Diaconorum, præſertim Romanorum, ſuperbiam retundere, qui non modo ſe Presbyteris æquabant, ſed etiam præferebant. Hoc ut præſtet, Presbyteros quibus poteſt argumentis Epiſcopis exæquat, ut intelligerent Diaconi illi cum ſe pares Presbyteris faciunt, aut etiam ſuperiores, ſe quoque Epiſcopis exæquare, aut etiam præferre. Notiſſimum autem eſt omnibus in S. Hieronymi lectione verſatis eum in diſputationis fervore Rhetoricis amplificationibus, & hyperbolis plurimùm indulgere, & *ἐκφρόνως* admodum *καὶ ἐμφαλικῶς* ſententiam ſuam pronuntiare.

Quare cum tantùm ex dictis colligere debuiſſet conſuetudine Eccleſiaſtica, non ſolùm diſpoſitione divina Presbyteros eſſe Epiſcopis inferiores, ex animi contendentis calore illud, *magis*, inſuper addidit. Ita in Epiſtola ad Evagrium cum ſuperioribus ſimilia dixiſſet, ſubjicit pari calore, *Quid enim facit excepta Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Ignorare non poterat Hieronymus in toto Occidente præter Ordinationem multa fuiſſe Epiſcopis reſervata quæ nullo modo Presbyteris licerent, ut Confirmationis Sacramentum, quod ipſemet teſtatur in dialogo adverſus Luciferianos, Eccleſiarum & Altarium benedictiones, & nonnulla alia. Attamen calore contentionis raptus, ut Presbyteros Epiſcopis magis exæquaret, licet de Romanis Diaconis & Presbyteris controverſia verteretur, abſolutè dixit nihil facere Epiſcopum præter Ordinationem quod Presbyter non faceret. Hoc erat aliquo modo verum: Nam in Ægypto, & Orientis multis regionibus confirmabant Presbyteri, non tantùm Epiſcopi; ſed quod erat quadantenus verum, fervore contentionis abreptus, abſolutè & ſimpliciter verum eſſe dixit, atque id dixit in iis regionibus in quibus erat falſiſſimum. Præter Ordinationem multa erant in toto Occidente, etiam tempore S. Hieronymi Epiſcopis reſervata, de quibus verba faciemus infra, Exercitatione ſequente cap. 5. ſect. 8.

XXII. Poſterior iſtius exæquationis à S. Hieronymo factæ cauſa duplex eſt; retardata primùm pauculis annis propter rationes jam explicatas Epiſcoporum creatio, deinde creationis occaſio. Ante creationem nulli erant Epiſcopi propriè dicti, omnes Presbyteri erant æquales, & communi eorum conſilio Eccleſiæ regebantur. Cum verò Corinthi ſchiſma obortum eſſet, & forte aliis in locis, tum Apoſtoli judicarunt, ne longiùs ſchiſmata illa graſſarentur, tempus creandis Epiſcopis opportunum adveniſſe; unumque è Presbyteris electum, ubi hoc factum non fuerat, cæteris præpoſuerunt. Utraque hæc ratio exaggerationis Hieronymianæ fundamentum fuit, Utramque mente revolvens pronuntiavit conſuetudine Eccleſiaſtica magis quàm diſpoſitione Dominica Epiſcopos eſſe Presbyteris prælatos: multò moderatius quàm cum paulò poſt hyperbolen Rhetoricam proſequens abſolutè dixit, nihil præter ordinationem facere Epiſcopum quod Presbyter non faceret. In univerſo enim Occidente hoc erat falſiſſimum. Multa enim erant Presbyteris prohibita quæ ſi attentaſſent, non modo pœnis obnoxii fuiſſent, ſed etiam fruſtra fuiſſent.

EXER-

EXERCITATIO IV.

DE CHOREPISCOPIS; EORUM ORIGINE, Officiis, & duratione.

CAPUT I.

De Chorepiſcoporum nomine, origine, inſtitutione, & progreſſu tam in Oriente quàm Occidente. Epiſtolæ S. Damaſi de Chorepiſcopis ſpuriæ, una quoque Sanct. Leoni tributa. Quando ſuppoſitæ fefellerunt multa Concilia Gallica. In Africa nulli commemorantur Chorepiſcopi. In Gallia & Germania ab annis nongentis frequentes. Quæ fuerit Chorepiſcopos inſtituendi occaſio. Chorepiſcoporum officia & munia latè deſcribuntur.

I. QUanquam Rituales libelli noſtri variis temporibus ſcripti & recenſiti, tam Occidentales quàm Orientales, excepto uno Syro, Chorepiſcoporum nullam faciant mentionem, cum tamen in antiquis Eccleſiæ monumentis frequens ſit eorum memoria, quando, qua occaſione & ubi cœperit iſta dignitas in Eccleſia vigere, quibus functionibus ornata & commendata fuerit, quandove deſierit, paucis hoc capite, quantum legendo aſſequi potuimus, explicabimus. Nota eſt nominis compoſitio & ratio, Chorepiſcopus, id eſt, oppidi, ſive pagi Epiſcopus, Villanus: ſive Vicanus, aut etiam oppidanus Epiſcopus; Qui extra urbem in pagis, vicis, & oppidulis Epiſcopi vice fungitur. Ideo antiqui Interpretes Chorepiſcopos nonnunquam Latinè Epiſcoporum Vicarios interpretantur. Ferrandus Diaconus Breviarii cap. 79. *Chorepiſcopi, id eſt, Vicarii Epiſcoporum.* Ita Creſconius Breviarii ſui cap. 96. Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſiaſticis cap. 6. Rabanus de inſtit. Cleric. lib. 1. cap. 5. Iſaac Lingonenſis tit. 11. c. 30. Capitulare Aquiſgranenſe cap. 9. tom. 2. Conciliorum Galliæ an. 789.

II. Antiqua Eccleſiæ monumenta quæ poſt tot Bibliothecarum & Archivorum ruinas & incendia nobis ſuperſunt, in quibus Chorepiſcoporum memoria continetur, initium quarti ſeculi non præcedunt. Primùm enim deprehenditur in Conciliis Ancyrano & Neocæſarienſi quæ ante Conſtantini primi imperium in univerſum orbem Romanum, cum ſæviret poſtrema perſecutio, celebrata ſunt. Nihil de iis, non dicam ſacra ſcriptura, ſed ne quidem Apoſtolici canones, Clementis Conſtitutiones, & S. Ignatius, qui cæteros Ordines Eccleſiaſticos & minimos commemorant: Nihil Concilium Eliberitanum, licet non modo majoribus Ordinibus, ſed etiam A Subdiaconis àliiſque Clericis leges dicat. Nihil S. Fabianus, & Cyprianus præcedentibus poſteriores, qui ſimiliter cæteros Ordines Romæ & Chartagine uſitatos & vulgatos enumerant. Si gradus hic ipſis cognitus fuiſſet, cum ſit Presbytero ſuperior, & ad dignitatem Epiſcopalem proximè accedat, eum proculdubio non prætermiſiſſent. Præcedit tamen hæc Chorepiſcoporum inſtitutio Concilia memorata: Nam in iis non agitur de Chorepiſcopis creandis, ſed de eorum autoritate coercenda, & Epiſcoporum faſcibus ſubmittenda, à quibus jam ſe eximere tentabant.

III. Quapropter cum Concilia illa fuerint Orientalia, & in Aſia minore celebrata, duo ex dictis conſequi videntur. Prius, in Galatia & Ponto, vicinisque regionibus Ordinem illum initium ſumpſiſſe, & inde in pleraſque ulterioris Orientis regiones diſſeminatum. Poſterius ad finem tertii ſeculi circiter annum Chriſti, 270. aut, ante à quibuſdam Provincialibus Synodis Chorepiſcopos eſſe inſtitutos. Quæ autem fuerint, & quo anno celebratæ, deficientibus monumentis Eccleſiaſticis adnotari non poteſt. Brevi autem in Oriente latè propagati ſunt: Nam Concilio Neocæſaræenſi in quo prima eorum fit mentio, Chorepiſcopi duo ſubſcribunt. Nicænum primum quod præcedente decem aut duodecim annis tantùm poſterius eſt, permittit Catholico Epiſcopo locum excogitare quo vel Chorepiſcopum vel Epiſcopum conſtituat & collocet Novatianorum Epiſcopum qui hæreſi abjurata redierit ad Catholicam. Præterea in eodem Concilio quindecim Chorepiſcopi ſubſcribunt, ſcilicet Cappadociæ Provinciæ quinque, Iſauriæ quinque, Syriæ duo, Bithyniæ duo, Ciciliæ unus. Concilium Antiochenum poſt Nicænum annis quindecim celebratum cap. 10 jam ſuperbientes coercet, & autoritati

tati eorum limites figit, quid poſſint, quidve non poſſint, definit, & ab uno Epiſcopo cui ſubjiciuntur, Ordinari jubet: & can. 8. novum privilegium illis confert. S. Athanaſius Apologia 2. negat in Mareotide regione unquam fuiſſe vel Epiſcopum vel Chorepiſcopum; ſed ſingulos regionis iſtius vicos habere ſolitos Presbyteros, Alexandrino Epiſcopo ſubjectos. S. Baſilius Epiſt. 181. ad Chorepiſcopos diœceſis ſuæ reſcribit, & conqueritur officium illis ab antiquis canonibus commiſſum negligenter exequi, graviterque, ni diligentius exequantur, comminatur, Concilii Epheſini tom. 2. cap. 1. in media Epiſcoporum turba Cæſarius Chorepiſcopus recenſetur, & c. 10. comdemnationi Neſtorii decernens ſubſcribit. Concilium generale quartum c. 2. eos ut vulgo cognitos inter majores Ordines poſt Epiſcopos recenſet. *Si quis Epiſcopus &c. propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur &c.* & Actioni ſextæ ejuſdem Concilii quinque Chorepiſcopi ſubſcribunt. Actione verò prima ejuſdem Concilii, ubi referuntur nonnulli Hæretici Novatiani, & Quatuordecimani ejerata Hæreſi fidem Catholicam amplectentes, mentio fit cujuſdam Eutychii Chorepiſcopi Aularæ, qui Quatuordecimanorum Hæreticorum dicitur princeps. Itemque Zenonis Quatuordecimanorum quoque Chorepiſcopi. Ibidem commemoratur alius Jacobus Dictus, Chorepiſcopus Catholicus. Canonem ſecundum Chalcedonenſem cum eadem Chorepiſcopi mentione repetit Synodus ſeptima c. 5. & can. 14 antiquum Chorepiſcoporum privilegium de ordinandis cum permiſſu Epiſcopi Lectoribus innovat, & confirmat. Cum autem ex actione prima Concilii Chalcedonenſis conſtet Hæreticos Novationos habuiſſe Chorepiſcopos, videtur non improbabiliter inde colligi Chorepiſcoporum inſtitutionem præceſſiſſe illam hæreſim, inſtitutionem enim ab Eccleſia poſt eorum hæreſim decretam improbaturi potius videntur quàm amplexuri.

IV. In Occidente multò ſeriùs hic gradus invaluit. Illius primò mentio eſt in Concilio Galliæ Regienſi an. 439. celebrati, in quo Armentarius in Epiſcopum à duobus Epiſcopis ſine conſcientia Metropolitani perperam Ordinatus, Chorepiſcopatus officio fungi permittitur. Verum dignitas illa multis privilegiis ab eodem Concilio mutilatur, & quaſi decurtatur, ita ut Chorepiſcopi nomen exangue & exuccum illi ſit relictum: vix tribus ſeculis poſt Armentarium eos in Occidente commemoratos deprehendes.

V. Adverſus hanc ſententiam validam moveri oppoſitionem ex Epiſtola 4. Sancti Damaſi multi judicabunt: mihi verò ſecus. Hæc enim Epiſtola tota quanta eſt, mihi ſuſpecta videtur, tantoque & tam eloquente Pontifice indigna, ſive ſtylum & periodorum texturam conſideres, ſive Majeſtatem Pontificiam. Conficta eſt trecentis ſaltem annis poſt Damaſum à quodam Chorepiſcoporum inimiciſſimo, qui graviſſimâ aliqua injuria ab iis ſe credebat affectum. Scribit Damaſus Epiſcopis Africæ velut ab iis de Chorepiſcopis conſultus, & utrique ſupponunt Chorepiſcopos in regionibus ſuis fuiſſe frequentiſſimos. At in tot Africanis Conciliis, & numeroſiſſimis eorum canonibus ne ſemel quidem Chorepiſcoporum fit mentio. Ait Damaſus & ſæpius in hac Epiſtola, ſe nihil ad eorum quæſtiones reſpondere poſſe quàm quod olim ſui Prædeceſſores. At in Prædeceſſorum ipſius Epiſtolis, & decretis, ſive veris, ſive ſuſpectis de Chorepiſcopis ne verbum quidem, imò multa quæ eos hunc Ordinem ignoraſſe in animum inducere poſſint. Dicit eos nunc, ut in primitiva Eccleſia neceſſarios non eſſe. Atqui in primitiva Eccleſia Orientali & Occidentali nulla eorum memoria, nec tum erant neceſſarii, ut paulò poſt dicemus. Dicit eos non tantùm ab Apoſtolica ſede, ſed etiam ab omnibus totius orbis Epiſcopis à Pontificalibus officiis omnibus eſſe remotos. Ubinam hoc Concilium generale ante Damaſum? Concilium Antiochenum generale dici poſſet: At contrarium definit. Mitto non tam barbarum quàm infantem loquendi, & hoc edifferendi modum, planè indignum qui Pontifici & Poëtæ eloquentiſſimo aſſingatur. Nonnulla præterea non ſatis ſibi cohærentia de iiſdem Chorepiſcopis enuntiat. Unde ille tertius Ordo proceſſerit, dicit funditus ſe ignorare; ideo quod ratione careat, extirpandum, immemor ſe paulò ante confeſſum in Eccleſiæ incunabulis frequentem fuiſſe. Operoſum eſſet ſingula ſuppoſititii fœtus τερατολογια percurrere, cum fere unaquæque periodus plura ſuppeditare poſſit. Scopus ipſius eſt prorſus eſſe delendos; aut ſaltem in Ordinem ſimplicium Presbyterorum eſſe cogendos, ut nihil prorſus attentare audeant, quod ſit Epiſcopis reſervatum.

VI. Similiter conficta eſt Epiſtola 88. inter Sanct. Leonis Epiſtolas, vel ab eodem, vel ab aliquo alio ejuſdem temporis, & odii in Chorepiſcopos conſorte. Epiſtola iſta, vel potius Epiſtolæ fragmentum, ut in fine adnotatur, nihil aliud eſt quam canon ſeptimus Concilii Hiſpalenſis. 2. illuc verbum è verbo tranſlatus; cui additum eſt exordium inconditum, & puerile, tam eloquente Pontifice, & in periodis ſuis limandis, & perſpicuè circumducendis accuratiſſimo indigniſſimum. De Chorepiſcopis non loquitur Hiſpalenſe Concilium; ſed fefellit, aut falli voluit Impoſtor prava, aut depravata canonis lectione. Patres enim decretum ferunt adverſus Agapium Cordubenſem Epiſcopum qui frequenter Presbyteros delegabat ad ea agenda quæ ex Conciliorum decretis ad ſolos Epiſcopos ſpectabant, illiuſque prævaricationis occaſione renovant antiqua canonum ſtatuta, qui Presbyteris ſeverè prohibent ne Ordinationes, Confirmationem, Eccleſiarum conſecrationem, & multa ejuſmodi conferant. Patres Hiſpalenſes de Presbyteris decernunt, at ille Presbyteris ter addidit, *vel Chorepiſcopis*. Deinde in fine canonis, *Quæ omnia eis à ſede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur*, ut exiſtimaretur canon Hiſpalenſis ad

Epiſtolam Damaſi alludere. Sed antiqua exemplaria è quibus Garcias edidit iſtos canones hæc non repræſentant. Epiſtolæ tamen illæ Sanctis Damaſo & Leoni tributæ Francorum Epiſcopis ante octingentos annos impoſuerunt, ut videre eſt in Concilio Pariſienſi, 6. c. 27. Meldenſi c. 44. & in Capitularibus Caroli & Ludovici Imperatorum lib. 5. c. 168. lib. 6. c. 119. & c. 284. lib. 7. c. 187. 323. 324. Et apud Iſaacum Lingonenſem tit. 11. c. 30. 31. Et in Epiſtola Nicolai Pontificis ad Rodulphum Bituricenſem tom. 3. Concil. Galliæ. Fertur & quædam Joannis 3. Pontificis Epiſtola qua idem confirmatur; ſed pluribus argumentis quàm præcedentes ſpuria probatur, & ipſius τοῦ ῥήτορος vix contradicitur.

VII. Si tamen quis ipſarum antiquitate capitur, ad ſcopum noſtrum perinde eſt. Nihil novi inde colligetur. Sequetur tantùm Chorepiſcoporum Ordinem eodem tempore in Occidente cœpiſſe quo in Oriente. Nulli enim canones in Epiſtola Damaſi quæ de eorum origine tractat, referuntur quàm ii quos jam retulimus. Sed in rebus omnibus veritas potiſſimum ſpectanda eſt, & quum datur occaſio, aſſerenda. Ferrandus Diaconus Chorepiſcopos quidem commemorat, ſed compendii ſui, non conſuetudinis patriæ neceſſitate ductus. Faciens enim Græcorum canonum compendium, cum ad Ancyranos & Neocæſarienſes canones pervenit, tum neceſſariò Chorepiſcoporum illi memoria facienda fuit. Probabilius id probatur ex S. Iſidoro l. 2. de officiis Eccleſ. c. 6. non tamen neceſſariò, cum tantum Chorepiſcoporum munera explicando tres illos canones Ancyranum, Neocæſarienſem, & Antiochenum nullo ſigillatim numerato conjunxerit. Inde ſanè non colligitur neceſſariò in Hiſpania uſurpatos, ſed Iſidoro quid de iis antiqui Græcorum canones decernerent, cognitum fuiſſe. Nolim tamen negare tum temporis, atque etiam antea in quibuſdam caſibus inſtitutos ab iis Chorepiſcopos, licet hoc monumenta Eccleſiaſtica quæ nobis ſuperſunt, non commemoraverint. Quum enim antiquiſſimi canones illis cogniti, & generalia Concilia Nicænum & Chalcedonenſe Chorepiſcopos probaverint, facilè fieri poteſt, ut aliquem conſtituendi occaſio nobis incognita ſeſe dederit. Certum tamen videtur eo tempore raros admodum in Hiſpania fuiſſe, cum ex tam multis monumentis ſuperſtitibus nullum eorum mentionem faciat, nec etiam Martinus Bracarenſis qui circa illud tempus & ante Concilium Hiſpalenſe, Canonum Græcorum Synopſin Latinè edidit.

VIII. In Gallia & Germania ante nongentos annos frequentes fuiſſe evidenter colligitur, primùm ex Epiſtolis quas ſuppoſitionis arguimus: Ut quid enim tam exulcerato animo adverſus eos egiſſent, ſi nulli aut rariſſimi fuiſſent? Deinde Epiſtolæ ipſæ plures fuiſſe & frequentes apertè teſtantur. Præterea ante annum 800. Francorum & Germanorum Concilium graviter de iis conqueritur, & de iis è medio tollendis deliberat. Sed prius ad Leonem III. Pontificem conſilium ſuum referendum decernunt, qui in eos duriſſimam pronuntiat ſententiam, quam tamen Epiſcopi poſtea Ratisbonæ congregati clementer temperant. Iſta referuntur tom. 2. Conciliorum Galliæ ad annum 800. & Capitulor. lib. 7. c. 187. Ex his igitur manifeſtum eſt, ſex primis ſeculis raros admodum fuiſſe in Occidente Chorepiſcopos; poſtea frequentes ab Epiſcopis inſtitutos, ſed paulò poſt illis ſuperbientibus, & leges præſcriptas tranſgredientibus modum eſſe impoſitum, tandemque Epiſcopos illorum levitatis & arrogantiæ pertæſos Ordinem iſtum abrogaſſe.

IX. Occaſionem autem inſtituendi hunc novum Ordinem ex multiplicatione & dilatatione Euangelicæ prædicationis per oppida, pagos, & vicos mihi ſumpſiſſe videntur Epiſcopi. Antiquiſſimus Eccleſiæ mos fuit, in hunc uſque diem religiosè obſervatus, ſi paucula exempla recentiora demas, nullum niſi in civitatibus Epiſcopum inſtituere. Hoc nos docent non modò antiquiſſimi canones, ſed & Apoſtolorum traditio. Videmus enim eos in celeberrimis quibuſque urbibus Euangelium prædicaſſe; & Eccleſiis in eis conſtitutis exinde in oppida & pagos diſſeminaſſe. Lapſu igitur temporis diffuſa per univerſum territorium urbis fidelium multitudine, difficile fuit Epiſcopo urbis per tot loca exercere munia Epiſcopalia, præſertim ubi dioeceſes circa urbem longè lateque diffundebantur. Erant equidem in ſingulis pagis Presbyteri, aut ſaltem Diaconi qui populum in diſciplina Eccleſiaſtica continebant, & moribundis baptiſma conferebant. Sed Epiſcopum ſemper accerſere, aut ipſum adire, ut quod ad ipſum ſpectabat, præſtaret, & Epiſcopo & dioeceſanis longè diſtantibus moleſtum erat. Deinde erant aliqui Presbyteris & aliis Clericis præficiendi, ne officii ſui negligentes Chriſtianæ plebi eſſent ſcandalo. Denique nonnulla erant oppida civitati principali obnoxia, de quibus pagi & villæ multæ pendebant, quæ ſæpe Epiſcopi præſentiam poſtulabant. His & ſimilibus de cauſis viſum eſt olim Conciliis Provincialibus in oppidis quibuſdam à prima ſede remotis minores Epiſcopos creare, ſubditos quidem majori Epiſcopo, ſed propter dioeceſis commodum, nonnullis Epiſcopalibus prærogativis donatos; Quæ autem fuerint illæ prærogativæ eſt nobis inquirendum.

X. Primùm conſtat Chorepiſcopos oppido alicujus civitatis clientelari fuiſſe præfectos, & civitatis Epiſcopo ſubditos, rexiſſe autem non modo oppidum illud, verumetiam pagos, vicoſque vicinos. S. Iſidorus eorum officia explicans compendioſè refert tres canones antiquos Græcorum qui eorum autoritati limites figunt, ſcilicet Ancyran. can. 13. Neocæſar. 14. & Antiochen. 10. Ideo his prætermiſſis verba Iſidori referre ſatis erit. Sic c. 6. l. 2. de officiis Eccleſiaſticis: *Chorepiſcopi, id eſt, Vicarii Epiſcoporum, juxta quod canones ipſi teſtantur, inſtituti ſunt ad exemplum 70. ſeniorum, tanquam Sacerdotes propter ſoli-*

ſolicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis inſtituti, gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere lectores, Subdiaconos, Exorciſtas. Presbyteros autem & Diacones Ordinare non audeant prater conſcientiam Epiſcopi, in cujus regione praeſſe noſcentur. His autem à ſolo Epiſcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur.

XI. Ampliſſima eſt ea poteſtas quam illis tribuit ſecundum canones Græcos Iſidorus; eaque nemine conquerente in Oriente utebantur. Nuſquam enim legitur aliquo Orientali canone illis prohibitum Sacramentum confirmationis miniſtrare, Eccleſias & virgines conſecrare; aliaque ejuſmodi præſtare, cum iſta ordinationibus ſacris longè minora ſint. Sed B multi occidentis Epiſcopi ægrè admodum ferebant iſta Chorepiſcopos audere, & qua potuerunt autoritate ab his cœptis eos prohibuerunt. Hoc ſeveriſſimè illis interdicunt Epiſtolæ Pontificum Damaſi Epiſt. 4. Leonis 88. Felicis IV. Epiſt. 1. Joannis III. Epiſt. unica. Concilium Hiſpal. II. cap. 7. Pariſienſe ſub Ludovico & Lothario, lib. 1. cap. 27. Capitular. lib. 5. c. 168. Meldenſe c. 44. Metenſe c. 5. Cum autem lapſu temporis in omnes fere Epiſcoporum prærogativas involarent, omnia quoque Epiſcopalium munerum privilegia illis reſcindunt Galliæ & Germaniæ Epiſcopi, ut videre eſt locis jam citatis, & C Capitular. l. 7. c. 187. & c. 324. De qua prohibitione infra pluribus agetur. Rabanus Maurus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 5. teſtatur ordinarium eorum munus eſſe Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem, *Ordinati ſunt autem Chorepiſcopi propter pauperum curam, qui in agris & villis conſiſtunt, ne eis ſolatium confirmationis deeſſet.* In eos tamen ita iraſcuntur Pontifices & Occidentis Concilia, ut ne hoc quidem illis permittant. Sed in Oriente multo liberalius cum iis actum eſt.

XII. Conciliis generalibus aliquando adfuerunt, & ſententiam cum Epiſcopis dixerunt, cumque iis ſubſcripſerunt. Quo jure id fecerint, an Chorepiſcopatus jure, quaſi hoc eſſet Chorepiſcopis à Conciliis conceſſum; an peculiari Epiſcopi cui ſuberant, delegationi datum, non ſatis hac in cauſa ſeſe explicant antiqua Eccleſiæ monumenta. Ipſorum erat cum ordinandi erant in pagis Eccleſiæ Miniſtri, Presbyterorum & Dianonorum de iis teſtimonia excipere, & examinare, & antequam illos ordinarent ad Epiſcopum referre, ut colligitur ex S. Baſilii, ad Chorepiſcopos epiſtola. Idem habet Collectio Arabica c. 60. de Chorepiſcopis, ſed hoc officium communicat E etiam cum Archidiaconis: ea tamen Chorepiſcopis prærogativa eodem loco conceditur, ut *nec Epiſcopus, nec ullus alius Sacerdotem ordinare debeat, neque religioſum facere, niſi praſente Chorepiſcopo. Siquidem ipſe praeſt officio orationis, & cateris omnibus quae in villis ſiunt.* Non licebat Vicanis Presbyteris præſente Epiſcopo, vel urbicis Presbyteris, ſacrificium offerre, aut oblationem diſtribuere, ſed Chorepiſcopis id licebat, eo quod ut epiſcoporum Collegæ honorantur: cura inſuper pauperum illis demandabatur. Duo hæc poſtrema Concilium A Neocæſarienſe illis tribuit: Cum enim c. 13. Vicanis Presbyteris quod dictum eſt, prohibuiſſet, canone ſequente ſic ſtatuit, *Chorepiſcopi autem ſunt quidem in figura ſeptuaginta. Ut autem Comministri propter ſtudium in pauperes offerunt honorati.* Collectio quoque Arabica c. 54.

XIII. Nonnulla alia privilegia dat Chorepiſcopis eadem collectio, veluti quod in Chorepiſcopatu ſuo, ſeu ditione eligatur & præficiat qui Eccleſiarum & Monaſteriorum curam habeant, ut divinum officium in iis decenter adminiſtretur. Viſitat Eccleſias & Monaſteria quæ ſub ſua ſunt poteſtate quorum latercului poſt conſecrationem ſuam illi dat Epiſcopus. Bis quotannis congregat diſtrictus ſui Presbyteros, & ſemel Monachos. Sedet ad ſiniſtram Epiſcopi, Archidiaconus ad dexteram ſive intra, ſive extra Eccleſiam: Cæteri Sacerdotes & Clerici poſt ipſos ſedent. Ideo ab Orientalibus Archidiaconus & Chorepiſcopus vocari ſolent alæ Epiſcopi. Qui de iſtis plura edoceri cupit, canones 54. & ſequentes ab 66. uſque iſtius collectionis in primo Conciliorum volumine legat, nos hîc tantùm deſcribemus quæ Ebbo Archiepiſcopus Rhemenſis in ſtatuto de miniſtris Eccleſiæ Rhemenſis de Chorepiſcopi officio ſancivit.

XIV. *Chorepiſcopi miniſterium eſt omnem Sacerdotalem totius regionis ſibi commiſſæ converſationem corrigere atque dirigere, id eſt, in conficiendis divinis Sacramentis & baptiſterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confeſſiones exigere, Pœnitentiam cum diſcretione cautè imponere, hoſpitalitatem ſectari, infirmos viſitando obſequia benignitatis & benedictionis, & ſanctæ unctionis inferre. Communioni ſanctæ dignos fieri populos aſſiduâ communione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, & orationibus dignis obſequiis ſepulturæ venerabiliter tradere; pro vivis etiam ac defunctis totius Eccleſiæ filiis rationabili aſſiduitate exorare. Inſuper verò omnia quæcumque intra Eccleſiam & extra Eccleſiam in lauſtro, & in omnibus habitationibus à maximo uſque ad minimum quemcumque viderit negligere, ſecundum Eccleſiaſticum correptionis modum ſemper corripiat, & omnem veram religionem prior ipſe faciendo, omnes facere doceat.* Hæc in appendice ad Flodoardum in hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis. Antiquorum Chorepiſcoporum officia longè ſunt his auguſtiora. Sed in Gallia & Germania propter cauſas infra dicendas, eorum autoritas plurimùm imminuta eſt, & parum abfuit quin funditus deleretur.

CAP. II.

Chorepiſcopos de quibus canones & antiqua Eccleſiæ monumenta tam ſæpe loquuntur, non fuiſſe Epiſcopos demonſtratur. Chorepiſcopis in præſentia urbicorum Presbyterorum licet offerre. A duobus tantùm Epiſcopis ordinati non judicantur Epiſcopi, ſed ordinantes & ordinatus puniuntur. Ab uno Epiſcopo, & eo cui ſubjectus eſt, canones jubent Chorepiſcopum ordinari. Epiſcopi depoſiti, aut ab Hæreſi converſi Chorepiſcopatu miſericorditer aliquando donantur. Presbyter ab uno Epiſcopo ordinari non poteſt in Epiſcopum, niſi in extrema neceſſitate. In Oriente Chorepiſcopi peculiari ritu ordinabantur, non in Occidente.

I. HOc capite & ſequenti duas quæſtiones aggredimur quas viri docti magna contentione agitarunt; paucis quid nobis videatur probabilius, explicabimus. Prior Chorepiſcoporum ſtatum proprie ſpectat, An Chorepiſcopi illi fuerint verè Epiſcopi, an verò tantùm Presbyteri aliqua dignitate aucti; non ſecus ac Archidiaconi nihil aliud ſunt quàm Diaconi, ſed autoritate in Collegas donati. Antiquos autores non adnumeraſſe Chorepiſcopos Epiſcopis planè certum mihi videtur, ſive ſpectes quæ de eorum ordinatione referunt, ſive officia quæ illis tribuunt, ſive modum quo de illis loquuntur, & ſtatuunt. Omnia eorum verba Chorepiſcopos nunquam ab iis Epiſcopos æſtimatos fuiſſe ſonare videntur. Solemne eſt omnibus qui de Chorepiſcopis verba faciunt, dicere eos ad ſimilitudinem 70. diſcipulorum eſſe creatos, quod teſtatur antiquiſſimum Neocæſarienſe Concilium. Omnes autem ajunt Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe, Presbyteros 70. Diſcipulis. Cùm ergo Concilium eos dicit repræſentare 70. diſcipulos, Presbyterorum claſſi eos allegit, & ab Epiſcopis ſeparat. Hæc & plura ejuſmodi colligunt Zonaras & Balſamon in hunc canonem. Nec minus efficacia ſunt, quæ ſequuntur ejuſdem canonis verba, *Ut autem Comminiſtri propter ſtudium in pauperes offerunt, honorati.* Honorantur ut Comminiſtri, & propter quid? propter ſtudium in pauperes. Quis hoc tribuat Epiſcopis ut propter ſtudium in pauperes potiſſimum honorentur? Duo illis Concilium tribuit honoris privilegia; Comminiſtri cenſentur, & ſacrificium offerunt. Ut hoc funditus intelligatur, recenſendus eſt canon præcedens. Dixerant Patres Vicanum Presbyterum præſente Epiſcopo vel Presbyteris urbis offerre non poſſe, neque dare panem precationis, neque calicem; ſed iis abſentibus, ſi vocatus adſit precationi, ea poſſe. Poſtquam hunc honorem denegarunt Vicanis Presbyteris in præſentiâ Epiſcopi & Presbyterorum urbicorum, id concedunt Chorepiſcopis, quia 70. diſcipulos repræſentant; ideo ut comminiſtri ſimul cum Epiſcopo & Presbyteris urbicis offerunt, licet ſint Presbyteri vicis præfecti. Si verò Epiſcopi ab illis Patribus habiti fuiſſent, numquid dubitatum fuiſſet, an liceret eis cum Presbyteris urbicis ſacrificare? An hoc Epiſcopis tantùm conceſſum dici poteſt propter ſtudium quod in pauperes exhibent, & quia 70. diſcipulorum vice funguntur?

II. Secundò, longè notius eſt quàm probatione indigeat, Epiſcopum à tribus ſaltem Epiſcopis ordinandum eſſe. Hæc eſt traditio Apoſtolica continuò per univerſam Eccleſiam Occidentalem & Orientalem religioſè in hunc uſque diem obſervata. Si quis ab uno ordinetur, & Ordinans, & ordinatus deponuntur. Illuſtria duo hujus pœnæ in antiquis Gallorum Conciliis leguntur exempla; non quidem Epiſcoporum ab uno Epiſcopo, ſed à duobus, quod canonibus multò minus repugnat, ordinatorum. Prius habetur in Concilio Regenſi, quod ea de cauſa celebratum eſt: In quo præter Armentarii à duobus Epiſcopis ordinati depoſitionem, ſeu potius expulſionem, & quod nunquam fuerit Epiſcopus, declarationem, maximè notanda eſt totius ſynodi execratio adverſus canonum prævaricationem, quæ in ſingulis fere canonibus, ſed potiſſimum in principio refulget. Canone primo poſt tanti criminis deteſtationem, hanc tandem ſententiam pronuntiant, *itaque Ordinationem quam canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam eſſe cenſuimus, in qua prætermiſſa trium præſentia, nec expetitis Comprovincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorſus nihil quod Epiſcopum faceret, offenſum eſt.* Miſericordia tamen commot, eo quod criminis Pœnitentiam demonſtraret, concedunt ut Parochia ipſi tradi poſſit in qua Chorepiſcopi nomine, aut peregrina communione foveatur, modo Paroecia illa ad Provinciam Alpium Maritimarum in qua vitioſè ordinatus fuerat non pertineat. Declarant ſic ordinatum nullo modo eſſe Epiſcopum, ſed tamen clementer illi concedi poſſe ut in Paroecia aliqua Chorepiſcopum agat; Verùm ea conditione ut nulla officia Epiſcopalia uſurpet præter Neophytorum confirmationem, & ante Presbyteros offerendi prærogativam, quæ Paroecis promiſcuè in ea Provincia, & vicinis Gallicis concedi ſolebant: Cætera Epiſcopalia munia Chorepiſcopis concedi ſolita ipſi ſeverè interdicuntur. Ideo cum Chorepiſcopatus illi concedi poſſet, ſed ſic imminutus, &, ut ita dicam, ambeſus, datur optio volenti mitiùs cum illo agere, aut Chorepiſcopatus, aut peregrinæ communionis conferendæ.

III. Cum igitur Chorepiſcopi ab uno Epiſcopo legitimè & canonicè ordinarentur, ut jubet Concilium Antiochen. c. 10. multò minus Epiſcopi eſſe potuerunt, quàm illi qui à duobus conſecrabantur. Deinde cum declaraſſent Patres eum qui à duobus tantùm Epiſcopis eſſet ordinatus, *prorſus nihil quod Epiſcopum faceret habere*, indicant poſtea Chor-

Chorepiſcopi officio fungi poſſe. Sanè evidens eſt eos non habuiſſe Chorepiſcopos Epiſcoporum loco, & cenſuiſſe Chorepiſcopos nihil prorſus habere quod Epiſcopum faceret.

IV. Poſterius exemplum Epiſcopi à duobus Epiſcopis Ordinati legitur in Concilio Arauſicano I. cap. 21. ex quo idem quod de præcedente argumentum colligitur. *Duo ſi præſumpſerint Ordinare Epiſcopum in noſtris Provinciis, placuit de Præſumptoribus, ut ſic ubi contigerit, duos Epiſcopos invitum Epiſcopum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Eccleſiæ ipſe qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet: & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipſe damnabitur, quo cautius ea quæ ſunt antiquitatis, ſerventur.* Cum jubet Concilium eum qui vim paſſus eſt, ſubſtitui, intelligit iterum ordinatum, juxta vulgatum illius temporis axioma, non cenſetur iteratum quod dubitatur factum. Ordinationes evidenter nullas eo tempore non modo iterabant, ſed etiam dubias, ut multis exemplis alibi demonſtravimus.

V. Can. 9. Concil. 3. Carthaginenſis duo Epiſcopi Numidiæ dicuntur Epiſcopum ordinaſſe. Quid autem de Ordinantibus & Ordinato tum aut antea decretum fuerit reticetur. Hæc canonum prævaricatio obiter tantùm refertur: Probabile tamen eſt ſeverè caſtigatam fuiſſe à Concilio Numidiæ. Duo enim illius Provinciæ Epiſcopi Honoratus & Urbanus aſſerunt mandatum ſe à fratribus habere hac occaſione in Concilio intercedendi *ut in poſterum, nonniſi à duodecim cenſeantur Epiſcoporum celebrari ordinationes.* Sed Aurelio negante hoc ſemper fieri poſſe, antiqua formula quæ tres neceſſariò poſtulat, confirmatur. Ideo ex hoc canone, ut jacet nunc, nihil aliud colligi poteſt, quàm iſtius moris improbatio. Multò ſanè magis Epiſcopum ab uno Epiſcopo ordinari improbaſſent. Nonnulli olim in Gallia Epiſcopi hoc ſibi arrogabant ut ſoli Epiſcopos ordinarent, quos improbat Concilium Arelat 1. c. 21. *De his qui uſurpant ſibi quod ſolis debeant Epiſcopum ordinare, placuit ut nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis. Si tamen non potuerint ſeptem, ſine tribus fratribus non audeant ordinare.* Non videntur Patres illi tam ſeveri quam Regienſes & Arauſicani. Quapropter ex eorum actione, ut in monumentis Eccleſiaſticis inſcripta eſt, Chorepiſcoporum ſtatus Epiſcopalis improbari quidem poteſt, ſed non aboleri.

VI. Tertiò efficaciſſimum argumentum ducitur ex Epiſtolis & reſponſis Pontificum, Damaſi, Leonis I. Joannis III. & Leonis III. ad interrogata Gallorum. Omnes enim illi Pontifices & Epiſcopi tradiderunt nobis Chorepiſcopos quibuſcum agebant & verſabantur, non eſſe Epiſcopos, nec eſſe poſſe; tribus potiſſimum rationibus freti. Primùm quod ab uno tantùm Epiſcopo Ordinati eſſent, non à tribus juxta canonum præſcripta. Deinde quod in pagis Ordinati ſint contra eoſdem canones qui volunt Epiſcopos tantum in civitatibus Ordinari. Denique quod ſint inſtituti ad formam 70. Diſcipulorum, non autem duodecim Apoſtolorum. Prioribus autem ſuccedunt Presbyteri; poſterioribus Apoſtoli. Quapropter concludunt eos eſſe ſimpliciter Presbyteros; nullo officio Epiſcopali, niſi delegato, fungi poſſe: Si quod uſurpaverint, nihil agere, ſed eſſe iterandum.

VII. Hoc autem Pontificum Epiſtolis ita clarum eſt, & evidens, ut nulla tergiverſatione eludi poſſit, Damaſus Epiſt. 4. vel. 5. *Quod enim Epiſcopi non ſint, qui minus quàm à tribus ſunt Ordinati Epiſcopis, nec nominentur Epiſcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quidquid enim inter Epiſcopos, aut de rebus ad eos ſolummodo pertinentibus egerint, neceſſe eſt, ut ſuperius jam prælibatum eſt, ut irritum fiat. Quia quod non habent, dare non poſſunt.* Et in eadem Epiſtola poſt aliquot periodos, *Quis hominum, licet more humano loquamur, dare poteſt, quod non habet? Præſertim cum Pontifices non erant, ea quæ ſolis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impoſitionem tangebant; quàm ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quidquid ex ſupradictis miniſteriis Pontificalibus præſumebant, irritum erat, & nihil tactis proficiebat: Sed magis juxta Prophetam, maledictionem pro benedictione, ſi ratum eſt dicere, conferebant. Quapropter per illam illicitam manus impoſitionem, ut paulò ſuperius prælibavimus vulneratum caput illi qui videbantur aliquid accepiſſe habebant. Et ubi vulnus infixum eſt, neceſſe eſt medicinam adhibere, qua infixa ſanetur macula, id eſt, reiterari neceſſum eſt, quod legitime actum non eſt, aut collatum minimè approbatur, ſi perfectum eſſe debebit. Nam quomodo honorem poſſit retinere, qui ab illo acceperit, qui poteſtatem dare legitimè non habuit, invenire non poſſum, &c.*

VIII. Similia decernit S. Leo Epiſt. 86. & Joannes III. Epiſt. unica, *Omnia quoque maxima Concilia affirmant eum non eſſe Epiſcopum, qui minus quam à tribus Epiſcopis, autoritate etiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus. Ideoque illos quos Chorepiſcopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, ſunt Epiſcopo, Epiſcopos non eſſe, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perſpicuum eſt. Quoniam ſi nomen non habent: Quomodo officium poſſunt habere? Si ergo Epiſcopi non ſunt, & Presbyteri quorum vicem gerunt, quia ad exemplum ſeptuaginta olim fiebant, eſſe deſpicunt, quid erunt?* Sæpius ea Epiſtola repetit argumentum à ſeptuaginta diſcipulis quibus ſucceſſerunt Chorepiſcopi, deductum; hocque & alia quæ profert, autoritate Pontificum Damaſi & Leonis confirmat. Concilium Hiſpalenſe 2. cap. 7. ſeverè increpat Agapium quendam Cordubenſem Epiſcopum qui Chorepiſcopos delegare ſolebat ad Epiſcopalia munera adminiſtranda, Confirmationis Sacramentum conferendum, altaria erigenda, Eccleſias conſecrandas, Virgines benedicendas, &c. Hoc in poſterum fieri prohibet, nec plus licere vult Chorepiſcopis, quàm Presbyteris, quia, inquit, *Juxta canones unum ſunt, Pontificatus apicem non habent.*

IX. Sed nihil evidentius, deſiderari poteſt, imò fingi quàm Leonis III. ad Epiſcopos Galliæ reſponſum. Tempore Caroli-Magni

graviſſimæ querelæ adverſus Chorepiſcopos à Galliæ & Germaniæ plurimis Epiſcopis excitatæ ſunt. Querelæ potiſſima cauſa erat, quod plurimi negarent *eos eſſe Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos qui à Chorepiſcopis videbantur quaſi ſacrati: nec Sacerdotale eos debere peragere officium, niſi forent à canonicè Ordinatis Epiſcopis conſummati: Affirmabant quoque à Chorepiſcopis ordinatos vulneratum potius quam Epiſcopaliter ſanctificatum per illam manus impoſitionem habere caput.* Ideo plurimi Laïci eorum Miſſas fugiebant, eorumque liberos ab iis confirmari nolebant, *ne magis vulnus quam benedictionem acciperent.* Quum hæc quæſtio in Gallia & Germania variè & nutantibus ſententiis agitaretur, ſtatuunt Epiſcopi Archiepiſcopum è ſuis Romam ad Leonem III. mittere, qui ab eo ancipitis iſtius quæſtionis deciſionem referret.

X. Quid verò reſpondit Pontifex Archiepiſcopo ad eum miſſo? Quæſtionem à Prædeceſſoribus ſuis jam definitam eſſe, nec alia definitione opus eſſe, *Dixit enim nullum fore Presbyterum vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum; nec Eccleſiam ab eis dedicatam, nec virginem conſecratam, nec quemquam confirmatum; neque quicquam quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſere, eſſe peractum. Sed quidquid ex his ab eis illicitè erat præſumptum, omnia à canonicè Ordinatis Epiſcopis debere ritè peragere, & in meliorem ſtatum reformare; quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum.* Hoc Anno Archiepiſcopus à Collegis ſuis Romam miſſus reſponſum à ſede Apoſtolica tulit. Quo accepto Galliæ & Germaniæ Epiſcopi Synodum Ratisbonæ habuerunt, in qua Apoſtolicæ ſedis decretum promulgarunt, & obſervare ſtatuerunt, videlicet, *Quidquid à Chorepiſcopis Epiſcopaliter præſumptum eſt, à canonice Ordinatis Epiſcopis peragi debere; nec ullum ullgram de Epiſcopali miniſterio à Chorepiſcopis aliquid accepiſſe, quia nihi in dante erat, quod aliquis horum accipere potuiſſet; quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit.* Quibus verùm potiſſimum rationibus freti ita decernunt? *Nam Epiſcopi non erant, quia nec canonicè a tribus Epiſcopis Ordinati. Ideo de Epiſcopali miniſterio nihil agere potuerunt. Et idcirco non oſtenditur geſtum quod prafixi agere puuverunt, quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo nam que nulla cauſa permittit, ut videatur iteratum, quod de cauſis memoratus à canonicè Ordinatis Epiſcopis cognoſcitur regulariter peractum.* Hæc leguntur tom. 2. Conciliorum Galliæ ad an 800. ſelectorum Capitulorum tit. 4 c. 1. Multa quoque in eandem ſententiam ſequentibus capitibus, quæ brevitatis cauſa prætermitto. Deprehenduntur etiam Capitular. l. 7. c. 187. & c. 22, 328, 329. & lib. 6. c. 119. Iſacus Lingonenſis tit. 11. c. 30. *Si quis non ab Epiſcopo, ſed à Chorepiſcopo, qui non eſt Epiſcopus, ſed Vicarius Epiſcopi, &c.* Refertur quoque Capitular. l. 7. c. 313. Concilium Metenſe quod eſt poſtremum eorum quæ de ipſis mentionem faciunt, can. 7. adverſus eos, eorumque ſtatum decernit, *Ut Baſilicæ à Chorepiſcopis conſecrata ab Epiſcopis conſecrentur, roboratum eſt. Quia juxta decreta Damaſi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum eſt & inane, quidquid in ſummi Sacerdotii Chorepiſcopi egerunt miniſterio. Et quod & ipſi iidem ſint qui & Presbyteri ſufficienter invenitur.*

XII. Eſt igitur non modo certiſſimum, ſed etiam manifeſtiſſimum Chorepiſcopos illos de quibus antiqua Eccleſiæ monumenta mentionem faciunt tam frequentem Epiſcopos non fuiſſe, ſed tantùm Presbyteros dignitate exteris Presbyteris præeuntes, Diœceſis partem aliquam ſub Epiſcopi proprii autoritate regentes; quibus ideo nonnulla munera Epiſcopalia in oppidis & pagis exercenda committebantur pro Epiſcopi arbitrio, in quibuſdam Provinciis plura, in aliis pauciora. Nec his repugnat quod aliquando contingeret quemdam ex iſtis Chorepiſcopis eſſe Epiſcopum. Id enim rariſſimum erat & planè fortuitum, quod uno aut altero ſeculo vix ſemel aut bis contingebat. Duobus modis ſecundum canones id contingere poterat. Primo juxta can. 8. Concilii Nicæni, cum duo erant in urbe Epiſcopi, Catholicus unus, alter Hæreticus. Si Hæreticus ad Catholicam converteretur, tum Catholicus pacis cauſa poterat illi permittere ut in aliqua parte Diœceſis Chorepiſcopum ageret. Hoc tamen de Novatianis tantùm decernunt Patres. Secundo modo id contingere poterat cum Epiſcopus ob crimina deponebatur. Tum Patres miſericordia commoti poterant ei indulgere ut extra Diœceſim in qua peccaverat Chorepiſcopatus miniſterio, ita ſi videretur Diœceſis Epiſcopo, fungeretur, ut ſupra hoc explicatum eſt ex Concilio Regienſi. Sed quid eſt his extraordinariis actionibus quæ vix unquam contingebant, commune cum Ordinario, legitimo, & perpetuo Chorepiſcoporum ſtatu à canonibus ſtabilito, & definito? An quia Epiſcopos aliquando miſeret cujuſdam Epiſcopi, quem nolunt certis de cauſis omni munere Epiſcopali abdicare, & ideo indulgent illi dignitatem Chorepiſc. duplex erit Chorepiſcoporum genus ſtatuendum? Unum quod Epiſcopali Ordinatione gaudebat, licet vix in multis provinciis integro ſeculo ſemel compareret: Alterum quod nuda & ſolitaria Presbyterali Ordinatione frueretur?

XIII. Unum huic argumento opponi poſſe video: Iſtas Epiſtolas non eorum eſſe quorum nomina præterunt, ſed iis eſſe ſuppoſitas. Nec ego hoc diſſiteor, paulòque ſuperius aſſerui. Nec velim ex iis argumentari tanquam ex autoritate Damaſi, Leonis I. aut Joannis III. ſed tanquam ex autoritate Leonis III. ſucceſſorum ejus, & Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ, qui Epiſtolas iſtas, undecunque ſint, probaverunt? Damaſi & Leonis eſſe crediderunt, & illis ſimilia ſtatuerunt, verbis plerumque inde depromptis. Statutum enim à Principe reviſum, probatum, & promulgatum, à promulgatione Principis juſſu facta vim legis habet, quantumlibet antea de eo fuerit dubitatum, atque etiamſi Principis Anteceſſori falſo fuerit attributum. Non à principe de cujus facto dubitatur, ſed ab eo qui ſciens volenſque illud probavit & promulgavit, autoritatem mutuatur. Idem de aliis

per-

permultis Epiſtolis quæ Pontificibus antiquis falſo tribuuntur. Vim accipiunt, & legis autoritatem non ab iis Pontificibus quibus vulgo tribuuntur, eas enim ignoraverunt, ſed ab iis Pontificibus & Conciliis quæ eas probaverunt, & corpori juris inſeruerunt. Valent itaque ut jura à poſterioribus condita, non ſecus ac prophana teſtimonia ab Apoſtolis prolata κανονίζον). Ideo hæc ſuppoſitio argumento vim non detrahit, ſed ſolam antiquitatem.

XIV. Verùm adverſus argumentum à conſenſu canonum petitum, qui tres ſaltem requirunt Epiſcopos ad unius conſecrationem, forſan objicietur, quod ait Clemens Conſtit. 8. cap. 27. ab uno Epiſcopum Ordinari poſſe; quando propter perſecutiones aut alia de cauſa plures haberi non poſſunt; dummodo plurium afferatur decretum. Deinde quod Auguſtino reſpondit Sanct. Gregorius, referente Beda cap. 27. lib. 1. Hiſtoriæ Anglorum, Quia ſolus in Anglia eſſet Epiſcopus, & à regionibus nimium longinquis accerſendi eſſent Epiſcopi, alios Epiſcopos cum Ordinare poſſe, cæterorum Ordinationi poſtea cooperaturos. Deinde quædam exempla Epiſcoporum ab uno Ordinatorum afferuntur. Reſpondeo infirmum eſſe admodum ejuſmodi argumentum, imò ſententiam noſtram confirmare. Non invitus fateor in caſu extremæ neceſſitatis Epiſcopum ab uno Epiſcopo Ordinari poſſe. Imò plura dico, abſolutè loquendo hypotheſim Metaphyſicam dari poſſe in qua duo Sacerdotes tertium in Epiſcopum Ordinare poſſent, niſi Deus quid tum agendum eſſet miraculo moneret. Hypotheſin ponit Guilelmus Altiſiodorenſis lib. 4. Summæ, tract. 8. in fine primæ quæſtionis, *Si non eſſent in mundo niſi tantum tres ſimplices Sacerdotes, oporteret quod aliquis illorum conſecraret alium in Epiſcopum.* Pelagius I. Pontifex à duobus Epiſcopis & uno Presbytero ex Archidiacono in Epiſcopum Ordinatus eſt, nullis aliis Epiſcopis tum Romæ exiſtentibus. Anaſtaſius in Pontificali quem Baronius & Ciaconus ſequuntur, *Et dum non eſſent Epiſcopi qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in Clero, qui eum poſſent promovere.* Hunc primum & ſolum monumenta Eccleſiaſtica ferunt propter neceſſitatem tum occurrentem à duobus Epiſcopis & uno Presbytero Oſtienſi Ordinatum: Nam de aliis facile eſt excipere.

XV. Hoc genus oppoſitionis, licet alia plurima exempla dari poſſent, nihil ad rem facit, de qua agimus. Ex dictis Clementis & Gregorii, & exemplis quæ afferri poſſent, hoc tantum ſequitur, Epiſcopum in magna neceſſitate ab uno Epiſcopo poſſe Ordinari. At Chorepiſcoporum de quibus verba facimus Ordinationes ab uno Epiſcopo factæ, ſunt Ordinariæ, legitimæ, & canonicæ. Nulla eſt in iis neceſſitatis cauſa, nullus prætextus: nec ullum igitur cum iſtis exemplis commercium. Chorepiſcopalis Ordinatio natura ſua unum expoſcit Epiſcopum ut Presbyteralis, Epiſcopalis verò tres. Chorepiſcopalis igitur convenit cum Presbyterali, nullomodo autem cum Epiſcopali. Antiqui Patres qui tantò conſenſu prohibent ne Ordinationes Epiſcopales alio modo quàm à tribus Epiſcopis fiant, cæteris per reſcriptum conſentientibus, iidem volunt Chorepiſcopi Ordinationem ab uno Epiſcopo fieri, & eo cui Chorepiſcopus ſubjicitur. Diverſæ igitur ſunt Ordinationes; nec neceſſitas quæ rebus nonnunquam dat efficaciam, & illicita facit licita, & juſta, hic locum ullum habet. Quid magis ludicrum & nugatorium quàm ſeveriſſima illa prohibitio ne Epiſcopus ab Epiſcopis minus quàm tribus ordinetur, ſi citra omnem neceſſitatem, publicè & jubente canone Epiſcopalis Ordinatio Chorepiſcopis omnibus aut pluribus legitimè traditur?

XVI. Forſan inde aliquis colliget ex dictis peculiarem fuiſſe Ordinandi Chorepiſcopi formulam à Presbyterali & Epiſcopali diſtinctam. Non ibo inficias: Erat enim Chorepiſcopatus dignitas media inter Presbyterum & Epiſcopum, quam cæterorum more conferri par erat orationibus & manuum impoſitione. Ab utraque in hoc potiſſimum differebat quod Chorepiſcopatus juris erat humani ab Eccleſia inſtitutus, & ab ea tandem abrogatus; vel potius cum Archipresbyteratu & Archidiaconatu commutatus. Aliæ verò duæ juris ſunt divini, & in Eccleſia perennes. Hujus rei argumentum eſt ritus Maroniticarum Ordinationum qui nobis ſpecialem formulam exhibet Ordinationis Chorepiſcopalis, in qua cum conſecratur Chorepiſcopus manus impoſitio orationi conjungitur. Secundò ritum fuiſſe ſpecialem pro Chorepiſcopo docet can. 54. Arabicus, cujus præcipua capita his verbis enarrat, *Eligat Epiſcopus ex bonis religioſis qui habitant in deſerto aliquem qui ſit doctus, & optimis moribus, & maximè omnium qui in univerſa illa Congregatione ſunt, intelligens, qui nihil de electione ſua cognoverit. Et qui illius congregationis debent, adducere eum, & unus ex Diaconis Congregationis dicat alta voce, Nos eligimus talem in Chorepiſcopum, qui habeat totam poteſtatem in nos, ut ſciant omnes electum eſſe eum in eo gradu: Et debet Epiſcopus recitare ſuper electum orationem conſuetam, & benedicere illi: daregne ei nomina omnium Eccleſiarum, & Monaſteriorum quæ ſub ejus poteſtate ſunt, ut eligat ipſe prout melius viſum fuerit, eos qui ſint idonei, & in ſermone ſuo conſtantes, quos Eccleſiis & Monaſteriis præficiat, &c.* Idem quoque innuit canon. 10. Concilii Antiocheni: Poſtquam enim multa Chorepiſcopis privilegia conceſſerunt Patres, addunt, *Chorepiſcopum verò civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubjectus eſt.*

XVII. Videtur igitur peculiaris fuiſſe pro Chorepiſcopo Ordinationis ritus quem Chorepiſcopi, ut notat Balſamon, Metropolitis & Patriarchis ambiebant, ut hac ratione ſe Epiſcopis æquandi occaſionem captarent: Sed jubent Patres eo loco ab Epiſcopis ſuis eam petere, Denique ſi Archidiaconi, Archipresbyteri, Oeconomi, Abbatis, Abbatiſſæ, & aliorum ejuſmodi creandorum peculiaris fuit ritus,

ritus, cur non Chorepiſcopi? Non reperitur amplius hic ritus in Græcis Ordinationibus, eo quod Chorepiſcopi à multis ſeculis apud Græcos eſſe deſierunt. Peculiarem fuiſſe ritum pro Ordinatione Chorepiſcopi apud non Latinos fit mihi probabile, eò quod ſerò admodum apud eos admiſſus fuit novus iſte Chorepiſcoporum ordo, & vix tribus ſeculis viguit. Deinde non modo recentiores rituales verumetiam antiquiſſimi, nullos nobis ritus Conſecrationis dignitatum Eccleſiaſticarum, ſi Epiſcopalem excipias, nobis repræſentant.

CAP. III.

Recenſentur multi autores antiqui & recentiores, qui docuerunt ſimplicem Presbyterum delegatione Pontificis poſſe Diaconos & Presbyteros Ordinare. Longè plures id de Diaconatu concedunt. De quatuor Minoribus & Subdiaconatu propè omnes. Iſtarum ſententiarum fundamenta explicantur.

I. POſterior quæſtio ex prioris definitione naſcitur, ſed ſpinoſa & impedita. Nam ſi Chorepiſcopi non fuerunt Epiſcopi, ſed tantum Presbyteri dignitate aliqua Presbyterorum vulgus ſuperante ornati, ut Archidiaconi ſupra Diaconos, ſequi videtur inde Presbyteros aliquos poteſtate delegata non modo Diaconos ſed etiam Presbyteros Ordinare poſſe. Nonnulla enim & evidentia antiquorum Patrum teſtimonia teſtantur Diaconos & Presbyteros ab antiquis illis Chorepiſcopis Conciliorum indulgentia ordinatos fuiſſe. Conſtans equidem eſt Doctorum Scholaſticorum ſententia, cui etiam conſentit quotidiana Eccleſiæ praxis, quatuor Minorum Ordinum collationem Presbytero poſſe à ſummo Pontifice delegari. Illa quoque qui iſtos Ordines Sacramento eſſe autumant, & characterem imprimere, ſi unum Adrianum excipias, & quendam forte alterum, qui exiſtimant eo quod Sacramenta ſint, juris eſſe divini cui derogare non poteſt Pontifex, eandem ſententiam amplectuntur. Eam confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reformatione c. 10. cum Abbatibus qui eo privilegio gaudent, prohibet aliis quàm ſibi ſubditis Ordines iſtos conferre. Eandem autoritatem ſibi vendicant Cardinales non Epiſcopi jure Cardinalatus. Cum autem id faciant ſciente Pontifice, qui poteſt concedere & impedire, ſive privilegium habeant, ſive non, ſilentium Pontificis cum poſſeſſione conjunctum, vice privilegii fungitur, ut etiam teſtatur Sotus in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. & Gregorius de Valentia quæſt. 3. de Ordine, puncto 2. Eadem prope Subdiaconatus ratio. Plurimi quoque Doctores eandem de eo quam de quatuor Minoribus ſententiam ferunt: ſolentque Abbates Ciſtercienſes & alii ſubditis ſuis iſtos Ordines conferre, & ratam habent Epiſcopi iſtam collationem, ſuperioreſque Ordines iis ſuperaddunt viſis collationis inferiorum inſtrumentis ab Abbate Ciſtercienſi & ab aliis quibuſdam, confectis.

II. De Diaconatu longè major eſt difficultas, ſed de Presbyteratu maxima. Multi Theologi negant Presbyterum delegatione Pontificis poſſe Diaconum ordinare. Nonnulli tamen hoc affirmant, perſuaſi potiſſimum autoritate Innocentii VIII. qui hoc privilegium conceſſit Abbatibus Ciſtercienſibus, quo uſi ſunt, & hactenus utuntur. Privilegium ejuſmodi illos habere jamdudum teſtatus eſt Major in 4 diſt. 7. q. unica. Illud aſſervatur, inquit Vaſquez diſput. 243. in 3. part. c. 4. in Collegio Complutenſi, datumque eſt anno 1489. &. 4. Pontificatus Innocentii VIII. Illud legit Vaſquez, & loco citato verba privilegii exſcribit. Illius quoque meminit Navarrus, Conſilior. l. 5. agens de Privilegiis Conſilio 13. Henriquez in Summa in Additionibus ad lib. 10. de Ordine, refert ſimile privilegium conceſſum eſſe Prælatis Franciſcanis in India. Qui collegerunt Ciſtercienſis Ordinis privilegia iſtud numero 118. collocarunt. His rationibus fulti recentiores plerique aſſeverant delegatione Pontificis Presbyterum conferre poſſe non modo Subdiaconatum ſed etiam Diaconatum. Ita Gabriel Vaſquez loco jam citato, Philippus Gammachæus in 3. partem cap. 7. de Ordine, Iſambertus diſputat. 6. de Ordine art. 1. Meratius diſputat. 8. de Ordine ſect. 2.

III. De Presbyteratu difficultas videtur maxima. Non deſunt tamen autores qui affirment ſimplicem Presbyterum à Pontifice delegari poſſe ad Presbyteri Ordinationem. Gloſſa in can. *Manus quoque impoſitionis* de Conſecrat. diſt. 5. *Ex demandatione Papæ quilibet conferre poteſt, quod habet. Unde Ordinatus Ordinem quem habet, conferre poſſet, & confirmatus confirmationem.* Et Adnotatio lateralis hujus gloſſæ, *Ordinatus Ordinem quem habet confert Papa delegante.* Eadem gloſſa in C. Pervenit diſt. 95. idem iterum aſſerit ex aliorum quoque ſententia. Innocentius IV. in caput *Quanto, de Conſuetudine* eandem ſententiam amplectitur, quam etiam tribuit Sylveſtro antiquo Canoniſtæ, *Sylveſter dixit quod ex delegatione Domini Papæ, & adminiculo Sacramenti habuti, quilibet Clericus poteſt, quidquid habet ipſe conferre; quod verò non habet minimè.* Eſt autem hæc ſententia Innocentii ſecundum Canoniſtarum de eo animadverſionem, cum eam ultimo referat, & argumentis confirmet. Idem docet Angelus de Clavaſio in Summa, V. Ordo 2. n. 2. hac etiam conditione poſita, *dummodo ille cui datur talis licentia habeat ipſos Ordines quos alteri vult dare, aliàs non.*

IV. Ante hos omnes eandem ſententiam docuit Hugo, antiquiſſimus & celebris Canoniſta quem ſæpenumero allegant, & magni faciunt Innocentius, Raymundus, Oſtienſis Cardinalis, & Gloſſa. Verba ejus ſunt hæc referente Joanne Baconis in 4. Sentent. diſt. 7. q. 1. in fine art. 4. *Poſſet ne Papa concedere ſimpli-*

ſimplicibus Presbyteris ut conferant omnes Ordines? A *Credit quod ſic, præter Epiſcopalem. Nam Ordinem quem non habet, nullus poteſt conferre. Qualiter poſſet ergo Ordinare Epiſcopum, niſi vel dixerit quod alia Sacerdotium non ſit Ordo. Similiter credit quod poſſit Diacono concedere quod conferat Diaconatum & Minores Ordines.* Bachonius autem illam opinionem non improbabilem cenſuit, cum eam ſibi diſplicere nullo verbo innuerit.

V. Eadem erat ſententia Hugulini, alterius antiquiſſimi Canoniſtæ, ſæpe à Raymundo, Hoſtienſe, & Joanne de Friburgo allegati. Ita ſcribit in 66. diſtinct. c. Porro, ut refertur a Joanne de Friburgo, Summæ Confeſſorum l. 3. tit. 22. quæſt. 27. *Notavit ibidem Hugulinus, quod ſi non eſſet modo niſi unus Epiſcopus, vel duo, non poſſet conſecrari Epiſcopus donec aliud conſtitueretur à Papa: vel mortuo Papa generalis Eccleſia poſſet mutare hanc formam, licet ab Apoſtolis inſtitutam, & ſtatuere quod unus Epiſcopus ſolus vel duo conſecrarent Epiſcopum. Vel ſi nullus eſſet Epiſcopus quod Presbyteri conſecrarent eum. Si autem nec Epiſcopus nec Presbyter eſſet, dicit tunc divinum implorandum eſſe judicium quid fieri debeat.*

VI. Guilelmus antiquus Raymundi Gloſſator Romæ cum Summa Raymundi editus ad titulum de ætate Ordinandorum lib. 3. §. 6. verbo, *Porro* referi quoſdam in ea fuiſſe ſententia, & eorum fundamentum enarrat: contrariam tamen ſententiam ut probabiliorem videtur amplecti. *Ibi dicitur quod Jacobus Hieroſolymitanus à Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt Ordinatus Epiſcopus. Sed ſi Apoſtoli non erant Epiſcopi, quomodo Ordinatus eſt Jacobus in Epiſcopum? Si autem erant ſimplices Sacerdotes quomodo poterant Epiſcopum Ordinare? Reſpondeo ſecundum quoſdam ſimplices erant Sacerdotes & divina tantum inſpiratione conſecraverunt Epiſcopum. Dicunt enim quod omnes Presbyteri tunc poterant conferre omnia Sacramenta; quia olim idem erat Epiſcopus quod Sacerdos diſt. 95. c. olim.* Eodem modo Gloſſa in diſt. 66. C. Porro. inter multas ſolutiones probabiles hanc reddit, *Ad hæc dicunt quidam quod* D *omnes Apoſtoli erant ſimplices Sacerdotes, & tamen conſecrare poterant. Nam Moyſes ſimplex Sacerdos erat, & tamen conſecravit Aaron*, ut 21. diſt. §. 1. *nec tunc differentia erat inter Epiſcopum & Sacerdotem ut* 95. *diſt. C. olim, vel dic, &c.*

VII. Nec erat alienus ab hac ſententia Guilelmus Antiſiodorenſis Summæ l. 4. tract. 8. q. 1. cum ait, *Sicut cum ad Sacerdotem proprie pertineat baptizare; in articulo neceſſitatis tamen licitè alius poteſt baptizare quam Sacerdos. Similiter cum Dominus Papa non habeat Superiorem vel parem, de neceſſitate inferior conſecrat eum. Unde ſi non eſſent in mundo niſi tantum tres ſimplices Sa-* E *cerdotes oporteret quod aliquis illorum conſecraret alium in Epiſcopum, & alium in Archiepiſcopum.*

VIII. Nonnulli alii hanc ſententiam tuebantur quos refert Summa Aſtenſis lib. 6. tit. 3. art. 1. atque inter hos, Bernardum primum Decretalium Commentatorem, *Quidam autem dixerunt quod Papa poteſt committere cuilibet Clerico quod conferat Ordinem quem habet; non autem Ordinem quem non habet: Puta Diacono quod conferat Diaconatum, non autem Presbyteratum. Et hujus ſententiæ videtur fuiſſe Bernardus extr. de conſuetud. C. Quanto.*

IX. Similiter Abbas Panormitanus in C Quanto de Conſuetudine, n. 9. poſtquam ſententiam contrariam explicavit, ſic infert, *Ego potius putarem, ut Sacerdos hoc poſſit delegare indiſtinctè. Quia licet de Sacramento Euchariſtiæ ſit diſpoſitum inſtitutione Dominica, qui habeant illud adminiſtrare; hoc tamen non eſt diſpoſitum in collatione Ordinum. Nam olim Presbyteri in communi regebant Eccleſiam, & ordinabant Sacerdotes. Unde quemadmodum olim poterant; ita videtur quod Papa poſſit hoc concedere Sacerdoti, maximè delegando, cum nihil exerceat delegatus nomine proprio.* Hoc Panormitani teſtimonium refert Bielis ſupplementum. diſt. 24. q. 1. lit. z. De- B inde addit, *Qui ſunt de illa opinione hanc ponunt concluſionem. Summa poteſtas Ordinis erat poteſtas Sacerdotalis; ita quod omnis Sacerdos quantum eſt de poteſtate Sacerdotali poteſt omnia Sacramenta miniſtrare, confirmationem, omnes Ordines, omnes benedictiones, & conſecrationes facere, &c. Concludunt, Epiſcopus eſt major Sacerdote, quantum ad poteſtatem juriſdictionis, non quo ad poteſtatem Ordinis. Sic enim pares ſunt, tametſi aliqua ſint Epiſcopis reſervata.* Poſtquam retulit hanc opinionem ut probabilem, contrariam dicit eſſe probabiliorem & communiorem, quam amplectitur.

X. Petrus Aureolus ex familia Franciſcana ad Archiepiſcopatum Aquenſem ob doctrinæ famam evectus; deinde ad Cardinalatum promotus, cujus opera Romæ denuò cuſa ſunt anno 1605. editionem procurante & recenſente Petro Capullio Theologiæ Profeſſore, & Romani Collegii S. Bonaventuræ Lectore, in 4. diſt. 24. pluribus docet; & demonſtrare nititur, Epiſcopatum nec eſſe Ordinem, nec poteſtatem à Sacerdotali diſtinctam; atque inter argumentandum hoc aſſumit, in omni Sacerdote poteſtatem eſſe alium Sacerdotem Ordinandi, ſed poteſtatem illam eſſe ligatam, ſolui verò per conſecrationem in Epiſcopum, poſſeque ſolvi & expediri delegatione ſummi Pontificis. Sic ille ratiocinatur, *Gradus Epiſcopalis & Sacerdotium non ſunt diſtincta poteſtates: Hanc concluſionem probo ſic: Quando aliqua forma ſic ſe habet quod ei debentur multi actus, ſi alter eorum impeditur; & poſtea contingat removeri impedientem, non datur nova forma, ſed manet eadem forma, quæ primò, invariata; niſi quod removetur impediens prioris formæ. Exemplum eſt, quia in habente animam rationalem, ubicunque impeditur actus rationis, & poſtea removetur impedimentum, non datur nova anima vel forma, ſed tantum removetur illud quod prius impediebat animam rationalem ne exiret in actum rationis. Sed Ordinare in Sacerdotem eſt actus conveniens Sacer-* E *dotii in quantum Sacerdos eſt, & tantum eſt actus impeditus in eo. Probatur, quia nemo dat quod non habet; ſicut in naturalibus, ubi forma tranſfundit ſeipſam. Ergo non Sacerdotis non eſt Ordinare in Sacerdotem, ſed hoc pertinet ad Sacerdotem, qui habet illam formam potentem tranſfundere ſeipſam. Unde Papa non poſſet Ordines committere non Sacerdoti, ut Diacono & Laico; poſſet autem committere cuicunque Sacerdoti. Ergo videtur quod conferre Ordines ſit pertinens ad Sacerdotem. Probo, quia pone quod ſit Sacerdos, omni alio circumſcripto poteſt Papa committere ei Ordines, &c.* Et paulò poſt, *Omnis forma ex quo eſt in actu videtur*

quod poſſit ſe communicare in eadem ſpecie. Ergo Sacerdos hoc modo, quantum eſt ex poteſtate ſibi conveniente, abſolutè potens Ordines celebrare. Ergo ſi poteſtas illa non ſit impedita, ſicut eſt de facto, & impedimentum removeatur, per hoc quod ſit Epiſcopus, non datur ei nova poteſtas, ſed tantummodo priſtina poteſtas prius impedita reducitur ad uſum impedimento remoto. Et hac reductio illius poteſtatis ad uſum dicitur ampliatio poteſtatis. Tertia propoſitio eſt, quod ex his apparet, quod Epiſcopatus non eſt gradus altior, nec intenſior Sacerdotio, ſed, ſicut dicit Magiſter, eſt aliud officium. Fundamentum Philoſophicè explicat Aureolus quo videntur uſi autores præcedentes, cum dixerunt, nulla ratione aliquem dare poſſe Ordinem quem non habet. & diſt. 25. *Nunc ſecundò de Miniſtro do regulam. Miniſter idoneus eſt ſolus Epiſcopus, licet ex diſpenſatione poſſit eſſe Sacerdos.*

XI. Nicolaus de Orbellis in 4. Sententiarum diſt. 7. q. 1. reſolvens objectionem ex facto S. Gregorii petitam, qui Presbyteris confirmare permiſit, eandem opinionem ut probabilem commendat. *Alii*, inquit, *poſſunt eſſe duo modi dicendi probabiles. Unus quod in primitiva Eccleſia non erat diſtinctio Sacerdotum & Epiſcoporum, nec erat alius gradus, ut patet per Hieronymum ſuper Epiſtolam ad Titum. Unde in actibus Apoſtolorum non legitur diſtinctio Sacerdotum ab Apoſtolis qui erant Epiſcopi. Tamen propter neceſſitatem poſtea multiplicati ſunt Sacerdotes in Eccleſia, & reſtricta eſt ab eis poteſtas Epiſcopalis quo ad aliqua quæ reſervata ſunt Epiſcopis. Et talis actus erat confirmare. Si hoc eſt verum, Gregorius bene potuit Sacerdotes illos ſubjectos Januario Epiſcopo licentiare ad confirmandum: Quia in hoc non conceſſit poteſtatem non convenientem eis, ſed revocavit prohibitionem prius eis factam. Alius modus dicendi eſt, quod ſit à principio non licuit Sacerdoti; Papa potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis facere Epiſcopum, quantum ad actum iſtum, non tamen ſibi conferendo ſimpliciter gradum Epiſcopalem quantum ad alios actus.*

XII. Gabriel Vaſquez Theologus admodum accuratus & diligens, Diſp. 243. in tertiam partem c. 3. & 4. ſententiam hanc de delegatione ſimplicis Presbyteri ad ordinandum Presbyteros in utramque partem verſat, negantium & affirmantium fundamenta explicat, ſed utramque ſententiam probabilem exiſtimans, in neutram apertè inclinat, & definitionem Lectoris arbitrio permittit. *Porro*, inquit in fine cap. 4. *in hoc & præcedenti capite oppoſita autorum placita, & eorum fundamenta circa hanc quæſtionem memoravimus, & qua potuimus diligentia expendimus. Judicium autem Lectori relinquere viſum eſt.*

XIII. Ulterius progreſſi ſunt Præpoſitus de Sacramento Ordinis, q. 1. n. 124. Ludovicus Meratius diſput. 8. de Ordine ſect. 2. Eam enim ſententiam ut probabiliorem amplectuntur quæ hoc jus tribuit Pontifici. Qua in cauſa vult Meratius tria obſervari: *Primum, eſſe ſolius ſummi Pontificis vel Conciliı Generalis collationem ordinum committere ſimplici Presbytero, ſicut & Sacramenti Confirmationis cujus Ordinarius Miniſter eſt ſolus Epiſcopus, ex commiſſione autem ſimplex Presbyter. Secundum, poteſtatem hanc committendi collationem Ordinum ſimplici Presbytero, ſummo Pontifici & Eccleſiæ, ſeu Concilio Generali ineſſe ex jure divino, ſeu inſtitutione Chriſti, &c. Tertium, ut ſimplici Presbytero committi poſſit Ordinum collatio, non eſſe abſolutè neceſſarium ut hic hos ipſos Ordines ſuſceperit, &c.* Hoc poſtremum non concederent Doctores præcedentes: nec etiam abſolutè Vaſquez qui vult delegationem tantum valere ſi Pontifex ignoraret Sacerdotem illum inferiores Ordines ſuſcepiſſe. Scientem autem Pontificem non putat ei hoc miniſterium committere poſſe, eo quod Pontifex iſto jure uti tenetur in ædificationem non in deſtructionem. Præter Doctores jam citatos & alios mihi non lectos qui in eandem ſententiam referri poſſunt, quotquot aſſerunt diſtinctionem Epiſcopi à Presbytero juris eſſe Eccleſiaſtici non divini eam non improbare tenentur. Similiter quotquot aſſerunt Epiſcopatum nihil addere ſupra Presbyteratum quàm deputationem ad plures functiones quæ Presbyteris non licent, nihilque amplius volunt intelligi per Characteris ampliationem quam conſecratione ſua Epiſcopus conſequitur, quos exercitat. 3. cap. 1. retulimus.

CAP. IV.

Sententiam præcedentem multis Sanct. Patrum Canonibus & dictis videri conformem. Demonſtratur antiquos Canones & autores hanc autoritatem Chorepiſcopis delegaſſe, modo id agerent conſentiente loci Epiſcopo. In rebus Eccleſ. quæ fiunt extra Ordinem non eſt facile à pari aut ſimili argumentandum. Hujus rei ex Patribus ratio. Epiſcopi aliquando, ſed rarò, Chorepiſcopi vices agunt. Ideo canones de Chorepiſcopis lati de iis per accidens intelliguntur. Balſamonis gloſſa ineptiæ redarguitur. Canon Ancyr. ambiguus examinatur, & emendatur.

I. SEntentia capite præcedente explicata, videtur multis Sanctorum Patrum ſanctionibus admodum conformis, qui munera Epiſcopalia, inter quæ recenſent Presbyterorum & Diaconorum Ordinationem aſſerere videntur, Epiſcopis autoritate Eccleſiaſtica ſpecialiter eſſe attributa, & Presbyteris interdicta, ut Epiſcopi in Presbyteros autoritas magis eluceat, & à Clericis & Laicis ſuſcipiatur, & commendetur. Sic Concil. Hiſpal. 11. c. 7. *Quamvis cum Epiſcopis plurima illis myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quadam tamen autoritate veteris legis, quadam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut Presbyterorum & Diaconorum, ac Virginum conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel unctio. Siquidem nec licere eis Eccleſiam vel altaria conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptizandis vel converſis ex hæreſi Paracletum ſpiritum tradere, nec chriſma conficere, &c. Hæc omnia illicita eſſe Presbyt.*

vel

vel Chorepiſcopis, quia Pontificatus apicem non habent, quod ſolis deberi Epiſcopis autoritate canonum precipitur; ut per hoc & diſcretio graduum & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Eodem modo S. Leo Epiſt. 88. Damaſus Epiſt. 4. quæ etiam referunt Juo Decreti parte 6. cap. 72. & Gratianus diſt. 68. cap. *Quemvis* & Capitul. l. 7. multis locis. Eodem etiam prorſus tendit Gelaſius Pontifex Epiſt. 9. ſive prima Decretali ad Epiſcopos Lucaniæ Concil. Tolet. 8. c. 7. Concilium Vormatienſe c. 8. ubi repetitur decretum Hiſpalenſe ſuperius, additurque in fine canonis, *Hæc omnia illicita eſſe Presbyteris cognoſcuntur; quia Pontificatus apicem non habent: Quæ tamen omnia Epiſcopis autoritate canonum concedunter.*

II. Nobis in hac extrema compulſis ut canonibus ſua autoritas conſervetur, viſque eorum verbis non inferatur, neceſſarium videtur concedere Eccleſiaſtico jure, Presbyterorum ordinationem, non modo Diaconorum, delegari poſſe non quidem ſimplici Presbytero, ut docent autores capite præcedente enumerati, ſed Presbytero Chorepiſcopatus dignitate ornato. Jam enim ex antedictis conſtare mihi videtur Chorepiſcopos de quibus antiqua monumenta tam ſæpe verba faciunt, Presbyteros tantùm fuiſſe non Epiſcopos. Certum autem, aut admodum probabile nobis eſt ex iis quæ jam demonſtraturi ſumus, Chorepiſcopis illis licitum fuiſſe conſentiente Epiſcopo ſuo Vicanos Presbyteros ordinare. Unde ſequitur merum & nudum ordinationc Presbyterum, dignitate tamen Chorepiſcopatus præditum, delegatione alium Presbyterum creare poſſe.

III. Inquires quamobrem hoc de Presbyteris univerſaliter non pronuntiamus. Reſpondeo in ejuſmodi rebus extraordinariis nihil mihi videri ultra ea quæ nobis a Patribus tradita ſunt pronuntiandum. Illud S. Auguſtini axioma eſt tutiſſimum, *Nobis tutum in eis non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* l. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 53. Appoſitè admodum ſenſui noſtro S. Baſilius Epiſt. 60. ad Eccleſiam Antiochenam. Οὔτε αὐτοὶ τὰ τῆς ἡμετέρας διανοίας γυμνάσαι τολμῶμεν, ἵνα μὴ αὐθρώπινα λογίζωνται τὰ τῆς θεοσεβείας ῥήματα· ἀλλ' ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐδιδάγμεθα ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαγγέλλομεν. *Mentis noſtræ partus non audemus tradere, ne verba pietatis cenſeantur humana; ſed quæ a Sanctis Patribus edocti ſumus, ea nos interrogantibus annuntiamus.* Video autem Sanctos Patres hoc privilegium Chorepiſcopis aſſeruiſſe, nec illud in cæteros Presbyteros, nec in alias à Chorepiſcopatu dignitates diffudiſſe. Quapropter illud ulterius prorogare mihi religio eſt. Neſcimus an quid eſſet peculiare in Chorepiſcoporum ordinatione, ratione cujus iſta prærogativa illis tribueretur, licet nullomodo eſſent Epiſcopi. In ejuſmodi factis extraordinariis quæ à traditione accepimus non mihi placet argumentum à paritate aut ſimilitudine: Nam ſæpe tota ratio inſtitutionis eſt voluntas inſtituentis, quæ licet fuerit proculdubio rationabilis, nos tamen A ſæpiſſimè latet. Ideo à paritate aut ſimilitudine non poſſumus niſi perperam argumentari. In his huic regulæ juris inhærendum. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.*

IV. Canon 10. Concilii Antiocheni videtur evidenter hanc prærogativam dare Chorepiſcopis; Ita enim de iis ſtatuit, *Conſtituant autem, Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment: Nec Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe & regio.* Nullam loquendi formulam clariorem poterant adhibere Patres, ut hæc duo ſignificarent; Chorepiſcopis à Concilio datum quando æquum judicaverint poſſe Minores Ordines conferre: Sed cum de Majoribus agebatur, Epiſcopum cui ſubſunt, eſſe conſulendum, B & de illius ſententia illos ordines eſſe conferendos. Sic intellexit canonem iſtum Sanctus Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſiaſticis cap. 6. *Hi in vicis & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere, Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas; Presbyteros autem & Diaconos ordinare non audeant prater conſcientiam Epiſcopi in cujus regione præeſſe noſcuntur.* Concilium quoque Aquiſgranenſe ſub Carolo-magno an. 789. c. 9. in 2. tomo Conciliorum Galliæ. *Conſtituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorciſtas: Quibus ſufficiat iſterum tantum graduum licentiam accepiſſe, non autem Presbyterum, non* C *Diaconum audeant ordinare prater conſcientiam Epiſcopi civitatis, vel Eccleſiæ cui adiacens inveniatur, ſeu ipſe, ſeu regio in qua præeſſe dignoſcitur.*

V. Harmenopulus in Epitome canonum ſectione 1. tit. 9. ſic canonem hunc, & 13. Ancyranum effert. *Chorepiſcopus abſque permiſſu Epiſcopi Presbyterum vel Diaconum non ordinato. Lectores autem, Subdiaconos, & Exorciſtas, hoc eſt, Catechetas ordinato. Qui aliter fecerit gradu excidat.* Nec deſiderari, nec fingi poteſt quid ad hoc probandum evidentius. Confirmatur Scholio ſequente. *Canon vero 14. Synodi VII. ne quidem Lectorem ut ordinet concedit, niſi permiſſu Epiſcopi.* Adnotat Synodum 7. longè D eſſe in Chorepiſcopos ſeveriorem. Nam concedit Antiochena, ut Lectores & Subdiaconos pro arbitrio ordinent, Diaconos verò & Presbyteros tantùm cum Epiſcopi ſui licentia: At Synodus ſeptima nequidem illis concedit Lectorum ordinationem ſine ejuſdem Epiſcopi licentia. Eundem ſenſum perſpicuè tradit Ariſtænus compendio illum canonem, efferens. Ἐξορκιστὰς καὶ ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ψάλτας καθίστησι χωρεπίσκοπος· ἀ μέντοι πρεσβύτερον καὶ διάκονον ἄνευ ἐπιτροπῆς τοῦ κατὰ τὴν πόλιν ἐπισκόπου· ἃ δὴ τοῦτο τολμῶν ὑπερβαίνειν, οὐ καθηκεμένως. *Chorepiſcopus Exorciſtas, Lectores, Subdiaconos, & Pſaltas conſtituit; non tamen Presbyterum & Diaconum ſine urbis Epiſcopo. Qui auſus fuerit hoc tranſgredi deponatur.* Zonaras in hunc canonem, *Chorepiſcopos canon ultra poteſtatis ſuæ limites progredi vetat; ſed Eccleſiarum, inquit, ſibi ſubjectarum adminiſtrationc contenti, Lectores, Subdiaconos, Exorciſtaſque conſtituant. A Diaconis, Sacerdotibuſque creandis abſque Urbani Epiſcopi facultate, etiamſi Epiſcopali ordine aliquando inſignitis*

fuiſſent, abſtineant, &c. Balſamon in c. 13. Ancyranum, *Statuunt autem & præſentis Synodi Patres Chorepiſcopum non ordinare Presbyteros vel Diaconos ſine ſcripta Epiſtola propris Epiſcopi, ſed neque urbis Presbyterum.* Antiquæ tranſlationes alium ſenſum ferre non poſſunt. Sic Dionyſius exiguus, *Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſta ſufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt.* Similiter & alia tranſlatio antiqua, imo clarius, *Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conſcientiam Epiſcopi civitatis, &c.* Eſt igitur evidentiſſimum, & antiquorum autorum ſuffragio teſtatiſſimum Chorepiſcopis omnium Ordinationum infra Epiſcopatum & Chorepiſcopatum, factam eſſe poteſtatem; eo tamen diſcrimine, ut Minores Ordines poſſent pro prudentia conferre, majores vero cum Epiſcopi ſui ſcientia & conſenſu.

VI. Objicietur forſan hujus canonis principium ſenſui noſtro repugnare: Sic enim ſe habet, *Iis qui ſunt in vicis vel pagis, vel qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcoporum manus impoſitionem acceperint, viſum eſt ut ſuum modum ſciant, &c.* Dionyſii tranſlatio, *Qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, &c.* Altera antiqua tranſlatio non diſſimiliter. Legit proculdubio Dionyſius in textu Græco, ὅσοι ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις καλουμένοις χωρεπισκόποις, multo melius quàm nunc, ἢ οὓς καλοῦμεν. Chorepiſcopi igitur de quibus agunt Patres, veri erant Epiſcopi, non tantum Presbyteri; ac ideo nihil mirum ſi Diaconorum & Presbyterorum ordinatio illis conceditur.

VII. Sed exceptio illa ſententiam noſtram confirmat; ideo non miror ſi in nullius antiquorum mentem venerit, ut hinc colligerent Diaconorum & Presbyterorum ordinationem ſolis Chorepiſcopis qui veri eſſent Epiſcopi, hoc canone permitti. Senſus Patrum nec obſcurus eſt, nec impeditus. Nolunt ut Chorepiſcopi, quicunque illi ſint, jus habeant Diaconos & Presbyteros ordinandi inconſulto Epiſcopo proprio Diœceſis in qua Chorepiſcopatus officio funguntur. Occurrunt autem Patres difficultati quæ moveri poterat, an ſcilicet eorum decretum extendendum etiam eſſet ad eos Epiſcopos quos aliquando contingit Chorepiſcoporum officio fungi. Supra enim docuimus veros Epiſcopos certis de cauſis aliquando, rariſſimè tamen, Chorepiſcopatus officio fungi. His canonis verbis quæ objiciuntur, reſpondent Patres ſe ejuſmodo Chorepiſcopos ab aliorum claſſe non eximere, ſed velle eos iis regulis & ſtatutis contineri quibus cæteri: ac proinde licet Epiſcopi ſint, poſſe tantum ſicut cæteri, Minores Ordines pro arbitrio conferre, majores verò cum Epiſcopi proprii ſcientia & conſenſu. Verba textus aliam interpretationem ferre non poſſunt, *Etiamſi Epiſcoporum manus impoſitionem acceperint.* Εἰ καὶ χειροθεσίαν ἔλαβον

A Πλεοναζων εἰλικρίνης. Conjunctio illa, etiamſi, idem neceſſario enuntiat de ſequente quod de antecedente, & docet prioris adjunctum poſteriori aſſumpto etiam convenire. Deinde hujus attributi ambæ partes, *Conſtituant autem Lectores, Subdiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment; nec Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjiciuntur*, de iiſdem perſonis evidenter affirmantur, ut res eſt per ſe legenti perſpicua. Utriſque igitur Chorepiſcopis ambæ attributi partes conveniunt. Si dicas priorem partem convenire Chorepiſcopis ſimpliciter Presbyteris; poſteriorem Chorepiſcopis qui ſunt etiam Epiſcopi: Orationis tenor planè repugnabit, in qua omnia ſunt perfectiſſimè conjuncta, & in qua nulla umbra diverſitatis, aut ad varia relationis. Si dicas totum attributum ad Chorepiſcopos referri qui ſunt etiam Epiſcopi, omnes habebis Adverſarios qui volunt Chorepiſcopos quoſlibet, Minores Ordines conferendi poteſtate præditos. Præterea contra mentem canonis nihil ageretur in eo de veris Chorepiſcopis, ſed tantùm de iis qui per accidens, fortuitò, & contra ſuæ Ordinationis formam & ſcopum Chorepiſcopatus officium exercent. Quod eſt planè abſurdum. Refutaturque hoc vehementiſſimè poſtrema canonis pericope, *Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis cui ſubjicitur.* De quibus Chorepiſcopis potiſſimum antecedentia ſunt intelligenda? Reſpondet canonis concluſio, de iis Chorepiſcopis qui fiunt ab Epiſcopo civitatis cui ſubjiciuntur, non ſecus ac cæteri Presbyteri. Iſti autem non poſſunt eſſe Epiſcopi, cum ſecundum canones à tribus ſaltem Epiſcopis Ordinari debeant. Mens igitur canonis eſt potiſſimum Chorepiſcopis Presbyteris hoc privilegium indulgere.

VIII. Ludicrè feſtivum eſt quod in hæc verba canonis commentatur Balſamon. Poſtquam enim omnia ut jam explicata ſunt, interpretatus eſt, adnotat, *Illud autem, ſine Epiſcopo qui eſt in urbe, non accipitur pro eo quod eſt, ſine ejus mandato, ſed pro eo quod eſt, ἄνευ τελετουργίας ἐκείνου, ſine illius Ordinatione ſeu conſecratione.* Quo mihi videtur nihil magis ridiculum in hac cauſa dici potuiſſe. Hæc enim verba textui conjunge, *Chorepiſcopi nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare audeant ſine Ordinatione Epiſcopi urbis cui ſubjiciuntur.* Si Epiſcopus urbis ſolus Presbyteros ordinet, & nihil poteſt in ea Ordinatione Chorepiſcopus, etſi mandatum illi fuerit, Quid opus Patribus illi præcipere ne ordinet niſi conjungatur illi urbis Epiſcopus? Ergo ſaltem cum urbis Epiſcopo ordinabit. Sed Presbyteri omnes à ſolo Epiſcopo ordinantur, nec ullæ dignitates in Ordinationibus iſtius ſocietatem ab Epiſcopis advocantur. Ut quid igitur hic Epiſcopo ordinanti conjungitur Chorepiſcopus? Interpretationis iſtius abſurditas apud Græcos evidentior eſt, quàm apud Latinos. Epiſcopus enim Græcus cum Presbyteros Ordinat ſolus iis manus imponit: Nulla ut apud Latinos Aſſiſtentium Presbyterorum manus impoſitio inſequitur. Itaque gloſſa hæc Balſamonis mera eſt dormitantis oſcitantia.

IX. Ean-

IX. Eandem prærogativam Chorepiſcopis tribuit Concilium Ancyran. c. 13. longè ante Antiochenum. Ambiguus eſt textus, multaſque ferre poteſt interpretationes, ſed omnes prærogativam illam ſtabiliunt. Ita ſe habet textus originalis. Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν· ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως χωρὶς τῆς ἐπιτροπῆναι τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων τὸ ἰδίᾳ παροικίᾳ. Simplex canonis interpretatio hunc fert ſenſum *Chorepiſcopis non licere Presbyteros vel Diaconos Ordinare; ſed neque Presbyteros urbis ſine Epiſcopi permiſſione, cum literis in aliena paræcia.* Ex hac interpretatione duo colliguntur: Prius, Chorepiſcopis non licuiſſe ſuopte arbitrio Presbyteros & Diaconos Vicanos ordinare. Poſterius, nec etiam Presbyteros urbicos niſi permiſiſſet Epiſcopus. Denique in paræcia non ſua, hoc eſt, in oppidis ſibi non attributis opus habuiſſe ac hoc agendum licentia ſcripta. Hoc admiſſo ſenſu canon Antiochenus eſſet Ancyrani reſtrictio quædam, & nimium amplæ poteſtatis coërcitio. Videtur enim Antiochenus Chorepiſcoporum poteſtatem ad ruſticos Presbyteros reſtringere. Verum hæc interpretatio incommodo laborat: Contextus enim orationis μείωσιν continet, cum res connexæ ſint exegeticæ. Nam Vicani Presbyteri urbicis ſunt longè inferiores, ut ex re ipſa patet, & ex can. 13. Neocæſarienſi. Contextus tamen orationis urbicos Presbyteros Ruſticis poſtponit, quaſi multo minus honorificum eſſet Ordinare Presbyterum Urbicum quàm ruſticum. Itaque pro μηδὲ legendum eſſet μὴ, vel potius μηδαμῶς, ita ut ſenſus, *Chorepiſcopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare niſi ab Epiſcopo illis permiſſum fuerit: ſed non urbis Presbyteros,* Vel, *ſed nullomodo urbis Presbyteros.* Hoc ſenſu quem res ipſa poſtulat planè cum Antiocheno conveniet.

X. Senſum etiam hunc verba Græca commodè ferre poſſunt, *Chorepiſcopis non licere Presbyteris vel Diaconos ordinare, ſed neque urbis Presbyteros* (ſupple licere Presbyteros vel Diaconos ordinare) *niſi illis ab Epiſcopo permiſſum fuerit.* Hinc ſequeretur prærogativam illius Ordinationis non modo Chorepiſcopis convenire, ſed etiam Presbyteris Urbicis. Hinc quoque neceſſariò convincitur in priori canonis pericope per Presbyteros eſſe intelligendos Presbyteros ruſticos & oppidanos, qui ab Urbicis, ut pote dignitate præcellentibus diſtinguuntur. Canon iſte clarius enuntiaretur hoc modo, Χωρεπισκόπους, ἀλλ' μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως οὐκ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους ἐπιχωρίους χειροτονεῖν χωρὶς τοῦ ἐπιτροπῆναι τοῦ ἐπισκόπου. Verùm aſſumit iſta interpretatio quod aliunde non conſtat; ſcilicet, non modo Chorepiſcopis, ſed etiam Urbicis Presbyteris indultam fuiſſe Presbyterorum & Diaconorum ordinationem.

CAP. V.

Eadem Chorepiſcoporum poteſtas aliis antiquorum teſtimoniis probatur. Variæ cauſæ recenſentur ob quas Chorepiſcopi contra Pontificum & Conciliorum de iis delendis decreta conſervati ſunt. Objectio ex Sanct. Chryſoſtomo & Hieronymo diſſolvitur. Chorepiſcopi aliquando ſub nomine Epiſcoporum intelliguntur. S. Hieronymi dictum prima fronte videtur temere & ignoranter prolatum, ut pote contra ſeipſum, Occidentis canones, & praxin. Diſcrimen enarratur poteſtatis propriæ & delegatæ. Chorepiſcopalis poteſtas non eſt abſolutè delegata. Doctores Canoniſtæ celebres aſſerunt Papam leges novas ferre poſſe quarum contemptus impediet Sacramenta charactérem imprimere.

I. NOnnulla ſunt alia Eccleſiæ antiqua monumenta quæ eandem autoritatem olim cum Chorepiſcopis communicatam fuiſſe teſtari videntur; Ea hoc capite referemus. Id S. Baſilius Epiſt. 181. de ſua Diœceſi teſtatur. Initio Epiſtolæ quam ad Chorepiſcopos ſcribit de iis conqueritur quod diligentiam in Miniſtris Eccleſiaſticis examinandis à canonibus commendatam non obſervabant, nec procurabant ut Presbyteri & Diaconi ſibi ſubditi Miniſtrorum mores ſedulò attenderent, & ad ſe referrent, antequam eos Sacerdotio aut alio aliquo Eccleſiaſtico Miniſterio donarent. Ex quo neglectu, inquit Baſilius, *multi quidem numerantur Miniſtri in unoquoque pago, ſed nemo eſt dignus altaris miniſterio.* Antea longè aliter factum fuiſſe ipſis exprobrat, *Hæc quidem examinabant Presbyteri & Diaconi qui cum eis* (Miniſtris) *verſabantur. Referebant autem ad Chorepiſcopos, qui à verè teſtificantibus ſuſceptis ſuffragiis, eorum Epiſcopum admonebant, miniſtrumque poſtmodum in Sacerdotalem numerum adoptabant.* Καὶ ὑπομιμνήσκοντες τὸν ἐπίσκοπον οὕτως ἐνεγίνοντο ἐπὶ τῇ καταστάσει τῶν ἱερατικῶν. Autoritatem autem illam creandorum Presbyterorum & Diaconorum illis non aufert, ſed conſervat; Hoc unum tantum Epiſtola ſua efficere nititur ut Chorepiſcopi id in poſterum canonicè præſtent. Quocirca duplicem morem pravum qui ab aliquot annis in Diœceſim ſuam irrepſerat reſecare ſatagit. Priorem, quod Chorepiſcopi ſe contempto omnem in ſemetipſos autoritatem transferrent: Poſteriorem, quod *re per ſummam ſecordiam tractata Presbyteris & Diaconis permiſerint quos voluerint, vita eorum non examinata, &c. in Eccleſiam introducere.*

II. Nicolaus I. Pontifex in Epiſtola ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum quæ habetur tom. 3. Conciliorum Galliæ an. Chriſti 864. litem hanc dirimere videtur. Ut hoc intelligat Lector, memoria illi repeten-

dum, quod ſupra multis enarratum. In Gallia toto illo ſeculo, & præcedente plurimos viguiſſe Chorepiſcopos, eoſque eò temeritatis deveniſſe, ut omnia prope munera Epiſcopalia exercerent. Multi Epiſcopi acriter idcirco in eos invehebantur, contendebantque eos eſſe ſimpliciter Presbyteros, nec poſſe ulla munera κυρίως Epiſcopalia exercere; ideoque ab iis Ordinatos iterum ordinabant, confirmatos iterum confirmabant; aliaque ab iis præſtita, ut irritè, & inaniter facta, reficiebant. Alii autem, nec numero pauci, hæc omnia impunè ab iis fieri tolerabant, imò gaudebant, quod hoc modo cura Epiſcopali ſublevarentur. Hanc contentionem quæ plurimos Epiſcopos in Gallia & Germania vexabat, Rodulphus Pontifici proponit, & ab eo quid de ea ſentiendum ſit, ſciſcitatur. Sic reſpondet Nicolaus, *A Chorepiſcopis aſſeris multas eſſe in regionibus veſtris Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas, quos quidam Epiſcoporum deponunt, quidam verò denuò conſecrant. Nos verò dicimus nec Innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes. Ad formam enim 70. Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? Sed quia ſacri Canones vetant, ne omnes omnia ſibi vindicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videatur transferri, fiatque vilior honor Epiſcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas effici.* Ratas igitur habet Nicolaus Presbyterorum & Diaconorum Ordinationes à Chorepiſcopis factas, aliaque munera Epiſcopalia, nec vult ea iterari. Attamen propter rationes politicas quas canones ſpectarunt, vult Chorepiſcopos ab iis abſtinere, néve alicui fiat injuria, omnia ſecundum canones tranſigi.

III. Eandem controverſiam propoſuit Leoni IV. Pontifici Hincmarus, ut teſtatur Flodoardus lib. 3. Hiſtoriæ Remenſis c. 10. Sed nec Hincmari Epiſtolam, nec Leonis habemus reſponſum. Epiſtolæ tamen occaſionem ſic narrat Flodoardus, *In hac verò Epiſtola de his quos temeritas Chorepiſcopalis Ordinare, vel quod Spiritum S. conſignando tradere præſumebat, requiſivit. Et quod terrena poteſtas hac materia ſæpe offenderet, ut videlicet Epiſcopo quolibet defuncto, per Chorepiſcopum ſolis Pontificibus debitum miniſterium peragereture, & res ac facultates Eccleſiæ ſecularium uſibus expenderentur, ſicut & in noſtra Eccleſia jam ſecundo actum fuiſſet.* In his ſolis Flodoardi verbis tria perſpicuè lucent: Primum, Chorepiſcopos illos non fuiſſe Epiſcopos: Secundum, licet non eſſent Epiſcopi, munera tamen Epiſcopalia ſibi vendicaſſe, quorum duo recenſet, Ordinationem & Confirmationem; quorum audax uſurpatio querelæ occaſionem multis Epiſcopis ſubminiſtrabat. Poſtremum, Magnatibus & Principibus ſecularibus admodum placuiſſe autoritatem Epiſcopalem à Chorepiſcopis attentari. Hinc enim mortuis Epiſcopis occaſionem capiebant diutiſſimè bonis Eccleſiaſticis fruendi. Nam exiſtimabant ſe Eccleſiæ ac debito ſuo ſatisfeciſſe, ſi Chorepiſcopum modica mercede redemptum Epiſcopalibus officiis fungentem ſedi vacuæ aliquandiu ſuffeciſſent, interim ipſi verorum Epiſcoporum, quibus bona Eccleſiaſtica cedere neceſſarium erat, electionemq; ıdquo modo differre & impedire ſatagebant. Hoc incommodum jam bis perpeſſam eſſe Eccleſiam Remenſem deplorat Flodoardus. Hincmarus hæc Leoni IV. proponebat. Quid reſponderit Pontifex ignoratur.

IV. Alia etiam de cauſa Chorepiſcopi multis Epiſcopis gratioſi fuerunt, & ideo non obſtante graviſſima Concilii Gallicani prohibitione ab iis creati ſunt, & munia Epiſcopalia exercere permiſſi. Hæc cauſa refertur, & damnatur Capitular. l. 6. c. 119. *Placuit ne Chorepiſcopi à quibuſdam deinceps fiant. Quoniam hactenus à neſcientibus Sanctorum Patrum, & maxime Apoſtolicorum decreta, ſuiſque quietibus & delectationibus inhærentibus facti ſunt.* Cauſa igitur qua impulſi nonnulli Epiſcopi contra Eccleſiaſticas Galliæ prohibitiones Chorepiſcopos creaverunt, fuit deſidia, & Epiſcopalium functionum faſtidium. Homines ſcilicet Laïci favore & ambitu Principum ad hanc dignitatem honoribus & divitiis opimam evecti, onera illi conjuncta ferre gravabantur, & dedignabantur: Ideo his levari à Chorepiſcopis commodum erat & opportunum. *Idcirco*, inquit canon, *& olim perſepe & noſtro tempore à ſancta Apoſtolica ſede ſunt prohibiti, & ne deinceps à quoquam tam Ordinante, quàm Ordinari capiente talia præſumptio aſſumatur, à cunctis regni noſtri Epiſcopis eſt in Synodo canonicè prohibitum.* Eadem cauſa redditur; & ſimiliter improbatur c. 44 Concilii Meldenſis, *Si Epiſcopus civitatis propter deſidiam, aut ſecularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum ſuum Chorepiſcopis tranſcendere conſenſeris, ſententiam canonicam debet attendere.* Itaque Chorepiſcopis eo tempore utebantur Epiſcopi multi, ut nunc, in Germania potiſſimum, ditiſſimi & Principes illi Epiſcopi titularibus Epiſcopis, ſive pro partibus infidelium Ordinatis, qui pauca mercede contenti Diœceſis onera ferunt, quandiu veri Epiſcopi Endymionis ſomnum dormiunt.

V. Animum hæc attentè conſiderantium duplex objectio turbare poteſt. Prior oritur ex verbis Sanctorum Chryſoſtomi & Hieronymi, quæ cum dictis hoc capite videntur nullomodo convenire poſſe. Chryſoſtomus initio Homiliæ 11. in 1. ad Timotheum rationem reddit qua perſuaſus Apoſtolus deſcripto Epiſcoporum officio ad Diaconos prætermiſſis Presbyteris ſtatim tranſit. Hoc, inquit, fecit, quia parum intereſt inter Presbyterum & Epiſcopum, & quæ de Epiſcopis dixit poſſunt facile Presbyteris adaptari, τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους, *Sola enim Ordinatione Epiſcopi Presbyteros videntur ſuperare, & antecedere.* Similiter Sanctus Hieronymus Epiſt. 85. *Quid facit excepta Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Ambo illi Patres qui Presbyteralem dignitatem maximè efferunt, Ordinationem tamen Presbyteris eximunt, & ſolis Epiſcopis aſſerunt.

VI. Multiplex & facilis reſponſio. Primùm abſolutè, & nulla diſtinctione adhibita illorum Patrum vera eſt propoſitio. Chorepiſcopi enim non ſunt Presbyteri ſimplices, ſed inter

inter Epiſcopatum, & Presbyteratum media dignitas, quibus Presbyteri ſubjiciuntur. Quapropter in rebus odioſis quibus aliquid Presbyteris detrahitur, ſub iis intelligi non debent. Deinde ut minores Epiſcopi facilè ſub Generali Epiſcopi nomine in rebus favoralibus continentur, ut Patriarchæ Minores, ſeu Primates, nonnunquam Generali Patriarchæ nomine intelliguntur. Interrogabis forſan, quamobrem eos non expreſſerunt? Ratio in promtu. Rari erant per Diœceſes Chorepiſcopi, & multæ erant Provinciæ in quibus nullus erat eorum uſus. Chryſoſtomus igitur & Hieronymus qui obiter hæc tangebant, quæ ordinaria erant, & omnium oculis expoſita propoſuerunt. Secundò excipi poteſt Sanctos illos Patres de officiis ordinariis Epiſcoporum & Presbyterorum eſſe locutos, non de iis quæ extraordinariè & per delegationem Presbyteris committi poſſunt. Hæc minuta perſequi eorum eſt tantum qui data opera & omnibus nervis in rei explicationem incumbunt.

VII. Tertiò ajo in verbis iſtorum Sanctorum Ordinationem ſtrictè admodum ſumendam eſſe, aut prudentes delegatam poteſtatem omiſiſſe brevitatis cauſa, ut exceptionem ſuam in gratiam Epiſcoporum generaliùs efferrent. Patet hoc de Chryſoſtomo: Erat enim Presbyter Antiochenus, nec poterat can. 10. Concilii Antiocheni ignorare, qui ſaltem omnium conſenſu Chorepiſcopis concedit jus creandorum Exorciſtarum, Lectorum, & Subdiaconorum. Reſtringenda eſt igitur illa ordinatio quam Epiſcopis ſolis tribuit; vel Chorepiſcopos ſub Epiſcoporum nomine complectitur. Si verò conſtanter dicas Chorepiſcopum ſub Presbyteri nomine comprehendi, hoc conceſſo, cum neceſſariò reſtringenda ſit Ordinatio, ad Epiſcopalem contraham quæ à ſolis re & nomine Epiſcopis fieri poteſt; & hac reſtrictione optimè cum canonibus Orientalibus conveniet S. Chryſoſtomi exceptio.

VIII. Idem, ſed multò magis eſt de S. Hieronymi interrogatione dicendum. Sanè ſi quis eam ad libellam exigere velit S. Hieronymum temeritatis, mendacii, & oſcitantiæ non abs re accuſabit. *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopi quod Presbyter non faciat?* Permulta, & maximi momenti. Sacramentum miniſtrat Confirmationis: Chriſma conficit: Virgines benedicit; Eccleſias, Altaria, & Calices conſecrat, quæ non poteſt Presbyter; & ſi uſurpet, inaniter agit. Hæc eſt perpetua & conſtans Eccleſiæ Occidentalis traditio. Ita Clemens Epiſt. 4. Meltiades Epiſt. 1. Innocentius Epiſt. 1. Pontificale Damaſi in Sylveſtro. Euſebius Epiſt. 3. Concilium Carthag. 2. c. 3. Toletan. 1. c. 20. Damaſus Epiſt. 4. Leo. I. Epiſt. 86. Gelaſius Epiſt. 1. vel 9. S. Gregorius lib. 3. Epiſt. 9. & 26. Hiſpal. 2. c. 7. Martinus Bracar. c. 51. Tolet. 8. c. 7. Concilium Pariſien e ſub Ludovico & Lothario l. 1. c. 27. Vormacienſe c. 8. Qua ratione conſuetudinem in univerſo prope Occidente tam celebrem, ſed in Eccleſia Romana celeberrimam ignorare potuit: Nec ignoravit, ſaltem quod ad Sacramentum Confirmationis attinet; Ipſe enim teſtatur in dialogo adverſus Luciferianos ſolum Epiſcopum eſſe illius Miniſtrum, *Non equidem abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt; Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrit.* Si velimus igitur S. Hieronymum Romanum Presbyterum ut par eſt ab omni culpa liberare, neceſſariò dicendum eſt hoc axioma pronuntiaſſe ratione habita ad Eccleſiam Orientalem in qua hæc omnia Presbyteris committi ſolent. Eo ſenſu verum eſt nihil facere Epiſcopum excepta ordinatione quod non faciat Presbyter: Hoc eſt, nihil facit Epiſcopus quod Presbytero in aliqua parte Eccleſiæ committi non ſoleat. Itaque iſtarum rerum Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius; Presbyter autem per delegationem. Quod ad Ordinationem autem ſpectat, idem de Sancti Hieronymi effato dicendum, quod de Chryſoſtomi teſtimonio.

IX. Poſterior objectio præcedente magis impedita naſcitur ex comparatione & conflictu duarum ſententiarum quas de Chorepiſcopis explicavimus. Nam autores, quos retulimus ut probaremus Chorepiſcopos non fuiſſe Epiſcopos, ſed tantùm Presbyteros aliqua dignitate auctos, eadem opera demonſtrant ordinationes ab iis attentatas eſſe inanes, & irritas, iterari debere ab Epiſcopis, & ſecundam illam ordinationem non eſſe dicendam ordinationis iterationem, cum prior non fuerit ordinatio, & ſic ordinatus ab ordinante nihil acceperit, nihilque Chorepiſcopus ordinans dare ordinato potuerit. Eadem ratio Confirmationis, Eccleſiarum conſecrationis, aliorumque munerum Epiſcopalium. Hæc multis tradunt illi autores, quæ etiam fusè ſupra retulimus quum probavimus Chorepiſcopos non fuiſſe Epiſcopos. Quum igitur probatum ſit tam multis & authenticis teſtimoniis Chorepiſcoporum ordinationes fuiſſe irritas, qua ratione poſtea probari potuit eorum ordinationes quod ad Diaconos & Presbyteros attinet, validas fuiſſe, Confirmationis Sacramentum, aliaque munera Epiſcopalia verè adminiſtraſſe? Hæ duæ ſententiæ videntur *διάφωνα* complecti, ſeſeque mutuo collidere.

X. Reſpondeo, ut apparens iſta ſententiarum collifio ſedetur, cum omnibus Canoniſtis diſtinguendum eſſe inter ea quæ alicui conveniunt per ſe & ratione officii ſui, & quæ ei conveniunt tantùm per Superioris commiſſionem & delegationem. Conſtat apud omnes de poſteriore, revocata commiſſione Commiſſarium nihil amplius efficaciter agere ab eo tempore quo revocatio illi ſignificata eſt. Verbi gratia, concedunt omnes Pontificem concedere poſſe Presbytero ut Minores Ordines conferre poſſit. Nemo negabit revocata conceſſione ſi Presbyter ille eoſdem ordines conferat, inaniter agere, non modò illicitè, & ſic ordinatum iterum ordinandum Eadem ratio Confirmationis, conſecrationis Eccleſiarum, Altarium, Calicum, & aliorum munerum Epiſcopalium quæ delegari poſſunt. Certum eſt ordinationem, potiſſimum Diaconorum & Presbyterorum, pertinere ad Chorepiſcopos

ex

ex delegatione tantùm Episcoporum in quorum Diœcesibus Chorepiscopi sunt constituti. Eadem ratio est in Ecclesia Latina Sacramenti Confirmationis aliorumque ejusmodi. Quapropter cum ista invitis Episcopis plurimis usurparent in Gallia & Germania Chorepiscopi, meritò contendebant illi Episcopi quæcunque in hoc genere agerent esse irritum, & inane, & reficiendum. Rectè etiam colligebant ex ipsorum institutione hæc munera Episcopalia ipsis non convenire, ideo invitis ipsis nihil agere. Cum autem multi Episcopi eos tolerarent, validè quoad illos & eorum Diœcesin ista munera Episcopalia exercebant.

XI. Hinc etiam colligitur Leonis IV. decretum sententiæ Nicolai I. non contravenire, licet Nicolaus sit hac in causa Leone multò clementior, & indulgentior. Vult Leo quidquid Chorepiscopi illicitè egerunt, esse infectum, & refici. Legitimè quidem hoc: cum Chorepiscopis ex delegatione tantùm competeret: Idem est in hoc auso illicitum & inane, sive nullum. Nicolaus autem Chorepiscopos revocat ad præscripta canonum ne temerè Episcoporum munera usurpent. Depositiones autem & iteratas ordinationes non approbat, eo quod Rodulphus Archiepiscopus Bituricensis causam Chorepiscoporum illi non retulerat ita desperatam & injustam ut antea Leoni IV. descripserant Galliæ Episcopi. Ait enim Nicolaus. *Nos vero dicimus, nec Innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes.* Existimabat igitur Nicolaus Chorepiscopos esse innocentes, & injustè à multis Episcopis vexari. Quocirca ut utrisque æquum faceret, reordinationes non consuluit, & utrosque ad canones remisit. Deinde ex verbis Nicolai evidens est eum non credidisse Chorepiscopos esse absolutè & infinitè Episcoporum arbitrio subjectos; sed posito quod in Chorepiscopos ordinati fuerint, aliquam illis potestatem Presbyterali majorem à canonibus esse concessam quam Episcopi pro libitu abrogare non possent, *Ad formam enim*, inquit, *septuaginta Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* non equidem omnia; aliòquin Nicolaus aliis Pontificum decretis contradiceret.

XII. An autem potestas quæ alicui competit per se, & ratione officii & dignitatis quam habet, ita facilè revocari possit, quæ est distinctionis præcedentis pars prior, nemo est, ut opinor qui asserat; Sed non est hujus loci in hanc distinctionis partem inquirere. Lectorem tamen obiter monitum velim Canonistas celebres Pontificis autoritatem hac in causa plurimum diffundere, atque etiam eo usque prorogare, ut asserant Pontificis prohibitionem saltem per modum legis latam, impedire ne Sacramenta contra prohibitionem ministrata characterem ullum imprimant, ac proinde facere ut sic ministrata inania sint & nulla, & consequenter iteranda, si quis eorum effectum assequi velit. Innocentius IV. Pontifex in lib. 1. Decretal. C. Quanto de consuetudine, censet cum multis aliis quos innominatos refert, *Quod si Papa prohibet Episcopum chrismare, quod postea chrismando non confert characterem. Licet enim Papa non possit tollere Sacramentum Confirmationis, potest tamen contra illud, & in forma, & in personis, & in diebus, à quibus & in quibus conferri debent, suas constitutiones facere. Et si potest circa personas conferentes aliquid statuere; ergo certa persona vel etiam Episcopo potest potestatem auferre chrismandi. Idem dicunt de baptismo.* Duas autem conditiones in Pontifice requirit. Prior, ut causa magna subsit hoc faciendi; Posterior, constitutionem hac de re esse necessariam, non autem sufficere simplicem prohibitionem. *Et quidem satis bene videntur dicere in eo quod dicunt, quod possunt facere constitutiones summi Pontifices super præmissis, & eis factis si constituatur quod non valeant Sacramenta à talibus collata, non valebunt. Item bene fatemur quod possunt Episcopos prohibere à chrismando, vel Sacerdotes à baptizando, sed in hoc non valet prohibitio sine constitutione,* Et in lib. 3. de Baptismo & ejus effectu, c. 2. idem affirmat, sed generaliter de omnibus Sacramentis. *Cave tibi, quia non dicimus quod Ecclesia infigat characterem animæ, sed solus Deus: Sed Ecclesia potest facere constitutiones super baptismo, non quod non sit, vel quod non credatur omnibus. Tamen circa baptismi collationem potest facere constitutiones, & præfigere formas, quas quia Deus ratas habet, & quia bona sunt, eis infigit characterem, qui secundum tales constitutiones baptizati sunt. Idem facit Ecclesia in Matrimonio, & in aliis Sacramentis, & dispensat in voto, & juramento; & in omnibus aliis fere, nisi contra fidem de quibus alias.*

XIII. Innocentius nominatim Sacramentum Matrimonii exprimit, eo quod in ejus administratione, potestas ista Ecclesiæ potissimum eluceat: atque etiam de potestate Pontificis in Matrimonium multo majora passim Canonistæ & Theologi scribant, quàm hactenus ullus Pontifex statuerit. Verbi gratia docet Sanchez, & cum eo plurimi autores quos refert, Hostiensis, Joannes Andreæ, Ancharanus, Felinus, Summa Astensis, Paludanus, Antoninus, Gregorius Lopez, Autor additionum ad Navarram, Pontificem non modo posse nova impedimenta Matrimonium contractum dirimentia condere, verum etiam prohibere certis personis ne Matrimonium ad invicem contrahant, ne Titius videlicet cum Caia contrahat, ita ut Matrimonium contra prohibitionem contractum nullum sit & inane. Dices; Matrimonium characterem non imprimere. Verum equidem, sed charactere majus & nobilius est, gratia Sacramenti quam tamen Deus ex illorum autorum mente denegat contra prohibitionem Pontificis contrahenti. Quidni dicerent iidem autores in aliis Sacramentis pari casu Deum characterem non imprimere; Deinde nonnulli ex autoribus citatis, & eo seculo permulti alii, docebant Matrimonium imprimere certam qualitatem quam ornatum vocabant, cujus, respectu gratiæ Sacramentalis, erat idem qui characteris effectus.

XIV. Sed Panormitanus disertè & directè Innocentii sententiam approbat, & laudat, in idem cap. de Consuetudine, *Innocentius concludendo dicit, quod aut Papa facit legem per quam tollit*

tollit hanc poteſtatem Epiſcopis, & nihil ageret Epiſcopus poſtea conferendo. Aut ſimpliciter prohibet Epiſcopis ne facerent, & tunc prohibitio non impediret impreſſionem characteris. Poſtea alterius autoris enarrata ſententia contraria, addit, *Puto tamen quod Innocentius habet optimam ſententiam in hac ſua diſtinctione. Nam faciendo legem, & auferendo per legem poteſtatem Epiſcopis, nihil poteſtatis quoad actum prohibitum remanet ipſis Epiſcopis. Sed quando ſimpliciter prohibet, non tollit poteſtatem; ſed interdicit exercitium: Aſſeritò hoc caſu imprimitur character non obſtante prohibitione Papæ, quia ſimplex prohibitio non impedit impoſitionem characteris in habentem poteſtatem, &c.*

CAP. VI.

Quando, & qua occaſione Chorepiſcopi deſierunt in Oriente & Occidente. Sublato nomine & privilegiis Epiſcopalibus ſucceſſerunt iis in Occidente Archipresbyteri, ſive Archidiaconi, & Decani rurales; in Oriente Exarchi: Verùm in Patriarchatu Alexandrino Chorepiſcopi Epiſcopos extinxerunt.

I. POſtremo nobis inquirendum eſt quo tempore deſierint Chorepiſcopi. Omnino deſiiſſe in Oriente, hoc eſt, in Patriarchatu Conſtantinopolitano, & Antiocheno, teſtis eſt Balſamon in can. 13. Ancyranum, Harmenopulus ait in eorum locum ſucceſſiſſe Exarchos ſive Patriarchicos, ſive Metropolitanos. De Occidente nemini dubium eſſe poteſt, cum à multis ſeculis nulla reperiatur eorum mentio. Exiſtimarim paulò poſt nonum ſeculum aut etiam intra nonum ſeculum, tam in Oriente quàm in Occidente hunc ordinem penitus eſſe abrogatum. Nam annis abhinc ſeptingentis nullibi amplius comparent. Sæpe decreverant Epiſcopi Galliæ & Germaniæ ob cauſas proximè enarratas ab eorum inſtitutione eſſe penitus abſtinendum, ut videre eſt Capitul. l. 7. c. 187. Sed eædem cauſæ effecerunt, ut abſtentum non fuerit. Principes enim intercedebant, ne hoc modo iter ad uſurpanda bona Eccleſiaſtica ad quæ inhiabant, ipſis intercluderetur. Intercedebant quoque nonnulli Epiſcopi propriæ deſidiæ fovendæ, & aulici faſtus promovendi, quàm officii ſui peragendi ſtudioſiores. His Epiſcopis favebat Nicolai I. reſponſum capite præcedente relatum. Videtur enim antecedentia decreta corrigere, eaque ad antiquorum canonum formam emendare. Nihilominus paulatim evanuerunt: Nam non obſtante hoc Nicolai reſponſo Concilium Metenſe annis 24. poſt celebratum c. 8. antiquas Pontificum leges adverſus eos pronuntiatas renovavit, irritumque & inane declaravit quidquid in ſummi Sacerdotii egiſſent miniſterio.

II. Tandem tacito conſenſu, ſed Orienti & Occidenti communi, circa medium ſeculum decimum, in tota prope Eccleſia à Chorepiſcoporum creatione deſitum eſt. Nomen Epiſcopi quod nomini ſuo inſertum erat, inanem gloriolæ affectum animis eorum inſpirabat, ſemperque Epiſcopi & videri & eſſe avebant, Huic malo non aliter Epiſcopi ſe poſſe mederi quàm ipſorum extinctione crediderunt. Hanc tamen extinctionem magno cum temperamento fecerunt. Nomen primum ſuſtulerunt, ne amplius ſuperbiendi illis occaſionem daret: Deinde officia bipertiti ſunt. Quæ Epiſcoporum erant propria, ut ordinare, Eccleſias conſecrare, confirmare, & ejuſmodi cum nullo Presbytero ab eo tempore amplius communicarunt, ſed ſibi ſolis reſervarunt. Cætera verò quæ ad juriſdictionem & Eccleſiæ regimen pertinent, Archipresbyteris, & Decanis ruralibus potiſſimum attribuerunt. Unde etiam antiquitus paulò poſt Chorepiſcoporum extinctionem Archipresbyteri à multis Decani rurales vocabantur, ut notat Innocentius III. extra de officio Archid. C. Ad hæc. Non legi Concilii alicujus decretum de iis cum iſto temperamento tollendis, præter illa quæ ſuperius relata ſunt, quæ tamen poſteri aliquandiu pro magna parte inſuper habuerunt. Sic rem ſe habuiſſe, & deſiiſſe ab experientia poſteriore judicamus.

III. Id nonnihil edocemur ex can. 12. Concilii Romani, aliis Ravennatis, anno 904 ſub Joanne IX. Canonem longiuſculum integrum referimus. *Propter aſſiduam ergo populi Dei curam ſingulis plebibus Archipresbyteros præeſſe volumus, qui non ſolum imperiti vulgi ſolicitudinem gerant, verumetiam eorum Presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumſpectione cuſtodiant, & qua unuſquiſque induſtria divinum opus exerceat, Epiſcopo ſuo renuntient: Nec obtendat Epiſcopus, non egere plebem Archipresbytero. Quod ſi ipſe gubernare valeat, quia eſt valde idoneus, decet tamen ut partiatur onera ſua, & ſicut ipſe matrici præeſt, ita Presbyteri præſint plebibus, ut in nullo tiubet Eccleſiaſtica ſolicitudo. Cuncta tamen ad Epiſcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præſumant.* Si à prærogativis Chorepiſcoporum ſegreges quæ Epiſcoporum erant propria, quæ ſupererunt Chorepiſcopalis autoritatis munera, videbis omnia eo canone, & cum eadem ſummiſſione Archipresbyteris concedi. Utraque comparanti, ſtatim id quod dicimus innoteſcet. Poſtea neſcio quo caſu plurimum imminuta eſt Archipresbyterorum autoritas, & cum Archidiaconis contra jus antiquum communicata. Si rem igitur ad libellam noſtri temporis examinemus, Chorepiſcopi antiqui demptis privilegiis Epiſcopalibus nihil aliud erant quàm hodierni Archidiaconi forenſes: Nam in urbe Diœceſis principe & in Presbyteros urbicos nihil erat illis juris. Ideo non abs re dixit Sigebertus in Chronico de Damaſo ſecundo verba faciens, qui Pontificatum iniit anno Chriſti, 1048. *Decrevit, ne quid contra Epiſcopos præſumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiſcopi, id eſt, villarum, & regionum Epiſcopi.* Cum incunte ſeculo duodecimo quo ſcribebat Sigebertus, nulli eſſent Chorepiſcopi, nullam vidit in Eccleſia fulgentem dignitatem cui Chorepiſcopos compararet, Archidiaconatu convenientiorem.

IV. Quæ de Chorepiſcopis Orientalibus A diximus, intelligi tantum volumus de Patriarchatu Conſtantinopolitano, & Antiocheno: Nam res contrario eventu contigit in Patriarchatu Alexandrino. Chorepiſcopi tandem Epiſcopos extinxerunt, ſi verum eſt quod ſcripſit illuſtriſſimus Archiepiſcopus Toloſanus Petrus de Marca c. 14. lib. 2. eruditiſſimi illius operis de Concordia Sacerdotii & regni, *In* B *Patriarchatu Alexandrino deletis Epiſcopis, ſoli Chorepiſcopi curam Patriarchæ in adminiſtratione Eccleſiarum levant: quod ducentis abhinc annis inductum fuiſſe teſtatur Cyrillus Alexandriæ Patriarcha iis literis quas in Valachia ſcripſit anno* 1612. Hic eſt Cyrillus qui paucis poſt annis Hollandica pecunia tentatus & dejectus ad Calviniſmum defecit; & ejuſdem pecuniæ miniſterio corruptis aulæ Turcicæ primoribus Patriarchatum Conſtantinopolitanum invaſit, & paulò poſt merito ſupplicio affectus perfidiæ pœnas luit.

EXERCITATIO V.

DE SACRARUM ORDINATIONUM iteratione, variiſque difficultatibus, quæ aliquot ſeculis Eccleſiam hac in cauſa vexaverunt.

CAPUT I.

Variæ antiquorum Scholaſticorum de iteratione Ordinationum ſententiæ enarrantur, Lombardi, Petri Pictavienſis, Hugonis à S. Victore, Roberti Pulli Cardinalis, Roberti de Flammesbur, Hugonis Canoniſtæ, Guilelmi Pariſienſis, S. Raymundi, &c. Quæſtio hæc nonnullis judicatur difficilis, inſolubilis. Lucius III. Papa cum conſenſu Cardinalium ordinationes Schiſmaticorum iterare promittit. Quandiu ea ſententiarum varietas in Eccleſia viguit.

I. QUæſtionem aggredior difficultatibus C & ſpinis obſitam, ſive ſpectes antiquos Patres, ſive antiquiſſimos Scholaſticos Doctores. Varia videntur, & prope contraria antiquorum Patrum de hac re pronuntiata, varia praxis, ita ut aliquando in praxi videantur inter ſe committi, his uno modo docentibus, & facientibus, aliis contrario. Antiquiſſimorum etiam Scholaſticorum de hac quæſtione definitiones multis modis, & aliquando contrariis diverſæ fuerunt. Tam perplexa autem & ſpinoſa ab utriſque, & Scholaſticis, & antiquis Patribus æſtimata eſt difficultas, ut utrique de ea verba facturi nonnunquam eam confeſſi fuerint, & ideo illius explicationem aggredi ſeſe reformidare præfati fuerint. Magiſter ſententiarum ita incipit diſt. 25. *Hanc quæſtionem perplexam, ac pene inſolubilem faciunt Doctorum verba qui plurimùm diſſentire videntur*: Ipſe verò diſputando longè perplexiorem reddit. Relatis enim antiquorum Patrum de hac difficultate diverſis, & in ſpecie contrariis ſententiis, quatuor diverſas, & aliquando contrarias Doctorum ſui temporis de earum conciliatione opiniones explicat; ſed quæ magis probabilis ſit, quæ falſa, quæ illi magis placeat, non aperit, veluti in trivio hæſitans, quocunque pedes tulerint, eò iturus.

II. Idem prope cum ipſo, ſed paulò aſſeverantius aſſerit Petrus Pictavienſis qui primus Magiſtrum commentatus eſt in gloſſa ad diſt. 25. *In hoc ei omnes conveniunt: Hæretici poſſunt dare noſtrum baptiſma, ſi modo faciant in forma Eccleſiæ. Quidam & ſimiliter ſentiunt de confectione Euchariſtiæ, circa illos qui benedictionem manus ordinati receperunt in Eccleſia.* Itaq; ſi excipias baptiſmum, cætera quæ Ordinationem ab Hæreticis & Simoniacis factam ſpectant opinionum varietate fluctuant. Et paulò poſt, *Dictum fuit in proximo quod Hæretici non habent jus ordinandi vel conficiendi. Hoc idem dicit de Simoniacis degradatis, per quod videtur declinare in priorem opinionem de Hæreticis ſupra poſitam. Iiſdem enim paſſibus incedunt quoad conficienda Sacramenta, Hæretici præciſi, & Simoniaci degradati.* Petrus igitur cenſet probabilius eſſe Hæreticos ordinare validè, & cætera Sacramenta conficere donec ab Eccleſia præcindantur, hoc eſt, nominatim excommunicentur; quæ quatuor opinionum à Magiſtro poſitarum prima eſt, cenſetque in eam inclinaſſe Magiſtrum, quod ex ipſius verbis vix colligetur; ad illas enim quatuor videtur indifferens. Sed hoc colligit ex analogia Hæreticorum cum Simoniacis, quos docet ordinare poſſe donec ab ordine degradentur, eadem diſt. lit. D. Sic etiam Hæretici donec ab Eccleſia præciſi & expulſi fuerint.

III. Ma-

III. Magiſter Præpoſitivus Theologorum ſui temporis facilè Princeps in ſumma manuſcripta, f. 56. p. 2. propoſita quæſtione, *Utrum Hæreticus ab Eccleſia præciſus & depoſitus ordinem conferre poſſit*, & allatis in utramque partem Patrum teſtimoniis, ſic reſpondet: *Quidam reſpondent aliter de ordine, aliter de Euchariſtia, diſtinguentes circa ordinem: Utrum Hæreticus recepit ultimam manus impoſitionem in Eccleſia, vel extra. Si in Eccleſia recepit; & ordinem habet, & poteſtatem dandi. Si extra Eccleſiam, dicunt quod habet ordinem, & non habet poteſtatem dandi; ſi tamen ab eo accepit, qui habuit ultimam manus impoſitionem in Eccleſia. Qui vero ab eo recepit, qui dans, poteſtatem dandi non habuit* (aliquid deeſſe videtur.) *De Euchariſtia non diſtinguunt, dicentes quod nonniſi Catholicus poteſt hoc Sacramentum conficere, quia Sacramentum eſt unitatis. Et hoc dicunt innitentes verbo Pelagii dicentis, Si veritate ducente dirigamur, non eſt verum corpus Chriſti quod conficit Schiſmaticus. Hoc quidam dicunt de conſecratione Eccleſiæ innitentes verbis Joannis Papæ, quæ Eccleſias Arianorum conſecrari præcipiunt.* Hæc erat illo tempore probabilis ſententia, quæ vulgò in Scholis propugnari ſolebat; à qua tamen multi recedebant, atque in primis Præpoſitivus eodem loco, Pergit enim, *Nobis videtur conſentientibus Auguſtino, quod Hæreticus omnia Sacramenta, & habet & conficit, dummodo in forma faciat Eccleſiæ, & poteſtatem habeat. Poteſtatem autem habet non tantùm ille qui ultimam manus impoſitionem recepit in Eccleſia, ſed & ſecundus, & tertius, & uſque in infinitum: quod dicitur ex auctoritate ſeptimæ Synodi, ubi Tharaſius Patriarcha dixit quod in ſede Conſtantinopolitana fuerunt Epiſcopi quinque omnes Hæretici, unus poſt alium: ordinati tamen ab eis in ordinibus ſuis recepti ſunt. Non eſt credibile quod omnes hi fuiſſent ordinati ab iis qui ultimam manus impoſitionem recepiſſent in Eccleſia. Quod autem objicitur illud Innocentii & alia, ſic exponimus, quia vulneratum caput habet, qui ab Hæretico recipit Sacramentum, quia ſine peccato non recepit: Et quia ordo ille non eſt honor, ſed onus. Quod dicit Cyprianus inania ſunt, &c. ſic intelligas, quantum ad effectum, &c.*

IV. Sententiam quam repudiat Præpoſitivus ſaltem ex parte docuerat Hugo à S. Victore, ut videre eſt Summæ ſententiarum tract. 6. c. 9. *De iis qui ſunt extra Eccleſiam, ut excommunicati & manifeſti Hæretici. Quæritur, utrum conficiant corpus Chriſti. Quibuſdam videtur, quod quamvis ſit eis ad damnationem, tamen conficiant; quia ordinationem non amiſerunt, in qua datur poteſtas illud conficiendi. Aliis videtur, quod nec excommunicati, nec manifeſti Hæretici conficiunt. Nullus enim in ipſa conſecratione dicit offero, ſed offerimus, ex perſona totius Eccleſiæ. Cum autem alia Sacramenta extra Eccleſiam poſſint fieri, hæc nunquam extra, & iſtis magis videtur aſſentiendum.* Evidenter docet Excommunicatos, & manifeſtos Hæreticos Euchariſtiam conſecrare non poſſe: ſed Ordinationes ab iiſdem factas eſſe irritas, nec hoc loco, nec alibi evidenter docet. Colligitur tamen ex ipſius verbis eam ſententiam amplexum fuiſſe. Nam prioris ſententiæ cui non aſſentitur Hugo, fundamentum eſt Excommunicatos, & manifeſtos Hæreticos ordinationem non amiſiſſe. Poſterioris igitur quæ priori contraria eſt, fundamentum eſſe videtur eoſdem Ordinationem amiſiſſe.

V. Gratianus eandem ſententiam fusè docet, 1. q. 1. per totam illam quæſtionem quæ ex 130. canonibus contexta eſt. Poſt can. 45. ſic colligit, *Patet ergo illud Auguſtini, Sacramenta videlicet Chriſti per Hæreticos miniſtrata ſuo non carere effectu, non de omnibus intelligi generaliter, ſed de Sacramento baptiſmi.* Paulò ante rationem dederat propter quam Hæretici, omnium Sacramentorum minimè, Ordinationem conferre poterant. Deinde poſt can. 74. iterum colligit, *Patet quod Sacramenta Eccleſiaſtica præter baptiſma, ut ſupra dictum eſt, ab Hæreticis miniſtrari non poſſunt.* Item poſt c. 97. aſſumit ut exploratum, Degradatum Epiſcopum baptizare poſſe, ordines dare non poſſe. *Non ergo conſequenter colligitur, ut ſi recedentibus à fide jus baptizandi relinquitur, poteſtas etiam diſtribuendi ſacros ordines relinquatur; quamvis utrumque à conſecratione proveniat. Degradatus enim Epiſcopus poteſtatem largiendi ſacros ordines non habet, facultatem tamen baptizandi non amiſit. Sed ne Auguſtinum in hac ſententia penitus reprobemus, intelligamus aliud eſſe poteſtatem diſtribuendi ordines ſacros; aliud eſſe executionem illius poteſtatis. Qui enim intra unitatem Catholicæ Eccleſiæ conſtituti Sacerdotalem vel Epiſcopalem unctionem accipiunt, officium & executionem ſui officii ex conſecratione adipiſcuntur. Recedentes verò ab integritate fidei, poteſtatem acceptam Sacramento tenus retinent, effectu ſuæ poteſtatis penitus privantur, &c. De his ergo qui accepta Sacerdotali poteſtate ab unitate Catholicæ Eccleſiæ recedunt, loquitur Auguſtinus; non de illis qui in Schiſmate vel hæreſi poſiti Sacerdotalem unctionem accipiunt.*

VI. Contrariam tamen ſententiam Robertus Pullus docuit Hugoni, Lombardo, & Gratiano coætaneus, Summæ Theologicæ manuſcriptæ parte 7. c. 14. *Rebaptizari aut reordinari non licet. Fit tamen Ordinatis ſuſpenſio; ſit, & cum nimia eſt culpa, degradatio. Neutra poteſtate Sacramenti privat; Utraque ab officii exercitio alienat, &c. Dum autem ſententia ſuſpenſionis aut degradationis manet, quid ſi interim officium interdictum agatur? Utique propter poteſtatem quæ non aufertur, ſicut boni, ita quoque & prohibiti, videntur ſua uti poſſe poteſtate, verum malo ſuo, omniumque qui intus ita ſunt, ut prohibitionem contemnant.* Idem multò magis de Ordinatis, & Ordinantibus Hæreticis dicendum eſt. Omnes enim qui dixerunt Hæreticos manifeſtos iterum ordinandos, idem de degradatis pronuntiarunt. Sed multi qui degradatos dixerunt iterum ordinandos, idem negaverunt de Hæreticis eſſe faciendum.

VII. Robertus de Flammesbur S. Victoris prope Lutetiam Canonicus eodem quo Præpoſitivus tempore ſcribebat, & idem cum eo de hac quæſtione ſentit. Sic ille lib. 3. Pœnitentialis manuſcripti qui in illa Abbatia conſervatur, non longè à principio, *Utrum Epiſcopus Hæreticus ordines conferat, quæſtio maxima eſt, de qua diverſa ſunt opiniones. Dicunt aliqui ſi acceperit ultimam manuum impoſitionem, id eſt, ordinem Epiſcopalem, qui ſic dicitur, quia poſt illum nullus*

ordo conferatur. Si ergo illum acceperit in Eccleſia, id eſt, in unitate Eccleſiæ, ordinem confert; ſi extra, non: Et qui ab illo accipit, nihil accipit. De corpore Chriſti dicunt, quod a nullo tali, id eſt extra Eccleſiæ unitatem conſtituto conficiatur, arg. 24. q. 1. Schiſma. Hugo dicit quod quilibet Epiſcopus, ſive exterius ſive non; ſive Catholicus, ſive Hæreticus, ſive ultimam manus impoſitionem acceperit in Eccleſia, ſive extra, ordinem confert. Similiter & Ordinatus ab illo, & ſic in infinitum, arg. 1. q. 1. Dominus. Hoc autem dico, ſi forma conferendi Sacramenta ſervetur; alioquin nihil agitur arg. 1. q. 1. Si qui confugerint, & q. 7. Daimbertum. Unde ſi cum talibus diſpenſetur, oportet reordinari ordinatos ab illis, ut habetur in prædictis Capitulis; alii non debent ordinari, arg. 1. q. 1. quidam. Quod ordinavit Alexander in Schiſmate Octaviani. Lucius tamen Papa, ut dicunt, fecit reordinari ordinatos ab illis qui ultimam manus impoſitionem acceperant extra Eccleſiam: Et mirum fuit quod Cardinales conſenſerint. Forte ſequebantur primam pravam opinionem: Vel hoc fecerunt in odium Schiſmatis. Sic ergo à quocunque Epiſcopo datur Ordinatio, dummodo ſiat in forma Eccleſiæ, & intendatur fieri quod facit Eccleſia, ordinatur, ſed executionem Ordinis nullus poteſt dare niſi in Eccleſia.

VIII. In his Roberti verbis tria notabit Lector. Primum eum vocare quæſtionem hanc maximam; eo quod tum erat in Scholis & in praxi, opinionum varietate maximè agitata & celebris, his in hanc ſententiam, aliis in illam inclinantibus. Scribebat autem Robertus circa annum Chriſti 1200. Secundum, Hugonem quem citat non eſſe Hugonem à S. Victore, ſed alium aliquot annis iſto poſteriorem, Canoniſtam celebrem, qui Gratiani decretum gloſſis illuſtravit, & ſæpe ab Hoſtienſi, Raymundo, & aliis antiquis Canoniſtis allegatur. In additionibus tamen ad gloſſam in verba Gratiani poſt can. 97. 1. q. 1. pro contraria ſententia refertur, quaſi neget eum qui extra Eccleſiam Epiſcopus factus eſt, ordinare poſſe; vel tertius eſt iſte Hugo in gloſſa allegatus. Tertium, Lucium III. Papam Schiſmaticos ab Antipapa Octaviano ordinatos ad Eccleſiam Catholicam revertentes de Cardinalium conſenſu iterata ordinatione recepiſſe. Hoc autem factum eſſe oportuit anno 1184. aut 1185. quo Lucius obiit. Id autem facilè & certò ſcire potuit Robertus, cum eo tempore non modo viveret, ſed etiam celebris eſſet Pariſiis pietate & doctrina, & Pœnitentiarii publici munere fungeretur. Idem quod Lucius fecerant Innocentius II. & Alexander tertius Lucii Prædeceſſores, ut Alexander teſtari videtur in Concilio Later. 3. c. 2. *Quod à Prædeceſſore noſtro felicis memoriæ Innocentio factum eſt, innovantes, Ordinationes ab Octaviano & Guidone Hæreſiarchis factas, & ab Ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus.* Ita vulgo tunc multi cenſebant, & agebant.

IX. Refert Krantzius Hiſtoriæ Saxonicæ lib. 6. c. 47. Lucium Papam, & Fredericum primum Imperatorem, Veronam Schiſmatis conciliandi cauſa veniſſe, Luciumque tandem precibus Imperatoris commotum, ſe in gratiam ab Antipapis ordinatos recepturum promiſiſſe, *Sed quum poſtera die manus illis eſſent imponendæ ſingulis, immutatum erat conſilium, quod diceret, in Concilio Venetiano decreta non poſſe, niſi alio Concilio irritari. Promiſit autem de proximo alium a ſe evocandum cœtum, in quo ſuper his conſtitueretur.* In Concilio illo Lucius ſuffragium tulerat ut Cardinalis, tum Oſtienſis dictus, degradatique fuerant & Antipapa, & omnes ab eo ordinati, ut refert in Annalibus Anglorum Rogerus de Hoveden. Memor igitur iſtius decreti Lucius ad Ordinationem iterandam ſecundum datam Imperatori promiſſionem jam accinctus, ſtatim ſubſtitit, ampliuſque deliberandum ſtatuit, & brevi ſe cum Cardinalibus & Epiſcopis deliberaturum pollicitus eſt. Hoc Lucium tandem feciſſe teſtatur Robertus, & Schiſmaticos iterata ordinatione reconciliaſſe. Ita quoque in Conventu Northuſienſi anno 1105. cui aderant Legati Pontificis, ſtatutum eſt, *ut qui à Pſeudoepiſcopis fuerant conſecrati, per Catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promitteretur.* Abbas Urſperg. Pſeudo Epiſcopi dicuntur illi Schiſmatici, Simoniaci, & ſimiles. Reconciliatio per Catholicam manus impoſitionem, ſuſceptio eſt Epiſcoporum Schiſmaticorum, &c. per ordinationis iterationem.

X. Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus & Doctor celebris, qui poſt Præpoſitivum & Robertum annis aliquot ſcribebat, ſententiam quam repudiarunt, magna ex parte amplexus eſt, c. 7. de Sacramento Ordinis. Docet enim & fusè explicat in Degradatis & depoſitis characterem degradatione & depoſitione Eccleſiaſtica poſſe deleri, atque ideo ſi Eccleſiæ reconciliandi ſunt, iterum ordinandos eſſe, ut character & gratia quam exautoratione perdiderunt, ſecunda Ordinatione eis reſtituantur. Cæteros autem Hæreticos, Apoſtatas, & Excommunicatos ſimplici indulgentia & Abſolutione Eccleſiæ reconciliari concedit. Primum agit adverſus nonnullos qui aſſerebant ſuſpenſos & Excommunicatos quandiu vigebat Cenſura nihil agere quod non eſſet irritum & inane: Quia Procurator ſuſpenſus, ſi vigente ſuſpenſione ſe negotiis ingerat, falſus eſt Procurator, quæque agit, irrita ſunt. Hoc ipſe negat, niſi abſolutè revocata fuerit Procuratio; & ideo, inquit, quod ajunt de Suſpenſis & Excommunicatis, verum eſt de Exautoratis, Depoſitis, & Degradatis. *Hoc ipſum, inquit, forma Exautorationis, & exordinationis indicat evidenter*, & paulò poſt, *Hinc eſt quod rationabiliſſimè dixiſſe videtur, exautoratos atque depoſitos, reordinandos eſſe cum redierint, & Eccleſia eos reſtituere voluerit. Cæteros autem ab Eccleſia apoſtantes, reconciliandos tantùm; non autem iterum ordinandos. Si enim Eccleſiæ intentio exauctorando, & deponendo, ſive degradando ordinatos, ipſos characteres ordinum delere, ſive abolere in illis intendit, non ſolum veriſimile, ſed etiam neceſſe eſt Eccleſiæ intentionem omnipotentiæ divinæ virtute, quæ miniſterio Eccleſiæ ſemper aſſiſtit, & per ipſum operatur, impleri. Sicut enim miniſterio Eccleſiæ adeſt omnipotens virtus ad imprimenda ſanctitatis ſignacula, ſive characteres, quos ordines vocamus, & ad infundendam gratiam ipſius ordi-*

ordinibus congruentem; ſic & ad abolendum ipſa ſignacula, dubitandum non eſt ejuſdem Eccleſiæ Miniſtris eandem eſſe & operari virtutem, & perficere intus quod foris facit Eccleſia. Poſtea probat hoc poſito Sacramentum non iterari, *Nec timendum nullatenus injuriam fieri Sacramento ordinis, ſi hoc modo, ut diximus iteretur. Si enim non reputatur iterandum, quod neſcitur eſſe factum; multò fortius non eſt reputandum iteratum, quod ſcitur abolitum eſſe penitus & deſtructum.* Nihil tamen abſolutè definit poſtquam iſta multis exaggeravit, ſed conſulendum monet Eccleſ. Roman. ut in hac re de Eccleſiæ intentione certi ſimus. Tandem B his verbis ſermonem concludit, *Propoſitum verò noſtrum non eſt hic canones* exponere, vel contrarias opiniones Doctorum ipſorum in his *ad concordiam reducere, ſed veritatem, ſanctitatem ordinum, virtutemque eorum, nec non & poteſtatem Eccleſiæ præſtandis, & auferendis, ipſis rationibus, ac declarationibus, quantum poſſumus, adſtruere.*

XI. Eandem opinionum varietatem teſtatur de ſuo tempore S. Raymundus Summæ lib. 1. c. de Hæreticis & Ordinatis ab eis, §. 9. quæ tamen tum plurimùm frigebat, omnibus prope conſentientibus Epiſcopum quemcunque Hæreticum in Eccleſia vel extra Eccleſiam ordinatum validè ordines conferre, ſed non C ordinis executionem, modo juxta formam Eccleſiæ ordinatus fuerit, & ordinet. *Ad iſtius quæſtionis intelligentiam nota,* inquit Raymundus, *quod Joannes, & Rudolphus dixerunt, quod Epiſcopus Hæreticus, qui recepit ultimam manus impoſitionem, id eſt, ordinem Epiſcopalem in Eccleſia, ordines confert, ſed non ordinis executionem. Si autem extra, nihil confert, nec ordinem, nec ordinis executionem, quia nihil receperat. arg. 1. quæſt. 7. Daimbertum. Sed hæc opinio reprobatur, 9. q. 1. Ordinationes. 1. q. 1. Convenientibus. Dicas ergo cum Laurentio, Vincentio, & aliis fere omnibus, quod, ſeu quis recipiat ultimam manus impoſitionem in Eccleſia, ſeu extra, dum tamen formam Eccleſiæ ſervet in ordinando, & in forma Eccleſiæ fuerit ordinatus, ſemper verum ordinem confert, ſed non ordinis executionem; & hoc ſeu ſcienter, ſive ignoranter alius ordinetur ab ea.* Fatetur tamen mortaliter peccare, & crimen idololatriæ committere, qui in eo ſtatu ordines conferunt, & qui ab eis accipiunt.

XII. Hæc Roberti Pulli Cardinalis, Præpoſitivi, Roberti de Flammesbur, & S. Raymundi ſententia cæteris tandem prævaluit. Eam ſecuti ſunt, Alexander Halenſis, S. Bonaventura, S. Thomas, Scotus, Scholaſticæ doctrinæ principes, præcipuaque poſt tantos E Doctores Scholaſticorum turba in hunc uſque diem. Cardinalis Hoſtienſis, de temporibus Ordinandorum, eam quoque amplectitur; teſtatur tamen n. 6. Antiquis aliam fuiſſe ſententiam. *Quid ergo ſi quis Epiſcopus à Schiſmatico fuerit conſecratus? Dixerunt antiqui quod nulla eſt talis conſecratio, & ideo non confert Ordines taliter conſecratus. Sed hæc opinio reprobatur, &c.* Idem etiam dicit titulo de Schiſmaticis, ſed unum tantum ex pluribus nominat Joannem Faventinum qui ita olim ſenſerit. Itaque ab annis 400. ſententia illa non præcipua, ſed ſola in Scholis regnavit; Nonnulli tamen poſthæc ita ſenſerunt; quorum ſententiam refert Aureolus in 4. ſen- A tent. diſt. 25. ſed eorum nomina tacet. *Eſt tamen hic opinio quædam, quod degradatus, ſive excommunicatus, quandiu toleratur, poteſt miniſtrare Ordines: quandiu verò non toleratur, non poteſt. Doctores tamen communiter hoc non tenent, &c.* Quinam illi fuerint, nec exprimit, nec ego divinare poſſum: Sed nulla cenſura hanc ſententiam notat.

XIII. Ita nonnulli ſentiebant cùm ſcriberet Joannes de Baſſolis qui poſt Aureolum ſcripſit, nec erat è Scholis penitus exploſa ſententia, ut ex ejus verbis colligitur in 4. diſt. 25. q. unica, art. 2. Dicit dubium eſſe. *Utrum ſcilicet Epiſcopus degradatus, vel depoſitus verè ordinet de facto, ſi attentet ordinare.* De hac re tres refert opiniones, *Dicunt aliqui quod non. Quia ad hoc non ſufficit gradus vel dignitas Epiſcopalis manens indelebilis, ſed requiritur eam hoc juriſdictio ſuper ordinandos; ſicut in foro Pœnitentiali requiritur juriſdictio ſuper abſolvendos. Et non ſufficiunt etiam ad abſolvendum, etiam de facto; clavei Sacerdotales; quia per primam pœnam, puta depoſitionem, vel degradationem tollitur omnis juriſdictio. Alii dicunt eandem concluſionem, ſed probant eam aliter, quod ſecundum eos Epiſcopatus non eſt ordo, nec eſt aliquid indelebile, & quod poteſt auferri ſimpliciter loquendo, & aufertur per degradationem.* Neutram ſententiam amplectitur Baſſolis, ſed tertiam, videlicet Epiſcopum depoſitum vel degradatum, validè & de facto ordinare: Eas tamen ut non improbabiles & in Scholis diſputatas refert. Ita quoque Summa Aſtenſis cujus autor ante trecentos & aliquot annos ſcribebat, lib. 6. tit. 3. art. 4. *Quæritur utrum Epiſcopus degradatus poſſit conferre ordines? Reſpondeo, Aliqui dicunt quod non; quia degradati non tantum ſunt ſuſpenſi ab officii executione, ſed etiam ſunt ſpoliati Epiſcopali dignitate; Unde non manent Epiſcopi: Alii verò dicunt, & videtur verius, & rationabilius quod poſſunt ordines conferre de facto, non de jure, non tamen ordinum* D *executionem, &c.*

XIV. Præcipuum communis ſententiæ fundamentum fuit quoddam Sancti Auguſtini teſtimonium ex lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 13. quod fuſè refertur 1. q. 1. c. 97. & à Magiſtro l. 4. diſt. 25. Nihil tamen diſertè ſtatuit de Hæreticis, ſed ſermo illi eſt tantum de Donatiſtis. Deinde Sanctus Auguſtinus toto illo capite duo tantùm demonſtrat, quæ ad præſentem quæſtionem pertinent, quæque Catholici omnes ſemper confeſſi ſunt, Baptiſmum à Schiſmaticis & Hæreticis datum eſſe validum, & non repetendum, & ſecedentem ab Eccleſia Catholica jus dandi baptiſmi non amittere. Efficaciam Sacramenti Ordinis ulterius eo loco non protendit; licet nonnulla ipſius verba ulterius protendi poſſe innuere videantur, atque idem eſſe de ordinatione quod de baptiſmo dicendum. Nec aliter poterat decernere Auguſtinus, cum Donatiſtas quotidie videret in Eccleſiam cum ordinibus ſuis admitti. Sed ipſius verba ad omnes Hæreticos quorum baptiſmus valet, aliquis trahi debere negare poſſet. Alterum teſtimonium ex cap. 1. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas citari poteſt, ſed minus habet roboris: cætera leviora.

XV. Si antiquorum Patrum, & recentiorum ſententias qui ante natam Scholaſticen ſcripſerunt, attentè conſideremus, opinionum fluctuationem longè majorem, imò inter ſe commiſſionem & colliſionem deprehendemus, quæ optimum Pontificem Leonem IX. tantopere afflixit, ut referente Petro Damiano ſexti opuſculi ſui præfatione, *in poſtrema Synodo*, (quam hac de cauſa celebrabat) *omnes Epiſcopos ex divina obteſtatione rogaverit, quatenus Dei miſericordiam in commune depoſcerent, & quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret.* Fluctuationum cauſas, circumſtantias, ambages, effectus, cum varia ſint ſequentibus capitibus enarrabimus. Quis enim res tam multiplices tam diffórmes & diuturnas uno verbo complecti poſſit?

CAPUT II.

Eadem difficultas, An Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, Symoniacis, degradatis, factæ eſſent iterandæ, Patres plurimùm anxios habuit. Urbanus II. in hoc dubio iterum ordinavit. Quædam Synodi idem fecerunt. Tempore Petri Damiani obſcura admodum inter Catholicos, & litigioſa quæſtio. Plurimi Simoniacè Ordinatos à Simoniaco iterum ordinabant. Ipſe tamen hoc negat faciendum. Leo IX. omnes Simoniacorum ordinationes irritas declaravit; poſtea decretum ad Simoniacè Ordinatos reſtrinxit. Gravius Nicolai II. decretum. Tantæ anxietatis cauſa inquiritur apud Damianum. Multi aſſerebant à Simoniaco ordinatum nihil à Laico differre. Nonnullos à Simoniacis ordinatos Leo IX. iterum ordinavit. Aſſeruit Damianus non Hæreticorum baptiſmum, ſed ordinationem iterandam.

I. SI Eccleſiæ Catholicæ Patres, ut de antiquis Scholaſticis capite præcedente factum eſt, conſulamus, eandem difficultatem eos vexaſſe quæ Scholaſticos, deprehendemus. Nonnullis Patrum teſtimoniis duo tantùm vel diviſim vel conjunctim reſponderi ſolent, ut cum aliis aliorum Patrum teſtimoniis, & cum ſententia nunc regnante conciliari poſſint: Prius ea teſtimonia non eſſe intelligenda de ordinibus ipſis, ſive de eorum natura & ſubſtantia, ſed tantum de ordinum executione quæ ab Hæreticis, & Schiſmaticis, Excommunicatis, & Degradatis ſuſcipi & exerceri ſine crimine non poteſt; ita tamen ut impiè licet ſuſcepta & exercita, rata ſit & valida. Poſterius, tum tradentes, tum ſuſcipientes ab eis, utroſque grave crimen ipſa traditione & ſuſceptione perpetrare, & ordinum ſuſceptorum gravibus pœnis executione prohiberi. Nullo tamen modo ordinem ſuſceptum iterari debere, modo Hæreticus aut degradatus ſecundum Eccleſiæ formam ordinatus fuerit, & ordinaverit. Nonnulla tamen teſtimonia dari poſſunt ita clara & evidentia, ut harum ſolutionum neutra illis ſatisfacere poſſit; nec ulla ſit etiam in iis ſuſpicio ordinum collationem juxta Eccleſiæ formam non eſſe factam, aut Collatores olim juxta eandem formam non eſſe ordinatos. Omiſſis igitur aliis teſtimoniis ea tantùm Patrum teſtimonia referemus quæ cum his ſolutionibus nullo modo nobis conciliari poſſe videntur, ſed quæ reverà demonſtrant ordinis à legitimè ordinatis, juxta Eccleſiæ formam traditi iterationem. Ex quibus colliget Lector eam difficultatem quæ antiquiſſimos Scholaſticos vexavit, antiquos etiam Patres plurimum vexaſſe. Ordine retrogrado à poſterioribus ad priores conſcendemus.

II. Non referam Lucii III. promiſſionem de reordinandis Schiſmaticis Frederico primo Imperatori datam; nec etiam promiſſionis executionem, qui poſtea Ordinatos ab Octaviano, aliiſque Antipapis iterum ordinavit, cum id contigerit Scholaſticis Doctoribus jam Cathedras poſſidentibus, & Eccleſiam docentibus. Incipiam ab Urbano II. qui cum naſcente Scholaſtica & vix dum vagiente, in Cathedra Petri ſedit. Reſcribit Urbanus Petro Piſtorienſi Epiſcopo, & Ruſtico Abbati Vallis umbroſæ, qui cum multis aliis Catholicis graviter tulerant cum in Epiſcopum Piſanum conſecraſſe quendam Daibertum à Nezelone Epiſcopo Moguntino Schiſmatico, Hæretico, Excommunicato, in Diaconem promotum; iiſque rationem facti ſui reddit, quod nihil à Nezelone Daibertus iſta conſecratione accepiſſet, quia Nezelo, ut pote Hæreticus & Excommunicatus, nihil habuiſſet, ac proinde nihil illi dare potuiſſet; ſe Diaconum illum quod eſſet Eccleſiæ utilis, & à Simoniaco quidem, ſed non Simoniacè ordinatus fuiſſet, iterum in Diaconum ordinaſſe. Non eſſe autem cenſendam Ordinationem illam iteratam eſſe cum prior Ordinatio nulla fuiſſet, & ex ea in Daibertum nihil effluxiſſet. Refertur Epiſtola integra part. 2. tom. 3. Concil. & quæ præſertim huc ſpectant 1. q. 7. c. 24. *Daibertum à Nezelone licet Simoniaco non Simoniacè eiuſdem confeßione reperimus in Diaconum ordinatum, & B. Innocentii Papæ ſententia conſtat declaratum, quod Nezelon (quem conſtat ab Hæreticis ordinatum) quia nihil habuit, nihil dare potuit, ei cui manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, & Damaſi Papæ teſtimonio roborati, qui ait reiterari oportet quod malè actum eſt, Daibertum ab Hæreticis corpore & ſpiritu digreſſum, atque utilitatibus Eccleſiæ pro viribus inſudantem ex integro (Eccleſiæ neceßitate ingruente) Diaconum conſtituimus. Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconi dationem; quoniam ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

III. Non video qua ratione iſta Pontificis actio ad ſolam Ordinis exequendi indulgentiam coarctari poſſit. Ponderentur ſingula verba:

verba: teſtantur omnia de Diaconatus ſubſtantia ſermonem eſſe non de executione, niſi conſequenter: Nam qui nullo modo eſt Diaconus, profecto Diaconi munus exequi non poteſt. Deinde certiſſimum eſt, & evidentiſſimum Damaſum quem Urbanus citat contendere Chorepiſcopos nihil Epiſcopalium officiorum prorſus agere, & quidquid agunt ejuſmodi, iterum eſſe agendum ab Epiſcopo, ſi velis aliquid eſſe actum. Sic eſt Urbanus intelligendus, aut Damaſi teſtimonio illuſit. Idem de Innocentio aſſerendum, qui prorſus ſecundum Urbanum de iteratione Ordinis ab Hæreticis accepti interpretandus eſt, non ſecus ac Damaſus de eo quem Chorepiſcopi contulerunt. Nec etiam dicere licet repetitos eſſe totius ordinationis ritus, ſed cæremoniæ tantùm cauſa, non animo novam Ordinationem inducendi. Nam præterquam quod hoc dictum eſt ineptum, ridiculum, & inuſitatum, Urbani ſcopus non eſt obſcurus, paucis verbis illum inculcat, repetitur Ordinatio, quia nihil dare potuit Hæreticus, nihil habuit, nihil ab eo accepit Ordinatus. Ideo ex integro Diaconum conſtituit; nec tamen, inquit, iſta Ordinatio dicenda Ordinationis iteratio, quia Schiſmaticus qui dediſſe dicitur, nihil habuit quod daret.

IV. Hinc colligitur genuinus ſenſus Urbani II. in Epiſtola ad Lucium Præpoſitum S. Juventii apud Ticinum quam refert Baronius an. 1099. qui aliàs ambiguus eſt, & poſſet commodè, potiſſimum priores pericopæ, in alienum ſenſum trahi. Inter cætera quærebat Lucius ab Urbano, *Utrum ſit utendum Ordinationibus & reliquis Sacramentis à criminoſis exhibitis, ut ab Adulteris, vel Sanctimonialium violatoribus, vel hujuſmodi.* Diſtinguit Urbanus in hunc modum, *Si ſchiſmate vel hæreſi ab Eccleſia non ſeparentur, eorumdem ordinationes & reliqua Sacramenta ſancta & veneranda non negamus, ſequentes Beatum Auguſtinum, &c.* Deinde quibuſdam teſtimoniis allatis, & difficultate ſoluta, pergit ad aliud diſtinctionis membrum, *Hæc de malis Catholicis, qui intra Eccleſiam ſunt. Caterum Schiſmaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta Sanctorum Patrum traditiones, ſcilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, niſi cum ipſi, vel eorum Sacramentis initiati per manus impoſitionem ad Catholicam redierint unitatem.* Manifeſtum eſt ex antecedente Epiſtola illa verba, *non autem virtutis effectum*, quæ quodammodo poſſent eſſe ambigua, & ad ſolam exercitii prohibitionem reſtringi, ſumenda eſſe pro, *virtute caſſa, irrita, nulla*, ita ut Sacramenta in Hæreticis, & ab Hæreticis formam exteriorem Sacramenti habeant, ut pote ſecundum Eccleſiæ formulas & ritus celebrata, ſed tamen irrita ſint & nulla. Ideo vult ab ipſis ordinatos ad Eccleſiam Catholicam redeuntes per manus impoſitionem, hoc eſt, aliam ordinationem recipi.

V. Hoc inſuper ſequentia verba demonſtrant. Nam controverſia inter Stephanum Papam & Cyprianum ab eo commemorata id evincit. Scribit enim Stephanum Pontificem & Auguſtinum vehementer S. Cyprianum redarguere, *Aſſirmantes baptiſmum ſive ab Hæretico, ſive Schiſmatico Eccleſiaſtico more celebratum ratum eſſe, & meritò, quia alia in baptiſmo, & alia in reliquis Sacramentis conſideratio eſt; quippe cum & ordine prior & neceſſarior ſit, &c.* Urbani ergo ſententia eſt, non eſſe ita de Ordine ſentiendum ut de baptiſmo: Baptiſmum ab Hæreticis datum, ratum eſſe, ſed ordinem irritum. At baptiſmus ab Hæretico ſine crimine nec petitur, nec datur, nec accipitur; & acceptus, licet ratus ſit, gratiam tamen non producit, niſi per ſummum accidens in jam jam morituro, ſi Catholicus abeſt, qui dare poſſit, ut ipſe Urbanus eodem loco excipit: Quo caſu eundem effectum ab Ethnico datus ſortiretur. Igitur ſimiliter, ſi ordo in ſe ratus ſit, & irritus tantùm ab Urbano dictus eo quod tum gratiam in ſuſcipiente non producat, ſed damnationem; nulla prorſus erit inter Ordinem & baptiſmum differentia, quam tamen vult eſſe magnam Urbanus. Quamobrem ratus eſt baptiſmus ab Hæretico datus? Reſpondebit Doctor Scholaſticus, quia characterem in imprimit, licet gratiam non inſpiret. Quamobrem ſecundum Urbanum non eſt eadem ordinationis ratio. Nihil aliud ſecundum Urbani principium reſponderi poteſt, niſi quod Ordinatio ab Hæretico & Schiſmatico data, nec characterem nec gratiam producit. Aliàs eadem prorſus erit Ordinationis quæ baptiſmi ratio, quod averſatur Urbanus.

VI. Eodem ſenſu canon iſte Synodi Placentinæ ſub Urbano intelligendus eſt, *In hac quoque Synodo hæreſis Simoniacorum penitus damnata eſt, ut quidquid in ſacris Ordinibus, & in Eccleſiaſticis rebus data & promiſſa pecunia acquiſitum Simoniaci videretur, pro irrito haberetur, nullaſque vires habuiſſe & habere judicaretur.* Idem affirmandum de hoc canone Concilii Quintilinebergenſis ſub Gregorio VII. Uterque à Bertholdo refertur, *In eadem Synodo ordinatio Uvecelonis Moguntini Invaſoris, & Sigefridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis; Immo omnes Ordinationes & conſecrationes Excommunicatorum penitus irrita judicata ſunt juxta decreta Sanctorum Patrum, Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii primi.* Wecilo, ſive Nezelo ille eſt qui Daibertum de quo ſupra Diaconum ordinaverat. Nihil ſane clarius dicere poterant, modò velimus de autorum mente ex ipſorum verbis, non ex opinione anticipata judicare. Quid enim Latinè ſignificant, ſpes irrita, labor irritus, promiſſa irrita, irritæ preces, tela irrita, teſtamentum irritum, & ejuſmodi. Quid ſibi volunt Patres Concilii Carthag. 4. c. 28. cum decernunt, *irritam eſſe injuſtam Epiſcoporum damnationem, & ideirco retractandam.* Quare colligunt, *& ideirco retractandam.* Quid ſi addatur *penitus irrita; nullaſque vires habuiſſe & habere.* Num hæc ſignificare poſſunt, Integras habet vires Ordinatio iſta, rata prorſus eſt. Sed tamen de jure ſuſpenduntur vires; Ita tamen ſuſpenduntur

ſi

ſi Hæretico placuerit. Nam ſi nolit Canonibus reverentiam deferre, exerit Ordinatio ejus vires ſuas non ſecus ac ſi a Catholico procederet, ſed tantùm exerendo peccat.

VII. Petrus Damianus Cardinalis Oſtienſis teſtatur quæſtionem iſtam fuiſſe ſuo tempore Doctorum & Synodorum contrariis & fluctuantibus ſententiis maximè & operoſiſſimè agitatam. Cum autem quæſtio iſta de iterata Ordinatione generica ſit, multaſque ſpecies complectatur, unam tantum elegit quam fuſè & accuratè tractat toto opuſculo ſexto cui nomen fecit, *Gratiſſimus*. Quæſtionem autem ita circumſcribit, An Ordinatio ab Epiſcopis Simoniacè in Eccleſia, & ſecundum Eccleſiæ formam Ordinatis Simoniacè collata, valida ſit, ſive an ſit iteranda. Negat Damianus, & quo valet ingenio negationem tuetur. Tria ex Damiano demonſtrabimus. Primum, obſcuram admodum,& litigioſam fuiſſe eo tempore quæſtionem, & variè à variis definitam, & in praxi contrario modo à diverſis, atque etiam nonnunquam ab eadem perſona, ſed variis temporibus obſervatam. Secundum, ſtatum controverſiæ tam difficilis & obſcuræ, cujus definiendæ cauſa Pontifices tantopere laborabant, fuiſſe, an Simoniacè, aut à Simoniacis ordinati iterum ordinandi eſſent. Poſtremum, Damianum aſſumere tanquam notum & conceſſum Hæreticos qui fidei prima fundamenta negant, licet valide baptizent, invalidè tamen ordinare, quanquam formam ab Eccleſia præſcriptam obſervent.

VIII. Sic Damianus in præfatione tractatus, *De iis qui gratis ſunt à Simoniacis conſecrati, quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit diſceptatio, quamque perplexa, atque confuſa dubietas, & in iis partibus quotidie ventiletur, Sanctitatem veſtram latuiſſe non arbitror; præſertim cum creſcente fluctuationis ambigue, eatenus ſit proceſſum, ut nonnullos conſtet Epiſcopos ab illis ordinatos Clericos denuò conſecraſſe.* Et paulò poſt. *Sed cum mihi recurreret in memoriam, quia jam venerabilis Papa in poſtrema Synodo omnes Epiſcopos ex divina obteſtatione rogaverit, quatenus Dei miſericordiam in commune depoſcerent, ut quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret, ejus me arbitratus ſum obſecundare prorſus imperio, ſi vel orando vel ſcribendo tam difficilem nodum de Eccleſia ſolvere, ſuperna illuceſcente gratia, potuiſſem.*

IX. Capite verò 35. refert Leonem IX. habita Synodo & diligenti facta inquiſitione omnes Simoniacorum Ordinationes caſſaſſe, & irritas declaraſſe: ſed cum incommoda hinc emergentia conſpexiſſet, conſtitutionem ſuam ad Clementem II. decretum quod illi ſuggeſtum eſt, attemperaſſe, quod non omnes Ordinationes à Simoniacis actas, ſed eas tantum quæ Simoniacè, hoc eſt, pacta & data pecunia factæ fuerant, irritas pronuntiabat. *Cum omnes Simoniacorum ordinationes Synodalis vigore auctoritatis* (Leo Papa) *caſſaſſet, protinus a Romanorum multitudine Sacerdotum magna ſeditionis tumultus exortus eſt; ità ut non ſolum ab ipſis, ſed à pleriſque diceretur Epiſcopis, omnes pene Baſilicas Sacerdotalibus officiis deſtitutas, & præcipuè Miſſarum ſolemnia ad ſubverſionem Chriſtianæ religionis & deſperationem omnium circumquaque fidelium, funditus omittenda. Quid plura? Poſt longa ſanè diſputationum hinc inde volumina, tandem ſuggeſtum eſt reverendæ memoriæ nuper ejuſdem ſedis Epiſcopum decreviſſe Clementem; Ut quicunque à Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo Ordinationis ſuæ tempore non ignorans Simoniacum cui ſe obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum Pœnitentiam ageret, & ſic in accepti ordinis officio miniſtraret. Quam nimirum ſententiam protinus venerabilis Leo ratam percenſuit, &c.* Hoc Clementis & Leonis poſterius decretum probat canoni qui edicit, *Ut quicunque per pecuniam obtinuerit ſacram dignitatem, dejiciatur ipſe, & Ordinator ejus*, non contradicere: Quia canon jubet quidem Simoniacè ordinatum & ordinantem dejici, ſed non jubet omnes dejici qui ab eo poſſunt promoveri. Subſiſtit in Simoniacè ordinatis & ordinantibus, non in eos ſeſe diffundit, quos non Simoniacè ordinavit.

X. In fine ejuſdem opuſculi monitum adtexitur Amanuenſis qui eodem tempore, ſub Nicolao videlicet ſecundo, vivebat, quo eadem Eccleſiæ anxietas in hac quæſtione ſolvenda comprobatur, *Tempore Nicolai venerabilis Papæ rurſus hæc quæſtio mota eſt, ac diutius ventilata. Verum poſt plurimos certaminum fluctus, poſt nutantium denique quæſtionum perplexa ac ſinuoſa volumina ad hunc tandem judicialis ſententiæ limitem res expedita pervenit, ut hactenus à Simoniacis gratuito conſecrati in adeptæ dignitatis honore perſiſterent; necdum vero promoti ab illis ad Ordinem provehi de cætero licentiam non haberent, &c.* Iſtius Synodi Romanæ ſub Nicolao II. meminit Damianus in Epiſtola ad Cives Florentinos: Hoc decretum ſic enuntiat, *Ut quicunque per eos eatenus fuiſſent in cujuſlibet Eccleſiaſtici gradus dignitate promoti, in percepti honoris miniſterio permanerent: Et tunc vero & deinceps quicunque ſe pateretur à Simoniaco provehi, nihil penitus ex ea deberet promotione lucrari, & ſic miniſtrandi jura deponeret, tanquam ſi hæc nullatenus percepiſſet. Hac itaque ratione jam non modo Simoniacos reprobamus, ſed & per eos exhibita Sacramenta.* Vides in hac quæſtione definienda anxietatem non vulgarium Epiſcoporum, ſed Pontificum Romanorum, non cujuſlibet Synodi, ſed Pontificum Synodis Romanis præſidentium. Non erant illis ignota duo illa neotericorum Scholaſticorum axiomata initio hujus capitis explicata, quibus difficilem iſtum nodum vel ſolvunt vel diſſecant; ſed tantæ difficultati enucleandæ ea non ſufficere, aut judicabant, aut magnopere dubitabant.

XI. Secundo nobis inquirendum eſt, quidnam eos tam anxios habebat, quidve tantam in iis animorum fluctuationem excitabat. An certo credebant Simoniacos Ordinatores poſt crimen perpetratum vere eſſe Epiſcopos, & Epiſcopali poteſtate præditos, ab iiſque ordinatos Ordinum ſubſtantia & facultate donatos; ſed tantum dubitabant de Ordinum executione, an legitimè vel illegitimè eam poteſtatem exercerent, ideoque tam fervida animorum

morum & disputationum contentione inter se committebantur, atque etiamnum collidebantur, ut quæstionem adeo obscuram definirent? Sanè neminem eorum puto tam hebetem aut pertinaciter impudentem fuisse, ut dubitationem adeo ineptam & ridiculam in animum inducere potuerit, nedum totam Europam ut explicetur Consultationibus & Conciliis fatigarit. Quid? Dubitavit aliquis Christianus, (non dicam summos Pontifices, integra Concilia,) an consecrans Episcopos & Presbyteros contra canonum sanctiones, & contra easdem sanctiones petens à Simoniacis & suscipiens ab eis consecrationem Presbyteralem, &c. legitimè ageret & ageretur? Nullius Christiani animum subiit tam absurda cogitatio, nedum dubitatio. Non dubitabant viri tam insignes dubitationem tam absurdam: Omnes securissimè & confidentissimè affirmabant Ordinationes illas esse illegitimas, graviter peccasse dantem, graviter peccasse accipientem. Nec etiam dubitabant, aut dubitare poterant utrumque & dantem & accipientem pœnis canonicis subjacere. De Pœnarum gravitate & tempore potuit sanè excitari contentio, an mitigandæ essent Pœnitentiæ, an tempus contrahendum, an hi clementius quàm illi excipiendi. In inquisitione ejusmodi nihil insolens, nihil à consuetudine Ecclesiastica alienum. Sed hæc definit unum Concilium, libellumque edit in quo forma recipiendorum in Ecclesia ejusmodi peccatorum continetur, ratioque salutaris medicaminis unicuique crimini adhibendi determinatur: aut etiam soli Pontifices formam illam tradunt, quam postea singulæ Provinciæ cum moderamine sibi conveniente amplectuntur. Hujus rei innumera sunt exempla, & plurima retulimus l. 6. c. 14. & 15. de Sacram. Pœnit.

XII. Sed ne longè illa repetamus, insigne & omnino simile hujus rei exemplum nobis præbet Leo IX. procurante Damiano, ut videre est initio opusculi 7. quod inscripsit *Gomorrhianus.* Certum erat apud omnes, Clericos hoc vitio infectos non esse iterum ordinandos: disputabatur tantum de pœna istius criminis reis infligenda. Causam ad se evocat Leo, & quadripertita eorum qui hoc vitio maculati erant distinctione facta, unicuique pro gravitate criminis Pœnitentiam imponit, ita ut nonnullis perpetuam ab Ordinum executione suspensionem indiceret. Hoc decreto sopita est, & extincta contentio. Ita de cæteris omnibus factum est; nec unquam post decretum Pontificis, aut Concilii Provincialis, contentio mota est. Imo sæpe maxima cum omnium pace varia fuerunt Conciliorum Provincialium de rebus ejusmodi decreta, his rigidius, illis clementius scelera vindicantibus. Si quis autem in fratres suos hac de causa contumaciter insurrexit, statim ab omnibus Schismaticus declaratus est. Unde ergo in causâ proposita tanta animorum contentio? Unde tot Concilia re infectâ celebrata? tot Pontificum variantia facta? Quis tam difficilis controversiæ status, quum ridiculum sit asserere actum in iis tantum fuisse de pœna crimini infligenda, aut remittenda; multo magis dubitare an crimen sit quod contra canones agitur? Hoc est nobis in Damiani opere inquirendum.

XIII. Nemo nescit diu olim in Ecclesia disputatum esse de baptismo Hæreticorum; varios Episcopos, varia Concilia variè admodum & contrariè de hac quæstione sensisse, & definiisse. Neutra pars ita hebes erat ut dubitaret, & in quæstionem verteret, an baptismum ab Hæretico accipiens, aut Hæreticus illum ministrans crimen grande perpetraret: Neutra pars dubitabat Baptismum sic datum Spiritum Sanctum, sive gratiam, non largiri. Quæ igitur inter viros Sanctos tantæ contentionis causa? Quamobrem Africani Episcopi plerique & Orientales permulti, ab Ecclesia Romana, & Occidentalibus dissidebant, Concilia Conciliis opponebantur? Hi dicebant baptismum ab Hæreticis quoquomodo datum, irritum prorsus esse, & repetendum. Alii si forma Ecclesiæ observata fuisset, valere, & nequaquam iterandum: secundum quam sententiam Concilium generale, ut vulgo dicitur, tandem pronuntiavit, & litem diremit. Quis igitur similiter non videt Catholicos omnes in hoc consensisse, Ordines ab Hæreticis, vel Simoniacis sine crimine peti, tradi, & accipi non posse, sic accipientes ab corundem ordinum executione suspensos esse; sed ab iis dubitatum esse, an valerent ordines sic dati, sic accepti. Hoc non innuit modo, sed disertè tradit toto tractatu Petrus Damianus.

XIV. Cap. 5. ubi quæstionem propositam versare incipit, sic illam proponit in titulo capitis, *Quod nulla sit causa, cum rebaptizari quisque non audeat, cur debeat iterum consecrari.* Deinde sic incipit caput, *quod cum ita sit, quid causa sit, ego non video cum baptizatus etiam ab Hæretico non rebaptizetur; cur promotus à Simoniaco, sicut dicitur, vel deponatur, vel denuo consecretur.* Postmodum istam consequentiam prosequitur. Ita cap. 6. hoc probat, *Quod ordinatio si sit Catholica, sit etiam rata.* Quod certè aliter quàm de validitate Ordinationis intelligi non potest. Cap. 16. in titulo. *De nequissimis Episcopis, quorum tamen ordinatio rata fuerit.* Deinde sic pergit, *Hinc est enim quod omnes Ordinationes quæ à Liberio, Hæretico videlicet & seditioso sunt factæ, in sui statu noscuntur immobiliter servatæ.* Aliis similibus exemplis demonstrat multò minus Simoniacorum Ordinationes esse iterandas. Cap. 30. probat par esse crimen rebaptizare, & reconsecrare, & c. 31. *quod sicut rebaptizari, ita & denuo consecrari quisque non potest.* Quum autem Adversarii opponerent quosdam post depositionem esse reconciliatos, rectè ille distinguit inter reconciliationem Sacerdotis depositi, & iteratam consecrationem: Prius licere, & fieri solitum; non posterius. Qui sic opponit, inquit; *noverit plurimos Sacerdotum reconciliatos quidem fuisse, qui tamen nunquam leguntur in idipsum denuo consecrati. Aliud est enim quemlibet per Synodalem sententiam in amissi ordinis jura restitui; aliud per consecrationis mysterium, quod iterari non potest, Spiritus S. gratiam promereri: præsertim cum in eo qui deponitur, quanquam dignitatis utenda perdat extrinsecus*

privilegium, manet tamen nihilominus semel adepti ordinis Sacramentum.

XV. Capite vero 32. totus est ut demonstret falsum esse quod Adversarii affirmabant, Quod *quilibet a Simoniaco consecratus a Laico nihil differat.* Ita incipit caput *sed de consecrationis impietate, licet nos plura dixerimus.* Et in fine capitis. *Dicite mihi fratres, cum pace vestra loquar, si Simoniaci, vel ab eis ordinati, a Laicis, ut asseritis, nihil differunt, quid est, quod sacri canones Simoniacos in Synodali Concilio deponendos esse decernunt?* Cap. 34. dicit ejusmodi reconsecrationem ab iis fieri solere quolibet die feria vel festo, non expectari tempora statuta; neque etiam Ordinum suscipiendorum observari interstitia: Deinde se aliquando cum ejusmodi consecrato sic sermocinatum, *Convenі hominem. Numquid, inquam, jam in te erat aliquid ex his gradibus, quos nuper ab Episcopo suscepisti? Nihil prorsus, ait, Ut quid enim acciperem, si me habere constaret? Et adjeci, Ergo a Laico nihil distabas, imò Laicus prorsus eras. Etiam, inquit, purus profectò Laicus, ut puta qui de Clerico nihil habuerim. Sed si Laicus inquam, ipso die quo Laicus es, ad Sacerdotii jura prorumperis, tuo quoque judicio fis Neophytus, ac perinde procul dubio deponendus. Adhac ille confusus erubuit, &c.*

XVI. Hic igitur erat status controversiæ quæ Ecclesiam Catholicam eo tempore agitabat, propter quam definiendam Pontifices tanta animi solicitudine frequentia agebant concilia, ne Ecclesia diutius turbaretur; his Simoniacos ab Ordinum executione tantùm suspendentibus, illis iterum consecrantibus. Tanta etiam & tam obscura judicabatur istius quæstionis difficultas, ut eam post longum examen ex parte tantùm definierit Nicolaus II. prohibens consecrationem eorum iterari qui à Simoniacis gratuitò se permisissent ordinari, & ordinum sic susceptorum actâ Pœnitentiâ executionem illis indulgens. Leo verò indistinctè primum Ordinationes Simoniacas cassaverit, statimque incommodo cognito validas cum eadem cautione declaraverit, & sic ordinatis Ordinum executionem restituerit. Nec hoc solùm Leo, verumetiam nonnullos iterum ordinavit, ut testis est idem Damianus opusc. 5. circa medium. *Id etiam nos non praterit, quod nostra memoria nonnu Leo Papa plerosque Simoniacos, & male promotos, tanquam noviter ordinavit.*

XVII. Postremum quod Damianum sensisse diximus, est Hæreticorum qui, ut ait, fidei plenitudinem non tenent, baptismum quidem ratum esse, Ordinationem vero irritam. Hoc clarè docet c. 22. & 23. ejusdem opusculi, & hinc rationem reddit quamobrem Novatianorum Ordinatio rata fuerit; Arianorum verò irrita; unde à Pari argumentatur Simoniacorum Ordinationes ratas esse habendas, cum in fide non errent, & ordinationis Ecclesiasticæ formam observent. *Notum est quod Novatus cujus ii sequebantur errorem, dogmatizaverat, neque bigamus communicare, neque in persecutione lapsis etiam post Pœnitentiam, veniam dare oportere. Si ergo & hi qui jam ab hu sunt Hæreticis ordinati, nequaquam suo sunt honore privandi, ob id scilicet, quia eorum consecratores in fide non stabant, Quid de Simoniacorum Ordinationibus sentiendum, qui & omnia fere institutionis Ecclesiastica jura conservant.* Continuato isto sermone tandem ad Arianos transit. *At contra Arianі qui adversus Spiritus S. divinitatem manifesta prorsus impietate conflagrant, ad Catholicam fidem redeuntes, in male accepti ordinis persistere dignitate non possunt. Credunt enim, sicut eorum sacrilega professio manifestat, quod pater creator sit, filius creatura, &c. Quia igitur virtutem S. Spiritus in fide non habent, qua videlicet omnis Ecclesiæ dignitatis ordo perficitur, apud eos facta ordinatio canonicis sanctionibus irrita judicatur.* Deinde hoc probat autoritate Innocentii I. cujus verbis allatis subjungit, *In quibus decretalibus verbis manifestè datur intelligi, quia in promotionibus Clericorum, non immerito fides Ordinantis attenditur ex qua videlicet pendet, ut Ordinatio ipsa, sive rata sive irrita judicetur. Quod enim tenet Ordinator, in fide, accipit Ordinatus in munere. Enimvero si Arianis recta fides ineset, etiamsi eos cujuslibet diversa pravitatis error involverit, facta apud eos consecratio non periret.* Deinde c. 23. idem probat exemplo Donatistarum, tandemque concludit, *Constat profecto quia si fides stat, Consecratio robur obtineat: nec actionis labefactatur vitio, quæ fidei nititur fundamento.*

XVIII. Videtur tamen Damianus cap. 30. & 31. negare quod paulò ante perspicuè & fusè asseruerat, Hæreticorum qui fidei principia evertunt, ordinationes esse irritas. Nam nullius Hæretici cum ad Ecclesiam revertitur ait Ordinationem esse iterandam. Sed reconsecrationem æquo jure cum rebaptizatione ab Ecclesia esse eliminandam. Verùm hoc de Apostatis intelligendum qui ad quoslibet Hæreticos confugerunt, atque etiam de quibusdam Hæreticis sive Schismaticis quorum ordinationes certis de causis censuit Ecclesia non esse iterandas. Cap. 30. videtur aliquid subtile asserere Paulianistas jussum esse rebaptizare, non autem reconsecrare; quod est planè absurdum. Verum juxta Damiani mentem ea quæ apparet absurditas nulla est. Putat enim istorum Hæreticorum Ordinationem non modo irritam esse & nullam, verum etiam non licere ejusmodi Hæreticos ad Ecclesiam revertentes ordinare, sed secundum canones perpetuò esse Laicos debere, spe frustratos gradus quem ab Hæreticis obtinuerant, recuperandi. Itaque negat illorum Hæreticorum ordinationes esse iterandas, non quod validæ sint, sed quod prohibitum sit illis unquam gradus suos restituere. Exemplo illi sunt Paulianistæ & Hæretici similes, qui ad Ecclesiam revertentes baptizandi erant secundum canones, sed non iterum consecrandi, verùm perpetuò Laicis annumerandi. Sed can. 19. Conc. Nicæni huic Damianæ animadversioni repugnat: Vult enim eos post iteratum baptismum, si Clericatu digni censeantur, iterum ordinari, sicut & iterum baptizari.

XIX. Quidquid autem sit de Damiani sententia, evidens est, & sole Meridiano fulgentius, maximam illius seculi controversiam fuisse, an Schismaticorum, Degradatorum, & Hæreticorum ordinationes essent iterandæ. Quum autem indecisa tum esset quæstio, alios

alios ejuſmodi ordinationes iteraſſe, alios ratas habuiſſe, & executionem ordinum illis tantùm denegaſſe; alios quid agerent ſuſpenſos haſiſſe: Ut autem hanc controverſiam definirent Pontifices plurimùm laboraſſe. Quod nobis probandum hac Exercit. ſuſcepimus.

CAPUT III.

In quo agitur de Formoſi Papæ Ordinationibus publicè iteratis. De ſcriptis Auxilii Formoſo coætanei ineditis. Quibus de cauſis Formoſi Ordinationes iteratæ. Ipſius electio non omnino innocens. Joannes IX. Formoſi Ordinationes ratas habet. Sergius verò III. iterum irritas & iterandas. Quæſtio erat inter eos de facto, non de jure.

I. NOnnulla ſunt alia iterationis Ordinationum Eccleſiaſticarum exempla quæ nullo modo ad illa duo excuſationum capita de quibus capite præcedenti diximus, revocari poſſunt; adeo clara ſunt & evidentia! Ea breviter perſequi eſt animus. Stephanus VI. Pontifex Formoſum Pontificem Prædeceſſorem ſuum ſepultum exhumari juſſit, in judicium vocari, & condemnatum tribus digitis in Tiberim projici, Ordinatoſque ab eo rurſum ordinari. Luitprandus autor ejuſdem temporis Ticinenſis Diaconus lib. 1. hiſtoriæ ſuæ cap. 8. *Quo conſtituto, ut impius, doctrinarumque ſanctarum inſcius Formoſum è ſepulchro extrahere, atque in ſedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit. Cui & ait, quum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis Spiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? His expletis, ſacratis mox exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſſis, in Tiberim jactare præcepit, cunctoſque quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit.* Id autem fecit Pontifex cum aſſenſu multorum Epiſcoporum Synodicè convocatorum. Ipſe Luitprandus, licet Stephani, vel ut memoria lapſus ſcribit, Sergii factum improbet, attamen id quandoque propter crimina fieri poſſe concedit: Ita enim poſt verba citata: *Quod quàm malè egerit, Pater Sanctiſſime, in hoc animadvertere poteris, quoniam & hi qui à Juda Domini noſtri J. Chriſti proditore ante proditionem, ſalutem ſeu benedictionem Apoſtolicam perceperant, ea poſt proditionem, proprïique corporis ſuſpenſionem minimè ſunt privati, niſi quos improba forte defœdarant flagitia.* Itaque in hypotheſim magis quàm in Theſim invehitur Luitprandus: Erat enim illi Formoſus Papa vir probus, & Religioſus.

II. Sigebertus teſtatur ad annum 900. longo tempore de hac quæſtione Romæ in utramque partem eſſe diſputatum, *Propter quod cum multo ſcandalo multa per multos annos quæſtio & controverſia agitata eſt in Eccleſia, aliis ejus & ab eo Ordinatorum conſecrationem irritam eſſe debere præjudicantibus; aliis è contra qualiſcunque fuerit Formoſus, tamen propter Sacerdotalis officii dignitatem & fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes conſecrationes ejus ratas eſſe debere ſaniori conſilio judicantibus.* Et tandem ſecundum partem affirmativam à Pontifice eſſe pronuntiatum: Ita enim ad annum 902. *Stephanus primum à Formoſo Papa Epiſcopus Anagnina Eccleſia ordinatus ipſum Formoſum perſequitur, & ordinationes ejus omnes irritas eſſe debere decernit.* Hoc autem adeo evidens eſt, ut ideo Cardinalis Baronius in Papam illum, quem Stephanum VII. vocat, acerrime invehatur.

III. Iſtius hiſtoriæ ſincera veritas aliundè certius hauriri non poteſt quàm ex Auxilii ſcriptis, quæ nos primum in lucem edimus. Vivebat & ſcribebat tum temporis in Italia, licet, ut ipſe teſtatur, exterus eſſet. Tractatus duos de hac re ſcripſit, Priore 40. capitula continente probat Epiſcopum ſede pulſum poſſe imminente neceſſitate & utilitate in Eccleſiam quæ Paſtore viduata eſt, autoritate Pontificis transferri. Deinde probabiliter demonſtrari poſſe ordinationes à Formoſo Pontifice factas, ratas eſſe & legitimas, licet Formoſus (ut ipſi ajunt) non ritè fuerit ordinatus. Denique ultimo capite dicit tantam eſſe ſibi contradicentium multitudinem & autoritatem ut æquum judicium ſperare non poſſit, ſed univerſalis Concilii ſententiam eſſe expectandam; interim ſe in ea conſecratione qua initiatus eſt, permanere velle. *Ideo in ſacro Ordine quo conſecrati ſumus, permanentes præſtolamur univerſalis Concilii æquiſſimum examen, autore illo ad quem clamantes dicimus, Exurge Domine, & judica cauſam tuam.*

IV. Poſteriorem tractatum compoſuit rogatus à Leone Nolanæ civitatis Epiſcopo; quem multi iterum conſecrari volebant, eo quod à Formoſo Papa conſecrationem acceperat. Ita enim Auxilius in liminari Epiſtola ad Leonem: *Miſſa legatione aſſeris te violentas pati oppreſſiones, ut Epiſcopale Sacerdotium quod olim à Papa Formoſo ſuſcepiſti quaſi nihil ſit, irritum facias: Quæ ex cauſa fateris te mirifica ſolertiæ Francos, nec non & Beneventanæ civitatis peritos conſuluiſſe viros, eorumque conſulta apud te ſcripta retinere, quæ te ejuſmodi tranſgreſſionem committere manifeſta ratione prohibeant.* Ideo ſcribit ad Leonem libellum iſtum in quo præcipuus Auxilii ſcopus eſt argumentis eorum reſpondere qui nullas eſſe Formoſi Papæ Ordinationes, & iterandas prædicabant. Complectitur autem libellus 32. Capitula quorum indicem cum Epiſtola liminari, & capitulis 29. & 30. edidit ex Papyrii Maſſoni codice Cardinalis Baronius in fine tomi 12. Annalium editionis Antverpianæ. Vel ex ſolis Auxilii verbis jam relatis manifeſtum eſt de iteratione Ordinum ab Epiſcopis Catholicis, ſed in grave crimen lapſis & depoſitis collatorum, quæſtionem agitatam eſſe, & majorem Epiſcoporum Italiæ partem iterationem approbaſſe.

V. Sed Auxilii diſputatione adjutus, juvat penitius in iterationis iſtius cauſas inquirere. Non enim Pontifices illi adeo levibus argumentis nitebantur, ut aliquis ſtatus controverſiæ ignarus æſtimare poſſet: Nec Formoſus Papa adeo religioſus, aut Stephanus VI. adeo impius, ut multi ſcribunt. Quatuor

potiſſimum rationibus freti pronuntiarunt Formoſi ordinationes irritas eſſe & iterandas. Prima petebatur à can. 16. Nicæno qua prohibetur ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus à civitate in civitatem transferatur, Quod ſi factum fuerit, *hoc factum prorſus in irritum ducatur*; & à can. 1. & 2. Concilii Sardicenſis quibus edicitur, *Si quis Epiſcopus per avaritiam aut ambitionem, & ut dominationem agat, ſedem mutaverit, nec Laicam communionem habeat, licet excuſet ſe quod populus eum poſtulaverit.* Secundam petebant ab exemplo Conſtantini Papæ, qui ex Laico repente pauciſſimis ſcilicet diebus in Epiſcopum Romanum ordinatus, poſtea à Stephano ſucceſſore depoſitus eſt, & ab eo ordinati, iterum conſecrati. Tertia à crimine quod Formoſus perpetraverat, cujus cauſa fuerat à Joanne VIII. Pontifice non modo ab Epiſcopatu depoſitus, ſed omni gradu Eccleſiaſtico ſpoliatus, & degradatus, & ad communionem Laicam redactus. Quarta à juramento quod præſtiterat ſe nunquam Romam ingreſſurum, nec Portuenſem Eccleſiam repetiturum, ſed perpetuò in communione Laica perſeveraturum. Hæc non modo Sigebertus, & poſt eum Platina de Formoſo ſcribunt, verumetiam ea non diffitetur Auxilius, ut videre eſt cap. 20. 21. 22. tractatus ſui; ſed ait ab alio Pontifice, Marino videlicet ſecundo, reconciliatum fuiſſe, crimina quidem confeſſum, ſed formidine adactum, jurejurandum præſtitiſſe, verùm iniquum fuiſſe, & conſequenter non obligaſſe. Denique quinta addi poteſt ratio quam Formoſi Adverſarii oſtentabant ut ſcribit Auxilius c. 26. Formoſum ſcilicet cum in Pontificem electus eſt, confeſſum ſe non eſſe Epiſcopum, atque ordinari voluiſſe, veluti ſi antea nunquam ordinatus fuiſſet Epiſcopus. Negat equidem Auxilius hoc & dixiſſe Formoſum, & factum fuiſſe. Verum aſſerebant, & Stephanus Pontifex, & Cardinales, & Clerus Romanus.

VI. Alia inſuper cauſa reddebat populum Romanum Formoſo infenſum: Advocaverat enim Romam Germaniæ Regem Arnulphum, ut referunt Luitprandus, & Sigebertus, Formoſi *hortatu Rex Arnulphus Romam advenerat, in cujus ingreſſu ulciſcendo Papa injuriam multos Romanorum Principes obviam ſibi properantes decollari præcepit.* Eadem Sigebertus, quibus ſubdit, *Sic capta Roma illos qui Papam ſe juraverant decollari fecit, & à Papa in Imperatorem benedicitur.* Nec etiam Formoſi electio erat ab omni violentia innocens: Ita enim eam deſcribit Luitprandus Formoſi partibus addictiſſimus, *Cauſa ſimultatis inter Formoſum Papam & Romanos hæc fuit: Formoſi Prædeceſſore defuncto, Sergius quidam Romanæ Eccleſiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam ſibi elegerat. Quædam vero pars non infima nominatum Formoſum Portuenſis civitatis Epiſcopum pro vera religione, divinarumque ſcripturarum & doctrinarum ſcientia Papam ſibi fieri anhelabat. Nam dum in eo eſſet, ut Sergius Apoſtolorum Vicarius ordinari debuiſſet, ea qua Formoſi Partibus favebat pars, cum non mediocri tumultu, & injuria Sergium ab altari expulit, & Formoſum Papam conſtituit.* Hæc obiter ex illius temporis monumentis, ne exiſtimes tantam Epiſcoporum; Presbyterorum, & Diaconorum multitudinem, quorum alii judicarunt Formoſi Ordinationes iterandas eſſe, alii reapſe iterarunt, bruto quodam furore in hanc ſententiam ruiſſe.

VII. Plura refert vitioſæ electionis argumenta Sigebertus ad an. 900. quæ excuſare nititur Auxilius. *Hic Formoſus cum aliquando in ſiniſtram ſuſpicionem veniſſet Joanni VIII. Papæ, timore ejus fugiens Epiſcopatum Portuenſem reliquit: Et quia revocanti à Papa redire noluit, anathematizatus eſt, & tandem ad ſatisfaciendum Papæ in Galliæ veniens, uſque ad Laicalem habitum degradatus eſt; juransque ſe non amplius Romam intraturum, nec Epiſcopatum ſuæ urbis repetiturum; confirmans, etiam propria manu ſcripto ſe in Laicali communione perſeveraturum. Poſt à Marino Joannis ſucceſſore in Epiſcopatu contra datum Sacramentum reſtitutus, non ſolum Romam intravit, ſed etiam Romanæ Eccleſiæ Papatum ſuſcepit, propter quod cum multo ſcandalo, multa permultos annos quæſtio & controverſia agitata eſt in Eccleſia; aliis ejus & ab eo ordinatorum conſecrationem irritam eſſe debere præjudicantibus; aliis è contra, qualiſcunque fuerit Formoſus, tamen propter Sacerdotalis officii dignitatem, & fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes conſecrationes ejus ratas eſſe debere ſaniori conſilio judicantibus, præſertim cum ipſe Formoſus à Marino Papa abſolutus fuerit à perjurio.* Primum his verbis vides evidentiſſimè ſtatum controverſiæ eundem à Sigeberto poni quem expreſſimus. Deinde Ordinationum iterationem probabilibus argumentis à Formoſi inimicis fuiſſe propugnatam. Eundem controverſiæ ſtatum ex Auxilio docet Sigebertus de Viris illuſtribus. *Auxilius ſcripſit Dialogum ſub perſona Infenſoris & Defenſoris divinis & canonicis exemplis munitum contra inteſtinam diſcordiam Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet de Ordinationibus exordinationibus, & ſuperordinationibus Romanorum Pontificum, & Ordinatorum ab eis exordinationibus, & ſuperordinationibus.*

VIII. Joannes IX. qui paulo poſt Stephano ſucceſſit, convocata Romæ Synodo Stephani acta reſcidit, ea ſcilicet quæ in Formoſi corpus nequiter perpetrata ſunt, quæque in ejus tranſlationem decreta, declaravitque propter urgentem neceſſitatem tranſlatione iſta canonem non eſſe violatum, nec eſſe violandum, *Quia neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia Formoſus pro vita merito ad Apoſtolic. ſedem provectus eſt, ſtatuimus & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus aſſumat, præſertim cum ſacri canones hoc penitus interdicant, & præſumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine Laicam eis prohibeant communionem.* Canonem antiquum, & Laicam communionem in fine negari poſſe contra quàm Auxilius cenſuerat, confirmant. Ordinationum iterationem prohibent, ſed adeo generaliter, ut neutri parti in Theſi præjudicare decreto ſuo videantur; quanquam in hypotheſi, Formoſi ordinationes canonibus non adverſari declaraverint. Itaque de jure conveniebant; de facto tantum erat controverſia: ſed hoc nunc diligentius examinare cœptum eſſet ab inſtituto noſtro alienum.

IX. Sergius III. qui tertio anno poſt Joan-

nis mortem ei ſucceſſit, Formoſi Ordinationes iterum irritas declaravit, licet ipſius Deceſſor Joannes in duobus Conciliis Romano & Ravennatenſi ratas eſſe conſtituiſſet. Verùm regerebant qui Stephani partes tuebantur hoc *non ſincera concordia, ſed auri copia inſtitutum eſſe, ideoque pro nihilo ducendum*, ut refert c. 29. Auxilius. Conſtat autem ex Auxilii libello c. 30. Stephanum Papam non Sergium cruentum illud ſcelus, de quo ſupra, in Formoſi corpus perpetraſſe. Recruduit autem illa reordinationum controverſia Sergio Pontificatum aſſecuto; tumque nonnulli Epiſcopi qui iterum conſecrari detrectabant, minis cogebantur, ut Leo ille ad quem Auxilius ſcribebat. Teſtatur enim c. 28. ſe finiente illius Pontificatu priorem tractatum ſcripſiſſe, annis ſcilicet 20. poſt initum à Formoſo Pontificatum. Non poſita inani Formoſi ordinatione ſic argumentatur, *Qua de re qui prefatam ordinationem falſam & inanem eſſe vel fuiſſe confingunt, eoque Sacerdotes ac Levitas conſecrandos eſſe dogmatizant, quid aliud quàm Italiæ regionis longè latèque, ecce jam circiter viginti annos, abſque Chriſtiana religione vixiſſe garriunt? Ac per hoc quid aliud reſtat, niſi ab ejuſmodi Epiſcopis per univerſam Italiam, dedicatæ Eccleſiæ, altaria conſecrata, & chriſmata ſolemniter inſtituta prorſus perierint?* Multa alia abſurda inde conſequentia ſtudioſè colligit. Itaque hæc controverſia annis prope ſeptemdecim Eccleſiam afflixit.

CAP. IV.

Ebbonis Archiepiſcopi Rhemenſis Ordinationes poſt depoſitionem factas ab Hincmaro eſſe iteratas: Concilium Sueſſionenſe iterationem approbaſſe. Nicolaus I. Concilium improbavit; ſed de facto an Ebbo legitimè reſtitutus fuiſſet, agebatur. Ea quæſtio quæ annis 27. Galliam afflixerat, ab Adriano II. ſopita, magis quàm ſoluta. Ordinationes à Depoſito factæ erant irritæ: ſed Depoſitus reconciliandus, non ordinandus.

I. ANnis ante hanc controverſiam circiter 80. ſimilis exorta eſt in Gallia, quæ Galliæ Epiſcopos diu commiſit. Ebbo Archiepiſcopus Remenſis in Ludovicum Imperatorem & Regem Francorum, cum Lothario filio Ludovici conſpirat, eum de throno deturbat; regnoque dejectum Pœnitentiæ publicæ addicit, licet eum multis beneficiis Ludovicus cumulaſſet. Ludovicus aliorum filiorum auxilio adjutus, reſumptis viribus priſtinam dignitatem recuperat, fugatoque Lothario Ebbonem fugientem retrahit, & in Monaſterio cuſtoditum Concilio in Theodonis villa celebrato repræſentat. Ibi Ebbo electis ex Epiſcoporum præſentium numero judicibus, conſpirationem, cæteraque crimina confitetur, ſeque Sacerdotio indignum. A Patribus deponitur: ejus condemnatio ita à Sergio Papa confirmatur, *ut in Laica tantum communione permaneret*, ut videre eſt act. 2. Concil. Sueſſionenſis an. 853. & docet Hincmarus in ſecunda ſchedula quam Concilio Sueſſionenſi, 3. obtulit; Ebbo *demum ſub Papa Sergio Romam veniens, ab eo, ut damnatus in Laica tantum communione permaneret, diſtricta ſententia, ſicut & geſta ipſius Papæ demonſtrant, condemnatus fuit.* Defuncto Imperatore Lotharius regnat, & Ebbonem in ſedem reducit aliquorum Epiſcoporum ſuffragiis abſolutum, quam anno uno pacificè poſſedit. Sed Carolo Lotharium anno elapſo ultra Moſam fugante, fugit quoque Ebbo. Tandem decem poſt Ebbonis depoſitionem annis Epiſcopus Remenſis eligitur Hincmarus S. Dionyſii Monachus. Anno illo quo Ebbo poſt definitionem tenuit ſedem Remenſem multos ordinavit Clericos Diaconos, Presbyteros, nec non & Epiſcopos. Hincmarus Archiepiſcopus factus Clericos illos omnes exautoravit, eo quod ab Ebbone, qui ordinandi, ut opinabatur, non habebat poteſtatem, creati fuiſſent. Ebbonem autem ordinandi poteſtate caruiſſe demonſtrabat Hincmarus, ex eo quod legitimè depoſitus fuiſſet, & Laica communione damnatus, & illegitimè & contra canones reſtituturus. Hincmaro ſeſe Clerici illi oppoſuerunt. Agitata res eſt Sueſſione in Concilio ex quinque Provinciis aggregato, Rege Carolo præſente, damnataque eſt Ebbonis poſt depoſitionem ſuam Ordinatio, & Hincmari ſententia confirmata. Romam à Clericis provocatum eſt. Juſſit Nicolaus Papa ut Sueſſione alia Synodus celebraretur, in qua res toto, & ipſius circumſtantiæ diligenter examinarentur, & examen ad ipſum mitteretur. Ita factum eſt; ſed litteræ totius rei controverſæ ſeriem continentes mortuo interim Nicolao redditæ ſunt Adriano II. ipſius ſucceſſori, qui controverſiam ſecundum Clericos definivit.

II. Inquirendum nobis eſt quid intelligebat Hincmarus, quid Concilii Sueſſionenſis Patres cum judicarunt Clericos illos non eſſe legitimè ordinatos, & Ebbonem ordinandi poteſtate privatum eſſe: An quæſtio erat de ordinum executione tantummodo, an de ipſo Ordine. Ordinatos fuiſſe Eccleſiaſtico more dubitari non poteſt. Nec enim Ebbo, nec iſti Clerici hæreſis aut Schiſmatis unquam vel leviſſimè accuſati ſunt, ſed tantum quod ab Epiſcopo legitimè depoſito, & non legitimè reconciliato, fuerant ordinati. Id Concilium ipſum cui aſſidebat Hincmarus evidenter mihi videtur declarare. Can. 1. *Serie igitur depoſitionis memorati Ebbonis plenſſimè prolata, multis Metropolitanis, pluribuſque aliis Epiſcopis, qui auctores fuerunt recitatis, reſtitutionis autem illius non canonica, imò nec veriſimilis; paucis admodum, & aliarum regionum Præſulibus nominatim expreſſis, claruit præfatum Ebbonem Epiſcopale officium repetiſſe, quoſque gradibus Eccleſiaſticis æſtimatus ſuerit promoviſſe, damnationi potius obnoxios efficiſſe.* Ejuſdem Concilii act. 2. *Qua de re Ordinatores fratres & Chorepiſcopi noſtri Hincmari doceant ſi juſtè & rationabiliter, quia tunc canonicè fuerat Ebbo dejectus, & non ſecundum Eccleſiaſticas*

regulas extitit restitutus, & ante canonicam Audientiam ministrare, & istos quasi ordinare præsumpsit, quinetiam usurpavit: facilis patet responsio, quoniam ministrare nec debuerunt, nec potuerunt. Act. 4. *Tunc surgens Immo Noviomagensis Episcopus, porrexit rotulam, auctoritatem canonicam & Apostolicam continentem, quod qui ab ipso voluerant; & visi fuerant ordinari in gradus Ecclesiasticos, ab eodem quod idem non habuit, nemo accipere potuit. Damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem eis dedit.* Non dicunt eos ordinatos, gradus Ecclesiasticos accepisse, sed visos & æstimatos accepisse, & promotos fuisse. Quid verò acceperunt? Damnationem. Nec potuerunt gradus Ecclesiasticos ab eo accipere qui nullos habebat. *Nec debuerunt*, inquiunt, *nec potuerunt ministrare.* Quid clarius his verbis in istam solutionem fingi potuit? Suspensio ab ordinis executione non erat illis infrequens. Si hoc tantùm significare voluerunt, quid opus his verborum formulis simplicem ordinis executionem penitus elidentibus? Ut quid tam acres controversiæ, & in re ad definiendum & sedandum adeo facili, cui neutra pars repugnabat, tanti tumultus, Italiam, Galliam, & Germaniam tot annis commoventes?

III. Ejusdem Concilii act. 5. *Canonica & Apostolica auctoritate inventum & decretum est à sacratissima Synodo, ut quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebbo post damnationem suam egerit, secundum traditionem Apostolicæ sedis, ut in gestis Pontificum legitur, præter sacrum baptisma, quod in nomine sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur.* Eadem & fere iisdem verbis referuntur ex actis ejusdem Concilii à Flodoardo historiæ Remensis lib. 3. c. 11. Secundum igitur illos Patres discrimen hoc est inter Baptismum & Ordinationem, quod quidquid post damnationem in Ordinatione, egit Ebbo, irritum sit & vacuum; baptismus tantùm sit ratus. At baptismus à degradato extra casum necessitatis datus Adulto, licet sit ratus, gratiam tamen non confert. Ergo ordinatio à degradato data, nec similiter gratiam conferet, nec etiam rata erit; aut nullum erit inter Baptismum & Ordinationem à degradato collatam discrimen, quod tamen tantum esse volunt Patres, ut unum sit ratum alterum irritum.

IV. In actione 6. hypothesis est, quæ litem dirimere videtur. Ebbo post depositionem Halduinum Abbatem Altivillaris Monasterii Diaconum ordinaverat. Flodoardus eum vocat Haduinum. Postea Halduinus à Lupo Catalaunensi Episcopo Presbyter ordinatus est. Quæritur in Concilio an Halduinus legitimè fuerit à Lupo ordinatus. Lupus qui Concilio aderat, actionem suam defendit, causaturque Halduinum sibi ad ordinationem Presbyteralem ut Diaconum ab Archidiacono Remensis Ecclesiæ, aliisque Ministris tam Canonicis quàm Monachis de more oblatum esse; Ecclesiam Remensem tunc Pastore viduatam fuisse: Regem insuper ut eum ordinaret, rogasse. Quid ad hæc Synodus? declarat Lupum illegitimè ordinasse, Halduinum non fuisse Diaconum, & per saltum à Lupo fuisse Presbyterum ordinatum; hocque probat ex Concilio Nicæno & Sardicensi, *De quo judicatum est à Synodo secundum sacros canones, sicut scriptum est, ut qui Presbyteri sine examine per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem sunt provecti, cum fuerint cogniti, deponantur: quia quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia. Et ostensum est in eodem ex Concil. Sardic. c. 9. & ex aliis Conciliis & Decretis, damnationis scripto secundum canonicam formam, eundem Episcopum nihil de illius ordinatione attigisse, sed qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam restitui debere.* Eadem actio, & iisdem verbis, loco citato à Flodoardo refertur.

V. Idem colligitur ex fine act. 5. in qua dicuntur quidam Clerici ab Ebbone ordinati falso Episcopos esse criminati. Quæritur de pœna istis imponenda. Declarant Patres, *quia gradus Ecclesiasticos quibus privarentur, non habebant, ipsos esse communione privari.* Ab Ebbone ordinati gradus non habent, & non possunt ab iis suspendi, vel tolli, ideò laicorum pœnis sunt afficiendi. Addit Flodoardus Carolum regem ab Hincmaro, & aliis Episcopis petiisse, *ut quia prafati fratres gradus Ecclesiasticos obtinere non valebant, communionem saltem recipere possent per Synodi indulgentiam, quod & pietas Sacerdotalis licenter assensit, & misericorditer eisdem fratribus veniam concessit.* Testatur præterea eodem loco Benedictum Papam omnia istius Synodi acta confirmasse.

VI. Nicolaus tamen Pontifex sententiam Concilii postea improbavit, multaque illi deesse ad legitimum & liberum Concilium constituendum adnotavit in Epist. ad aliud Concil. Suessione ejus jussu in hac causa celebratum, quod habetur tom. 3. Concil. Galliæ an. 866. Sed hæc objectio nihil ad rem facit, cum disputatione nostra tantùm contendamus, antiquitùs de hac re in Ecclesia esse dubitatum, quod demonstratur Nicolai Pontificis oppositione: quanquam ne hoc quidem inde colligi possit. Nam inter Nicolaum & Episcopos illos agitur tantùm de facto, non de jure. Noluit Leo Benedicti decessor Synodum approbare, eo quod approbationem petentes Synodi statuta ad eum non misissent. Nicolaus, *præcipuè quod sola obedientia subditorum reputata fuisset in culpam: Et qui Prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla subdiderunt, severissimè punirentur*, ut scribit Flodoardus. Propter ejusmodi causas Concilii approbationem distulerunt Pontifices. Ideò voluit Nicolaus aliud Suessione Concilium celebrari, ut de rei circumstantiis instructus, æquum judicium proferre posset. Interim tamen non vult à consilio aliquid absolutè definiri, & Patres reprehendit quod Vulfadum Presbyterum in Episcopum promoverint, quod instanter Carolus Rex desiderabat, ut apparet ex Caroli epist. ad Nicolaum in prætermissis ad Tom. 3. Quum enim nonnulli dicerent Ebbonem legitimè fuisse restitutum, alii negarent; neutris præjudicium fieri voluit, donec utriusque partis argumenta discussa diligenter fuissent. Hoc tandem factum est, & visa Concilii relatione secundum Cle-

Clericos illos à Nicolao judicatum, ut videre est in Epistola Nicolai primi ad Vulfadum & Socios in fine Concilii Suessionensis tertii. Annuum tamen spatium ad intercedendum decreto suo dedit Pontifex Hincmaro, *Nolumus tamen vos ignorare*, inquit Nicolaus in eadem Epistola, *nos fratri & Coepiscopo nostro Hincmaro dedisse inducias, ut intra spatium anni hujus licentiam habeat contra eos de dejectione vel restitutione vestra, si velit, apud nos negotium exequendi.*

VII. Hæc forsan causa fuit cur jusserit Nicolaus eosdem Episcopos anno sequenti Trecas convenire, & de eadem causa iterum deliberare, ut videre est tom. 3. Concil. Galliæ an. 867. longam totius historiæ Clericorum ab Ebbone ordinatorum relationem mittunt ad Nicolaum, quæ Nicolao defuncto Hadriano II. redditur, qui ita respondet ut velit Clericos illos ordini quemque suo restitui; & rem totam sopitam esse. Ita in epist. ad Carolum regem: *At vero cum nec idem Ebbo erroris alicujus defensionem, quo Hæreticus quis efficitur, dederit operam, nec jam memorati Clerici aliud in hoc nisi humilitatem & obedientiam exhibuerint, illa quæ de Ebbone dici possunt, quia ut opinamur, nihil ad utilitatem proficiunt, jam jamque silentio contegantur: maxime cum & ipse, & omnes Episcopi, præter Rothadum, qui causæ illius notitiam habuere, decesserint, & pra longitudine temporis ad liquidum indubie, quæ tunc acta super hoc sunt negotio, sciri non possint.* Sic finita est illa quæstio quæ Galliam annis 27. agitaverat. Idem ante Adrianum statuere Nicolao I. consilium fuerat, ut constat ex fine schedulæ secundæ quam Synodo Suessionensi 3. obtulit Hincmarus.

VIII. Sanè si diligenter attendatur Hincmari sententia in schedulis sive libellis supplicibus quos Concilio Suessionensi 3. obtulit, atque etiam Patrum in Concilio Suession. 2. videntur ita sentire de potestate ordinis, ut nunc Ecclesia de potestate Iurisdictionis: Depositos scilicet nullam ordinandi potestatem habere, irritum esse & inane quidquid faciunt; canonicè tamen ordinibus restitutos priorem potestatem recuperare. Verùm distinguebant inter canonicè ordinatos, & postea depositos, & à depositis ordinatos. Hos iterum credebant ordinandos, utpote qui nihil ab ordinante depositio acceperant. Illos autem à Concilio causa cognita legitimè restitutos nova Ordinatione opus non habere. Itaque existimabant ordinationem à Catholico Episcopo canonicè datam deleri non posse, sed illius vim depositione ita reprimi & hebetari, ut aliam Ordinationem generare non valeret. Similiter sentiebant, ut & Pontifices de quibus capite præcedente, Ordinationes contra canones factas esse irritas & iterandas. Sic intellexit Hincmarus Pontificum, Leonis, Anastasii, Gelasii & aliorum sententias quas sibi objicit. Profectò hoc tempore difficultas illa quæ Galliam præcipuè annis 27. vexavit, propter quem emendandam tot Concilia celebrata sunt, & iterata, nullo negotio abannuo Theologiæ Tyrone dissolveretur: illicitè diceret sunt ordinati, non tamen invalidè: Quo dicto cuicumque nodo cuneus est paratus. Verum Hincmarus & plerique alii tunc, ex illicita actione colligebant illius, ut ita dicam, nullitatem & inanitatem. Neque hinc philosophandi modum cæteri abhorrebant. Nam ut Hincmamarus & sui demonstrare conabantur Ebboneni non fuisse legitimè restitutum; sic alii contrarium inquisitionibus suis evincere tentabant; ut sedulo legentibus Concilium Suessionense tertium, & Tricassinum, erit manifestum.

CAPUT V.

Constantini Papæ Laici contra canones electi, & ordinati consecratio, depositio, & ab ipso Ordinatorum reordinatio enarrantur.

I. INsigne iterationis Ordinationum exemplum nobis suppeditat Stephanus IV. Pontifex cum suo Concilio, cui assistebant duodecim Francorum Episcopi à Carolo magno, rogante Papa missi. Hujus rei historiam ex Pontificali Damasi breviter texemus. Paulo I. defuncto anno 767. Constantinus adhuc Laicus fratrum, qui Romæ præpotentes erant, ambitu & autoritate eligitur Pontifex. Statim post ipsius electionem à Gregorio Prænestino Episcopo Clericus factus est, & repente post, Patriarchium Lateranense invasit, *Alia vero die illucescente secunda feria, Subdiaconus, atque Diaconus ab eodem Episcopo in Oratorio S. Laurentii intra eadem Patriarchium contra Sanctorum canonum instituta consecratus est: Sicque universum populum sibi Sacramentum prabere fecit. Et adveniente Dominico die rursum cum multitudine armatorum exercituum in Basilica B. Petri properans Pontifex ab eodem Gregorio Episcopo Prænestino & aliis duobus Episcopis, Eustratio Albanense, & Citonato Portuensi consecratus est. Et per annis spatium & mensem unum sedem Apostolicam invasam detinuit.* Interim intra tempus illud quo Pontificatum pacificè possedit, consecravit, ut ait Damasus, Episcopos octo, Presbyteros octo, & Diaconos quatuor. Graviter ferebant multi è Clero & plebe Romana Laicum contra canones sedem Apostolicam occupare. Laicum vocabant eo quod contemptis interstitiis canonicis ordine Ecclesiastico paucis diebus observato in Episcopum promotus fuerat. Conspiratione igitur in ipsum facta, in Monasterium catenis injectis truditur, & Stephanus eligitur. Postea Constantinus publicè deponitur, plebsque Romana confessione facta veniam deprecatur, quod tamen impiæ ordinationi non restitisset. Iterum facto tumultu Constantinus è Monasterio in quo custodiebatur violenter educitur, & erutis oculis semianimis in platea relinquitur.

II. Rebus sedatis Stephanus Concilium celebrare statuit, in quo definiretur quid in tam difficili quæstione quæ hinc oriebatur, decernendum esset. Ideò ad Francorum reges legatos mittit, eos deprecans *ut aliquantos Episcopos gnaros, & in omnibus divinis Scripturis, atque*

atque ſanctorum canonum inſtitutionibus eruditos, ac peritiſſimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana urbe Concilium pro eadem impia novi erroris, ac temeritatis præſumptione, quam ante fatus Conſtantinus Apoſtolicæ ſedis invaſor auſus eſt perpetrare. Pontificis precibus annuunt Francorum reges Pipini filii. Cum Romam advenissent Francorum Episcopi, convocavit Stephanus ex Italia plurimos alios, & confidentibus omnibus in S. Salvatoris Basilica excœcatus Constantinus adducitur, qui prostratus culpam confitetur, & veniam deprecatur. Erectus & secedere jussus, alia die iterum vocatur, sed consilio mutato electionem suam defendit, asserens se nihil novi fecisse; Sergium Ravennatem Episcopum, ex Laico creatum esse, & Stephanum Neapolitanum Episcopum, atque ex Laicis repente Episcopos factos fuisse. *Dum vero talia idem Conſtantinus perſequeretur, illico irati zelo Eccleſiaſtica traditionis univerſi Sacerdotes alapis ejus cervicem cædere facientes, eum extra eandem Eccleſiam ejecerunt.* Postea Stephanus ipse, Sacerdotes plerique, & plebs Romana ingenti fletu omnes se peccasse confessi sunt, *eo quod de manibus Conſtantini communionem ſuſcepiſſent; ſicque ex hoc omnibus eſt indicta Pœnitentia.*

III. His paractis prohibuerunt sub anathematis interdicto ne quis Laicorum, aut alius quivis, *niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus ad ſacrum Pontificatus honorem poſſit promoveri.* Nunc proximè ad quæstionem propositam. Constat ex præcedentibus nihil Constantini ordinationi defuisse, nisi quod electus est in Pontificem cum adhuc esset Laicus, & quod Ordinum susceptio in ejus consecratione præcipitata est. Secundum hodiernam illâ definiendi consuetudinem certissimum est validam esse Constantini ordinationem, & consequenter validè alios ordinasse, licet illicitè fuerit ordinatus. Imò ex eadem consuetudine dici posset non illicitè ordinatus. Nam qui dispensandi potestatem habet, si impedimentum sciat, & nihilominus agat rem canone prohibitam, dispensasse censetur, licet id exteriùs non exprimat. Audiamus quid Pontifex in Concilio cum Patribus decernat. *De Epiſcopis verò atque Presbyteris & Diaconibus quos ipſe Conſtantinus conſecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum eſt, ut Epiſcopi illi, ſi aliquis eorum Presbyter, aut Diaconus fuerit, in priſtinum honoris ſui gradum reverterentur. Et ſi placabiles fuiſſent coram populo civitatis ſuæ, denuò facto decreto electionis more ſolito, cum Clero & plebe ad Apoſtolicam adveniſſent ſedem, & ab eodem ſanctiſſimo Stephano Papa benedictionis ſuſciperent conſecrationem. Presbyteri vero illi ac Diaconi ab eodem Conſtantino conſecrati, ſimili modo in eo quo prius exiſtebant habitu reverterentur. Et poſtmodum ſi qui eorum placabiles extitiſſent, anteſatus B. Pontifex Presbyteros eos, aut Diaconos conſecraret. Statuens ut hi qui ex eis conſecrandi eſſent, nequaquam ad potiorem honorem aſcenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Eccleſia Dei pullularet.* Licet Presbyteri & Diaconi à Constantino ordinati rogatione instanti populorum possent iterum ordinari: Concilium tamen nullo modo concedit, ut cujuscumque precibus ad Episcopatus culmen promoveantur. Imò Stephanus verbis sequentibus testatur ad majorem criminis istius horrorem incutiendum se propendere ut Presbyteratu & Diaconatu semel exuti nunquam consecrentur, & ordines amissos recuperent. *Ipſe verò ante fatus beatiſſimus Papa coram omni collegio Sacerdotali clara voce clamavit dicens, Nullo modo ſe immittit, aut penitus declinare in eorumdem Presbyterorum, aut Diaconorum conſecrationem.* Hæc de Clericis à Constantino ad altiores gradus promotis statuerunt.

IV. *De Laicis verò qui ab eodem Conſtantino Presbyteri aut Diaconi conſecrati ſunt, ita promulgatum eſt, ut in religioſo habitu cunctis diebus eorum vitæ, ſive in propriis domibus, vel ubi fuiſſent, permanere deberent.* Concilii sententia, quod ad Episcopos attinet à Constantino consecratos, statim executioni mandata est. *Hujuſmodi verò promulgatis ſententiis illico Epiſcopi illi qui ab eodem Conſtantino ordinati ſunt, revertentes juxta ejuſdem Concilii ſententiam in priſtinum honoris gradum, electi denuo à Clero & plebe, factoque ſolito decreto ad ſedem Apoſtolicam properantes, ab eodem ſanctiſſimo Papa conſecrati ſunt.* Sed Presbyteros & Diaconos à Constantino ordinatos nisi forsan a plebe plurimùm desiderarentur, depositos & gradibus exutos reliquit. *Nam Presbyteri & Diaconi illi usque ad mortem ipſius Pontificis ſic remanentes, nequaquam ſunt ab eo conſecrati. Ita enim in eodem Concilio ſtatutum eſt, ut omnia quæ idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis Sacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuiſſent, præter ſacrum baptiſma, atque ſanctum Chriſma.*

V. Qui Formosi depositionem, & Ordinationum ab eo factarum iterationem tuebantur, Constantini exemplo tese defendebant. Ita Auxilius Adversarios argumentantes inducit, c. 4. *Ordinationem quam fecit, in priſtinos depoſuerunt gradus: Epiſcopi namque iterum à Papa Stephano conſecrati ſunt. De Presbyteris vero & Diaconibus præfixum eſt, ut ſi civium ſuorum electio velet, in eoſdem gradus de quibus depoſiti ſunt, iterum à Pontifice Stephano conſecrarentur; ita duntaxat ut juramento promitterent quatenus ad ampliorem honorem jam nullatenus promoverentur, ne talis error per injuriam pullularet.* Quid ad hæc Auxilius? fatetur equidem hæc omnia facta fuisse, sed impiè, & ab impiè facto negat esse trahendum exemplum. *Nunquam à malis exemplum eſt ſumendum. Ex his enim quæ in voluminibus leguntur, ea ſolummodo imitanda vel facienda ſunt, quæ bona eſſe probantur, mala autem penitus execranda ſunt, & omnino cavenda,* &c. Deinde hoc aliquot exemplis probato, quædam in Constantini depositione impiè facta enarrat, postea pergit, *Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, ſed invidiæ zelo contra Sanctorum Patrum ſanctiones, in priſtinos depoſuerunt gradus,* &c.

CAP.

CAP. VI.

Photius Patriarcha depoſitus, judicatus eſt nec Epiſcopus eſſe, nec Presbyter, & ipſius Ordinationes repetitæ ſunt, Eccleſiæ & altaria reconſecrata. Ordinati à Photio cum verè ordinatis ſed depoſitis comparati: verba Patrum de utriſque examinantur. Chriſmationem Photii iterarunt Legati Pontificis; ita ipſe Ignatii. Photius Laicus in eo nullum Sacerdotii veſtigium. Quare nunquam fuit Epiſcopus. Nicolai I. verba quibus deſcribit ejus ordinationem, perpenduntur. Status quæſtionis in controverſia Photii. Comparatio cum eo modo loquendi S. Auguſtini quo ſignificat ratum eſſe baptiſmum Hæreticorum, & non repetendum. Photius nunquam fuit Epiſcopus, nec ab eo ordinati. A depoſito ordinati nothi ſunt, non filii. Maximus Cynicus per Simoniam ordinatus, nec eſt, nec putari debet Epiſcopus; ita Photius.

I. DEnique eſt exemplum celeberrimum, quod Orientem cum Occidente olim commiſit, & utrumque graviter commovit, & concuſſit. Contigit annis circiter centum poſt Conſtantini Pontificatum, & aliquot annis præceſſit crimen quod in Formoſum perpetratum eſt. Exemplum illud eſt Phorii & συνοδικοῦ depoſitio in Concilio octavo facta, quod præſertim propter eum deponendum celebratum eſt. Certè, & quæ de eo depoſito dicuntur plura ſignificant quàm perpetuam ſed nudam ab ordinis executione ſuſpenſionem, & quæ de Ordinationibus ab eo factis diſputantur, intelligi non poſſunt de ſimplici crimine quod committit qui Sacramentum à Suſpenſo, aut illicitè Ordinato ſuſcipit. Propoſitis tum Concilii, tum aliorum verbis, Lector ipſe judicet. Ratio prope ſola & ſæpiſſimè à Concilio & illius temporis Patribus inculcata depoſitionis Photianæ, eſt eadem quæ Conſtantini Pontificis, quod nempe cum Laicus eſſet in Epiſcopum & Patriarcham repente ordinatus eſt. Noli autem judicare Lector de hâc propoſitione ex uſu & praxi frequenti hujus temporis, quaſi Patres intelligerent ex Laico deſultoriè præteritis anterioribus gradibus repentè Epiſcopum factum, ſed intelligunt id factum in iis fuiſſe quod Pontificis diſpenſatione ſæpe nunc fieri videmus, ut quis ex Laico paucis diebus omnes ſuſcipiat ordines, & poſtremò Epiſcopalem. Hoc eſt quod horruerunt admodum Patres noſtri, & cujus cauſa Conſtantinum & Photium degradarunt. Sæpiſſimè Photius per infamiam dicitur Laicus, eo quod ſex dierum ſpatio omnes ordines ſuſceperat: Primò tonſus eſt in Monachum, ſecundò factus eſt Lector, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, ſexto A Epiſcopus, & Patriarcha, vir alioquin doctiſſimus, & in barbaro ſæculo politiſſimus; & eloquentiſſimus.

II. Synodi octavæ canon. 4. Græcus ita Photii depoſitionem exprimit, *Ut ambitionem veluti quandam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jus, faſque præcipiti temeritate, velut atrocem lupum in gregem Chriſti inſilientem orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam ante Epiſcopum fuiſſe, neque nunc ulla ratione eſſe, juſto decreto declaramus; nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu in quem ab eo promoti ſunt manere.* Addit Anaſtaſius Bibliothecarius ſedis Apoſtolicæ, in ea Synodi B tranſlatione quam eodem tempore edidit. *Sed & Eccleſias, quas, ut putatur tam Photius quàm ii qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicaverunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus dedicari, & intronizari, atque ſtabiliri decernimus, omnibus maximè qua in ipſo, & ab ipſo ſacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem acta ſunt, in irritum ductis.*

III. Ut perſpicuè magis videas quo ſenſu hujus canonis verba intelligenda ſunt, comparare illa oportet cum verbis c. 25. apud Anaſtaſium, quo deponuntur Sacerdotes & Clerici ab Ignatio, & Methodio Patriarchis ordinati, C qui Concilio non obediunt, ſed Photii impietati pertinaciter adhærent: *Depoſiti ſint, & omnino ſacerdotali operatione privati, quemadmodum nec multùm ante beatiſſimus Papa Nicolaus judicavit, & nequaquam tales in Sacerdotii catalogo recipiantur, etiamſi ex hoc converti voluerint.* Ita à Patribus deſcribitur perpetua verè & canonicè ordinatorum ſuſpenſio, ſive depoſitio, ſine ſpe reſtitutionis inflicta. Quam hæc deſcriptio à priore differt! Photius nulla ratione eſt Epiſcopus, nec unquam fuit, neque ab eo ordinati. Eccleſiæ & altaria ab eo, vel ab iis conſecrata iterum conſecrari debent. Quidquid Sacerdotale ſeu Epiſcopale fecerunt, irritum eſt & inane. An hæc dici poſſunt de iis qui reverà & ſubſtantialiter D ſunt Epiſcopi, non ſecus ac Pontifex ipſe, ſed tantùm ab executione ordinum propter crimen aliquod ſuſpenſi ſunt, quos ideo decorum non eſt altari miniſtrare, licet id poſſint, & ratum ſit ſi fecerint? Deinde hoc poſito, quæ erit differentia inter iſtos, & eos qui ab Ignatio & Methodio ordinati ſunt, & Schiſmaticis adhæſerunt, quam tamen maximam eſſe vult Concilium, & verbis admodum differentibus & efficacibus exprimit. Idem evincunt conſequentia non minus evidenter.

IV. Actione 3. ejuſdem Concilii habetur Epiſtola Ignatii Patriarchæ ad Nicolaum I. qua petit ab eo quomodo ſe gerere debeat erga tria E Clericorum genera. Alii erant à ſe & à Methodio Prædeceſſore ordinati; alii à Photio. Priores erant duplices aut etiam multiplices. Quidam Ignatium ſecuti fuerant, afflictioneſque multas propter ipſum toleraverant. Alii ſponte in ipſum inſurrexerant; Alii timore & vi adacti. Quando Epiſtola Romam pervenit, Adrianum mortuo Nicolao ſedentem invenit. Decernit igitur Adrianus quam formam in unoquoque obſervare debeat. Primos dicit eſſe plurimùm honorandus; ter

beatos vocat, & Confeſſoribus adnumerat: de ſecundis ſic ſcribit: *Porro cæteris qui ex conſecratione fraternitatis tuæ, & ſive ſponte, ſive vi ſe ad Photium contulerunt, ſi ſub ſatisfactione libelli, cujus exemplar Miſſis noſtris commiſimus, ad te remeaverint, &c. eos in ſuis gradibus confirmantes ignoſcendum decrevimus.* De poſtremis autem, hoc eſt, de Photio, & ab eo conſecratis, ſic de Prædeceſſoris ſui ſententia decernit, *Quamobrem & in his ſuper quibus à nobis diſpoſitiones & diſcretiones exigis, nihil ſequendum præter ejus divinitus inſpirata decreta conſpicimus. Præomnibus, & ſuper omnia Gregorium Syracuſanum, Photium Tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab Epiſcoporum numero, & dignitate quam uſurpativè, ac fictè dedit, meritò ſequeſtrantes. Primò quia Photius Maximo, & ordinatio ejus quæ potius execratio, iſtius ordinationi pene in cunctis videtur eſſe ſimillima, &c. Tertio quia Photius vir forenſis, Curialis, Neophytus, invaſor, atque adulter, necnon & anathemate comdemnatus exiſtens, nihil habuit, nihil dedit; niſi forte damnationem habuit, quam ſe ſequentibus propinaverit. Photio certe, præſidente autore dictum eſt, ab anathematizatis conſecratus non ſolùm non accipit Spiritum ſanctum, ſed & quod ante habuit, ſtamen aufertur ab eo.* Eos qui ab Ignatio & Methodio ordinati erant, clementiùs hic quàm ſupra videtur excipere. Sed cum ſceleris multi fuerint gradus, & unicuique pro ſceleris gravitate ſatisfactio impoſita fuerit, difficile eſt de clementia iſta judicare, niſi libellum Adriani in quo hæc omnia notata erant, penes nos haberemus. Sed his omiſſis quæ ſcopo noſtro nihil proſunt, conſideret Lector an Epiſcopos æſtimaverit Adrianus eos quos dicit putativè tantùm ordinatos? Paulò poſt S. Ignatii depoſitionem à Photianis factam vocat putativam depoſitionem. Simili igitur ſenſu Ordinationem à Photio factam dicit putativam. An verum Epiſcopum æſtimavit qui uſurpativè & fictè ordinatus eſt, cujus ordinatio eſt execratio, cui nihil ficta ordinatione datum eſt; cujus ordinator nihil habuit quod daret; cujus ordinatione non accipit Spritum ſanctum, ſed ſi quod illius donum habuit, aufertur ab eo; cujus impoſitione manus non lucrum, ſed vulnus in capite ſuſcipit? His clariſſimis verbis clariora ſunt quæ ſequuntur.

V. Tota Synodus ad Adrianum II. Pontificem reſcribens, ut habetur in fine textus Græci illius Synodi, teſtatur Legatos Nicolai primi iteraſſe Sacramentum Confirmationis à Photio, & Photianis datum: *Qui cum intellexiſſet Legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos confirmationem eius reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes & ſubjectos chriſmate iterum innuxiſſe, tum verò æſtro percitus œcumenicam ſynodum confinxit, &c.* Photius hoc audito literas encyclicas dedit ad Orientis Patriarchas quibus graviter apud eos conqueſtus eſt de injuria ſibi illata, quod ſui in Bulgaria à Latinis iterum chriſmate delibuti fuiſſent. Has Literas refert Cardinalis Baronius ad annum 863. Hæ literæ cum permultis aliis ejuſdem Photii excuſæ ſunt Londini anno 1651. Græcè & Latinè; in quibus non conqueritur privatim de repetitione Unctionis ab Ordinatis à ſe collatæ, ſed generatim de repetitione Unctionis à Presbyteris collatæ, quaſi unctionis conferendæ impotes eſſent Presbyteri, pertineretque ad ſolos Epiſcopos hæc prærogativa. Quidquid ſit querela non contentus Photius, ſortem & uſuram Ignatio ſolvere voluit. Ab eo enim ordinatos iterum ordinavit, ut teſtatur Nicetas in S. Ignatii vita: *In primis hoc agebat Photius ut ordinationes Patriarchæ tranſmutaret, atque ab eo damnatos ſedibus reſtitueret. Sed cum id Imperatori non probaretur, videte quid tentarit; conſecratos à S. Ignatio reſecrare & reordinare conatur,* ὅτι ὑπὸ τοῦ ἁγίου πεπλεσμένους ἐπεχείρει ἀναχειροτονεῖν; *Quod cum aquè parum ſuccederet, &c.*

VI. Sic de Photio loquitur Stylianus Neocæſareenſis Epiſcopus, & multi alii Græciæ Epiſcopi ad Stephanum V. ſcribentes: Extat epiſtola ad Synodi finem. *Qui Photium ſponte renuntiaſſe dignitatem ſcripſerunt, illi ipſi Photium ut Sacerdotem receperunt. Nos autem nullum in Photio agnoſcentes veſtigium Sacerdotii ſecundum legitimum & canonicum laudatiſſimorum Pontificum Nicolai & Adriani judicium, quemadmodum ſancta & œcumenica ſynodus, &c. promulgavit, Quomodo potuimus in hunc modum damnatum, tanquam ſponte abdicatum ſcribere.* Ut in Photium, Photiique aſſeclas invehitur; ita in eos benignus eſt, qui eum inviti receperunt, rogatque Pontificem ut eos pœnitentes miſericordia dignetur. Literas non accepit Stephanus ſed Formoſus ipſius ſucceſſor, qui Styliano reſcribens ita de Photio loquitur, *Petis miſericordiam & non addis, quomodo, aut cuinam: Laico an Sacerdoti. Si Laico, venia dignandus eſt, ut qui à Laico dignitatem acceperit. Si Sacerdoti, non perpendis honorem ab illo nullum tribui poſſe, qui ipſe honore careat. Photius nihil dare potuit præter damnationem, quam per impias manus impoſitionem habuit, damnationemque dedit. Quomodo dignitatem accipiatis qui damnato ſocius adhæret? Cave ne dum pro conſecrato rogas, conſecrantem potius foveas, &c. Numquid poteſt ficus uvas proferre, aut vitis ficos? &c.* In eos verò qui Photium inviti receperant, & ab eo conſecrati fuerant, factique pœnitent, decernit ut *Laica tantum communione donentur.*

VII. Denique Anaſtaſii Bibliothecarii coævi ſcholion, fini 8. Synodi affixum duplicem depoſitorum claſſem, & rationem diſtinguens, ſcrupulum eximere videtur. Eſt ejuſmodi: De eo ſententiam ferat Lector. *Quæritur cur ſedes Apoſtolica eos qui à Photio damnato in diverſis ſunt Eccleſiæ gradibus conſtituti, ſine recuperatione depoſuerit, cum ab Hebione ſacratoi, & poſt aſtantibus Epiſcopis depoſitos inſtaurari decreverit. Sed ſciendum eſt quia Photius tanquam Neophytus & Adulter, qui ſcilicet Eccleſiam viventis invaſerit, nunquam fuiſſe Epiſcopus, dictus & promulgatus eſt: Sed nec in qui ab eo manus impoſitionem acceperunt. Comparati videlicet Maximo Cynico, & ordinatis ab eo, à ſecunda Synodo cum ordinatore repulſis. Hebio autem licet poſtea fit depoſitus, quandoque tamen fuit Epiſcopus; quemadmodum & Acacius, de cujus ordi-*

ordinatione Papa ſtatuit Anaſtaſius, ut ſcilicet quos poſt damnationem ordinavit Acacius, nulla portio læſionis attingeret. Denique ſi pater meus adulter eſt, & ex adulterio naſcor, profectò ut non legitimus ex hereditate repellor. Quod tamen non paterer, etiamſi pater meus probaretur veraciter homicida. Secundum igitur Anaſtaſium depoſitorum duplex eſt claſſis. Alii deponuntur qui reverà ſunt Epiſcopi, & Sacerdotes. Hi reconciliari poſſunt, & Sacerdotio, & ordinum executioni. Tales erant Hebio & Acacius. Alii deponuntur, quia revera non ſunt Epiſcopi & Sacerdotes, utpote contra canones & illegitimè ordinati. Quia igitur iſti nihil habent Sacerdotii reconciliari non poſſunt. Tales erant Photius, & ab eo conſecrati. Priores comparat filiis Homicidarum qui bonorum paternorum heredes ſunt; poſteriores in adulterio natis, qui non agnoſcuntur filii, nec bonorum paternorum participes fiunt.

VIII. Diſtinctione non diſſimili utitur Metrophanes Smyrnenſis Metropolita, actione 6. reſpondens Photianis objectionibus, *Aliter*, inquit, *Eccleſiaſtica leges Epiſcopos ab hæreſi reductos judicant, & aliter eos qui à mœchis & ſacrilegis contra leges ſunt initiati.* Nam leges Eccleſiaſticæ volunt ut ab Hæreticis revertentes, licet eorum caput ab ordine rejiciatur, profeſſione fidei facta cum ordinibus ſuis recipiantur: Sed Photium ut adulterum, & vos ut ab Adultero ordinatos, leges non recipiunt, quemadmodum fecit ſacro-ſancta, & œcumenica ſynodus de Maximo Cynico, & ab eo conſecratis.

IX. Addam coronidis vice Nicolai I. Pontificis verba quibus deſcribit actionem Gregorii Syracuſani Archiepiſcopi à S. Ignatio Patriarcha depoſiti, qui ante legitimam reſtitutionem Photium ordinavit, ut cum Lector ea verba examinaverit, judicet an quis ita loqui poſſit de Epiſcopo reapſe & ſubſtantialiter ordinante, ordinisque ſubſtantiam, & veritatem alteri conferente. Ita Nicolaus I. ad Michaelem Græcorum Imperatorem Epiſt IX. *Meritò deſtructus eſſe creditur, qui à deſtructo ædificari ſperans, etiamſi quæ alia bona fortaſſis habuit, nimia præſumptionis ejus temeritati communicans perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam neſcebatur eliſus? Quomodo quemquam in aliquo Eccleſiaſtico poterat ordine ſtabilire, qui Eccleſiæ unitatem ſcindens, ipſe jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit; ſic deſtructus conſtruere, & eliſus quemquam ordinare nequivit. In ſummo quippe ſtatus ſui oportet eum vigore conſtituere, & firmis innixi per omnia baſibus qui alterum vel proſternere, vel conatur ſtatuere. Gregorius ergo qui canonicè ac ſynodicè depoſitus, & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. Per eorum quippe, ut legitur, manus impoſitionem, & invocationem dabatur Spiritus ſanctus, qui noverant manus ad Dominum manus levare. Ceterùm Gregorius qui tranſgreſſor factus eſt legis ad iracundiam ſui magis quam* A *ad conſecrationem alicujus Spiritum ſanctum per ejus poſitionem ſua manus ſine dubio provocavit; etiamſi is qui ordinandus erat, nullas alias haberet ſibi regulas obviantes. Hinc enim ſcriptum eſt. Qui obturat aures ſuas, ut audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Si execrabilis, utique & non audibilis. Si non audibilis, ergo inefficax. Si inefficax, profectò Photio nihil præſtans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impoſitionem potius habere dignoſcitur.* Eadem repetit Epiſtola ſequente ad Clerum Conſtantinopolitanum, Metropolitas, & Epiſcopos huic ſedi ſubditos

X. Iſta ſanè dici non poſſunt de Epiſcopo verè & efficaciter ordinante, quanquam illicitè, aut ſuſque deque verborum ſignificatio mutanda, *ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui.* Quid de his verbis, *Sic eliſus quenquam ordinare nequivit*, nec *in aliquo poterat ordine ſtabilire*: *Nihil habuit, nihil dedit, manus impoſitio inefficax nihil præſtans?* Hinc eſt quod de Photio Nicolaus loquens eum fere ſemper Laicum vocat, & ad ipſum ſcribens nullo verbo ſignificet, eum Presbyterum, Epiſcopum, Diaconum, vel ullo modo Clericum agnoſci. Duæ Nicolai ad ipſum ſuperſunt literæ, quarum prior quæ ſexta eſt, inſcribitur, *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, prudentiſſimo viro Photio.* Poſterior quæ eſt undecima, in qua velut in os illi exprobrat omnia crimina, ſimpliciter, *Nicolaus, &c. viro Photio.*

XI. Nec debet negotium faceſſere quod ſermoni ſuo immiſcet hæc verba, *per manus impoſitionem & invocationem dabatur Spiritus ſanctus, &c.* Quaſi Miniſtri pietatem requireret Nicolaus ad effectum Ordinationis ſuſcipiendum; & inde factum eſſet quod nihil Photius à Gregorio Syracuſano Epiſcop. ordinatus accepiſſet. Eſt enim hæreſis in Donatiſtis jam dudum damnata, quam Nicolaus & Latini, Photius & Græci communi conſenſu abhorrebant. Sed loquitur Nicolaus de virtute Spiritus ſancti quæ per legitimam manus impoſitionem in Ordinatione operatur in omnibus qui ad aliquem Ordinem conſecrantur. Hæc autem non eſt gratia gratum faciens, ſive res Sacramenti: Nec enim Græci aut Latini tam inepti erant; imò dementes & inſani, ut inter ſe digladiarentur, univerſumque Orientem cum Occidente collideret, ad diſquirendum an Photius gratiam juſtificationis ordinatione ſua ſuſcepiſſet: cum præſertim ambo theſim hanc amplecterentur. Sacramentorum effectum à bonitate Miniſtri non pendere, neque etiam à pietate ſuſcipientis. Sed id quod negat Spiritum ſanctum in eo produxiſſe per manuum impoſitionem à Gregorio Syracuſano factam, eſt ſacramentum ipſum, ſive character, ſeu poteſtas conſecrandi, quæ legitima conſecratione conferuntur. Cujus cauſa dixit S. Innocentius Epiſt. 18. c 3. adverum Ordinationis characterem producendum opus eſſe Spiritus ſancti plenitudine.

XII. Qui mentem iſtorum autorum in negotio ordinationis evidenter contemplari voluerit, comparet eorum loquendi formulas de ordinatis, ab Hæreticis, à Simoniacis, Excommunicatis, Degradatis, & ſimilibus;

cum formulis loquendi S. Auguſtini, ubi contendit contra Donatiſtas baptiſmum ab Hæreticis, aut aliis quibuſvis malis Miniſtris datum, eſſe ratum & validum, licet gratiam non conferat, & ab Hæretico vel Schiſmatico, niſi cum crimine peti & ſuſcipi non poſſit. Contrarias omnino formulas uſurpat Auguſtinus iis quas videmus Nicolaum, cæteroſque Pontifices tum hic, tum cæteris capitibus antecedentibus, & ſequentibus uſurpare. S. Auguſtinus non ſemel, non bis, non ter, non centies, non millies, ſed multorum & diverſorum librorum & tractatuum ſingulis prope periodis hæc & ſimilia repetit, foris baptiſmum dari, foris accipi; ſed non rectè dari, non rectè accipi; inutiliter accipi extra Eccleſiam, inutiliter dari, accipi tamen & dari. Nefas eſſe dicere, non eſſe datum, quod datum eſt. Sacramentum baptiſmi retinet qui ab Eccleſia diſcedit; habet qui foris accepit; Sacramentum baptiſmi permanet, ſed non prodeſt. Prodeſſe, utile eſſe incipit, cum ad unitatem reditur. Quis cum leget ſententias & loquendi formulas multorum ſanctorum Patrum de Ordinationibus ab ejuſmodi hominibus collatis prorſus contrarias, non ſtatim colligat contrarium eos ſenſiſſe de ordinationibus illi ſententiæ quam habuit de baptiſmo S. Auguſtinus? Conſequenter cum voluerit S. Auguſtinus ſignificare ejuſmodi de baptiſmo loquendi formulis baptiſmum ab Hæreticis & impiis validè extra Eccleſiam dari & accipi, licet illicitè & inutiliter; voluerunt alii Patres contrariis formulis ſignificare Ordinationes ab ejuſmodi hominibus collatas eſſe irritas & invalidas, nihil dare, nihil efficere. Id ſanè nos docere non poterant verbis magis propriis, perſpicuis, & ſignificantioribus quàm iis quibus uſi ſunt.

CAPUT VII.

Varia teſtimonia eandem ordinationum iterationem probantia referuntur. Hæretici nomen quo ſenſu ſumatur can. Apoſt. 68. Illegitimè ordinatus declaratur nec eſſe, nec fuiſſe Epiſcopus. Locus Juſtini Martyris difficilis illuſtratur. Eccleſiæ ab Hæreticis conſecratæ iterum conſecrantur, ita ordinationes Clericorum Hæreticorum ſolent à Græcis iterari. Solus baptiſmus apud Hæreticos ratus. Bonoſiaci aliquando Vocati Photiniani. Ordinationes Hæreticorum inanes, &c. eſſe aſſerit Innocentius, aut nimius eſt exaggerator. Propter revocandos fratres licet Hæreticos ſuſcipere, ordines quos apud eos habent iterando. Manus impoſitio c. 8. Nicæno ſignificat ordinationem.

I. QUæ nobis ſuperſunt teſtimonia hoc capite in unum faſcem colligabimus. Canon Apoſtolicus 68. evidenter eandem doctrinam confirmat, *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit: niſi utique conſtiterit quod ab Hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinati ſunt, ut fideles vel Clerici ſint fieri non poteſt.* Objicies, ſequetur inde Baptiſmum Hæreticorum eſſe repetendum. Objectionem iſtam in hunc canonem ſolvit Theodorus Studita Epiſt. 4. ad Naucratium quæ extat in additis ad Balſamonem, aitque eo canone Hæreticos intelligi qui in nomine Trinitatis non baptizant; *Illud cogita quod Apoſtolicus quidem canon illos dicit Hæreticos qui non in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti baptizati ſunt, vel baptizant:* Additque ut hoc probet S. Baſilium Epiſt. 1. canonica ad Amphilochium Hæretici nomen eodem ſenſu uſurpare, & ſic à Schiſmatico diſtinguere, idque ex ſancti Baſilii verbis demonſtrat. Zonaras & Balſamon eodem modo videntur Hæretici nomen intellexiſſe cum hunc canonem commentantur. Non ignorabant enim Hæreticorum baptiſmum in nomine Trinitatis datum valere. Zonaras præſertim qui in can. 7. ſecundæ ſynodi diſertiſſimè diſtinguit Hæreticos baptizatos à non baptizatis; ex eo quod alii baptizant ſecundum formam Eccleſiæ, alii autem alio modo baptizant, & ideo rebaptizandi. Quidquid ſit, ſi ſenſus alius quod ad baptiſmum attinet, his verbis affingatur, error canoni impingetur, qui antiquitus ab Eccleſia refutatus eſt. Sed nullum Eccleſiæ decretum in favorem ordinationum hæreticarum hactenus afferri poteſt quo antiquiſſimus ille canon hac in parte corrigatur.

II. Maximus Cynicus Philoſophus à S. Gregorio Nazianzeno baptizatus eſt, & Presbyter ordinatus. Poſtea vacante Patriarchatu Conſtantinopolitano ſedem iſtam ardenter affectavit, & corruptis pecunia quibuſdam Epiſcopis clam curavit ſe ab iis in Epiſcopum ordinari. Secundi Concilii, Patres & eum, & ab ipſo ordinatos depoſuit iis verbis quæ multis tum temporis viſa ſunt omnem Epiſcopatus radicem, fibraſque ab eo, & ab iis quos ordinaverat evellere. Ita canonem illum enuntiat antiqua tranſlatio. *De Maximo Cynico Philoſopho, & propter totum indiſciplinationis ejus doctrinam quæ Conſtantinopoli orta eſt, ſtatutum eſt ut neque Maximus fuiſſe, aut eſſe etiam putetur Epiſcopus. Neque hi qui ab eo ſunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant: Omnibus ſcilicet quæ circa eum, vel ab eo geſta ſunt, in irritum revocatis.* Balſamon in hunc canonem. *Hæc ergò ſancta Synodus eum abdicavit, definiens nec ipſum eſſe vel fuiſſe Epiſcopum, eo quod nefariè, & contra leges electus ſit: nec eos qui ab ipſo ordinati eſſent, cujuſcumque ſint gradus, eſſe clericos.* Ita Zonaras. Antiqui quòque Patres plerique hunc ſecundæ Synodi canonem ita intellexerunt, ut & ipſe, & ab eo ordinati nullo modo eſſent Epiſcopi, aut Presbyteri, quorum teſtimonia paſſim in antecedentibus relata ſunt. Nec aliter intelligi poſſunt, ſi verbis vim ſuam ſtatam eſſe velimus, nec eam pro libitu & commodo noſtro interpretari.

III. Concilium Cæſar Auguſt. II. c. 1. *Pla-*

Placuit ſancta & venerabili ſynodo, ut Presbyteri qui ex hæreſi Ariana ad ſanctam Catholicam Eccleſiam converſi ſunt, qui ſanctam & puram fidem, atque caſtiſſimam tenuerint vitam, acceptum denuo benedictionem Presbyterii ſanctè & purè miniſtrare debeant, &c. Ita & de Diaconibus, ſicut & de Presbyteris conſtitutum eſt. Benedictio Presbyterii eſt ipſa ordinatio, ut & in aliis canonibus non infrequenter. Ita can. 3. ejuſdem Concilii, *Statuit ſancta Synodus ut Epiſcopi de Ariana hæreſi venientes, ſi quas Eccleſias ſub nomine Catholicæ fidei conſecraverint, nondum benedictione percepta, à Catholico Sacerdote conſecrentur denuo.* Evidens eſt benedictionem eſſe ipſam Eccleſiæ conſecrationem. Non minus autem prohibetur Eccleſiarum conſecrationes iterare, quàm Presbyterorum ordinationes. Utrumque tamen facere jubent illi Patres, ſi utrumque ab Hæreticis factum eſt. Diſt. 68. cap. 3. tanquam ex Concilio Nicæno citatur, *Eccleſiis ſemel conſecratis Deo, non debet iterum conſecratio adhiberi, &c. Si tamen fidem ſanctæ Trinitatis tenuerunt, qui eas conſecrarunt.* Nunquam licet eas conſecrare iterum niſi dubia fuerit conſecratio. Felix IV. epiſt. 1. cap. 2. Carthagin. 5. c. 6. Capitular. l. 7. cap. 391. Burchard. l. 3. c. 58.

IV. Conſtantinopoli tres Hæreticorum claſſes ſtatui ſolebant: Nonnullorum baptiſmus improbabatur. Sanè baptiſmo iſtorum improbato & irrito multò magis ordinationes erant irritæ, & repetendæ. Nemo eſt qui de hoc effato litem moveat. Aliorum baptiſmus ratus judicabatur: Iſti in Eccleſiam per unctionem admittebantur, ut Ariani, Macedoniani, Novatiani, Tetraditæ, Apollinariſtæ, & alii. Secundæ iſtius claſſis ordinationes iterabantur. Profeſſione enim fidei ab iis facta, & confirmatione accepta, ſi Clericatu apud ſuos fungebantur, & alias Clericatu dignos eos cenſerent Orthodoxi, à Catholico Epiſcopo priore ordinatione ut inani ſuſque deque habita, ordinabantur. Hæc refert Anonymus quidam Patriarcha Conſtantinopoleos à Martyrio Antiocheno Patriarcha de more Eccleſiæ ſuæ interrogatus lib. 4. Juris Orientalis, p. 290. Paucis verbis id quod nos ſpectat, expedit, ſed evidentiſſimis. Poſtquam explicavit qua ratione ſecundæ claſſis Hæretici tanquam Laici in Eccleſiam admitterentur, addit, *ſecundum hæc tanquam egregii Laici ad eum gradum ordinantur, in quo prius apud ſuos erant: ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, ſive Pſaltanognoſtæ.*

V. Eadem fuit Balſamonis de Hæreticorum ordinatione ſententia. Interrogatus enim à Marco Patriarcha Alexandrino. *An Sacerdos, vel Diaconus Hæreticus dignus habitus divino & ſancto baptiſmate, vel per ſanctum chriſma ſanctificatus, poſſit ſacra facere cum priore ordinatione ſua; An verò ſi ſacra miniſtrare velit, iterabitur ejus ordinatio?* En interrogatio præciſè facta. Ne vero pedicam in ipſo limine quis injiciat, de Hæreticis Marcum verba facere, quorum baptiſma reprobabatur, addit, *vel per ſanctum chriſma*, quibus verbis Hæreticos complectitur quorum baptiſmum Eccleſia ſuſcipiebat. Illi enim antiquo & hodierno Græcorum more cum chriſmatione admittuntur, ut fuſè docuerat Balſamon in reſponſo ad præcedentem interrogationem. Reſpondet igitur *eum qui cum eſſet prophanus Sacerdos, Orthodoxam fidem amplexus eſt, ſi ad ſeveritatem canonicæ diſciplinæ ex actu ipſius vita innocens apparuerit, ita ut dignus cenſeatur non modo Sacerdotalis dignitatis, ſed etiam Epiſcopalis, priore Sacerdotio pro ſacrilegio habito, & pro non facto, omnino per conſuetos gradus ad doctoriam ſublimitatem aſcendet*, id eſt, Epiſcopalem. Hæc juris Orientalis l. 5. p. 379.

VI. S. Innocentius in tribus Epiſtolis hanc quæſtionem agitat. Quanquam plurima quæ de ea recenſet, aliquomodo ad ſolam ordinum executionem referri poſſint, vel de crimine intelligi quod committit Hæreticus ordines conferens, aut ab eo accipiens: Nonnulla tamen ſunt quæ ulterius tendunt, & ordinis ab Hæretico traditi iterationem evincere videntur, ut Epiſt. 18. c. 3. *Arianos, ceteraſque ejuſmodi peſtes, quia eorum Laicos converſos ad Dominum ſub imagine Pœnitentiæ, ac ſancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii aut miniſterii cujuſpiam ſuſcipi debere dignitate. Quoniam quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, &c. nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur, &c. Nec dare ejuſdem plenitudinem poſſunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt.* Qua ratione intelligi poteſt hoc effatum, ſolum Hæreticorum baptiſma ratum eſt, ſolum Hæreticorum baptiſma non repetitur, ſi Hæreticorum quoque ordinatio rata eſt, & non iteranda. Si dices Hæreticorum ordinationem non dare gratiam, & ideo irritam dici. Nec baptiſma Hæreticorum dat gratiam ut notum eſt, & diſertè affirmat Innocentius. Ratum igitur Innocentio non dicitur ratione gratiæ collatæ, ſed ratione iterationis prohibitæ. Solum igitur Hæreticorum baptiſma ratum eſt, quia ſolum characterem imprimit. Sed ordinatio eorum potiſſimum eſt irrita; eo quod ex Innocentii principio Hæreticus Spiritum S. dare non poteſt. Sed per ordinationem Spiritus S. plenitudo traditur. Qua ratione Hæreticus qui Spiritum ſanctum dare non poteſt, dabit ejus plenitudinem qua opus eſt ut ordinationis character imprimatur?

VII. Idem Innocentius epiſt. 21. ad Martianum Epiſcopum Naxitanum narrat ſe antea ſcripſiſſe ad eundem Marcianum, & nonnullos alios Epiſcopos, & conſtituiſſe ut Clerici *qui ſe ante damnationem Bonoſi aſſerebant ab eodem tam Presbyteros quàm Diaconos ordinatos, ut ſi relicto atque damnato ejus errore vellent Eccleſiæ copulari libenter reciperentur.* Germanus autem Presbyter, & Lupentinus Diaconus à Bonoſo ante damnationem ordinati apud Innocentium ſuo & aliorum nomine conqueruntur ſe ideo Epiſcopo ſuo gratioſos non eſſe, quod vellet eos iterum ordinari, ut Ruſticius quidam qui iterata ordinatione Presbyteratum ab eo ſuſceperat. Quid vero Pontifex? nec probat, nec factum durè improbat. Peccabat tamen ille Epiſcopus cum ordinatos

dinatos à Bonoſo Hæretico ante ejus damnationem iterum ordinare procurabat. Sed præcedens decretum ſuum Papa confirmat, *Nunc etiam admonendam duximus fraternitatem tuam, ut ſi verè conſtat aliquos ante damnationem Bonoſi ab eodem ordinatos, poſtea voluiſſe, vel nunc velle reverti, eos recipiendos eſſe cenſemus.* Subaudiendum cum ordinibus ſuis, ſine nova ordinatione. De hoc enim apud Innocentium conquerebantur quod iterum vellet eos ordinare, ut officiis ſuis fungerentur. Unde neceſſario conſequitur eos quos Bonoſus Hæreſiarcha poſt damnationem ordinaverat fuiſſe iterum ordinatos, cum Pontificis decretum eos ſolos excipiat, qui ante damnationem fuerunt ordinati; & Martianus, nonnullique alii etiam iſtos ad iterandam ordinationem perperam coegerint.

VIII. Scribit S Gregorius l. 9. indict. 4. Epiſt. 61. Bonoſianos non fateri Chriſtum eſſe Deum, eorumque baptiſmum in nomine Trinitatis non fieri, atque ideo repetendum. Sed vel fallitur Sanct. Gregorius, vel Bonoſiani ſui temporis à Bonoſianis ſub Innocentio Primo plurimum differebant. Sæpius enim Innocentius de Bonoſianis qui eo vivente exorti ſunt verba facit. Nihil tamen ſimile ex ipſius verbis conjici poteſt, imo multa contra hanc ſententiam. Concilium Arelatenſe, II. quod celebratum eſt paulo poſt exortam Bonoſi hæreſim contrarium diſertiſſimè teſtatur c. 17. *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati, fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, tam chriſmate, quam manus impoſitione in Eccleſia recipi ſuffecit.* Illorum baptiſmum ſicut Arianorum ratum habet. Damnatus fuit ab Anyſio Archiepiſcopo Theſſalonicenſi & ipſius Collegis, ſed nihil de hæreſi Photini. Huic ſententiæ occaſionem dare potuit Gelaſius Pontifex in Synodo Romana qui Bonoſum cum Ebione, Paulo Samoſateno & Photino conjungit, diſt. 15. c. *Sancta Romana.* Hujus confuſionis rationem reddere videtur Gennadius in Audentio quem dicit libros ſcripſiſſe adverſus Manichæos, Sabellianos, & Arianos, *maximeque & intentione ſpeciali contra Photinianos qui nunc Bonoſiaci vocantur.* Gennadii tempore qui multis annis, & ſæculo integro Gregorium præceſſit, Photiniani jam vocabantur Bonoſiaci.

IX. Perplexæ iſtius difficultatis receſſus evolvere & aperire mihi videtur S. Innocentius epiſt. 22. c. 3. & ſequentibus. Duplicem ea Epiſtola quæſtionem ad Hæreticos ſpectantem & ſibi propoſitam definit. Prior eſt, an valeant Hæreticorum Ordinationes. Poſterior, ſi non valent Hæreticorum ordinationes, An liceat Clericos Hæreticos ordinatione Eccleſiaſtica conſecrare, ut ad Eccleſiam redeuntes, iis quos apud ſuos habebant honoribus fruantur. Utrumque enim in Macedonio commiſſum fuerat. Nonnulli Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes ſuſcipiebant cum ordinibus quos ab Hæreticis acceperant: Alii eos ante ſuſceptionem nova & Eccleſiaſtica ordinatione ſanctificabant. Utramque actionem improbat Innocentius, primum argumento generali quod Lex ſit Eccleſiaſtica redeuntes ab Hæreticis nullo Clericatus gradu cohoneſtare, quam Eccleſia Romana hactenus non violaverat. *Noſtra verò Lex eſt Eccleſiæ venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem Laicam tantùm tribuere communionem; nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel ordinum ſubrogare.*

X. Deinde priorem quæſtionem negatione definit, negationiſque rationes reddit. Primam, Hæreticos vulnerare caput eorum quibus manus imponunt in ordinationem, ideoque medicina opus habere. Hinc inquit, medicina opus habent, *eſſque illis adhibenda, ut poſſint recipere ſanitatem.* Medicina autem illa eſt Pœnitentia. Ex eo quod Pœnitentia egent, alteram contra eorum Clericatum rationem infert, *Ubi Pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus.* Nec hæc conſequentia eſt Innocentii tantum; ab antiqua & Apoſtolica traditione fluit quæ Pœnitentes ab ordinibus arcet.

XI. Tertiam rationem vel potius objectionem ex aliorum dictis quæ in autores retorquet, deſumit. *Sed è contrario aſſerunt, eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe; nec illum aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere.* Videntur illi contrario modo complexionem inſtituiſſe: Qui honore caret, illum dare non poteſt; quia nemo dat quod non habet; At Hæretici honores conferunt, & Sacerdotii virtutem, ergo illum habent. Hinc concludebant Hæreticorum ordinationem valere poſſe. Hoc axioma amplectitur Innocentius, & in autores retorquet, *Acquieſcimus, & verum eſt. Certè qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit. Et qui particeps effectus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non poſſum.* Non modo acquieſcit huic rationi Innocentius, ſed etiam eam repetit ut ſuam in fine diſputationis, ubi dicta in compendium colligit, *Ad ſummam certè, qui nihil a Bonoſo acceperunt, rei ſunt uſurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum ſibi vindicaverunt auctoritatem; atque id ſe putaverunt eſſe quod de his nulla fuerat regulare ratione conceſſum.* Ex iſto autem ſuo & Adverſariorum effato contrarium ejus quod aſſumebant demonſtrat; tantique illud facit ut dicat ſe capere non poſſe quomodo Hæreticus qui nihil habet ordinationis, eam dare poſſit, ſed ſe facilè capere qua ratione damnationem quam habet, communicare poſſit. Stulta ſanè & puerilis eſſet exaggeratio, ſi Hæreticus quidquid veri, ſolidi, & momentoſi eſt in ordinatione traderet, poteſtatis autem acceptæ & ſibi creditæ uſu tantum prohiberetur. Si res ita ſe haberet, qua fide Innocentius ingenuè dicere potuit, ſe invenire non poſſe quomodo quis poteſtate, autoritate, & dignitate præditus illius uſu privetur? Nihil eſt in jure civili & canonico antiquo ea ſuſpenſione trivialius. Ea diſtinctio & ſeparatio poteſtatis & uſus poteſtatis fuit ſemper non modo in Eccleſia, ſed etiam in omnibus Rebuſpublicis frequentiſſima; nec potuit non eſſe S. Innocentio & omni Curiæ Romanæ,

Eccle-

Eccleſiaſticæ & civili notiſſima. Itaque hac interpretatione poſita Sanctus Innocentius de re maximè ſeria ab Epiſcopis Macedoniæ interrogatus, illis, quod dicere nefas eſt, joculariter & per deridiculum reſpondet. Invenire non poteſt, quod eſt in omnium ore, oculis, & manibus! ô Vulcanium nodum ἄῤῥηκτον, ἄλυτον! Intelligere non poteſt qua ratione qui reverà ſubſtantialiter, & realiter eſt Epiſcopus, aut Presbyter, cui nihil prorſus deeſt neceſſarium ad agendum, agere poſſit: Nihil inſuper habere, qui totum poſſidet; nihil accipere, qui quod erat illi neceſſarium, totum accepit. Comica eſt tanti Pontificis exaggeratio & ad commovendum Lectorum riſum tantum comparata, ſi Sacerdotes & Clerici de quibus agit, ſola ordinum executione ſecundum utriuſque partis ſententiam ſpoliati erant. Diſtinguere ſciebant illi Pontifices non ſecus ac nos inter ea quæ ſunt cauſæ ad producendum effectum neceſſaria & ſubſtantialia; & ea quæ tantum illi conveniunt, ut decorè & legitimè: nec erant tam hebetes aut Comici, ut quæ uni propria ſunt, alteri cum frigidis & ſtultis exaggerationibus tribuerent. Hoc eſt antiquos Patres, ut nobis aſſentiantur, ſtultos, hebetes, aut Comicos prædicare.

XII. Poſtea ſecundam quæſtionem aggreditur Innocentius. An liceat Clericos hæreticos ordinatione Eccleſiaſtica conſecrare ut ad Eccleſiam redeuntes iis quos apud ſuos habebant, honoribus fruantur. Eam ſimiliter negatione definit, & primo autoritate antiquæ traditionis confirmat; deinde trium objectionum reſolutione. Dixerat Innocentius Hæreticorum ordinationem caput vulnerare & polluere. Reſpondebatur, ita ſit; ſed Ordinatio ab Epiſcopo Catholico collata vulnus ab Hæretico inflictum ſanat. *At dicitur vera, ac juſta legitimi Sacerdotis benedictio auſert omne vitium quod à vitioſo fuerat injectum.* Innocentius hanc objectionem potius ridet quam ſolvit explicatis abſurdis ex ea conſequentibus: *Ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem Sacrilegi, Adulteri, atque omnium criminum Rei, quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus ſit Pœnitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio præſtare conſuevit.*

XIII. Duobus inſuper objectis exemplis demonſtrabant Clericos ab Hæreticis ordinatos, ſed ad Eccleſiam redeuntes, licitum eſſe nova ordinatione ſanctificare. Prius exemplum petitur ab Anyſii Archiepiſcopi Theſſalonicenſis & Concilii ſui autoritate, qui hoc de Bonoſiacis conſtituerat. *Sed Anyſii quondam fratris noſtri, aliorumque Conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur.* Hoc exemplo duo probabant, licitum eſſe Hæreticos Clericos, ſed converſos ad Eccleſiam cum gradibus ſuis admittere: Deinde admiſſionem illam per novam & Catholicam Ordinationem facere. Ad Innocentii reſponſum Lector mentem advertat: In illius enim examine vertitur totius rei cardo. Sic reſpondet Innocentius: *Vicimus, ut opinor, ambigua. Jam ergo quod pro remedio ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt, conſtat primitus non fuiſſe; ac fuiſſe regulas veteres quas ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit, cuſtodiendaſque mandat his, qui eam audire conſueverunt. Sed neceſſitas temporis id fieri magnopere poſtulabat: Ergo quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare pariter quod urgebat. Quia aliud eſt ordo legitimus, alia uſurpatio quàm ad præſens fieri tempus impellit.* Innocentius ex objecto exemplo jus ſtatuit, colligitque duas illas propoſitiones de quibus erat controverſia tantum eſſe licitas cum urget ſedandi ſchiſmatis neceſſitas, & ſic ex ipſorum principiis ambiguitatem propoſitionum eſſe reſolutam. Itaque verum eſt quod Innocentius contendit, non licere Clericos Hæreticos cum ordinibus in Eccleſiam recipere, niſi neceſſitas urgeat, & magnum inde commodum in Eccleſiam redundet. Deinde cum hoc fit, ordinationes Hæreticas eſſe iterandas, ut utrumque rectè Anyſius cum Collegis ſtatuerat. Sed ceſſante iſta neceſſitate, ceſſare quoque debet id quod illius cauſa adinventum eſt. Quapropter perperam & ſtultè faciebant illi Epiſcopi qui ſublata morbi cauſa remedium continuabant. Hinc lux maxima difficultàti noſtræ oboritur. Nam ex Anyſii & Synodi ſuæ ſententia, quam vehementer probat Innocentius, evidenter conſtat Ordinationes propter canones non obſervatos irritas eſſe, & inanes: Deinde neceſſitate urgente legitimè repeti. Approbat enim Anyſii & Collegarum ſententiam & factum qui à Bonoſo ordinatos cenſuerunt iterum ordinandos, ne denegato quem apud ſuos obtinebant gradu, eorum converſio retardaretur.

XIV. Poſterius exemplum quo freti contendebant licitum eſſe Hæreticos recipere, atque ut recipiantur nova ordinatione illos ſanctificare, à can. 8. Nicæno petitur, quem ſic Innocentius interpretatur, *De his qui nominant ſeipſos Catharos, id eſt, mundos, & aliquando veniunt ad Catholicam Eccleſiam, placuit ſancta & magna ſynodo, ut accepta manus impoſitione, ſic maneant in Clero.* Reſpondet Innocentius hoc eſſe privilegium Novatianis conceſſum, nec eſſe ad alios Hæreticos trahendum. *Poſſum verò dicere, de ſolis hoc Novatianis eſſe præceptum, nec ad aliarum hæreſum Clericos pertinere; Nam ſi utique de omnibus ita definirent, addidiſſent, a Novatianis, aliiſque Hæreticis revertentes, debere in ſuum ordinem recipi.* Aliis argumentis idem ſuſè probat.

XV. Hoc ſanè poſito, prærogativam eſſe Novatianorum propriam, neceſſariò credidit Innocentius manus impoſitionem pro ordinatione eo loco accipi. Nam certum eſt, & vulgatum Hæreticos omnes quorum baptiſmus erat ratus eo tempore in Occidente potiſſimum, per manus impoſitionem in Spiritum Sanctum ſuſceptos fuiſſe. Neve longius teſtimonia hujus rei quæ innumera ſunt, conquiram, hoc de omnibus Hæreticis teſtatur idem Innocentius in eadem Epiſtola caput 4. Et Epiſtola 18. caput 3. Itaque nullo modo potuit iſtam manus impoſitionem intelligere; nec eam quoque qua Pœnitentia imponitur, quæ Hæreticis tantùm conve-

convenicbat in Eccleſia Catholica baptizatis cum ad eam revertebantur, ut præter certiſſima teſtimonia diſertiſſimè docet idem Innocent. in eadem Epiſt. initio cap. 5. de quo teſtimonium de Novatianis quod nunc diſcutimus deſumptum eſt, ſed neceſſario manus impoſitionem qua ordines conferuntur, intellexit. Præterea ſi hoc non concedatur, inſulſum eſt prorſus Innocentii reſponſum, & planè ἐξοχεῖται, atque ut dicitur de alliis interrogatus, de cepis reſpondet. Opponunt enim canonem illum de Novatianis, ut demonſtrent eorum exemplo licitum eſſe Hæreticos in Clerum cum nova ordinatione ſuſcipere, & hoc modo honorem quo apud ſuos potiebantur eis reſtituere. Innocentius vero reſponderet illos eſſe per manus impoſitionem in Spiritum Sanctum recipiendos, de quo nulla erat quæſtio, quod nemo diffitebatur. De intelligentia hujus vocis χειροθετουμένους in hoc canone. Plura vide infra cap. 12. hujus Exercitationis.

A

B

CAPUT VIII.

Quo tria axiomata explicantur, quæ in tanto opinionum conflictu neceſſario tenenda & credenda ſunt. Difficultas deſcribitur. Apoſtolica traditio eſt Ordinationem Catholicam legitimè factam nunquam eſſe repetendam. Ab annis quadringentis concors ſententia Hæreticorum, &c. Ordinationes ſecundum Eccleſiæ formam factas, quoad ſubſtantiam validas eſſe, & non iterandas. Viri docti ſententia privata quanti facienda in Scholis.

C

I. VErum enimverò præcedentium controverſiarum enarratione videmur oleum flammæ addidiſſe, & difficultatem maximam tot allatis exemplis exaſperaſſe potius quàm ſedaſſe. Quid enim hoc aliud eſt quàm Epiſcopos Epiſcopis, Concilia Conciliis, Pontifices Pontificibus collidere, coſque Cadmæam pugnam depugnantes oſtentare? Difficultatem diutiſſimè & diligentiſſimè examinarunt; Concilia coegerunt: Virorum Doctorum ſententias ſciſcitati ſunt. His tamen omnibus ſæpius peractis nihil definitum eſt. Quin imò Pontifices inter ſe commiſſi, alter alterius ordinationes exautorarunt & novas ſuperinduxerunt. Aliquando tamen neutra ordinatio erat Schiſmatica, neutra Hæretica, neutra à regulis ordinationis ab Eccleſia deſcriptis deflectebat. Quamobrem igitur priore abolita, poſterior ſuperaddita eſt? Quamobrem tantis animis, imò tantis odiis incaſſum utrinque concurſum? Perplexam iſtam difficultatem mihi videor è tricis omnibus non improbabiliter evolvere, & expedire poſſe, aut ſaltem nonnulla è viſceribus cauſæ, & abſtruſioris difficultatis medullis depromere, & Lectori proponere quæ omnem fidei attentatæ ſuſpicionem à Conciliis, & ſummis Pontificibus avertunt. Ingenio meo & labori non ita confido ut difficultatis iſtius obſcura & aſpera æquatis ad amuſſim omnibus ſalebris me explanare poſſe exiſtimem. Meliora & propoſito convenientiora proferenti mea ſententia præjudicium fieri nolim. Quæ mihi his rebus ſtudioſè incumbenti occurrerunt, ingenuè Lectori aperiam, ut ſi opinatione mea Lectori ſatisfactum non eſt, ex ea aliquid probabilius inquirendi occaſionem deſumat. Opinationem meam variis diſtinctionibus exponam: Mei ſecurus judicet Lector; lubens vincta egomet cædam mea, nec mihi hac cæde malum feciſſe, ſed optatiſſimum bonum judicabo.

D

II. At antequam hoc aggrediar, operæpretium mihi videtur tria axiomata explicare quæ Lectori in tanto variarum opinionum conflictu neceſſario nunc tenenda & credenda ſunt, ut his poſitis & illibatis de iis quæ ſuperſtruimus bona an mala ſint, controverſiæ opportuna vel ſecus, prout illi viſum fuerit probet, aut improbet, judicet, & definiat. Primum eſt quod decrevit ſancta Synodus Tridentina ſeſſ. 23. c. 4. & can. ejuſdem ſeſſ. 4. quod jam ſtatuerat ſeſſ. 7. cap. 9. & ante eam Synodus Florentina in decreto Unionis, *in Sacramento Ordinationis ſicut & in baptiſmo & confirmatione characterem imprimi, qui nec deleri, nec auferri poteſt.* Hæc autem verba de Catholica ordinatione neceſſariò intelligenda ſunt, aut quod cogitatu impium eſt, vana ſunt & inania. Nihil autem prorſus eſt in eis cujus vi cogamur ea de Hæreticorum, Schiſmaticorum, aut Degradatorum ordinationibus intelligere. Itaque quod ad Concilium attinet, hanc controverſiam Doctorum diſputationibus ventilandam & decidendam permiſit. Hoc videntur innuiſſe Patres cum can. 4. dicunt, *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, &c, anathema ſit.* Videntur hoc ſuum decretum ad Ordinationes ſacras, id eſt Catholicas, quæ ſolæ Spiritum ſanctum infundunt, reſtringi voluiſſe.

E

III. Hinc alterum neceſſario conſequitur, non minus quàm primum tenendum & credendum, ſed quod longè pluribus Antiquorum teſtimoniis confirmatur, Catholicas ordinationes nuſquam eſſe iterandas. Hoc diſertiſſimè definit Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordinatione non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Hoc perpetua Eccleſiæ traditio videtur demonſtrare, Canon Apoſt. 68. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam Ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit; niſi utique conſtiterit quod ab Hæreticis ordinationem habeat.* Antiquiſſimus autor de operibus Cardinalibus Chriſti apud Sanctum Cyprianum ubi de ablutione pedum, *Baptiſmum repeti Eccleſiaſtica prohibent regula, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrare præſumit accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum reno-*

vat,

vat, nemo ſacro oleo lita iterum liuit, aut conſecrat, &c. Quia contumelia eſſet Spiritui S. ſi evacuari poſſet, quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit & confirmat. De Catholicis Sacramentis hæc tantum explicari poſſunt. Nam de Hæreticorum Sacramentis variæ erant & contrariæ obſervationes. Conc. Carthag. 3. c. 38. qui repetitur in Africana collectione cap. 15. *Illud autem ſuggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum. Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum.* Probabile eſt hanc prohibitionem ad Donatiſtas etiam ſe extendere. Catholici enim Africani Donatiſtarum Sacramenta non repetebant. De qua obſervatione inferius.

IV. S. Auguſtin. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 1. *Sicut Baptizatus ſi ab unitate receſſerit Sacramentum dandi baptiſmi non amittit; ſic etiam Ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt. Si diſcedit à malis, utrumque diſcedit: Si permanet in malis, utrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere qui ab unitate diſceſſerat; ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, non baptizantur: ita redeuntes, qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur; ſed aut adminiſtrant, quæ adminiſtrabant, ſi hoc utilitas Eccleſiæ poſtulat. Aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum Ordinationis ſuæ tamen gerunt: & ideo eis manus inter Laicos non imponitur.* Ulterius non inevidenter progredi videtur S. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani c. 13 & ad Hæreticos ſaltem Donatiſtas hanc prærogativam extendere, cui unico fundamento ſententiæ ſuæ incubuerunt Doctores Scholaſtici.

V. Concilium 8. Toletan. cap. 7. hanc doctrinam præclarè docet adverſus quoſdam qui prætextis quibuſdam cauſis ordines quos ſuſceperant, putabant irritos eſſe, & iterum Laicos ſe eſſe poſſe, *Noſſe nos convenit quod Epiſcopalis Eminentiæ divina auctoritas non immerito ſacris omnibus eſſe ſumma percenſuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit. Scilicet templorum Dei ſacrationem, Chriſmatis benedictionem, ſacrorumque ordinum inſtitutionem, quæ tam divinaliter ordinata perſiſtunt, quàm excellentiſſimè conſeruntur. Quia & tanto ab eis ſingulariter impenduntur, quanto eidem ſummo culmini peragenda, ſervantur. Quomodo ergo quod in ſe recipit, à ſe reiicere poterit, cum hæc à nullo altero conferri, quàm à ſolis Pontificibus novit, à quibus nec ligata ſolvi, nec ſoluta poterunt ab aliquo religari, &c. Nequaquam ergo aliquando poterit prophanari, quod divina inſtione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe: Verum ſicut ſanctum chriſma collatum, & altaris honor evelli nequeunt, ita quoque ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur, & ſocium, quolibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnibus modis inconvulſum.* Sanè & occaſio iſtius canonis condendi, & verba quibus effertur, & ratio rerum quæ in idem privilegium conjungun-

A tur, evidenter demonſtrant Concilii mentem eſſe tantum de Catholicorum Ordinationibus verba facere.

VI. Gregorius lib. 2. Epiſt. 32. ad Joannem Epiſcopum Ravennatem ita loquitur de hac traditione, ut de re certa, & apud Catholicos vulgata, *Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extrancum: niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit autem à fraternitate veſtra ſic ſapere. Sicut enim baptizatus ſemel iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa Pœnitentia judici debet, & tamen ordo ſervari.*

VII. Tertium, Ordinationes omnium Hæreticorum & Schiſmaticorum factas ſecundum formam Eccleſiæ, modo Hæretici ordinantes ſecundum formam Eccleſiæ ordinati fuerint, validas eſſe ſecundum ſubſtantiam, & ideo non iterandas, licet illicitæ ſint, peccetque graviter & dans ordines & eos accipiens; nulloque caſu licere Catholico à Schiſmaticis & C Hæreticis ſine crimine ordinationem accipere. Itaque in ejuſmodi ordinationibus, ſi cætera ſecundum formam Eccleſiæ adfuerint, ſolumque hæreſeos crimen Ordinationi imputetur; non ideo vitiatur Ordinationis ſubſtantia, ſed character perfectus & integer ingeneratur, illius tantum uſus interdicitur, ita tamen ut interdictum violans per ſummum ſcelus characterem alium in ſic Ordinatum producat. Ideo Hæretici & Schiſmatici ſic Ordinati nova Ordinatione opus non habent, ſed ſola reconciliatione. Quod de Hæreticis & Schiſmaticis diximus, multo magis de iis qui ab excommunicatis, depoſitis, & degradatis ordinantur. Ultimam enim manus D impoſitionem, ut loquuntur antiquiſſimi Scholaſtici, in Eccleſia ſuſceperunt. Ut prior ſententia ab ipſis Eccleſiæ incunabulis in hunc uſque diem perpetua ſucceſſione tradita eſt; ita poſterior ab annis quadringentis, omnibus Scholaſticis voce & ſcripto in eam conſpirantibus ſola regnavit. Primi equidem Scholaſtici variè admodum de Hæreticis, Schiſmaticis, Depoſitis, Degradatis, & Excommunicatis locuti ſunt. Ante quoque eos Sancti Patres diſſimiliter admodum, & multis ſeculis, hac in cauſa philoſophati ſunt, ut E ex iis quæ huc uſque enarravimus, evidenter liquet. Hactenus tamen nullo Eccleſiæ decreto quæſtio tam perplexa & obſcura deciſa eſt. Sed tam multorum Doctorum concors, & tam diuturnus conſenſus nobis eſt inſtar legis quam diſſenſu noſtro temerare nec volumus, nec debemus.

VIII. Gabriel Vaſquez Theologiæ Scholaſticæ lumen ſplendidiſſimum docet diſput. 62. in primam ſecundæ cap. 4. n. 12. 13. quod *ſi aliquis vir doctus, qui non parum in ſtudiis laboraverit, quique optime viderit rationes contrarias partis, eaſque omnes examinans & expendens judicaverit contra cæteros qui ipſum præceſſerunt, ſcriptores, ſuam opinionem probabiliorem eſſe, etiamſi illa minus tuta ſit, poſſe eam*

amplecti, & ſecundum illam rectè operari. Effati ſui rationem hanc tradit: *Negare enim non poſſumus turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem abſque delectu rationum, aut ſaltem non tam exactè ponderatis rationibus, contra quos deinde alius Doctor magna auctoritatis opinionem aliquam maturè excogitatam in Scholas introducere poteſt.* Vaſqui non invitus quod aſſerit concedam. Verùm ingenii noſtri tenuitas ut hoc nobis arrogemus non patitur. Sequi malumus quàm anteire. Novas opiniones cujuſcumque generis averſamur & fugimus, antiquas tantum inquirimus. Si cum recentioribus & probatis non conveniunt, concordiæ rationes qua poſſumus, inire ſtudemus. Si vires ſuperat opus, antiqua, ut obſcura, & ruderibus, nimioque ſitu ſqualentia, ipſaque antiquitate antiquata, in medio relinquimus, donec Oepidus aliquis nodum ſolvat. Interim præſentes Eccleſiæ Doctores, & præſentem diſciplinam amplectimur & colimus. Quanquam ſi velimus auctoritati Eccleſiaſticæ habenas laxare, & de ea non Philoſophorum Phyſicorum, ſed Juriſconſultorum & Canoniſtarum more judicium facere, antiqua iſta facilè inter ſeſe, & cum hodiernis magna ex parte mea quidem ſententia, conciliari poſſent.

CAPUT IX.

Variis diſtinctionibus præcedentium diſficultatum conciliatio tentatur. Ordinatio contra Canones Eccleſiaſticos facta judicatur irrita & nulla quandiu canones vigent; ut & matrimonium & Abſolutio. Variis exemplis hoc axioma confirmatur, & illuſtratur. Pontificum inter ſe hac in cauſa diſſenſiones in facto non in jure ſedisſe. Hos Canones Eccleſiam minuere, ampliare, abrogare poſſe. Id à ſimile confirmatur. Characteris virtus ab Eccleſia ſuſpendi poteſt, ita ut ſi velit agere, nihil producat. Legitimè in Eccleſia ordinatus, ſi deponatur, aut Hæreticus poſtea factus reſipiſcat, iterum non ordinatur, ſed tantùm reconciliatur. Quarta Scholaſtic. ſententia difficultates omnes facile ſolvit. Poſſunt Pontifices agere, & diſpenſare ex probabili opinione. Opinionum varietas tandem ab Eccleſia definiri poteſt. Sacramentum dubium ſive in jure, ſive in facto repetitur. Canones antiquitus difficillimè ſolvebantur.

I. PRima eſto, In ritu ordinationis ſacræ quædam eſſe divinæ inſtitutionis & traditionis, quæ omni ordini ſacro ſemper & ubique conveniunt, veluti manus impoſitio, & oratio conveniens, quæ & ſcriptura ſacra nobis tradidit, & Eccleſiæ praxis ſemper & ubique uſurpavit. Quædam verò Eccleſiaſticæ inſtitutionis, quæ licet mutari poſſint, & pro temporum & regionum varietate aliter atque aliter obſervari, tanti tamen ſunt momenti quandiu ab Eccleſia revocata, aut abrogata non ſunt, ut eorum omiſſio ordinationem reddat non modo inhoneſtam & illicitam, ſed etiam irritam & nullam, omnique effectu & gratia caſſam. Illa autem omnia ejuſmodi, conditiones ſunt materiam Sacramenti ſic afficientes, & determinantes, ut earum defectu materia reddatur ordinationi inepta. Illæ autem tam ſpectare poſſunt Ordinantem quàm Ordinandum. Eccleſia enim, meo judicio, definire poteſt quibus conditionibus Ordinans Epiſcopus auctoritate ſua uti debeat; quibuſve cum donis & qualibus Ordinandus ſeſe Ordinanti ſiſtere, ut validè & efficaciter ordinem ab eo recipiat: Ita ut ſi Ordinans aut Ordinandus definitionem hanc neglexerint, contraque egerint, actio ſit nulla & irrita, atque ut effectus producatur, iteranda. Idem de hoc Sacramento analogicè dicendum quod de Matrimonio & Pœnitentia, quorum materias videmus Eccleſiam ſæpe ſub interminatione irriti Sacramenti reſtrinxiſſe, dilataſſe, vario tempore variis modis determinaſſe. Iſtius rei explicationi non eſt diutius inſiſtendum, cum eam cap. primo Exercitationis primæ, & cap. 5. Exercitat. 4. diffuſè enarraverimus, & multis Doctorum recentiorum auctoritatibus demonſtraverimus. Hinc ſequitur Sacramentorum iſtorum materias in diverſis Eccleſiis poſſe eſſe diverſas; atque Matrimonium, Abſolutionem, Ordinationem, quibuſdam in locis celebrata, irrita eſſe & nulla, quæ ſi eodem modo, & cum iiſdem circumſtantiis facta fuiſſent aliis in locis, fuiſſent rata & legitima; dummodò conditiones illæ & circumſtantiæ, ut aſſumimus, ſint ex uſu illius Eccleſiæ ut ſubſtantiales imperatæ. Unuſquiſque enim Eccleſiæ in qua vivit morem ſequi tenetur, niſi licentiam à poteſtatem habente ſit conſecutus.

II. Hoc dato quod mihi videtur maximè æquum, quodque demonſtrat evidentiſſimè pars eorum quæ antecedenter enarrata ſunt, nulla difficultas ſupereſt in Ordinationibus iteratis eorum quos ordinaverant Pontifices, Conſtantinus Formoſus, Photius, Ebbo, & alii. Nam qui iterum ordinabant, aut ordinandos contendebant, judicabant eos ſecundum canones non fuiſſe ordinatos. Exempli cauſa Stephanus IV. qui depoſito Conſtantino creatus eſt Pontifex, ordinationes Conſtantini judicavit irritas, & omni effectu caſſas. Quamobrem? eo quod Conſtantinus contra canones factus fuerat Pontifex, ſcilicet ex Laico, & derepente canonicis interſtitiis de more non obſervatis. Cum igitur canones Eccleſiaſtici in ipſius ordinatione obſervati non fuiſſent, canonica tum temporis non potuit eſſe illius ordinatio, ac proinde ſecundum illos Patres irrita fuit, & per eam nihil illi datum eſt, nihil quoque alios conſecrando illis dare potuit. Nihil igitur mirum ſi magni conſilii ſententiâ cui præſidebat Stephanus, quotquot ab eo ordinati ſunt, ſi vellent ordinum miniſteriis fungi quos inaniter acceperant, iterum ordinari juſſi ſunt.

III. Hanc

III. Hanc eſſe irritæ & inanis Ordinationis cauſam in Conſtantino diſertè ajunt, qui caſſas pronuntiarunt illius ordinationes. Anaſtaſius Bibliothecarius, *Ante unam diem ordinationis præfati beatiſſimi Papæ Stephani, aggregati aliquanti Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum & Clericis in Baſilica Salvatoris, iterum præfatus Conſtantinus ad medium allatus eſt, lectiſque ſacratiſſimis canonibus ita depoſitus eſt. Accedens enim Mauricianus Subdiaconus orarium de ejus collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ejus abſcidit.* Paulo poſt Stephanus conſecratus, & in Pontificatu confirmatus, Legatos mittit ad Regem Francorum Carolum, & Carolomannum *deprecans atque adhortans eorum excellentiam per ſuas Litteras Apoſtolicas, ut aliquantos Epiſcopos gnaros, & in omnibus divinis ſcripturis, atque ſanctorum canonum inſtitutionibus eruditos, ac peritiſſimos dirigerent ad faciendum in hac Romana urbe Concilium pro eadem impia novi erroris ac temeritatis præſumptione, quam anteſatus Conſtantinus Sedis Apoſtolicæ pervaſor auſus eſt perpetrare.*

IV. Miſſis à Regibus Francorum Epiſcopis, & Concilio cui Pontifex ipſe præſidebat coacto, in medium deducitur Conſtantinus invaſor, & ob hoc crimen judicatur nullos ordines conſecratione ſua accepiſſe, *Subtilius exquiſitus cum præſumpſiſſet Apoſtolicam ſedem Laicus exiſtens invadere, & talem impiæ novitatis errorem in Eccleſia Dei perpetrare, ita coram omnibus profeſſus eſt, vim ſe à populo pertuliſſe, &c.* Conſequenter ſupplex & pavimento proſtratus miſerabili fletu veniam deprecatus eſt. Poſtera die iterum comparuit, ſed mutato conſilio ordinationem ſuam defendit, canonicamque aſſeruit: *Reſpondit nihil novi ſe feciſſe, dicens, Quia & Sergius Archiepiſcopus Ravennatium, Laicus exiſtens Archiepiſcopus factus eſt. Et Stephanus Neapolitanæ civitatis, & ipſe Laicus, repente Epiſcopus conſecratus eſt. Dum verò talia idem Conſtantinus perſequeretur, illico irati zelo Eccleſiaſtica traditionis univerſi Sacerdotes alapis ejus cervicem cædere facientes eum extra eandem Eccleſiam ejecerunt. Tunc detectis omnibus ejus rationum geſtis, ſimul & Concilio illo quod in ſcriptis de ejus quaſi confirmatione geſtum fuerat, igne combuſſerunt in medio Presbyterii ipſius Eccleſiæ.*

V. Confirmata fuerat, & judicata canonibus non adverſari Conſtantini ordinatio Concilio poſtea celebrato, cui Stephanus adhuc Presbyter cum reliquo Eccleſiæ Romanæ Clero conſenſerat. Ideo depoſito Conſtantino, & damnata ejus ordinatione Pœnitentiam ſibi indixerunt. Sic enim apud Anaſtaſium ſequitur, *Et hoc facto projiciens ſe in terram ſanctiſſimus Stephanus Papa cum univerſis Sacerdotibus, & populo Romano, clamanteſque Kyrie eleiſon, cum ingenti fletu peccaſſe ſe omnes profeſſi ſunt pro eo quod de manibus ipſius Conſtantini communionem ſuſcepiſſent, ſicque ex hoc omnibus indicta eſt Pœnitentia.* Quas autem regulas in ſententia adverſus Conſtantinum & ordinationem ejus ferenda ſecuti ſunt? *Tunc allatis ſacratiſſimis canonibus, eſque liquido perſcrutatis prolata eſt ſententia ab eodem Sacerdotali Concilio ſub anathematis interdicto, ne ullus unquam præſumat Laicorum, neque ex alio Ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacrum Pontificatus honorem poſſit promoveri; & alia plura quæ de eo canonica indigebant correptione, in eodem Concilio ſtatuerunt emendanda.* Deinde ſequitur illa pars ſententiæ qua Ordinationes à Conſtantino factæ declarantur irritæ, inanes, & iterandæ: Et ſecundum illam ſententiam refert Anaſtaſius nonnullas reapſe à Stephano Papa iteratas fuiſſe. Sed iſta ſupra c. v. hujus Exercitationis ſuſè enarrata ſunt.

VI. Eadem ratio eſt, & evidentior Ordinationum Formoſi Papæ quas duo illius ſucceſſores Stephanus & Sergius iterarunt. Judicatæ enim ſunt irritæ & inanes, eo quod contra canonum præſcripta factæ fuerant. Eadem de reliquis ratio. Neutra pars diffitebatur iterandas eſſe Ordinationes non canonicè factas. Imò utraque hoc facto diſputationis ſuæ fundamento, Ordinationes nempe non canonicas eſſe irritas, inanes, & ideo repetendas ut valerent, pro viribus in Adverſarium contendebat Ordinationes de quibus lis movebatur ſecundum canones non eſſe inſtitutas: Adverſarius verò quacunque poterat arte adlaborabat ut eas canonicas demonſtraret. Hoc evidenter elucet in omnibus Antiquorum de hac re contentionibus, quas tota hac Exercitatione enarravimus. Quapropter ne Lectori ſimus importuni, eorum repetitione ſuperſedemus. Hinc manifeſtum eſt acerrimas illas Pontificum inter ſe contentiones, in quas nonnulli Hiſtorici prædurè & contumeliosè invecti ſunt, in facto ſediſſe non in jure, & à diligenti circumſtantiarum inquiſitione pependiſſe, in quibus facilè, & ſummis Pontificibus, & Conciliis, ut & cæteris Judicibus & Principibus imponi poteſt.

VII. Hinc ratio commoda elicitur quamobrem varia Concilia lapſu temporis multos Clericos Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes recepit, & in Ordinibus quas ab Hæreticis acceperant, miniſtrare præcepit, cum antea id non faceret, ſed Ordinationes eorum prorſus irritas, & inanes declararet. Variæ cauſæ politicæ, conſervandæ ſcilicet pacis & extinguendi Schiſmatis id effecerunt. Nec mirum hoc alicui videri debet. Dato enim Eccleſiam conditiones Ordinationibus ponere poſſe, quibus præteritis Ordinatio invalida eſt & inanis; Sanè eſt in poteſtate Eccleſiæ has conditiones moderari, abrogare, minuere ut pro utilitate plebis Chriſtianæ æquum eſſe judicaverit.

VIII. Non ignoro Scholaſticorum vulgus qui præteritis ſeculis ſcripſerunt, contra ſæpe decernere: Ordinationum formas ab omni ævo definitas eſſe; ipſis nihil addi aut demi poſſe, quod ad ipſorum ſubſtantiam pertineat: Si aliquid Eccleſiæ decreto aut conſuetudine additum, aut demptum fuerit, ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinere; omitti quidem cum peccato, ſed ſine ulla effectus fruſtratione. Verum antiqui Pa-

tres, & Scholaſtici recentiores non ita; moraliter magis & civiliter de iſtis philoſophati ſunt: Videlicet non tantum ab ipſis Eccleſiæ incunabilis definitas eſſe Ordinationum materias, ſed his prioribus definitionibus & materiæ conditionibus alias pro prudentia ſua Eccleſiam addere poſſe, & addidiſſe, quarum prævaricatione effectum Ordinatio non conſequebatur. Ideo depoſitus eſt Conſtantinus, & nullius Ordinis characterem accepiſſe judicatus, quia Neophytus cum eſſet, contra canones ordinatus eſt, & repetitæ ejus Ordinationes, velut à Laico incaſſum celebratæ: Formoſi ordinationes pari ratione iteratæ ſunt, velut qui Pontifex non fuiſſet, eo quod è ſede propria in aliam ſedem contra canones tranſlatus: Deinde quod degradatus, & Laica communione multatus ſedem contra canones recuperaſſet. Similiter Ordinationes Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis poſt depoſitionem factas iteravit Hincmarus, contendens Ebbonem non fuiſſe ſedi ſuæ legitimè & ſecundum canones reſtitutum, & iterationem approbavit Concilium Sueſſionenſe ſecundum. Nicolaus quoque primus ad quem provocatum erat, eam controverſiam judicaturus diligenter inquiri jubet depoſitionis iſtius & reſtitutionis circumſtantias, ſecundum eas de Ordinationum ab Ebbone poſt reſtitutionem factarum validitate pronuntiaturus. Præterea tantus erat in hoc Eccleſiæ conſenſus, ut non ſolum id admitterent, Conſtantini, Formoſi, Ebbonis, Photii, Adverſarii, ſed etiam Rei ipſi & qui eorum partes tuebantur. In hoc unum omnibus ingenii nervis contendebant, ut Ordinationem eorum aut reſtitutionem legitimè & ſecundum canones eſſe factam demonſtrarent. Nihil etiam aliud velle videntur antiquiores canones cum jubent Ordinationes contra præſcriptum factas ἀκύρους εἶναι, irritas eſſe, nullius roboris, ſic ordinatos non eſſe Epiſcopos, aut quid ejuſmodi. Nihil igitur Gregorius VII. ultra poteſtatem qua erat inſtructus, ſed prudenter pro Eccleſiæ ſui temporis ſtatu egit cum hunc canonem in Concilio Romano V. condidit, *Ordinationes quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio alicujus perſonæ ea intentione impenſo; vel quæ non communi conſenſu Cleri & populi ſecundum canonicas ſanctiones fiunt, & ab his ad quos Conſecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas eſſe dijudicamus.*

X. Secunda diſtinctio; In charactere, ut in quavis alia re, duo diſtingui debent, rei ſubſtantia, & virtus agendi. Character ſemel impreſſus ab Eccleſia non pendet amplius: perpetuus eſt, & indelebilis; ſed ipſius virtus Eccleſiæ regimini ſubdita eſt, ab ea ſuſpenditur, ita ut nihil agat, aut agere poſſit quandiu durat ſuſpenſio. Ordinare potent Epiſcopus depoſitus, hoc eſt, ceremonias Ordinationis omnes exercere, ſed nullo cum effectu, & fructu. Hoc diſertiſſimè docent Innocentius Papa, Panormitanus, & alii Doctores relati Exercitat. 4. in fine cap. 5. quibus infra Cardinalem Hoſtienſem addo. Idem ex antiquorum illorum Patrum ſententia de characteris virtute dicendum videtur, quod omnes prope Theologi de poteſtate à peccatis abſolvendi docent. Illa radicaliter & ſubſtantialiter per ordinationem Presbytero confertur, nec ab eo poteſt auferri. Uſus tamen ejus & actio à ſuperioribus pendet, ab iis revocari poteſt, nihilque revocata in confitente prorſus agit; ei limites figi poſſunt, quos ultra citraque efficaciter non operabitur. Hoc certè nec characteris indelebilitati, & perpetuitati quam diſertè docet Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 9. & ſeſſ. 23. c. 3. & can. 4. ejuſdem ſeſſionis; nec ullis Eccleſiæ decretis, quæ hactenus nobis innotuerunt, ulla ratione repugnat: Contra vero multis rationibus Patrumque dictis, & exemplis conforme videtur, qui de præteritis aut futuris Depoſitorum actionibus ita loquuntur; ita quoque de actionibus eorum qui ſecundum canones ordinati non ſunt, ut eas omnino irritas, & à legitimè ordinatis iterandas velint. Sane verba quibus ad hoc ſignificandum utuntur (ut ſileam iterationis ipſiſſima verba, & iterationis ordinum reipſa factæ plurima exempla) ſic comparata ſunt, ut nulla ad hunc ſenſum accommodatiora, nulla efficaciora eligi potuerint. Univerſum litigium quod de Ebbonis ordinationibus Galliam tamdiu turbavit, & fatigavit huic axiomati ex utraque parte conceſſo innitebatur, Epiſcopum ſcilicet depoſitum irrito conatu ordinare, nihilque ab eo ordinatos accipere. Idem & multo magis de Epiſcopis degradatis, Simoniacis, & Excommunicatis, quales erant ii de quibus Petrus Damianus, Leo IX. Urbanus II. & alii Pontifices.

XI. Non eſt igitur omnino novum Eccleſiam characteri leges imponere quibus violatis virtus ejus hebeſcit. Cum igitur character ſit indelebilis, qui eo donati ſunt, cum ad Eccleſiam redeunt, iterum non ordinantur, ſed tantum reconciliantur, illiſque exequendi ordinis poteſtas redditur, virtuſque characteris depoſitione, degradatione, aut Excommunicatione ligata ſolvitur iis ceremoniis quæ deſcribuntur in Concilio Toletano IV. can. 27. & apud Burchard. lib. 2. cap. 192. Ivonem p. 5. c. 367. & parte 6. c. 237. Quid conſimile tradit Cardinalis Hoſtienſis de Schiſmaticis n. 4. Dicit eum, ut & Excommunicatum, dare quidem characterem, ſed ineffacem, *qui per diſpenſationem calorem ſumit, & vivificatur*, quod nonnullis exemplis à jure petitis illuſtrat. Et paulò poſt: *Transfertur igitur in caſibus præmiſſis character ineffcax & quaſi mortuus, ſed per diſpenſationem vivificatur, ut præmiſimus. Sic legitur de leæna quæ Embryonem emiſit, id eſt, fructum carnis ſcilicet fœtum formatum ſine anima, ſed poſtea per ululatum in eum infundit animam, &c. Sic patet quod Schiſmaticus confert Eccleſiaſtica Sacramenta.* Sed jacto hoc fundamento præcedentibus commodo, quæ ſunt conſequentia uſquequaque non proſequitur.

XII. Utraque iſta diſtinctio optimè convenit cum iis quæ diſputata ſunt, & probabiliter ex Sanct. Hieronymo & innumeris Patribus qui eum ſequuntur demonſtrata de Epiſcopi à Presbytero differentia. Nam ſi ordo

Epiſco-

Episcopalis, nihil addit substantiale & intrinsecum characteri Presbyterali, qui potestatis Episcopalis radix est, & fundamentum, præter solam divinam deputationem ad omnes ordines conferendos, cæteraque munia Pontificalia administranda, facilè intelligitur qua ratione Episcopalis potestas possit ab Ecclesia limitari, circumscribi, & revocari, non tantum prout volunt Scholastici, ne licitè agat, sed etiam ne omnino agat: Vel si contra præscriptum agat, irritus sit effectus: Et si necesse sit effectum illum produci, eadem actio ab alio Episcopo legitimam potestatem habente sit iteranda. Est enim omni deputationi & potestati extrinsecæ naturaliter insitum, ut ab eo cui subest, possit hoc vel illo modo concedi & restringi.

XIII. Itaque pleræque illæ difficultates ad quartam sententiam de differentia Episcopi à Presbytero cap. 3. Exerc. 4. explicatam examinatæ; atque etiam ad primam quæ plurimos & insignes Scholasticos habet autores, prorsus cessant & evanescunt. Hanc consequentiam rectè vidit & tetigit Scotus, nec non Alexander Halensis quos supra in fine cap. 1. Exercit. tertiæ retulimus. Quapropter qui quartam opinionem eo loco à nobis explicatam, à tot antiquis Patribus assertam, aut primam à tot Scholasticis propugnatam, & conclusiones ex illius principiis naturaliter & evidenter promanantes persequi vellet, non difficile sese à præcedentibus difficultatibus quæ iterationem Ordinationum evidenter demonstrant, extricaret. Probabilissimum igitur est antiquos illos Episcopos & Concilia particularia cum Schismaticorum, Degradatorum, Hæreticorum, & Simoniacorum ordinationes licet Catholica forma celebratas iterari decreverunt, quartam illam sententiam esse amplexos, atque secundum eam credidisse Episcopales omnes actiones esse ita Ecclesiæ subjectas ut posset non modo canones condere quos nisi sequerentur Episcopi pœnarum tenerentur rei; Verum etiam actiones ipsæ nullæ essent & irritæ, atque reficiendæ. Hoc enim videtur esse consequens illius sententiæ quæ Episcopatum docet nihil addere Presbyteratui præter deputationem extrinsecam, & relationem novam consecrationi advenientem. Consequens quoque Hieronymianæ sententiæ, quam Patrum pars multò maxima diserte amplectitur, quæ confert actiones quasdam Episcopis ob datam divinitus illis supereminentiam, ab Ecclesia esse attributas, & Presbyteris prohibitas. Idem quoque admittere, aut saltem ab eo non esse alieni, debent quotquot censent Presbyterum delegatione Pontificis alium Presbyterum ordinare posse. Verùm posterior distinctio difficultates præcedentes non malè conciliare potest cum secunda sententia quæ docet Episcopatum addere Presbyteratui characterem peculiarem. Nam si virtus characteris ipso illæso Lege Ecclesiastica suspendi potest, rectè intelligitur qua ratione Depositus, Degradatus, Hæreticus, Simoniacus, licet characterem in Ecclesia acceperint, & conservent, nihil tamen in Ordinatos à se transmittant, donec cum Ecclesia in gratiam redierint. Si conciliatio initur hoc modo cum secunda sententia, multò magis cum tertia quæ intrinsecam Episcopi à Presbytero differentiam in extensione, & ampliatione ejusdem characteris tantum reponit.

XIV. Tertia distinctio est quæstionis definitæ & dubiæ. Quandiu quæstio dubia est, & Doctorum disputationibus in utramque partem ventilatur, quisque Pontifex opinionem quam judicaverit probabiliorem, aut rei quam præ manibus habet accommodatiorem, amplecti potest, & secundum eam agere, & dispensare, nihilque hac œconomica dispensatione contra sanam doctrinam decernet. Ideò dum Ecclesiæ Doctores & Episcopi vacillarent in Ordinationum à Schismaticis, Hæreticis, Degradatis, & Simoniacis factarum definitione, potuerunt Pontifices quod sibi fuit probabilius aut accommodatius in hac opinionum varietate eligere & persequi. In quibusdam eorum forsan desiderânda fuisset major prudentia, neve tam præcipites ruissent in eorum rescissionem quæ Decessores fecerant. Sed aliud est imprudenter agere, aliud contra fidem: Aliud esse animo adversus aliquem exulcerato, atque ideò durius aliquid in eum audere; aliud Majorum doctrinam & traditionem violare. Denique Lectorem commovere non debet quod ab annis quadringentis Scholastici Doctores constanter contrarium de ordinationibus Schismaticorum, Hæreticorum, Degradatorum; & Simoniacorum secundum Ecclesiæ formam factis edixisse videntur. Nam quicunque annales Ecclesiæ attenderit, facilè animadvertet Doctores Ecclesiasticos multis aliquando seculis opinionum varietate discordes fluctuasse, tandemque Deo lucem majorem præstante in unam sententiam cæteris repudiatis conspirasse. Quàm multæ quæstiones primis Ecclesiæ temporibus dubiæ fuerunt, & in utramque partem vulgo disputatæ, quæ Posteris indubitatæ fuerunt. Quantas Concilium Tridentinum definivit, ut cætera Concilia prætermittam, quæ antea in utramque partem probabiliter agitabantur? Quid igitur periculi, si dixerimus id in hac causa accidisse quod in aliis toties contigit? Scilicet quæstionem hanc olim dubiam nunc & ab annis quadringentis unanimi Doctorum consensu esse resolutam & definitam.

XV. Denique distinguendum inter certam & dubiam Sacramenti administrationem. Consuetudo olim in Ecclesia invaluerat, quæ annis prope mille & ducentis perseveravit, quâ si quid exoriebatur in administratione Sacramenti dubium, statim sine ulla conditionis appositione iterum ministrabatur, sive dubium hoc spectaret totum Sacramentum; ut cum dubitabatur an aliquis fuisset baptizatus aut ordinatus; sive spectaret tantum Sacramenti jam ministrati circumstantiam. Vulgatissimum enim erat axioma, *Non est iteratum, quod certis indiciis antea non ostenditur peractum.* Sacramenta enim tanti sunt momenti, ea præsertim quæ semel tantum traduntur, ut ubi dubium est aliquod probabile, accepta non fuisse, aut non validè tradita, debeant omnino sine scrupulo conferri, ne hæsitatione nostra anima

pereat quam Chriſtus redemit, *Dum ſub ſpecie cautionis*, ut ait Leo Pontifex ep. 37. *negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impenſa.* Nihil hac in cauſa reformidandum eſt iterationis crimen, *Quoniam*, ut ait idem Leo, *non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Eadem conſuetudo nunc etiam perſeverat, ſed iteratio illa quæ antiquitus abſolutè, nunc ſub conditione fieri ſolet.

XVI. Conſuetudinis iſtius permulta collegimus exempla lib. 10. de Sacr. Pœnitentiæ c. 12. quibus tantum addemus id quod ſcribit S. Raimundus Summæ lib. 3. tit. de ætate Ordinandorum §. 11. *Ad hoc varia ſunt opiniones, ſed inter alias hanc elige tutiorem, ut regulariter teneas, quod in hujuſmodi de quibus non conſtat, quæ ſunt de ſubſtantia, vel quæ non; inveniuntur tamen quod debent fieri, intelligas omnia eſſe de ſubſtantia, niſi inveniat expreſſum in jure quod non ſint de ſubſtantia. Unde ſi aliquid tale de quo dubitatur utrum ſit de ſubſtantia, ſive non, fuerit omiſſum poteſt ordinatio iterari: Non enim intelligitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum. Diſt. 68. Presbyteri. De conſec. diſt. 1. ſolemnitates.* Et paulo pòſt in fine illius Paragraphi: *Sunt autem alia de quibus neſcitur, utrum ſint de ſubſtantia, vel non, ut Miſſa, & quod ſint jejuni, tam ordinans quam ordinandus, & ſimilia. Quæ omnia intelligas de ſubſtantia, niſi inveniretur expreſſum contrarium, ut ſupra dictum eſt.* Eandem praxim aſſerit & conſulit Summa Aſtenſis lib. 6. tit. 4. art. 5. Raymundo citato, illiuſque verbis relatis: *Unde ſi quid talium ſit omiſſum, poteſt ordinatio iterari, ſcilicet ex toto, quaſi nihil ſit actum.* In hujus rei confirmationem allegat Innocentium in canones Decreti jam allegatos: Goffredum quoque & Hoſtienſem Raymundo conſentire affirmat.

XVII. Huic igitur antiquiſſimæ & recentiori Eccleſiæ Catholicæ praxi inhærentes, nobis videmur non improbabiliter dicere Pontifices & Concilia, cum juſſerunt Ordinationes Simoniacè factas, aut ab Hæreticis datas, aut à Neophytis ſuſceptas, iterari, antiquam Eccleſiæ traditionem & praxim eſſe ſecutos. Graviſſimum enim erat dubium de Ordinationum illarum valore, fluctuantibus & nutantibus in iſtarum quæſtionum deciſione, Doctoribus, Epiſcopis, Conciliis, & ſummis Pontificibus. Omnes conveniebant, Ordinationes legitimas non eſſe iterandas. Diſſidia tamen naſcebantur aliquando in facto, An hæc ordinatio eſſet canonica. Alii aſſeverabant contra canones eſſe factam, & ideo iterandam: Alii contrarium aſſerebant. Aliquando in jure ſpeciali; Veluti an Ordinationes à Simoniaco Simoniacè factæ valerent; An ab his Hæreticis? Iuris iſtæ quæſtiones eo tempore erant admodum perplexæ, quas Pontifices aliquot cum Conciliis & Cardinalibus magna cum animi anxietate ſæpius examinaverant, & diſcuſſerant; ſed obſcuritate lucem Doctorum illius temporis, & aliquot ſæculorum ſequentium ſuperante, decidi non potuerant. Quid aliud erat illis in tam difficili & ancipiti negotio faciendum quàm quod fecerunt? Antiquum Eccleſiæ morem velut ſacram anchoram amplexi ſunt, & quod erat in hac opinionum fluctuatione tutiſſimum, vitato fumo & unda, ut eſt in proverbio, elegerunt.

XVIII. His omnibus attento animo & non malevolo conſideratis; laudandi mihi videntur illi Pontifices qui Ordinationes quas dubias judicabant, iterari juſſerunt. Id certè animi pii & canonum amantis & reverentis argumentum eſt. Ex hodierna Eccleſiæ indulgentia non eſt de antiqua ſeveritate judicandum. Regulæ Patrum antiquitus difficillimè ſolvebantur. Si quando quid ejuſmodi faciendum occurrebat, tum varia Concilia cogebantur; neceſſitas regulæ ſolvendæ diligenter examinabatur, vixque tandem relaxatio concedebatur. Animo ſibi proponat Lector quantæ contentiones, quanti turbines propter Photium non obſervatis interſtitiis ordinariis in Epiſcopum ordinatum: Quanti propter Ebbonis depoſiti ordinationes qui non legitimè reconciliatus prætendebatur: Quanti propter Papam Conſtantinum & Formoſum! Quam multa prætereo. Proh Deum immortalem! Quantæ ſeditiones, quanti tumultus, quanti furores Schiſmatis Donatiſtarum cauſa! Quid illi cauſabantur? Cæcilianum Archidiaconum à Traditoribus Deificorum codicum eſſe in Epiſcopum ordinatum. Difficultas Ordinatorum à Simoniacis centum annis & ultra vexavit Eccleſiam his prætendentibus ordinationes iſtas irritas eſſe, aliis valere; nonnullis eas diſtinguentibus, & facta diſtinctione variè reſpondentibus. Quàm multa concilia ſedandæ & conciliandæ hujus difficultatis cauſa celebrata ſunt, etiam ſummis Pontificibus ea procurantibus! Si tamen quis iſta & pleraque alia ejuſdem generis, eorum cauſas & circumſtantias ad hodiernam conſuetudinem examinet, nullamque habeat animo conceptam antiquæ hiſtoriæ effigiem, ne umbram quidem difficultatis in his omnibus deprehendet: Remedium erit illi in promptu, & velut in numerato, ad Pontificis diſpenſationem eſſe confugiendum, qui autoritate ſua vitium purgabit, facietque ut quæ invalida futura erant valeſcant; ſtupebitque antiquitus tantos eſſe de re tantilla, & reparatu tam facili diſputationum fluctus commotos, univerſumque Occidentem in ſeſe & cum Oriente colliſum. Si quis tamen hæc, ut Catholicum decet, oculis aſpiciat æquis, non transverſis & hircinis, facile conciliabit, nec erit illi neceſſe abſurdos & inauditos ſenſus verbis Patrum affingere, phraſes planas & obvias velut in equuleo torquere, ſuſque deque flectere, vertere, trahere, ut quod anticipata opinio præjudicavit, tandem exprimant. Sapiens Eccleſiæ Oeconomia cui Chriſtus dixit, Quæcunque ſolveritis in terra erunt ſoluta & in cœlo, &c. variatis perſonis, & temporibus regimen variat, & quæ ſunt unicuique pro eadem varietate convenientia, adminiſtrat. Ideo leges olim admodum ſeveras magna ex parte paulatim abrogavit, aut immutavit; cæteras nunc, & ab aliquot ſeculis facilè relaxat. Nec leges iſtæ actionis decus & honeſtatem tantum afficiebant, ſed etiam rei ſubſtantiam & corpus, tanta eſt

&

& haberi debet Ecclesiæ autoritas. Quapropter si ea diligenter attendatur, temporis quoque & personarum varietas, ex rebus tam discordibus concors harmonia consurget; deprehendeturque Ecclesiam, instar prudentis Medici qui ægrorum temperamenta & temporis qualitates studiosè inquirit, remedia modò aspera, modò lenia, sed semper efficacia, filiis suis propinasse.

CAP. X.

Qua ratione antiquitus recepti sunt Clerici tam apud Græcos quàm Latinos in Catholica ordinati, sed ad Hæreticos transfugæ, cum resipiscentes ad Ecclesiam revertebantur. Annis 350. nullum exemplum eos cum ordinibus suis receptos. Exemplis in contrarium respondetur. Qui primi ita recepti dicuntur, non fuerant ex animo Hæretici. Indulgentia paulatim ab ipsis Consiliis in Hæreticos numerosos postea exorientes prorogata est. Causæ prorogationis explicantur. Nonnullorum ordinatio judicari posset Hæretica, quæ tamen est Catholica.

I. DIstinctionem alterius generis hoc capite explicare aggredior, cui penitus, intelligendæ præcedentes distinctiones nonnunquam supponi debent. Ea spectat Clericorum Hæreticorum & Schismaticorum ad Ecclesiam redeuntium admissionem, quam ex antiquis monumentis aliquomodo adumbrare conabimur; Alius in his rebus diligentiùs versatus veras formulas exprimet. Interim hac μονογράμμῳ delineatione coloribus & luminibus cassa Lector fruatur. Clerici in ea causa quam agimus, in tres classes sive gradus distinguendi sunt. Primus eorum est qui fuere in Ecclesia Catholica ordinati, sed postea transfugerunt ad Hæreticos, deinde resipiscentiâ ducti ad Catholicam revertuntur. Secundus est eorum qui ordinationem ab Hæreticis susceperunt. Tertius est Schismaticorum. De unoquoque hoc genere, ordine & separatim, ut feret ingenii mei tenuitas, & rerum antiquitus gestarum memoria suppeditabit, verba faciemus, ita tamen ut adversanti mihi nolim adversarier. Ista enim apud me rata non sunt, sed palpans in tenebris ea Lectori pensitanda & corrigenda propono.

II. Nullum mihi occurrit exemplum spatio trecentorum & quinquaginta annorum Clerici Catholici ad Hæreticos transfugæ post reversionem ad Ecclesiam cum ordinum exercitio susceptí. Laici in Ecclesia baptizati si secessissent ad Hæreticos, resipiscentes non admittebantur nisi cum gravissima Pœnitentia, ut demonstravimus l. 9. de Sacramento Pœnitentiæ c. 7. Monstrum autem tum fuisset ingens & informe Pœnitentem in Clerum allegare. Quid de Clerico lapso? Qui consideravit quam A graves Pœnitentiæ Laicis lapsis tum imponerentur, nunquam sibi persuadebit Clericos acta Pœnitentia in Clerum revocatos. Imò Clerici propter tantum crimen depositi, pristinæ dignitati nunquam restituebantur, idque plurimis seculis in Ecclesia viguit, ut probavimus lib. 4 de Sacramento Pœnit. c. 14. 15. Itaque multis seculis nullus potuit esse huic quæstioni locus. Nonnulla occurrunt Hæreticorum ejusmodi exempla, ut apud Eusebium historiæ lib. 5. c. 35. & cap. ult. apud Cyprianum Epist. 52. can. Apost. 62. sed omnia testantur ad communionem Laicam tantùm admissos. Hujus rei praxis & rationes legantur B apud eundem Cyprianum Epist. 64. & 68. Et Innocentium I. Epist. 22. c. 5.

III. Opponetur forsan quod legitur apud Cypr. Epist. 46. de Maximo Presbytero & Confessore, qui cum aliis Confessoribus in electione Cornelii Papæ Novato se conjunxit, sed postea, pace cum eo & cæteris Confessoribus inita, Presbyteri locus illi condonatus est: *Maximum Presbyterum locum suum ignoscere jussimus*, inquit Cornelius, *ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus*. Sed attentis actionis circumstantiis nihil ad rem facit exemplum. Actio enim illa fuit tumultuosa: Viri optimi, C & Confessores celebres à Novato decepti paucis diebus partes ipsius amplexi sunt, sed statim ad cor redierunt, & quem amplexi fuerant, paucis post momentis execrati sunt. *Nos*, inquiunt, *errorem nostrum confitemur, nos impostoram passi sumus, circumveni sumus perfidia & loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum Schismatico & Hæretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit.* Quapropter omnes cum summo fidelium omnium gaudio in Ecclesiam nulla pœna imposita susceptí sunt, & utrinque summa concordia conventum est, ut omnia ante gesta abolerentur, & ex hominum memoria obliterarentur, *proinde atque si nihil esset commissum vel dictum.* Fuit hoc non Schisma, sed tumultus & dispositio ad Schisma, qui Dei gratia, & Cornelii prudentia statim sedatus est, & extinctus. Idem pari & potiori jure de Paulo Samosateno Antiochiæ Episcopo dicendum, qui in priore Concilio Antiocheno hæresis convictus sententiam se mutaturum pollicitus est, ac ideo ab Episcopatu non est depositus. Patres enim ipsius pollicitationibus contenti ulterius progressi non sunt, ut testatur secundi Concilii Antiocheni Epistola apud Eusebium historiæ l. 7. c. 24. Simile quid fecerunt Concilii Nicæni Patres, qui teste S. Hieron. dialogo in Lucifer. octo Episcopos Arianam perfidiam amplexos, resipiscentes servatis ordinibus & dignitatibus susceperunt. Sed quando omnes illi ita susceptí sunt, lis erat adhuc sub judice, & sententiæ pronunciatæ acquieverunt.

IV. Minus probabiliter objiceretur quod ait Tertullianus de Marcione Hæretico c. 30. de Præscriptionibus, eum semel & iterum ab Ecclesia ejectum, tandemque in perpetuum discidium relegatum esse: Postea tamen pacem illi ab Ecclesia hac conditione oblatam esse, si quos deceperat, reduces Ecclesiæ sisteret. *Post-*

modum

modum Marcion Pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est, &c. Sed ut cum eodem Tertull. loquamur, hoc exemplum intra lineas quas nobis præduximus, non continetur. Agimus enim de Clericorum majorum Apostatarum redintegratione in ordinem quem antè Apostasiam in Ecclesia exercebant. Marcioni autem pacem tantum datam refert Tertullianus, nihil de reddito gradu loquitur. Pacem autem dare nihil aliud erat quàm in Ecclesiam admittere, quod erat privilegium omnibus ad Ecclesiam acta Pœnitentia redeuntibus commune. Imò nullibi Marcion dicitur Episcopus, Presbyter, aut Diaconus. Fuit equidem Episcopi viri probi filius quem pater ob stuprum Virgini illatum ab Ecclesia expulit, ut idem testatur Tertullianus eodem li. c. 15. & Epiph. præsertim hær. 42. in cujus initio rem dilucidè explicat: Marcion inquit *primo vitæ castitatem præ se ferebat, vitamque solitariam exercebat, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Postea cum virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab ipse vitæ cœlestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesia ab ipso Parente pulsus est viro cum primis religioso, &c. Cui cum Marcion diu multumque supplicasset, ac Pœnitentiam postulasset, hanc à Patre precibus non obtinuit.* Non erat igitur Marcion sacris ordinibus initiatus; multo minus post sceleris pœnitentiam demonstrabitur Sacerdotio donatus. Quinimò desertè affirmat S. Epiphanius Marcionem post stuprum non modo à Patre, sed nec ab Ecclesia Romana ad Ecclesiæ communionem fuisse admissum; tantum abest ut ei bis terve parcitum fuerit. Ita prosequitur Epiphanius: *Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperet animadvertit, popularium suorum probra ac ludibria non sustinens clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini mortem se contulit. Eo statim ac Marcion pervenit, Seniores adiens, &c. Ut in communionem admitteretur ab iis frustra petiit. Quamobrem extimulatus invidia quod principem illic locum, ac ne Ecclesia quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.* Et aliquantulum poitea Romanos Presbyteros alloquens, *Cur me recipere noluistis? Responderunt illi: Nobis injusse venerandi Patris tui facere istud non licet; una siquidem fides est, & animorum una consensio. At ille vehementius excandescens schisma conflavit.* Hæc Romanorum Presbyterorum responsio & actio est canonibus & Ecclesiæ praxi admodum conformis, ut manifestum est ex canonibus Apostol. can. 13. Eliberit. c. 25. Arelat. 1. can. 9. Carthagin. 1. can. 7. Antioch. c. 7. Aquisgran. 49. Capitular. lib. 1. c. 3. Felice III. in Synodo Romana c. 6 Apost. c. 15. 16. 34. Agath. c. 52. Epaun. c. 6. Aurelian. c. 3. c. 15.

V. Primum quod occurrit susceptionis Hæreticorum qui in Ecclesia Catholica ordinati fuerant exemplum, eorum est qui in Concilio Ariminensi Arianæ perfidiæ suffragium dederunt, & exemplo suo multos alios præcipites egerunt. Tanta strage in Ecclesia Dei facta, multi Episcopi, & Confessores Christi qui integri steterant, varia Concilia in variis Provinciis celebrarunt; ut Ecclesiæ Catholicæ tantis turbinibus agitatæ suppetias ferrent. Præcipua quæstio erat quid agendum esset de tam multis Episcopis & Presbyteris qui Arianæ perfidiæ consenserant: An severitas antiqua conservanda esset, qua resipiscentes ad Ecclesiam quidem cum Pœnitentia admittebantur, & acta Pœnitentia communione tantùm Laica donabantur; An de hac severitate ratione tanti periculi aliquid esset remittendum. Multi Confessores Alexandriæ tum commorantes, ut ait Russinus historiæ lib. 1. c. 28. *fidei calore ferventes censebant nullum debere ultra in Sacerdotium recipi, qui se utcunque hæretica communionis contagione maculasset.* Alii clementius & prudentius, *sibi rectum videri, ut tantum perfidiæ autoribus amputatis, reliquis Sacerdotibus daretur optio, si forte velint abjurato perfidiæ errore, ad fidem Patrum, statutaque converti; nec negare aditum redeuntibus, quin potius de eorum conversione gaudere, &c.* Posteriorque hæc sententia ubique obtinuit. Nam eodem tempore varia Episcoporum Græciæ, Galliæ, & Hispaniæ Concilia eodem Spiritu eos regente idem statuerunt, ut testatur Sanctus Athanasius in epistola ad Rufinianum. Præclaræ hujus Oeconomiæ rationes locis citatis referuntur: Sed præsertim legendæ sunt apud S. Augustinum epist. 50. qui eas doctè & eleganter enarrat. Nonnulli mediam quandam sententiam secuti, eos quidem recipiendos censuerunt, sed iterum ordinatos, quasi Hæresis professione prior ordinatio erasa fuisset, & abolita. Sed hæc sententia ut traditioni contraria repudiata est. Ordinatio enim in Ecclesia Catholica legitimè facta iterari nunquam solet. Lucifer Calaritanus cum paucis aliis antiquo mori mordicus inhærens Conciliis istis non acquievit; ideo ab Ecclesia secedens schisma fecit: *Hoc*, inquit Augustinus, *displicuit Lucifero, quod factum est in eis suscipiendis, atque sanandis qui veneno perierant Ariano; & cui displicuit, in tenebras cecidit Schismatis, amisso lumine charitatis.*

VI. Non abs re tamen dici posset exemplum hoc propositio non quadrare: Propriè enim in hæresim quæ voluntaria semper est non ceciderant illi Episcopi, sed Arianorum dolis capti, iis imprudentes consenserant, & subscripserant quorum subdolum sensum toto corde execrabantur, ut eleganter ista describit Sanctus Hieronymus Dialogo adversus Lucifer. Ideo rectè negat eos fuisse Hæreticos, *Post reditum Confessorum in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis autoribus hæreseos quos error excusare non poterat, Pœnitentes Ecclesiæ sociarentur: non quod Episcopi possint esse qui Hæretici fuerant; sed quod constaret eos qui reciperentur, Hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens, & per tam necessarium Concilium è Satanæ faucibus erepius est mundus.* Itaque secundum S. Hieronymum non statuit Synodus, ut omnes Episcopi lapsi & Pœnitentes admitterentur in Ecclesiam cum honoribus quibus in ea fulgebant; sed ii tantum qui decepti; vel vi, non autem ex animi arbitrio, Arianis consenserant. Ita quoque indulgentiam

tiam illam interpretatus eſt Sanctus Athanaſius ad Rufinianum. *Communi decreto placuit, ut hic & ubique gentium, quicumque lapſi fuiſſent proprio arbitrio, & anteſignani fuiſſent impietatis, ſi reſipiſcerent, ignoſcendum quidem illis, verùm non reſtituendos in Cleri numerum. Qui vero non autores, ſed neceſſitate & violentia compulſi fuiſſent, viſum eſt quidem illis ignoſcendum, & in Cleri locum reſtituendos, maximè cum probabilem defenſionem, & excuſationem dederint.* Excuſatio illa ab Araonis exemplo petebatur, qui nonnunquam in eremo rebelli populo conſenſit, ne in Ægyptum regrederetur, ibique idolorum cultui ſe dederet. Judicabat enim populum ſi in eremo ſubſiſteret, facile ab impietate retractum iri: Si vero in Ægyptum remearet, nullum fore ad pietatem regreſſum. Ita quoque Epiſcopi illi Ariminenſes *affirmabant ſe non fuiſſe ad impietatem traductos. Ne autem quidam à pietate longè alieniſſimi Eccleſias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere.* Addit Sanct. Athanaſius, *Hoc autem dicentes, nobis quoque viſi ſunt dicere probabiliter, &c.* Itaque vix colligitur eo exemplo Catholicis ad Hæreticos transfugis & poſtmodum pœnitentibus, honorem Clericatus condonatum, cum ii tantum ſint ad veniam electi qui hæreſi ex animo non conſenſerunt, ſed majoris ſua ſententia periculi vitandi cauſa.

VII. Verum qui ſecuti ſunt Patres indulgentiam latius multo, ad omnes nempe ex Catholica transfugas reſipiſcentes, diffuderunt, ut ex tribus S. Baſilii Epiſtolis prima canonica ad Amphilochium, 72. & 74. quæ in ejuſdem ſententiæ confirmationem referuntur act. 1. Concilii ſeptimi. Idem pleraque Concilia poſtmodum fecerunt. Synodus Conſtantinopolitana ſub Siſinnio Patriarcha idem indulſit Meſſalianis ſive Euchitis, quod poſtea confirmatum eſt à Concilio Epheſino Generali, ut videre eſt cap. 2. Appendicis primæ ad Tom. 2. *Omnes qui per univerſam Provinciam Hæretici Meſſaliani, & Enthuſiaſtæ, vel de ejus hæreſeos morbo ſuſpecti, ſive Clerici, ſive Laici ſint, conveniantur. Et ſi quidem anathematizaverint in ſcriptis juxta ea quæ in prædicta Synodo ſcripto pronuntiata ſunt; Si Clerici fuerint, maneant Clerici, ſin Laici ad communionem admittantur. Quod ſi renuerint anathematizare; Si Presbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Eccleſiæ, excidant & à Clero, & à gradu, & à communione; Laici verò anathematizentur.*

VIII. Simile decretum in eodem Concilio factum eſt de Neſtorianis, ut ex S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini qui Concilio præfuit Epiſtolis ad Maximum & Gennadium colligitur, & ex iiſdem Epiſtolis colligebat Tharaſius Patriarcha CP. act. 1. Concilii ſeptimi toto approbante Concilio. Iſtius Oeconomiæ rationem prudentiſſimam reddit Cyrillus, *Quod ſi jam videas eos congregari in rectâ fide, malorum te oportet oblivionem præteritorum inducere. Malumus enim eos videre negantes, quàm inverecundo animo collaudantes Neſtorii improbitatem. Igitur ne contentiones dicamur amare religioſiſſimi Epiſcopi Joannis familiaritatem amplectamur; hoc illi indulgentes, & Eccleſiaſticæ Oeconomiæ cauſa: nec ſimus tam exacti exploratores in eos qui ad mentem redierunt. Res enim commoda adminiſtratione, multaque, ut dixi, diligentia indiget.* S. Gregorius docet juxta hoc decretum eſſe cum Neſtorianis agendum lib. 9. Indict. 4. Epiſt. 61. *Neſtorium cum omnibus ſequacibus ſuis, & reliquas hæreſes, anathematizent: Venerandas quoque Synodos quat univerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere & venerari promittant; & abſque illa dubitatione eos ſanctitas veſtra ſervatis eis propriis ordinibus in ſuo cœtu recipiat, ut dum & per ſolicitudinem occulta mentis eorum diſcutitis, atque eos per veram ſcientiam recta quæ tenere debeant, docetis, & per manſuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis ſuis ordinibus facitis, eos ab antiqui hoſtis ore rapiatis.* Eadem prærogativa donati ſunt Pelagiani, ut conſtat ex Epiſt. 86. S. Leonis Papæ, in qua nonnullos Epiſcopos graviter reprehendit, qui Clericos Pelagianos ſine ulla hæreſeos expreſſa & publica damnatione ad Eccleſiam cum gradibus ſuis admittebant. Hoc poſtremum tantum improbat, neve ulterius fiat, prohibet.

VIII. Eandem Oeconomiam obſervarunt Patres in hæreſi Eutychiana, ut Sanct. Leo naſcente illa hæreſi de ſe teſtatur, Epiſt: 10. ad Flavianum cap. 6. *Si fideliter atque utiliter dolet, & quam rectè motu ſit Epiſcopalis autoritas, vel ſero cognoſcit; vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo* (Eutyche) *male ſunt ſenſa viva voce, & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis ergà correctum quantacunque miſeratio.* Et in fine Epiſt. 13. ad Theodoſium Auguſtum. *Si ipſe qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ita ut per libellarem ſatisfactionem proprium damnet errorem, communio ei ſui ordinis reformetur.* Tantæ indulgentiæ rationes ſuſe proſequitur & explicat Epiſt. 51. ad Pulcheriam Auguſtam, ad quam Lectorem remittimus. Hanc ſententiam poſtea Synodus univerſalis Chalcedonenſis ſecuta eſt. Cum ea enim indulgentia recepit Epiſcopos & Presbyteros, qui in Epheſina ſecunda Synodo duce Dioſcoro prævaricati fuerant, ut paſſim videre eſt act. 8. illius Synodi, aliiſque locis. Ita quoque cenſuerunt Patres Concilii ſeptimi, & ſententiam ſuam priorum Patrum & Conciliorum autoritate & exemplis, tota actione prima demonſtrant. Multi enim, ut ibi videre eſt, contendebant aut antiquam ſeveritatem in hac cauſa obſervandam, aut iterum Clericos ordinandos.

IX. Ad hanc claſſem permulti revocandi ſunt, aut etiam omni Hæreticorum claſſe eximendi, quos quidam iſta minus examinans poſſet ſequenti deputare. Exempli cauſa Anatolius qui ab impio Dioſcoro poſt iniquiſſimam S. Flaviani mortem ordinatus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Quanquam enim Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, & Sanct. Cyrilli Succeſſor & Nepos, hæreſim tum profiteretur, & Hæreticorum Anteſignanus eſſet, nondum tamen ullo Concilii aut Pontificis Romani decreto condemnatus fuerat. Imo Concilium Epheſinum ſecundum ipſius ſententiam probaverat, quæ cum Anatolius ordinatus eſt, hæreſis dici non poterat. Anatolii enim ordinatio non modo præceſſit

Concil. Chalcedonenſe quod Epheſinum ſecundum cum Dioſcoro condemnavit, ſed etiam Leonis I. Pontificis geſtorum in Epheſino Concilio ſcientiam, nedum de geſtis ſententiam, ut videre eſt apud Liberatum c. 12. Eadem prorſus ratio Maximi, qui in eodem Concilio Epheſino ordinatus eſt Epiſcopus Antiochenus Domno depoſito. Ideo ejus ordinationem probavit Chalcedon. act. 10. & ante Concilium probaverat Leo Pontifex, ut ejuſdem Concilii Patres ibidem aſſerunt. Lege & Evagrium hiſtor. lib. 2. in fine cap. 4. Iniquius objici poſſet Marcellus Ancyræ Epiſcopus qui Catholicus, & à Catholicis ordinatus cum Arianis eſſet infeſtiſſimus, eorumque communionem quacunque poterat arte vitaret, eorum dolis tandem libri quem ſcripſerat perverſe intellecti prætextu ſuccubuit, & ſede pulſus eſt; *Verum poſtea*, inquit, Sozomenus lib. 2. hiſtor. c. 31. *cum in Concilio Sardicenſi ratione oſtendiſſet, ſe haud quaquam ita ſenſiſſe, ad Epiſcopatum denuo reſtitutus eſt.* Iniquiſſimè autem Meletius objiceretur, qui depoſito Euſtathio Hæretico, Sebaſtiæ à Gangrenſi Synodo electus & ordinatus eſt: Deinde cum doctrina & pietate omnibus, tam Arianis quàm Catholicis admirationi eſſet, ab utriſque in Epiſcopum Antiochenum poſtulatus fuit. Throno verò potitus ſtatim fidem Catholicam prædicavit, & Arianam condemnavit, ut videre eſt apud Socratem lib. 2. cap. 34. vel 43. & Theodoretum lib. 2. cap. 31.

XI. Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus poſſet forſan probabilius objici, qui à Felice III. propter multa crimina & potiſſimum eo quod cum Petro Moggo Eutychiano, aliiſque Hæreticis communionem coleret, excommunicatus eſt, & Sacerdotali officio exutus, ut Felicis literæ ad Acacium teſtantur. Gelaſius tamen Felicis ſucceſſor ab eo baptizatos & Ordinatos ſuſcepit, ut ſcribit ad Euphemium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Idem fecit & Anaſtaſius II. Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum c. 7. *Nam ſecundum Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſacratiſſimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcit, quod nullum de his vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes ſive Levitas, ſecundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingit, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* Eodem faſce, quaſi eadem eſſet ratio, Hæreticos & malos complecti videtur. Nonnulli tamen ideo judicabant Sacramenta ab Acacio miniſtrata eſſe irrita. *Quod cum ita ſit, aliquorum in tantum ſe extendit curioſa ſuſpicio, ut imaginentur, prolato à Papa Felice judicio, poſtea ineffaciter in Sacramentis quæ Acacius uſurpavit, egiſſe: ac perinde eos metuere, qui vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate myſteria tradita ſuſceperunt, ne irrita beneficia divina videantur.* Scrupulum tamen eximit, eo quod Acacius cum condemnatus eſt, Sacerdos erat & Epiſcopus, ideoque crimen non nocuit Sacramentis, nec aliis, ſed ſoli perſonæ quæ rea erat. Non nocuit autem aliis, qui ſcilicet ignoranter ab eo Sacramenta ſuſceperunt, vel etiam eo quod Acacius publicè Conſtantinopoli Orthodoxus habebatur. Euphemius enim ipſius ſucceſſor Gelaſio Pontifici aſſeverabat Acacium nihil unquam contra fidem docuiſſe, ut teſtatur Gelaſius ipſe in Epiſt. ad Euphemium, licet ut Imperatori obſequeretur cum Petro Moggo communionem haberet, ut autor eſt Liberatus in Breviario. Itaque ſi rectè omnia penſentur, Acacianum ſchiſma propter quod à Felice III. excommunicatur, revocandum eſt ad Paraſynagogas S. Baſilii. Reſipiſcentes autem Clericos etiam ſeveriſſimi Patres cum ordinibus ſuis ſemper admiſerunt, ut inferius explicabitur. Eadem de multis aliis ratio.

CAP. XI.

Qua ratione Clerici Hæretici extra Eccleſiam ordinati reſipiſcentes ad Eccleſiam admittebantur. Varietas admiſſionis ab Eccleſiæ decreto & diſpenſatione pendet. Diſpenſatio aliquando facta eſt naſcente hæreſi, aliquando longè poſt. Eccleſiæ conſuetudine Privilegium uni hæreſi factum non licet ad alias extendere. Nullæ formulæ admiſſionis apud Græcos ordinationum mentionem faciunt. Quod initio hæreſeos juſſum fuerat Clericos Hæreticos cum ſuis ordinibus recipere, Orientales poſtea mutarunt, & ordinationes iterarunt.

I. SEcunda Clericorum claſſis, Hæreticorum eſt, qui extra Eccleſiam ordinati ſunt. Eorum duo ſunt genera: vel enim initio hæreſeos Eccleſia probavit eorum ordinationes, vel de iis nihil edixit. Idem videtur ex antiquorum ſententia de prioribus dicendum, quod de iis qui in Eccleſia ordinati ſunt: Eorum videlicet ordinationes non eſſe iterandas. Oeconomiæ enim rationes in iis ad Eccleſiam recipiendis ſemper vigent: ideo cum par ſit ſuſceptionis neceſſitas, eodem quoque modo ſuſcipientur, & gratia facta Patribus cenſebitur in filios tranſiiſſe. Sicut enim Eccleſia initio hæreſeos impedimentum canonicum quod eorum ordinationes irritas reddebat, publicè ſuſtulit; ita cenſetur hoc impedimentum ſemper tollere, donec contrarium diſertè edixerit. Hoc evidentiſſimè nos docet S. Gregorii teſtimonium cap. præcedenti allatum. Scribebat enim S. Gregorius annis prope 170. poſt Neſtorium ab Eccleſia exciſum. Jubet tamen Neſtorianos cum propriis ordinibus & dignitatibus in Eccleſiam admitti, prohibetque ne illis negotium de propriis ordinibus faceſſatur. Dubitari non poteſt eos de quibus loquitur a Neſtorianis ordinatos fuiſſe.

II. Idem de Monothelitis factum fuiſſe docetur in fine act. 1. ſeptimæ Synodi; *Tharaſius beatiſſimus Patriarcha dixit: Sane & plurimi qui in ſexta Synodo Præſides fuerunt à Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro, Doctoribus, inquam, hæreſeos Monothelitarum fuere creati. Sed & hi vicißim Conſtantinopolitanas ſedes inter Clerum diſtribuerunt,*

runt, & ab eorum extremo Doctore Petro, uſque ad ſextam Synodum anni non pauciores quàm quindecim interceſſerunt. Qui verò intermediis temporibus fuerunt, Thomas ſcilicet, Joannes, & Conſtantinus ab Hæreticis fuere ordinati; verum ea de cauſa non ſunt reprobati. Circiter enim quinquaginta annos hæreſis illa viguit. Et tamen in ſexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt. Cæteros cum ordinationibus ſuſceperunt. Idem Tharaſius in eadem actione, *Quid de Anatolio dicitis? Nonne princeps fuit quartæ Synodi? Et tamen à Dioſcoro illo impio fuerat creatus, atque id etiam præſente Eutyche. Ergo nos ab Hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum quoque Anatolius receptus eſt.* Denique ſeptima Synodus Majorum exemplis quæ in ejus actis multa proponuntur, innitens, poſt longam ea de re diſputationem tota actione prima inſtitutam idem de Iconoclaſtis decernit. Actio illa longa eſt, & tota in ea quæſtione diſcutienda verſatur. Sed ubique Tharaſius, & Patrum teſtimonia quæ allegat, ſupponere videntur hanc quæſtionem eſſe ex canonibus & Eccleſiæ ſententia dijudicandam: Hoc eſt, nunquam allegant qualitatis vel characteris alicujus æterni, vel cujuſcunque rei perpetuò ſtabilis impreſſionem in Ordinatione factam; ſed tantùm, hoc Patres ſtatuiſſe; hanc Ordinationem contra Patrum ſtatuta factam eſſe, ideo irritam & inanem. Aſſumunt etiam velut notum, & confeſſum, Ordinationem contra canones factam, ratam vel irritam ab Eccleſia declarari poſſe. Uno verbo, Ordinationis validitatem non ſimpliciter ſtatuunt penes Ordinationis naturam, ſed ei adjungunt Eccleſiæ autoritatem, & prudentiam.

III. Hæreticorum qui extra Eccleſiam ordinati ſunt poſterius genus, eorum eſt de quibus Eccleſia nihil ſtatuit. In ejuſmodi Hæreticis recipiendis Eccleſiæ conſuetudo regulæ loco nobis eſſe debet. Si eos cum ordinibus ſuis admittit, admittendi ſunt. Præſumendum enim eſt initio damnationis hæreſeos ab Eccleſia in hac cauſa diſpenſatum eſſe, licet diſpenſationis non extet decretum. Non enim ſatis erat illo tempore ut mihi quidem videtur, Hæreticos ritum Eccleſiæ Catholicæ in Ordinationibus ſuis imitari, & ab ejus forma non diſcedere, ut cum ordinibus ſuis reciperentur; ſed tum opus fuiſſe Eccleſiæ decreto, ſive expreſſo, ſive tacito, quo impedimentum ab Eccleſia ordinationi ejuſmodi poſitum ſolveretur. Non enim licet à privilegio uni hæreſi conceſſo ad aliam hæreſim argumentari, ut rectè reſpondit Sanct. Innocentius Epiſt. 22. iis qui ita ex can. 8. Concil. Nicæni ratiocinabantur. *Poſſum verò dicere de ſolis hoc Novatianis eſſe præceptum, nec ad aliarum hæreſium Clericos pertinere. Nam ſi utique de omnibus ita definirent, addidiſſent, à Novatianis aliiſque Hæreticis revertentes debere in ſuum ordinem recipi. Quod ita eſſe, etiam illud maximè quod de Paulianiſtis dictum eſt, poterit confirmare, à quibus venientes etiam baptizari præcipiunt. Numquidnam cum Paulianiſtis jubent, omnes qui ab Hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum ratio ipſa demonſtrat.*

IV. Huic ſententiæ favet Eccleſia Orientalis ab aliquot ſeculis, antiqua & recentior. Conſtat enim ex formulis Orientalium ordinariis admiſſionis Hæreticorum ad Eccleſiam, Hæreticos cum ordinibus ſuis ab iis non fuiſſe admiſſos. Nuſquam enim in iis Clericorum fit mentio, ut videre eſt Concil. 2. c. 7. & Concilio ſexto c. 95. Idem eſt de formulis Timothei Presbyteri, Theodori ſtuditæ, & Methodii Patriarchæ, qua nunc & à multis ſeculis Græci utuntur. Dices in iis formulis omittitur periodus quæ de Clericorum ſuſceptione verba facit; Erat tamen in praxi. Verùm qua ratione id dici poteſt, cum datæ à variis & celeberrimis viris formulæ in hac omiſſione conveniant. Deinde hæc quæſtio præcisè, & terminis expreſſis facta Balſamoni à Marco Alexandrino Patriarcha juris Orientalis l. 5. p. 379. reſpondet, Hæreticos per chriſmatis ſuſceptionem ad Eccleſiam admiſſos priore Sacerdotio pro ſacrilegio habito, & pro non facto per conſuetos gradus ad Epiſcopatum aſcendere. Idem adhuc longè ante Balſamonem Anonymus quidam Patriarcha Conſtantinopolitanus interrogatus à Martyrio Patriarcha Antiocheno de Eccleſiæ ſuæ conſuetudine in hac cauſa, præcisè & ad amuſſim reſpondet, Clericos Hæreticos per unctionem in Eccleſiam ſuſceptos priore ordinatione caſſa & inani exiſtimata iterum ordinari, ut ſupra retulimus. His cum præcedentibus comparatis colligitur Eccleſiam Orientalem variè pro variis temporibus Hæreticos admiſiſſe. Conſtat enim quibuſdam temporibus, præſertim naſcente hæreſi ut via planior ad reditum iis ſterneretur, certorum Hæreticorum ordinationes admiſiſſe; aliis verò eas infirmas & irritas declaraſſe, & iteraſſe, ut gradum quo apud ſuos gaudebant in Eccleſia Catholica recuperarent.

V. Eandem etiam varietatem videre eſt in tertia recipiendi Hæreticos forma: Ea eſt, ut nec baptizentur, nec ungantur, ſed tantùm propriam hæreſim, & illius autores anathematizent. Hoc modo ſuſcipiuntur Neſtoriani, Eutychiani, Severiani, Jacobitæ, & Acephali omnes. Ita edicit Concilium ſextum c. 95. Sanct. Gregorius in Epiſtola ad Quirinum, l. 9. Epiſt. 61. Theodorus ſtudita in Epiſtola ad Naucratium, tria antiquiſſima Euchologia de quibus vide c. 9. l. 9. de Sacramento Pœnitentiæ. Timotheus etiam Presbyter in forma quam edidit admittendorum ad ſanctiſſimam fidem, quam leges in additis ad Balſamonem. Poſtquam tamen Timotheus ille tertiam illam formam explicavit, teſtatur ſuo tempore ceſſaſſe, & illos Hæreticos juxta ſecundam ſuſcipi ſolere. Attentione digna ſunt illius verba, *Jam verò videmus in magnis & univerſalibus Eccleſiis, ſeu Patriarchatibus, & Metropolibus, & reliquis, quòd & Armenios, & Jacobitas, & Neſtorianos, reliquos Acephalos, & quicunque eis ſimiles ad fidem orthodoxam convertuntur, innuunt, & non baptizant, eorum ſolum duces autoreſque anathematizantes, & hoc propter juſtas cauſas nuper neceſſario conſtitutum eſt.* Antiqua forma ab ipſo hæreſium iſtarum exortu conſtituta exigebat, ut nec baptizaren-

tur, nec ungerentur, ſive Sacramento confirmationis imbuerentur, ſed tantum fidei profeſſione edita & hæreſi anathematizata reciperentur. *Nos ergo his omnibus conſideratis cum prudentiſſimis Patribus; ita etiam ab iis docti ſumus quod quemadmodum Catholica Eccleſia pridem accepit, & ſicut noſtra teſtimonium perhibens conſuetudo in Patriarchatibus, & in Metropolibus ſervata eſt, ita etiam nos quoque ſequi oportet.* Hunc morem Timothei tempore, hoc eſt, ante Iconoclaſtas exortos invaleſcentem, nunc & ab aliquot ſeculis uſurpant Græci, ut teſtatur Methodii Patriarchæ formula in Græcorum Euchologiis vulgata, cui teſtimonium perhibet Harmenopulus Epitomes ſect. 5. tit. 4. in Scholio ad 1. can. Balſamon quoque juris Orientalis lib. 5. reſponſo 29. ad Marcum Antioch. Patriarcham. Licet autem Balſamon can. 95. ſextæ Synodi referat, qui triplicem recipiendi Hæreticos formam explicat, duas tamen priores tertia omiſſa colligit. *Itaque juxta canonis hujus tenorem alii quidem Hæretici lavacro ſanctificantur; alii autem ſancto duntaxat unguento conſecrantur.* Sic Græci poſteriores multos Hæreticos iterum ordinarunt, quos anteriores ſine ulla ordinationis iteratione recipi juſſerant. Expeditior eſt regula quam ab aliquot ſeculis obſervat Eccleſia Latina, ut Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ordinatio non iteretur, qui ſecundum Eccleſiæ formam ordinati ſunt ab iis qui olim legitimam ordinationem in Eccleſia Catholica fuerunt conſecuti.

CAPUT XII.

Qua ratione Clerici Schiſmatici reſipiſcentes in Eccleſiam admittantur. Schiſmatici duplices, & de iis varie pronuntiandum. S. Baſilii ſententia difficilis, ſed in ea maximè eminet Eccleſiæ autoritas in adminiſtratione Sacramentorum. Videtur inſinuare effectum Sacramentalem retroagi. Sæpe Patres ajunt Deum Eccleſiæ Decretis extraordinariè cooperari. S. Baſilius Hæreticos ſtrictè ſumit, Schiſmaticos largè. In can. 8. Nicæno manus impoſitio ſumenda pro ordinatione: Ita quoque intellexerunt Theophilus Patriarcha, S. Baſilius, & Innocentius I. Receptio Hæreticorum per manus impoſitionem Græcis inuſitata. Meletianos Clericos iterum ordinari voluit Concilium Nicænum. Quare eorum ordinationes licet in Eccleſia factæ pronuntiantur irritæ. Donatiſtis ab initio ſchiſmatis Ordinum indulgentia facta; licet à Schiſmaticis ordinati forent. Donatus damnatus quod rebaptizaſſet, & Ordinationem Catholicam iteraſſet.

I. TErtia Clericorum claſſis Schiſmaticos ſpectat de quorum ad Eccleſiam admiſſione hoc capite nobis agendum proponimus. Ii autem ſunt duplices: Alii enim ſeſe ab Eccleſia ſeparârunt, aut ab ea pulſi ſunt propter cauſas quidem Eccleſiaſticas, ſed tamen non capitales, ζητήματα ἰάσιμα, ut ait S. Baſilius c. 1. Ep. ad Amphilochium, *quæſtiones medicabiles.* Exemplum iſtorum Schiſmaticorum tradit Baſilius Novatianos qui de Pœnitentia cum Catholicis diſſentiunt: addere poſſumus Donatiſtas, & Meletianos. Poſteriores Schiſmatici ii ſunt qui ab Eccleſia ſeſe dividunt, eo quod ſententiæ Eccleſiaſticæ obedire nolunt, nulla alia in re ab Eccleſia diſſentientes. Iſtorum cœtus vocat Baſilius συναγωγὰς illegitimos conventus. De iis hunc canonem tradit, *Ii qui ſunt in Paraſynagogis convenienti Pœnitentia & converſione correcti, rurſus Eccleſiæ conjunguntur; ita ut ſæpe ii qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, poſtquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittantur.* Hæc eſt antiqua Eccleſiæ regula de reconciliatione ejuſmodi hominum, eo quod in fide nullo modo peccent, omniaque Sacramenta quæ characterem imprimunt, ab Eccleſia ſuſceperint, Baptiſmum, Chriſmationem, & ordinationem. Eadem opera propter unitatis conſervationem ſeverius non excipiuntur qui apud eos baptizati, confirmati, aut ordinati ſunt, cum ad Eccleſiam Pœnitentes revertuntur.

II. De prioribus autem Schiſmaticis ita loquitur Baſilius, ut in ejus ſententia maximè emineat in hiſce rebus Eccleſiæ autoritas. Earum enim virtutem non derivat ex irrationali quadam neceſſitate, quæ in omnibus agentibus phyſicis ineſt, ſed ex prudenti Eccleſiæ Oeconomia, quæ res diſcordes, & aliquando contrarias in idem conſpirare, & mutuas ſibi operas tradere procurat. *Qui abrupti ſunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem; ut qui non poſſunt amplius Spiritus S. gratiam aliis quoque præbere, à qua ipſi exciderunt. Quare eos qui ab ipſis baptizati erant, tanquam à Laicis baptizatos, inſerunt ad Eccleſiam venientes vero Eccleſia baptiſmo purgari. Sed quoniam nonnullis Aſiaticis viſum eſt propter multorum Oeconomiam & diſpenſationem, eorum baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.* S. Baſilii ſententia de ejuſmodi Schiſmaticis, qui ab aliis etiam hæretici vocantur, nonnullis videri poſſet ſingularis, videlicet nullam jure ſuo baptizandi poteſtatem habere, multò minus ordinandi, ſed tamen Eccleſiam poſſe cum eis poteſtatem illam communicare. Idem rurſus aſſerit paulò poſt de Encratitis: *Exiſtimo ergo quoniam nihil eſt de iis apertè dictum, oportere nos eorum baptiſmum abrogare: Et ſi quis ab eis acceperit, ad Eccleſiam accedentem baptizare. Quod ſi hoc univerſali Oeconomiæ ſit impedimento futurum, rurſus conſuetudine utendum eſt, & ſequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt. Vereor enim ne ut eos volumus circa baptiſmum tardos facere eos qui ſervantur, impediamus propter ſeveritatem mandati.* Poteſt igitur eorum baptiſmus ſi Eccleſia velit, ratus haberi, ſed eo caſu jubet ut ad Eccleſiam accedentes diligenter ungantur. Ratio videtur eſſe quod Hæreticorum baptiſmus licet validus & ratus, attamen Spiritum Sanctum non tradit: Ideo neceſſe eſt omnino ſic bap-

baptizatos Sacramento confirmationis imbui.

III. Eandem ſententiam repetit S. Baſilius can. 47 de iiſdem Novatianis & Encratitis, nonnulliſque aliis Hæreticis conſimilibus verba faciens, eoſque iterum ad Eccleſiam venientes baptizari jubet, ſed cum hac pacis cautela, quæ Eccleſiæ autoritatem mirum in modum illuſtrat, & effert, *Si autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & à Romanis alicujus Oeconomiæ gratia, noſtra tamen ratio vires obtineat, &c. Eos in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſma baptizati fuerint.* Si tamen aliqui Epiſcopi omnino velint eorum baptiſmum approbare, id, inquit, poſſunt, ſed deliberatione prius cum multis Epiſcopis habita, ne quid temerè fiat, ut paulo poſt hoc capite referetur. Harmenopulus ſect. 5. titulo 1. ſic compendiosè effert, *Novatiani, ſi plurium Epiſcoporum ita viſum judicio fuerit, rebaptizantur.* Inde conjicere poſſet aliquis S. Baſilium de Firmiliani prædeceſſoris ſui ſententia aliquid retinere. Quidquid ſit, Græci omnes hanc S. Baſilii Epiſtolam ſemper reveriti ſunt. Omnia quæ huc retulimus in ſeptima Synodo actione 1. referuntur, & probantur. Sexta Synodus in Trullo c. 2. hujus Epiſtolæ canones ut cæteros alios Eccleſiæ canones commendat. Sanct. Theodorus ſtudita eundem Epiſtolæ canonem de quo nobis quæſtio citat, & probat. Commentatores canonum, & Abbreviatores, Zonaras, Balſamon, Harmenopulus, Blaſtares, Ariſtænus, & alii, iſtos canones non ſecus ac cæteros & magni faciunt & explicant.

IV. Nec hoc de baptiſmo dixiſſe ſatis habuit S. Baſilius, idem paulò poſt de ordinatione affirmat; quod etiam probatur & confirmatur act. 1. Concilii ſeptimi, *Scio autem quod fratres Zoin & Saturninum, qui erant ex illorum* (Encratitarum) *ordine in Epiſcoporum cathedram ſuſcepimus. Quare illos qui eorum ordini conjuncti ſunt, non amplius poſſumus ab Eccleſia ſeparare, ut pote tanquam canone aliquo communionis cum ipſis edito per Epiſcoporum ſuſceptionem.* Manifeſtum videtur tam ex Sanct. Baſilio quàm ex aliis jam allegatis maximam eſſe hac in cauſa Eccleſiæ autoritatem, & uniuſcujuſque ſeculi traditionem eſſe ſequendam, nec ita præcisè unius ſeculi conſuetudinem eſſe conſuetudini alterius ſeculi opponendam; varias etiam eſſe poſſe in variis regionibus obſervationes.

V. Notandum tamen S. Baſilii verba ſi diligenter attendantur, non eſſe ita largè intelligenda ut quis ſuſpicari poſſet. Strictè enim uſurpat Hæretici nomen, & Schiſmatici largiſſimè. Hæretici ſunt illi qui Trinitatem abſolutè negant, ut Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ, Pepuzeni qui Montanum & Priſcillam pro Spiritu S. ſubſtituunt. Horum baptiſma, & rectè, vult nullum eſſe, & cum ad Eccleſiam redeunt iterandum, ut ab Eccleſia *παντελῶς ἀπεῤῥεγμένοι, omnimodo abrupti.* Hoc ſenſu Ariani, Macedoniani, & Apollinariſtæ non ſunt illi Hæretici, ſed Schiſmatici. Ita intelligit, & intelligendum docet S. Baſilium Theodorus ſtudita Epiſt. 4. ad Naucratium. Sic interpretatur Theodorus canonem Apoſtolorum 68. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit: niſi utique conſtiterit quod ab Hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab Hæreticis baptizati, vel ordinati ſunt, ut fideles vel Clerici ſint, fieri non poteſt.* Quo ſenſu nihil habet canon ille Apoſtolicus à Latina conſuetudine abhorrens. Baſilio itaque plerique Schiſmatici tantum dicuntur qui aliis ſunt Hæretici. Cenſet autem S. Cyprianum & Firmilianum Prædeceſſorem ſuum Hæreticos & Schiſmaticos uni calculo ſubjeciſſe; ſed eorum adverſarios Schiſmaticos ſic intellectos ab Hæreticis ſeparaſſe, & horum baptiſmum iteraſſe, non autem illorum. Semper tamen intellectu difficile eſt, qua ratione Schiſmaticorum ſic intellectorum baptiſmus alias repetendus, œconomicè, & pacis conciliandæ cauſa, poſſit admitti, & ratus haberi.

VI. Videtur S. Baſilius de baptiſmo & ordinatione Philoſophari, ut Canoniſtæ & Juriſconſulti de nonnullis Reſcriptis & diſpenſationibus Pontificum & Cæſarum, quorum effectus ad initium actionis retro trahi ſolent, licet Reſcripta actionem multo tempore ſubſequantur. Unde eorum axioma vulgatum, fictionem in caſu ficto tantum operari, quantum veritas in caſu vero. *Gloſſ. in legem, filio quem ff. de Liberis & Poſthumis. l. 1. §. ſi quis à Principe ff. Ne quid in libro publico.* Clementina de Immunitate, & Gloſſ. in hæc verba, *Per hoc, &c.* Sæpiſſime conſpiciuntur iſtæ retroactiones in diſpenſationibus quæ matrimonii illegitimè contracti revaleſcendi & confirmandi cauſa conceduntur. Finguntur enim Reſcripta indulgentiæ data, ut loquuntur, *ex nunc quaſi ex tunc*, id eſt, antequam, aut cum Matrimonium contractum eſt, licet multò ſint poſteriora. Prolem enim illegitimè natam in eum ſtatum, jus, & dignitatem reſtituunt, quæ habitura fuiſſet, ſi Reſcriptum Matrimonio præiſſet, proleſque legitimè nata fuiſſet. Vide Navarr. in tit. Qui filii ſint legitimi, Conſil. 2. n. 10. Angelum V. Papa n. 4. Sylveſtr. ibid. Boerium deciſione 264. n. 26. Ancharanum apud eum, Conſil. 309. Aliis. 409. n. 6. Sanchez lib. 8. Diſput. n. 6. & alios quos referunt plurimos.

VII. Ita videtur S. Baſilius evidenter id autoritatis Eccleſiæ concedere, ut baptiſmus, itemque ordo invalidus & irritus ab ea probari poſſit, & acceptari, eaque acceptatione & probatione, velut retroactione quadam, non modo quoad gratiam ſed etiam quoad characterem, reviviſcat, & revaleſcat. Si reviviſcentiam illam per Eccleſiæ approbationem de gratia tantùm intellexiſſet Baſilius, facilè poſſet admitti. Baptiſmus enim apud Hæreticos illicitè datus per Pœnitentiam ſubſequentem & ab Eccleſia acceptam, aut etiam per Sacramentum Confirmationis ab Eccleſia collatum gratiam baptiſmalem qua privatus fuerat, revocat & recuperat. Sed ulterius pergere videtur Baſilius, & de baptiſmo irrito & alias repetendo id intelligere. Hoc Sancti viri effatum diligentiori meditatione opus habet. Dicam tamen ſecundum hanc

ſententiam facilè conciliari poſſe varia Pontificum decreta ſuperius enarrata, quæ alioquin negotium faceſſere poſſunt: Eique favere S. Leonem Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 1. ubi de Diacono & Presbytero verba facit, qui Epiſcopi contra canones facti Clericos ordinaverant. Dicit eos ſe mentiri Epiſcopos, eſſe Pſeudoepiſcopos, nihil illis fuiſſe collatum; poſſe tamen eorum ordinationes ratas haberi, ſi Epiſcopi Diœceſis in qua degunt illi Clerici, conſenſus accedat; aliter vanas habendas eſſe ejusmodi ordinationes.

VIII. Video equidem difficiles objectiones huic ſententiæ tendi poſſe, ſi ad examen characteris impreſſio revocetur, quam non ſatis attendiſſe videtur Baſilius. Poſſemus tamen in hac cauſa id facere quod in ſimili fecit S. Cyprianus Epiſt. 73. quem ideo plurimum laudat S. Auguſtinus, & Donatiſtis imitandum proponit lib. 2. de baptiſmo contra eos c. 13. Quærentibus, *Quid fiet de his qui in prætritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine baptiſmo admiſſi ſunt?* Reſpondet Cyprianus, *Potens eſt Dominus miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare.* Sæpe in ejuſmodi extremis Eccleſia Deo commendat conſilia ſua, piumque mihi videtur credere Deum Eccleſiæ ſuæ faventem & benedicentem aliquando miſericorditer Sacramentorum efficientiam ſupplere. Ita S. Cornelius Papa apud Cyprianum Epiſt. 46. Maximum Presbyterum à Novati Schiſmate reſipiſcentem in Eccleſiam admittens ut Presbyterum, atque ſine Pœnitentia, dicebat, *Omnia remiſſimus Deo omnipotenti in cujus poteſtate ſunt omnia reſervata.* Ita S. Innocentius Papa de Bonoſianorum Hæreticorum ordinationibus, quid ſimile decernens Epiſt. 22. de qua infra, inquit, *dimittenda Dei judicio, & de reliquo maxima ſobrietate procurandum.* Ita videtur egiſſe Adrianus II. Papa cum diuturnæ liti inter Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem & Clericos ab Ebbone Epiſcopo degradato ordinatos finem impoſuit, ut ſupra enarravimus. Quæ de S. Baſilii ſententia diximus quæque de canonibus ab Eccleſia conſtitutis quorum prævaricatio ordinationem reddit irritam & inanem mirificè illuſtrat καὶ ἀνεξάλειπτον efficit, id quod ſcribit Innocentius Papa quartus in cap. Quanto. De conſuetudine, ex ſua & aliorum ſententia, & in cap. 2. de baptiſmo & ejus effectu, & confirmat Panormitanus in idem cap. de Conſuetudine. Quum autem hæc ſuperè retulerimus ſupra caput 5. Exercitat. quartæ, jam actum agere nolumus. Ista dicta ſunto illuſtrandæ Baſilianæ ſententiæ gratia, atque ut Lectori facem præferentes eum ad ampliorem diſquiſitionem ſtimulemus, non ut aliquid in re tam difficili aſſeramus.

IX. Canone octavo Concilii Nicæni 1. edicitur ut Novatiani ad Eccleſiam redeuntes per manuum impoſitionem recipiantur, & maneant in Clero. Dubius eſt canon propter ambiguitatem verbi quo Patres utuntur χειροθετῶν, manus imponere, tria longè diverſa ſignificat apud autores Eccleſiaſticos. Primo manus impoſitionem in Pœnitentiam, ſed hæc ſignificatio eo loco non uſurpatur; agitur enim non de Hæreticis junioribus qui è Catholica recens exierunt, quique per Pœnitentiam recipiuntur, ſed de antiquis Hæreticis apud ſuos baptizatis, qui ſecundum utriuſque Eccleſiæ morem alio planè modo recipi ſolebant. Quapropter iſta ſignificatio hic locum habere non poteſt. Secundo ſignificat manus impoſitionem in Spiritum ſanctum quæ cum unctione ſæpe conjungitur. Hac ratione ſuſcipiuntur Hæretici omnes extra Eccleſiam valido baptiſmo baptizati. Si pro ejuſmodi manuum impoſitione χειροθεσία eo canone ſumatur, Patres ordinationes Novatianorum confirmant; & ratas habent, eoſque duplici gratia cumulant. Nam hujuſmodi Hæretici ſeu Schiſmatici ex antiqua ſeveritate in Eccleſiam ſuſcepti, Laica tantum communione frui debebant; ex canone autem illo Eccleſiaſticâ donantur. Nec hoc tantum, ſed ordinatio quam à ſuis acceperunt Concilii ſuffragio autoratur. Verùm modus ille Hæreticos recipiendi nunquam fuit ab Orientalibus uſurpatus. Sed mox plura de iſta χειροθεσίᾳ.

X. Tertio ſignificat, ordinare, ordines Eccleſiaſticos conferre. Ita hoc verbum ſumit in hoc canone antiqua verſio apud Gratianum 1. q. 7. C. *Si qui*, & ipſe Gratianus eodem loco. Nonnulli Orientis Monachi ita illud ſumebant act. 1. Concilii ſeptimi. Antiquiſſima verſio canonum Nicænorum autoritate Concilii Carthag. VI. facta, *Si aliquando venerint ad Catholicam Eccleſiam Cathari, placuit, ſicut & magna Synodo, eos ordinatos, ſic manere in Clero.* Eodem ſenſu accipitur χειροθεσία ejuſdem Concilii c. 19. Et in Epiſtola quam Patres ſcribunt ad Eccleſiam Alexandrinam & regiones illi ſubditas quam refert Socrates lib. 1. cap. 6. & Theodoretus lib. 1. cap. 9. idem verbum χειροθετῶν eodem ſenſu uſurpant. Vetant Meletio ordinationes facere, καὶ μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν αὐτὸν μήτε χειροθετεῖν, μήτε προχειρίζεσθαι.

XI. Interpretationem iſtam validiſſimè confirmat Theophilus Alexandrinus Patriarcha S. Hieronymo æqualis in additis ad Balſamonem, *Declaravit mihi tua pietas quod quidam eorum qui ſe Catharos nominant volunt ad Eccleſiam accedere.* Theophilus interrogatur quid ſit in hac cauſa faciendum. Sic reſpondet, *Quoniam ergo magna Synodus quæ Nicæa habita eſt à Sanctis Patribus, ſtatuit ut ordinentur qui accedunt; δεῖ καὶ ἐπὶ τούτοις χειροτονεῖσθαι τοὺς προστρεχομένους: velis juxta hanc formam eos qui ad Eccleſiam accedunt, χειροτονεῖν, ordinare; ſi quidem vita eorum recta eſt, & nihil eis adverſatur.* Balſamon ad hunc canonem, De Novatianis, inquit, reſpondet, *Quod ſi ad Eccleſiam Dei accedunt, quia magna, & prima Nicæna Synodus ſtatuit ut hi ordinentur, fac in quoque ſecundum hanc formam.* καὶ χειροτόνει τοὺς προστρεχομένους, *& ordina eos qui accedunt, niſi aliquod impedimentum ex eorum vita adverſetur.* Plane ridiculum eſt χειροτονεῖν interpretari reconciliare, abſolutionem dare. Nuſquam enim hanc interpretationem deprehendes. Si hoc effugium probetur, quidlibet erit in quolibet, & ex quolibet fiet quidlibet.

XII. Tex-

XII. Textus præterea iſtam interpretationem evertit. Sequitur enim, *Siquidem vita eorum recta eſt, & nihil eis adverſatur.* Ordinandis conditio poni ſolita; oportet enim eos nullum crimen propter quod ab ordinibus arcere ſolent canones, perpetraſſe. Tanti autem fit iſta conditio, ut ſi poſt ordinationem ejuſmodi crimina commiſiſſe notum fuerit, deponi jubeantur. Hanc igitur conditionem addit Theophilus, ut oſtendat Concilium de hæreſi ſolummodo diſpenſationem conceſſiſſe, ſed indulgentiam illam ad cætera crimina non eſſe extendendam. Paris indulgentiæ multa ſunt exempla: In ſola Concilii ſeptimi actione prima occurrunt plurima. Idem etiam nunc obſervatur. Hæretico ad fidem converſo indulgetur ut Presbyter eſſe poſſit: Non ideo tamen ſi homicidium commiſit, aut irregularitati propter aliud crimen obnoxius eſt, ea crimina illi ſunt indulta. Contrarium neceſſario & ex rei natura fit in reconciliatione Pœnitentiali: Datur enim primo & potiſſimum criminoſis & ſcelerum reis, ita ut planè ſit ridiculum ſic excipere. *Abſolvantur, ſi quidem vita eorum recta eſt, & nihil eis adverſatur.* Imo quo vita eorum eſt ſceleratior, eo magis Abſolutione indigent, & eo magis eſt impendenda, ſi cordis contritionem demonſtrent.

XIII. Denique Nicænum hunc canonem ſic intellexit S. Baſilius, licet illius diſertè non meminerit. Vult enim Novatianorum tantum baptiſma ſuſcipi cap. 1. ad Amphilochium, imo affirmat non ſuſcipiendum niſi concordiæ conſervandæ cauſa: Qua ratione vellet eos cum ordinibus ſuſcipere? Deinde ſi eorum baptiſmus ſuſcipiatur, ſcribit hoc magna cum cautione, & multo Epiſcoporum conſilio eſſe faciendum, *Quamobrem ſi hoc placuerit*, baptiſmum eorum approbare, *oportet plures convenire Epiſcopos, & ſic canonem exponere, ut & is qui fecit, ſit extra periculum, & qui reſpondet, in reſponſione de his fide dignus habeatur.* Si Concilii Nicæni mens ſecundum Baſilium iſta fuiſſet, ut Novatiani cum ordinibus ſuis non tantum cum baptiſmo, ſuſciperentur, non potuiſſet ſanè Baſilius animo ſententiam induere à Concilii mente tam longè diſcedentem.

XIV. Huic conſuetudini favere videtur ritus recipiendorum Hæreticorum Orientalis, qui ſemper legitur, per unctionem uſurpatus fuiſſe, nunquam per manus impoſitionem, ut videre eſt in quæſtionibus Juſtino Martyri tributis quæſt. 14. apud S. Baſilium cap. 1. & Concilium Laodicenum c. 7. ut recentiora innumera prætermittam quæ aliis locis fuſè enarravimus. Cum igitur hic dicitur Novatianos χειροθετουμένους manu illis impoſita eſſe recipiendos, manus illa impoſitio nihil aliud ſignificare poteſt quàm ordinationem. Nam alius ille modus per manus impoſitionem in Spiritum S. qui Latinis erat frequentiſſimus, ab Orientalibus non frequentabatur. Tharaſius Patriarcha χειροθεσίαν pro εὐλογίᾳ, benedictione ſumit. Sed ſignificatio planè inſolens. Nullo enim exemplo docebitur χειροθεσίαν cum agitur de admiſſione Hæreticorum ad Eccleſiam εὐλογίαν ſignificare; multo minus cum de Clericis. Quis audivit unquam Presbyteros Hæreticos per ſolam εὐλογίαν in Eccleſiam admiſſos? Quantum hæc diſtant ab omnibus formulis unctionis Hæreticorum quas bene multas nobis antiquitas ſuppeditat, & innumera Patrum monumenta commemorant. Itaque hoc canone diligentius quam antea examinato videtur mihi probabilius, & Græcorum vulgatæ conſuetudini convenientius χειροθετῶν pro ordinatione ſumere quam pro ſimplici manus in Spiritum ſanctum impoſitione, quæ in Oriente vix erat in uſu.

XV. Eundem canonis iſtius ſenſum velut communem amplecti videtur S. Innocentius Epiſt. 22. c. 5. Bonoſus Hæreticos nonnullos Eccleſiæ Catholicæ transfugas ordinaverat. Epiſcopi Macedoniæ inito Concilio decreverant eos evitandi ſcandali cauſa ad Eccleſiam revertentes cum nova ordinatione recipiendos. *Anyſii quondam fratris noſtri, aliorumque conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur.* Poſtea extincta ſcandali occaſione hunc recipiendi Bonoſianos modum continuabant, eumque autoritate hujus canonis & Novatianorum exemplo defendebant. Nec hoc negat Innocentius, ſed ait hoc privilegium eſſe Novatianorum proprium, in exemplum trahi non debere, & totus eſt in hoc demonſtrando. Volebat autem Innocentius hujuſmodi Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes antiquo more recipi, Laicos videlicet, nec ullo Clericatus honore dignatos. Approbat tamen id quod olim Anyſius fecerat vitandi ſcandali cauſa; ſed occaſione remota contendit antiquam Eccleſiæ praxim eſſe reſumendam, *Quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare pariter quod urgebat: quia aliud eſt ordo legitimus, aliud uſurpatio quam ad præſens fieri tempus impulit.*

XVI. Meletio & Meletianis eadem gratia facta non eſt ab eodem Concilio. Ipſe enim ita ſuſceptus eſt, ut omne jus ordinationum illi adimeretur in poſterum; in anteceſſum vero factæ iterum celebrarentur. Ita enim evidenter Epiſtola Concilii ad Alexandrinos, *Concilium clementius aliquanto in Meletium animatum (nam ſi accuratè in eum inquiſitum fuiſſet, nihil certe commeruiſſet venia) decernit ut in propria ac ſua civitate remaneat, nullamque habeat poteſtatem vel cuiquam manus imponendi, χειροθετεῖν, vel quenquam ad aliquod munus Eccleſiaſticum deligendi, vel in aliena regione, civitateque ejus rei gratia commorandi, ſed ut ſolum dignitatis & officii nomen retineat. Illi autem qui ab eo Presbyteri conſtituti ſunt, ſimulatque ſanctiore ordinatione confirmati fuerunt,* τοὺς ὑπ' αὐτὸ καταστάντας μυσταγωγίᾳ χειροτονίᾳ καταστάντας, *hac conditione in Eccleſiæ communionem admittantur, nimirum ut Eccleſiaſticæ dignitatis, & miniſterii gradum habeant illi quidem, ſed tamen omnibus Presbyteris in ſingulis Provinciis & Eccleſiis verſantibus qui ab honoratiſſimo viro, & Collega noſtro Alexandro ordinati, ſint omnino inferiores.* Volunt præterea Patres, ut hi Clerici, licet nova & ſanctiore ordinatione redintegrati, nullo ſuffragio in Electionibus Clericorum potiantur, nihil-

nihilque agere ſine conſenſu Epiſcoporum ab Alexandro inſtitutorum. Id quidem ſanè meritò. Erant enim Meletius, & plerique Meletiani homines audaces, turbulenti, ſui parum compotes, qui paſſim non modo in ſuis, ſed etiam in alienis paræciis diverſos Clericos, ut ſors ferebat, ordinabant. Ideo paucis annis Ægyptum & Thebaidem malis & inſolentibus cum Epiſcopis, tum Presbyteris, & Diaconis fœdaverant, ut teſtantur Patres Nicæni, Sozomenus lib. 1. cap. 19. & Sanctus Epiphanius in hæreſi Meletianorum.

XVII. Hinc ſolvitur objectio quæ mentem ſubire poteſt. Meletius Catholicus erat; nec verè dici potuit Schiſmaticus, niſi poſt Concilium Nicænum cui ipſe & ſui non obedierunt. Ideo dubium non eſt ordinationes ipſius fuiſſe Catholico more celebratas; ac proinde irritas & inanes declarari non potuiſſe. Ita quidem nunc ex Eccleſiæ indulgentia argumentari liceret, quæ ordinationes omnes ab Epiſcopis juxta formam Eccleſiæ celebratas ratas habet, omniaque impedimenta canonica non vult ſubſtantiam & radicem ordinationis afficere, ſed tantum executionem. Verùm irritæ & nullæ declarari potuerunt à Concilio, quod illegitimæ partim ratione loci, partim ratione perſonarum fuiſſent. Utrumque enim contra canones factum ordinationem ſive vi & effectu conſtituebat, ideoque iterandam.

XVIII. Longè clementius erga Donatiſtas actum eſt, & initio Schiſmatis & in progreſſu, licet Catholicis par pari non referrent. Catholicos enim perverſos, ſi Laici eſſent, baptizabant; ſi Clerici, iterum ordinabant. Diſtinguendum videtur in hypotheſi de qua agimus, initium Schiſmatis à progreſſu. Initio Schiſmatis & aliquo tempore tenebatur Eccleſia eos Pœnitentes in ſinum ſuum recipere, ſed ordinationes quas in Eccleſia legitimè acceperant, retractare non poterat: Erant enim ab Eccleſia ordinati, nec moris unquam fuit Eccleſiæ Catholicæ ordinationes ſecundum canones celebratas repetere, ut manifeſtum eſt ex can. Apoſtol. 68. ex uſu continuo, & ſententia Melchiadis & Concilii Romani in Donatum pronuntiata, quam his verbis refert Optatus in fine libri primi. *Quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis Lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt.* Ideo rebaptizatio illa Donatiſtarum cum fuerit initio Schiſmatis ab iis uſurpata, ab Eccleſiâ ſecundum omnes aliena fuit, & impia. Erat enim hominum in Eccleſia baptizatorum à quo crimine non minus abhorruit Sanctus Cyprianus quàm Stephanus Pontifex. Idem de manus impoſitione ſuper Epiſcopos Lapſos. Epiſcopi de quibus ſermo eſt Catholici erant cum laberentur, & conſequenter in Eccleſia Catholica ordinati, unde eorum iterata ordinatio rectè pronuntiatur ab Eccleſiæ conſuetudine aliena. Dici autem poteſt eo loco manus impoſitionem illam eſſe pœnitentialem, Illo enim tempore non erat à conſuetudine Eccleſiæ alienum Epiſcopos & Presbyteros Pœnitentiæ ſubjicere, ut probavimus lib. 4. de Sacrament. Pœnitentiæ cap. 12. Sed conceſſo conſuetudinem iſtam tum invaluiſſe, non erat tanti conſuetudinis iſtius tranſgreſſio ut æquiparari poſſet rebaptizationi: ſed rectè iteratio Catholicæ ordinationis cum iterato Catholicorum baptiſmo conjunguntur. In eo autem Eccleſiæ indulgentia tum enituit, quod Donatiſtas rebelles Schiſmatis pœnitentes cum ordinibus ſuis admiſit, qui ſecundum antiquam ſeveritatem Laici tantùm admitti debebant.

XIX. Sed in progreſſu Schiſmatis indulgentia Eccleſiæ longè major apparuit. Poterat enim ordinationes à Schiſmaticis factas pronuntiare irritas & inanes, ut pote contra canones celebratas: Eas tamen validas & ratas eſſe voluerunt Patres, ut quoquõmodo omnis reconciliationis obex Schiſmaticis amoveretur. Hoc factum fuiſſe in ipſo Schiſmatis initio nos docet Concil. Africanum c. 35. apud Balſamonem cap. 71. & Zonaram 74. *Placuit ut litera mittantur ad fratres & Coepiſcopos noſtros, & maximè ad ſedem Apoſtolicam in qua præſidet memoratus venerabilis frater, & Collega noſter Anatolius, quo noverit habere Africam magnam neceſſitatem propter Eccleſiæ pacem & utilitatem, ut ex ipſis Donatiſtis quicunque Clerici correcto Concilio ad Catholicam unitatem tranſire voluerint, ſecundum uniuſcujuſque Epiſcopi Catholici voluntatem atque conſilium qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. Quod multarum & pene omnium Africanarum Eccleſiarum in quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur.* Cauſa miſſionis iſtarum literarum fuit quoddam Concilium in Italia celebratum quo prohibitum fuerat, ne Donatiſtæ ad Eccleſiam redeuntes honore Clericatus conſervato reciperentur, ut Patres ipſi eodem loco referunt.

XX. Sanct. Auguſtinus verſus finem Epiſt. 50 pulchrè rationem reddit qua Eccleſia commota hoc ad pacem conſervandam conſtituerit: Inſuperque monet hoc ab initio Schiſmatis inſtitutum fuiſſe. *Hoc erga iſtos ab initio ſervavit Africa Catholica ex Epiſcoporum ſententia, qui in Eccleſia Romana inter Cæcilianum & partem Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato, qui autor Schiſmatis fuiſſe manifeſtatus eſt, cæteros correctos, etiamſi extra Eccleſiam ordinati eſſent, in ſuis ordinibus ſuſcipiendos eſſe cenſuerunt: non quo etiam foris ab unitate corporis Chriſti poſſent habere Spiritum Sanctum, ſed maximè propter eos quos foris poſiti poſſent, decipere, & a ſuſceptione illius muneris impedire. Deinde ut etiam ipſorum infirmitas levius excepta, intus ſanaretur; jam nulla pertinacia claudente oculos cordis adverſus evidentiam veritatis.* Iterum docet Epiſt. 162. eandem diſpenſationem factam fuiſſe in ipſo Schiſmatis initio, idque liberaliter admodum, & ideo Melchiadis prudentiam plurimum laudat, qui *Donato ſolo quem totius mali principem invenerat maximè culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit,*

cit, paratus communicatorias literas mittere, etiam iis quos à Majorino ordinatos esse constaret, ita ut quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. Similia leguntur lib. 2. contra Crescon. cap. 11. & 12. Hoc autem culpare non posse Donatistas ibidem demonstrat, quod eandem indulgentiam prorsus pacis retinendæ causa in Maximinianistas Schismaticos suos exercuerint.

EXERCITATIO VI.

DE EPISCOPORUM, ET PRESBYTERORUM unctione.

CAPUT I.

Nec Presbyterorum, nec Episcoporum unctio apud Græcos unquam fuit in usu. Nullum hujus ritus apud eos vestigium, nec in autoribus, nec in Euchologiis. Si Græcus autor aliquis de unctione materiali quid videtur dixisse, facilè de spirituali explicatur.

I. NOn abs re mirabitur aliquis nusquam in tam multis & antiquis Ritualibus Græcis, unctionis vel in Presbytero vel in Episcopo mentionem comparere. Sanctus Clemens multis enarrat Episcopi electionem & consecrationem: De illius unctione chrismali, aut alia quavis, nihil prorsus. S. Dionysius ceremonias quasvis minutè persequitur, in quibus Episcopi cum Presbyteris & Diaconis conveniant; in quibus hi ab illis differant, edisserit, & uniuscujusque differentiæ sensus morales & anagogicos exprimit. De unctione tamen nihil. S. Maximus qui abhinc annos mille & quid amplius illum commentabatur, de unctione Sacerdotali, aut Episcopali nulla verba facit, nec Lectorem monet Dionysium eam prætermisisse. Antiquum Euchologium Barberinum similiter hanc unctionem alto silentio præterit. Posteriora Euchologia quid attinet commemorare cum licet antiqua, omnia tamen unanimi consensu illam omittant. Simeon Thessalonicensis, & Nicolaus Cabasilas qui ritus ordinationis explicant, nullam aliam unctionem in Episcopis & Presbyteris non modo agnoscunt quàm spiritualem & mysticam per manus impositionem & Sancti Spiritus invocationem, sed etiam aliquando negant materialem unctionem esse adhibendam. Innocentius III. priori æqualis, & posteriore multò antiquior testatur apud Græcos non solere Pontifices inungi; & in quodam à Græcis ordinato jubet unctionem suppleri, extr. de sacra unctione, C. cum venisset.

II. Sed Elias Cretensis Metropolita Sanct. Gregorii Nazianzeni Scholiastes, qui ante annos octingentos & ultra commentabatur orationes Nazianzeni, ubi videtur Nazianzenus unctionem materialem innuere, statim ipsius verba spiritualiter interpretatur, ut initio orationis 7. dixerat Nazianzenus, *Rursum super me unctio & Spiritus*, Statim Elias Cretensis, *Hoc ait propter Sacerdotii unctionem quam prius jam acceperat. Porro veteres Sacerdotes & Pontifices unctione legali & typica ungebantur; Legis autem nova Sacerdotes spirituali, quæ quidem in manuum impositione, & Spiritus S. invocatione, atque consecratione posita est.* Idem præstitit Nicetas in sextam orationem, alter, sed longe posterior, Nazianzeni Scholiastes. Sic in antiquis hymnis Ecclesiasticis canere solent Græci de S. Nicolao, ut refert Petrus Arcudius lib. 6. cap. 1. *Myra qui tanquam advena corporaliter habitasti; unguentum revera evasisti, unctus unguento intelligibili sancte Nicolae Pontifex Christi, & unguento imbuis facies eorum, qui fide ac desiderio tuum semper celebrant sempiternam memoriam.* Multiplex allusio ad urbem μύρα seu μύρον, id est, unguentum, cujus erat Episcopus, ad viri sanctitatem quæ bonum odorem ubique spirabat; ad sacri corporis reliquias suave fragrantes. Nulla ad unctionem materialem refertur. Ita quoque S. Chrysostomus Homil. 2. in priorem ad Timotheum longe ante hos omnes quidquid est unguenti quo Christiani fragrant, ad baptismum refert; & unctionibus quæ in baptismo fiunt, Sacerdotum antiquorum unctiones comparat, unctionum Sacerdotii Christiani, quæ fuissent ejusdem generis, immemor.

III. Quapropter nullus dubito unctionem materialem apud Græcos nusquam usurpa-

tam fuiſſe: Si teſtimonia Antiquorum occurrant quæ illi favere videantur, ea ſpiritualiter eſſe interpretanda, & ex perpetua & teſtatiſſima eorum praxi intelligenda. Quod facile factu eſt, cum autorum verba illuc quaſi manu nos adducant. Verbi gratia cum dicit Nicephorus lib. 11. hiſtoriæ cap. 46. Moſem primum Saracenorum Epiſcoporum *ab Epiſcopis unctionem Epiſcopalem accepiſſe*, certum eſt nihil aliud eum ſignificare voluiſſe præter manuum impoſitionem, quam conſequitur Spiritus ſancti unctio. Nicephorus enim autor eſt recens, quo ſcribente, & multis ante eum ſeculis, ſola manuum impoſitio in Ordinatione uſurpabatur. Hiſtorici quoque alii ipſo longè antiquiores à quibus quæcunque refert excerpſit, Theodoretus nempe Socrates & Sozomenus, qui eandem hiſtoriam referunt, quod ille dixit unctionem Epiſcopalem ſuſcipere, dixerant gratiam Dei per ordinationem χειροτονίαν ſuſcipere, ordinari χειροτονηθῆναι. Theodoretus lib. 4. c. 21. Socrates lib. 4. c. 29. Sozomenus lib. 6. cap. 38.

IV. Ita cum Metaphraſtes in vita Sanct. Chryſoſtomi ait, *ſacro chriſmate conſecratur, & in excelſo Eccleſiæ loco collocatur*, de myſtica unctione intelligi debet, quæ manuum impoſitione ſignificatur, eo quod per eam Spiritus ſanctus confertur, qui vera eſt Chriſtianorum Sacerdotum unctio; cum Elias Cretenſis unctionem ſic interpretetur, & antiquum Eucholog. Barberinum illius non meminerit, qui ambo Metaphraſtæ ætatem ſuperant.

V. Nonnulla ex Nazianzeno referuntur quæ unctionem materialem videntur arguere; ſed locorum circumſtantiæ ſuadent, ut verba iſta allegoricè ſumantur. Ipſe ſeſe videtur interpretari orat. 4. in Julianum verſus finem. Non enim inevidenter negat in ordinationibus eſſe Chriſmatis uſum. Verba facit eo loco de Ethnicorum unguentis in quibuſdam feſtis effundi ſolitis, & iis opponit ſanctum Chriſma quo Reges & Sacerdotes antiquæ legis ungebantur. Qua ratione autem illud ad nos pertinet? *Ipſe quoque habeo unguentum quoddam, ſed quo tantum Sacerdotes & reges unguntur, ut pote, vario & exquiſito, ac noſtra cauſa effuſo, magni Unguentarii arte confectum. Atque utinam mihi ſuavem hujus unguenti odorem Deo afferre contingat.* Ipſe Gregorius, ut vides unguentum illud metaphoricè explicat, &. Ethnicorum unguentis quibus in feſtis utebantur opponit. Ita quoque Ethnicorum menſis & floribus, Chriſtianorum menſam & flores opponit. *Menſam etiam habeo ſpiritualem hanc ſcilicet & divinam, quam Dominus paravit mihi in conſpectu meo adverſus eos qui tribulant me, & in qua reficior & delicior; nec propter ſaturitatem petulantia efferor: quin potius omnem turbidarum animi permotionum impetum conſopio.* Similiter Chriſtianorum flores explicat, *Sacerdotes, & ſuaviter olentes Paſtores ac Magiſtros; & quidquid in plebeio ordine parum eſt, atque eximium.*

VI. Ipſius Scholiaſtes Elias Cretenſis ſic in illud unguentum commentatur, *Quodnam autem illud unguentum eſt, quo Reges tantum & Sacerdotes inunguntur? Nimirum unguenti com-*

poſitio, fragrantium materiarum collectio quædam eſt, ſuaves qualitates copioſe in ſe habens, quarum qui participes fiunt, pro ratione atque quantitate fragrantiæ illius quæ ad eos manat, ſuavi odore perfunduntur. Mihi verò illud perſuaſum eſt Chriſtum quoque unguentum eſſe, præcellentem quendam in modum fragrans, per ſpirituales infuſiones mentem noſtram à propenſione in vitium repurgans, ac divina lætitia cumulans. Unguentum, inquam, non ex ſenſilibus aromatibus, nec arte humana; verum ex deitate ac puriſſimis & virgineis ſanguinibus magni Unguentarii arte ac ſolertia confiatum. Hoc probat ſermone à Gabriele Archangelo ad Virginem habito, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, &c.* Deinde infert, *Quo ſolo ii qui turbulentis animi perturbationibus dominantur, & imperant, & qui ſeipſos quotidie mactant, &c. Hoc igitur unguento perfundi pater hic optat, eoque affici, atque imbui, manantemque ex eo ſuavem odorem Deo afflare, ut ipſe quoque nos odoretur.* Unctionem materialem in ordinationibus ſuis hactenus ignoraverunt Græci; Idque etiam nobiſcum fateri coguntur Petrus Arcudius, & eruditiſſimus Theologus Iſaacus Habertus ex Doctore Sorbonico & Theologo Pariſienſi ob egregia merita ad ſedem Epiſcopalem Vaprincenſem aſſumptus, in Archieratico ſuo, obſervationibus ad homiliam Gregorii Nazianzeni cum Saſymorum Epiſcopus conſecratus eſt.

CAP. II.

Unctio Epiſcopalis antiquior eſt Presbyterali: utraque unctio in Gallia eſt antiquiſſima, eamque teſtantur antiquiſſimi Rituales. Si in Africa & Hiſpania recepta eſt, id ſerius contigit. Epiſcopalis unctio Romæ antiquior Leone primo. Unctio Presbyteri Romæ non erat in uſu tempore Nicolai primi, nec antiqui rituales duo eam exhibent. Alibi tamen, tum, & antea viguiſſe ex antiquis monumentis demonſtratur. Ex verbis Nicolai I. nihil contra unctionem Epiſcopalem colligi poteſt. Varietas olim magna fuit in unctione adhibita. Ex Anacleti Epiſtola Verticis Epiſcopalis unctio tantùm colligitur. Pacianus & Optatus qui unctionem probare videntur, explicantur.

I. UNctio apud Latinos antiqua eſt, prius tamen in Epiſcoporum quàm in Presbyterorum ordinatione uſurpata fuit, nec eodem tempore omnes Occidentis Eccleſiæ eam uſurparunt. In Gallia illius uſus tam in Epiſcopis quàm in Presbyteris antiquiſſimus eſt. Antiquiſſimus enim Ritualis ante mille & centum annos in Gallia ſcriptus, utriuſque Ordinationis unctionem nobis exhibet. Cæteri rituales, ſi duos excipias de quibus infra, idem faciunt. In Africa neutra Unctio videtur uſurpata. Concil. enim Carthag. 4. multis enarrat qua ratione ordines ſinguli con-

conferuntur, multa minutula in Epiſcopali consecratione perſequitur, atque in iis quæ ſpectant interrogationes Epiſcopis faciendas plurimum immoratur. De unctione tamen ne umbra quidem. Tarde quoque videtur in Hiſpania fuiſſe. Sanct. Iſidorus lib. 2. de Officiis quàm multa fuſè, & ſi dicere licet, ſuperflue de Epiſcopis: Quàm multa de cæteris ordinibus, Lectoribus, Pſalmiſtis, Exorciſtis Monachis, &c. De unctione tamen ne verbum quidem, licet de unctione antiquorum Sacerdotum multa verba faciat. Mirabitur quis, nec abs re, Flaccum Alcuinum, qui in libro de divinis Officiis profeſſus ſe Epiſcopi ordinationem ſecundum Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem enarraturum, multis ſpecialibus & minutis enarratis nullam tamen Epiſcopalis unctionis mentionem facere. Ea tamen eſt in Eccleſia Romana Alcuino longe antiquior. Inciderat forte in vetuſta quædam ritualia à quibus ille unctionis ritus aberat. Denique in tam multis Conciliis Africanis & Hiſpanicis nulla unctionis memoria: Nec etiam ulli autores iſtam unctionem commemorant, ſed tantum manuum impoſitionem cum ritus quibus Presbyteri & Epiſcopi conſtituuntur, ſignificare volunt.

II. Unctio Epiſcopalis in vertice, Presbyterali in Eccleſia Romana longè antiquior eſt. Eam non inevidenter nos docet S. Leo ſermone 8. de Paſſione Domini, *Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & ſacratior eſt unctio Sacerdotum, quia crux tua omnium fons benedictionum.* Unicuique ſacrorum Ordinum proprium dat Epithetum, Diaconis, Presbyteris, Epiſcopis, ſed poſtremis ſolis unctionem. S. Gregorius in 1. Reg. c. 10. occaſione unctionis Saulis Regis à Samuele factæ evidentius unctionem materialem in Eccleſia docet eſſe uſitatam, ſed in Epiſcopis tantum, *Hoc profectò hac unctione exprimitur, quod in ſancta Eccleſia nunc materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur Sacramentum ſuſcipit unctionis.* Hæc loquendi formula manifeſtè unctionem materialem inducit, & non minus evidenter ab ea dignitatem Epiſcopali inferiorem excludit. Alterum eſt Sanct. Leonis teſtimonium ſerm. 3. in anniverſario die Aſſumptionis ſuæ: Sed difficile dictu eſt, an de unctione ſpirituali, an de materiali loquatur. De quacunque tamen loquatur, ad Epiſcopalem verba ejus neceſſario referuntur. Idem faciunt & antiquiſſimi Rituales à S. Gelaſio digeſti.

III. Sed Presbyteralis unctio longe tardius à Romanis accepta eſt. Nicolao enim primo ſedente nondum erat in uſu, ut ipſe teſtatur Epiſt. 39. ad Rodulphum Epiſcopum Bituricenſem in tertio tomo Conciliorum Galliæ. A Rodulpho enim de hoc interrogatus ſic reſpondet, *Præterea ſciſcitaris utrum ſolis Presbyteris, an & Diaconibus debeant cùm ordinantur manus chriſmatis liquore perungi. Quod in ſancta hac Romana, cui Deo autore deſervimus, Eccleſia, neutris agitur. Sed & quia ſit à novæ legis Miniſtris actum, nuſquam, niſi nos fallat obliviо, legimus.* Id potuit merito de Diaconis pronuntiare Nicolaus. Licet enim in Angliæ quibuſdam locis Diaconorum manus ungerentur, ut conſtat ex antiquiſſimo Rituali qui in Bibliotheca Eccleſiæ Rotomagenſis conſervatur, cujus ordinationes ſupra exſcripſimus; idque etiam fieret in Galliæ quibuſdam locis, alias Rodulphus Nicolaum de hoc nunquam interrogaſſet; id tamen potuit ignorare, cum paucarum quarundam Provinciarum fuerit iſta obſervatio. Sed quomodo potuit Nicolaus idem de Presbyteris pronuntiare, cum Sacramentaria omnia, & libri rituales ante Nicolaum & ipſius ævo ſcripti unctionem teſtentur, & illius materiam & formam exprimant. Animum ſubiit aliquando hæc cogitatio, Verba iſta in Epiſtola Nicolai ſubreptitia eſſe, aut corrupta. Sed hoc aſſerere prohibet Gratianus qui hunc canonem eodem modo refert diſt. 23. c. 12. & Ivo in Decreto part. 6. cap. 121. & Panormiæ lib. 3. cap. 31.

IV. Hæc cum animo verſarem, & ea de cauſa rituales meos revolverem, duos deprehendi, & exquiſitè Romanos, unctionem Presbyteralem prætermittere. Prior eſt omnium uno excepto antiquiſſimus, & ex aliquo codice Gelaſiano exſcriptus Sanct. Gregorio antiquiore, quem ordine ſecundum diſpoſuimus. Nulla in eo unctionis mentio in Ordinatione Presbyteri, nec manuum Epiſcopi in ejus conſecratione. Amanuenſis tantum qui non modo poſt Gelaſium, ſed etiam poſt Sanct. Gregorium ſcribebat, ne videretur aliquid omiſiſſe, quia ſcribebat in Gallia ubi unctiones vigebant, unctionem manus Presbyteralis verbis mutuatis ex Gallicanis Ritualibus poſt Subdiaconi benedictionem in loco non ſuo repoſuit. Poſterior eſt Rodradi codex, cum Nicolaus de cujus verbis diſputamus Pontificem ageret, deſcriptus. Teſtatur Rodradus ſe Sacramentarium ſuum compilaſſe ex iis exemplaribus quæ certiſſime Gregoriana habebantur, quæque ſpuria erant à legitimis ſegregaſſe. Sed in Ordinatione Presbyteri nihil unctionis miſcet: In ordinatione vero Epiſcopi unam Chriſmatis unctionem in capite commemorat. His igitur duobus Sacramentariis confirmatur Nicolai ſententia, Eccleſiæ videlicet Romanæ conſuetudinem non eſſe in ordinatione Presbyteri, ut nec in Ordinatione Diaconi, unctionem adhibere. Cætera Sacramentaria extra Romam ſcripta, licet Romanum nomen præferant, uſui regionis ſunt accommodata.

V. Nihil ex Nicolai verbis contra unctionem Epiſcopalem colligi poteſt: Imo potius contrarium. Cum enim Rodulphus de Presbyteris & Diaconis eum tantum interrogaverit, videtur Epiſcoporum unctionem ratam habuiſſe, nec ullam de ea dubitandi occaſionem eſſe, quod certe non ſibi perſuaſiſſet, ſi Romæ ſicut in Gallia non fuiſſet uſitata. Nec etiam Nicolaus ſilentio præteriiſſet, nuſquam unctionem in Ordinationibus Eccleſiam Romanam adhibere, ſi Epiſcopi in ea non ſecus ac Presbyteri & Diaconi uncti non fuiſſent: ſed cum ab unctione eos tantum excludit, Epiſcopos videtur includere. Antiqui autores qui ætate Rodradi ſcripſerunt, atque etiam ante ipſum, non ſecus quam antiqui Rituales

noſtri, unctionis Presbyteralis ut Epiſcopalis meminerunt. Amalarius lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. cap. 13. *Hunc morem tenent Epiſcopi noſtri manus Presbyterorum ungunt de oleo, &c.* cujus rationes myſticas ibidem reddit. Et capite ſequenti idem de capite Epiſcopi teſtatur, & in hujus rei teſtem citat Bedam lib. 3. de Tabernaculo & vaſis ejus. Locus eſt illius libri c. 9. ubi videtur Beda unctionem in Epiſcopis tantum agnoſcere. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, qui, ut Amalarius, Rodradi coætaneus erat, ejuſdem unctionis in Presbyteris ut vulgatæ meminit c. 1. Capitularis ad Presbyteros Paroeciæ ſuæ, tom. 2. Concil. Galliæ. *Oportet vos ſemper memores eſſe tantæ dignitatis, memores veſtræ conſecrationis, memores ſacræ quam in manibus ſuſcepiſtis unctionis, &c.*

VI. Conſtare videtur ex præcedentibus tardè admodum unctionem Presbyteralem in Eccleſia Romana invaluiſſe, cum illius uſus Nicolai ſeculo in ea eſſet incognitus. Sanè qui antiquiores Rituales examinaverit, perſpiciet ritum illius unctionis eſſe quid extra ordinem ritui Ordinationis aſſutum, cum præcedentibus non cohærens, ſed prorſus diſſimile, & ab iis planè diſſolutum, quod nihil habet ſubſequens, velut longè poſt ritum conditum ritui completo adnexum. Ideo in antiqua iſtius unctionis praxi magna varietas. Alii enim ungebant Presbyteri ordinati caput non ſecùs ac manus, alii tantum manus. Alii utebantur chriſmate in manibus, & oleo in capite; Alii chriſmate in utroque. Alii eodem modo ungebant in capite & manibus Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum. Alii Epiſcopi tantum caput, non manus, quæ fuit antiquiſſima Epiſcopos ungendi ratio: Vix enim eſt unus perantiquus qui manuum Epiſcopalium unctionem nobis repræſentet. Qua figura fieret illa unctio non deſignant plerique Rituales: Antiquiſſimus tamen omnium, & alter perantiquus ex membranis Abbatis Caëtani exſcriptus, ut & ordo Romanus in Bibliotheca Patrum, diſertè ajunt, utramque unctionem in modum crucis formari. Sed nunc & ab aliquot ſeculis longe diverſo modo in decuſſim inunguntur manus tam Presbyteri quàm Epiſcopi, ut in Pontificali Romano videre eſt. Capitis unctio etiam nunc in perfectiorem crucis figuram primo deſignatur, deinde quod coronæ ſupereſt chriſmate imbuitur. Præterea nunc & à multis ſeculis Presbyteri oleo Catechumenorum non chriſmate inunguntur. Tanta varietas argumentum videtur evidens unctionis ritum, nec Concilii alicujus generalis, nec ſummi alicujus Pontificis eſſe decretum, multo minus traditionem Apoſtolicam; ſed in Occidente, forte in Gallia, à quibuſdam Epiſcopis primum bono fine ad imitationem Sacerdotum antiquæ legis uſurpatam, deinde paulatim in vicinas regiones propagatam, tardè Romam uſque pervaſiſſe, ſed in Orientem non penetraſſe.

VII. Autoritati Nicolai I. opponetur Anacleti teſtimonium, quod eſt ejuſmodi, *Simul convenientes ſcrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus cum ſanctis Evangeliis quæ prædicaturi ſunt, imponentes, Dominica die hora tertia orantes, ſacraque unctione exemplo Prophetarum & Regum capita eorum ungentes, &c.* Concedamus Epiſtolam illam non eſſe Anacleti; certum eſt tamen longè ante Nicolaum vulgatam eſſe, ipſumque Nicolaum ejuſmodi Epiſtolas decretales adverſus Hincmarum defendiſſe. Quum igitur illius Epiſtolæ autor doceat Epiſcopos cum ordinantur, chriſmate inungi, quomodo potuit hoc ignorare Nicolaus? Reſpondeo primum facile id factu fuiſſe. Forſan enim autor ille Gallus Romani moris imperitus, qui quæ in Provincia ſua fieri vidit, ubique obſervari credidit. Sed nihil cogit ad ea confugere. Probat enim id quod affirmat Nicolaus, ungi Chriſmate Epiſcoporum capita. De Presbyterali unctione nihil prorſus; nec aliud ex ea colligi poteſt. Itaque alterum eſt ejuſdem moris argumentum.

VIII. Sed Iſidoro unctionem etiam in Epiſcopis omittenti, opponere ſe videtur Sanct. Pacianus Ep. 3. adverſus Sympronianum Novatianum, *Plebi veſtræ unde Spiritum, quam non conſignat unctus Sacerdos?* En Sacerdos, id eſt, Epiſcopus ungitur. Barcinone autem erat Epiſcopus Pacianus ducentis annis antequam ſcriberet Iſidorus. Sed non admodum difficile eſt Pacianum cum Iſidoro conciliare. Non loquitur Pacianus de unctione Ordinationis, ſed confirmationis, qua Spiritus ſanctus ſecundum omnes Patres confertur. Id evidenter colligitur ex ratione propter quam dicit Sacerdotem ungi debere. Nec enim neceſſe eſt Epiſcopum in ordinatione ungi ut adminiſtret Sacramentum Confirmationis. Sed neceſſe eſt aut admodum probabile, oportere eum Confirmationis Sacramentum ſuſcepiſſe ut illud aliis tradere poſſit. Qua enim ratione quod non habet dare poterit, Spiritumque ſanctum conferre qui illum non accepit? Exploratum enim eſt apud omnes Sacramentum Confirmationis Novatianos repudiare, eo quod iſto myſterio imbutus non fuiſſet eorum autor. Quid igitur ſanctus Pacianus objicit Novatiano? Quomodo in plebem veſtram immitti poteſt Spiritus ſanctus, cum Sacerdotes veſtri nec confirmati ſint, nec confirment, nec habeant Spiritum ſanctum nec dare poſſint? Similiter de Novato ipſo argumentabatur Sanctus Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum ſcribens apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ cap. 43. *Neque Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quoquidem neutiquam potuit, quomodo quæſo Spiritum ſanctum adeptus eſt?* Ideo ſtatim adjungit Pacianus, *Unde aquam, quæ à matre diſceſſit?* Ut oſtendat eos nullo modo Spiritu ſancto frui poſſe, nec per baptiſmum, nec per Confirmationem. Denique nemo hactenus hanc differentiam inter ordinationem Catholicorum & Novatianorum adnotavit.

IX. Similiter Concilio IV. Carthaginenſi opponetur Sanctus Cyprianus in tractatu de operibus Chriſti Cardinalibus, ſermone de unctione Chriſmatis, ubi poſtquam enarraſſet uſum vaſorum ſacrorum Tabernaculi, conſecrationem Regum & Sacerdotum, addit,

dit, *Nec tamen ceſſantibus his, quæ ritu antiquo inoleverant, cum jam in populo Chriſtiano Circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, Unctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit; ſed cæteris generali Sanctorum conſenſu damnatis, non ſolum in regibus & Sacerdotibus unctionis honor permanſit, ſed in omnem populum Catholicum effuſa eſt hujus gratia plenitudo, &c.* Nihil præſcribo de hoc autore, & illius ſtylo à Cypriani genio diſſimili, dicam tantum autorem illum quicunque ſit, evidenter de unctione Ordinationis non loqui, ſed de unctione quæ ſit omnibus Chriſtianis communis, qualis ea quæ fit in baptiſmo aut Confirmatione, quæ ut antiqua non convenit tantum regibus aut Sacerdotibus, ſed per univerſam plebem Catholicam diffunditur. Cum autem res ſit perſpicua, pluribus verbis non eſt opus.

X. Majori cum probabilitatis ſpecie opponi poſſunt quædam Optati Milevitani dicta in fine lib. 2. adverſus Donatiſtas. Hæc omnium quæ hactenus attulimus probabiliſſimè videntur unctionis Epiſcopalis antiquitatem adſtruere. Facta ſunt autem ante Concilii 4. Carthag. celebrationem. Itaque videntur vim ex illius ſilentio petitam prorſus infirmare. *Docete*, inquit Optatus, *ubi vobis mandatum eſt radere capita Sacerdotum, cum è contrario ſint tot exempla propoſita fieri non debere. Saul antequam peccaret, ungi meruit. Poſt unctionem non leviter offendit, &c. Et utique potuit Deus oleum quod dederat auferre. Sed cum voluit docere, non debere contingi oleum etiam peccatorum, ipſe qui dederat Pœnitentiam geſſit.* Hoc teſtimonio & ſequente diligenter apud me conſideratis non mihi videtur neceſſariò inferri materialem unctionem in Ordinatione uſurpatam fuiſſe. Donatiſtæ furore quodam perciti degradabant Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, & degradatos ſimul cum plebe Pœnitentiæ ſubjiciebant. Ut degradationem & ſortem eorum Laicam publicè teſtatam facerent, Epiſcoporum præſertim, coronas exterminabant, exæquando per raſionem capitis pilos. Deteſtatur Optatus eorum malitiam, quod unctos Dei, quantum in ipſis eſſet, per Pœnitentiæ impoſitionem occiderent, & per raſuram, unctionis divinæ ſignum delerent. Deum in Saule hoc poſterius non feciſſe, oleum quod dederat non abſtuliſſe, nec Davidem in eodem Saule prius, quem cum poſſet occidere noluit, eo quod eſſet unctus Domini. *Oleum*, inquit, *Sacerdoti collatum non debuiſſe vos tangere, à puero Dei David diſcere debuiſtis.* Deinde deſcribit qua ratione David Saulem cum poſſet non occidit. Subdit poſtea, *Denterium, Parieſinum, &c. Dei Epiſcopos lingua gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem non corporis, ſed honoris. Vixerunt poſtea homines, ſed à vobis occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes.* Dicit eos contra Dei præceptum feciſſe, *Ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis*, ne, inquit, dum peccatum hominis percutitur, & oleum quod Dei eſt, feriatur. Eodem modo occidiſſe ait Matronas, pueros, Virgines, dum promiſcuè, quod timore humano ducti unitatem Catholicam amplexi fuiſſent, Pœnitentiæ ſubjecerunt, quod mortis genus Metaphoricum in Laicis, ut & in Clericis, fusè proſequitur. Verbis Optati ſatis ſuperque fit, ſi Unctionem Spiritus ſancti intelligamus cujus ſignum eſt corona in capitis pilis deſignata, quam materiali Prophetarum, Sacerdotum & regum unctioni comparat. Modus autem ille loquendi facilè à Donatiſtis capiebatur, cum ipſi & Catholici eodem ritu ordinationes celebrarent.

XI. Quemadmodum non licebat antiquitus unctos Domini tangere, id eſt, Reges & Sacerdotes; ſic & nunc unctos Domini, id eſt, Epiſcopos. Non inde ſequitur idem fuiſſe unctionis genus: Sicut nec ſequitur, tactus ille antiquus erat mors corporalis: Ergo Optatus quoque mortem Epiſcoporum corporalem intelligit. Ipſe enim tactum illum ſive mortem metaphoricè interpretatur, tum totius capitis raſuram, ut exterminetur corona Epiſcopalis, tum Pœnitentiæ impoſitionem, qua Epiſcopi, ut ipſe loquitur, in honoribus occiduntur. Ita quoque metaphoricè unctio, & oleum intelligenda ſunt. Hic ſenſus Optato familiaris eſt, ut ex libro ipſius 4. colligitur. Ita non longè ab initio: *Deus dixit, ne tetigeritis Chriſtos meos, neque in Prophetas manum miſeritis; vos tot Sacerdotes Dei honoribus expoliaſtis. Non eſt contemnere diſciplinam?* Et verſus ejuſdem libri finem ſic pariter interpretatur, *Oleum peccatoris non unget caput meum*, de unctione ſpirituali Chriſti, cum baptizatus eſt, & in ipſum Spiritus ſanctus deſcendit: *Apertum eſt cœlum Deo Patre ungente, ſpirituale oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit, & ſedit capiti ejus, & perfudit eum, unde cœpit Chriſtus, &c.*

EXERCITATIO VII.

DE PRESBYTERATUS MATERIA & forma.

CAPUT I.

Solam manuum impoſitionem Presbyteratus eſſe materiam. Sacerdotium characterem imprimere principium fidei. Quinque de Sacerdotii materia ſententiæ enarrantur. In Presbyteri ordinatione triplex manus impoſitio, & quæ cenſenda Ordini ſubſtantialis. Traditionem inſtrumentorum Græci autores & rituales ignorarunt. Idem tribus exemplis demonſtratur. Antiqui autores & rituales Latini eorum ſimiliter non meminerunt. Ex Conciliorum canonibus idem evincitur. Quando primum inſtrumentorum addito ritui facta eſt. Varietas in iſta traditione obſervata enarratur.

I. PRæcipuus Sacramenti Ordinis gradus Sacerdotium eſt, ad quem & propter quem inſtituti ſunt cæteri omnes gradus inferiores. Cum Sacerdotio Dei ordinatione ſacrificium ſemper conjunctum fuit, ut nos docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 1. Itaque Sacerdotium totius religionis Chriſtianæ fundamentum eſſe nemo dubitare poteſt. Characterem quoque imprimere iis quibus confertur, fidei Catholicæ principium eſt. Nam cum Concilium Tridentinum evidenter doceat per ſacram Ordinationem imprimi characterem, ſi Sacerdotium illum non imprimat, nihil in Ordinatione ſupereſt cui hæc virtus tribui poſſit. Unde ſequetur falſam eſſe & illuſoriam ſancti Concilii definitionem. His igitur aſſumptis ut principiis notis, ad alias de Presbyteratu, ſive Sacerdotio controverſias, de quibus in ſcholis diſputari ſolet, progrediemur. Primum quæ fuerit Sacerdotii materia perpetuò neceſſaria inquiremus.

II. Quatuor feruntur de hac re Scholaſticorum Doctorum opiniones. Prima & vulgatiſſima Doctorum numero & autoritate celebris, docet Sacerdotii materiam eſſe traditionem Calicis cum vino & aqua, & patenæ cum pane, atque in traditione ejuſmodi inſtrumentorum characterem imprimi, & Sacerdotem creari. Fit autem illa traditio in fine ritus, poſtquam Sacerdotis manus oleo conſecratæ ſunt, ut eſt legere in Pontificali, & quotidiana experientia diſcitur. Iſtorum Doctorum magna pars expreſsè improbat eorum ſententiam qui manuum impoſitionem tradunt eſſe Sacerdotii veram materiam, contenduntque ceremoniam tantum eſſe ordini accidentariam. De hac ſententia ita cenſet Joannes Maldonatus eximius & celebris Societatis JESU Theologus tom. 2. de Sacramentis, tractatu de Ordine, quæſt. 3. parte 2. *Impoſitio manuum non eſt habenda tanquam ceremonia non neceſſaria; ſed tanquam pars eſſentialis Sacramenti, idque videtur tenendum fide Catholica. Primum quia in ſcriptura ubicunque fit mentio de ordinatione declaratur per impoſitionem manuum. Et videtur mihi eſſe temerarium ſcripturam deſerere, & confectari chimeras, id eſt, rationes naturales. Secundò, quia veterem Eccleſiam nunquam ordinaſſe ſine impoſitione manuum ex omnibus autoribus antiquis perſpicuum eſt. De traditione autem Calicis & Hoſtiæ nulla eſt mentio apud illos. Tertio, quia videtur durum nimis eſſe, ceremoniam quam nobis perſpicuè tradunt Apoſtoli excludere a natura Sacramenti, & inducere illam, de qua nulla mentio fit in ſcriptura.* Iudicio & argumentis quæ Maldonatus de hac ſententia protulit, nihil habemus nunc addendum.

III. Secunda eorum eſt qui hanc materiam cenſent eſſe tantum partialem, & ei jungi volunt manuum impoſitionem, ut ex utraque conſtituatur materia integra. Iudicant enim abſurdum eſſe, ab eſſentia Sacerdotii illud excludere quod unicum commemorant ſancta Scriptura, Concilia, Patreſque omnes, cui ſoli tribuunt Sacerdotii originem, cauſam, virtutem; aliudque ejus loco ſolum invehere, quod ſacra Scriptura, Patreſque omnes profundiſſimo ſilentio involvunt, quod eos aliquando cognoviſſe nullo indicio demonſtrari poteſt. Hoc argumento perſuaſus Domitius Chamerota, poſtquam plurimas autoritates impoſitionem manuum ad ordinis ſubſtantiam pertinere demonſtrantes retulit, tandem concludit in re tam dubia ſe nihil velle definire; nihil eſſe tutius quàm Pontificale Romanum ſequi, in quo & impoſitio manuum,

nuum, & inſtrumentorum traditio conjunguntur. Ideo eam potius ſententiam amplectitur; ita tamen ut per traditionem inſtrumentorum character imprimatur, & propriè fiat Sacerdos; Per manuum verò impoſitionem detur gratia, & poteſtas Sacerdotalis ad remiſſionem peccatorum qua Sacerdotium completur, tractatu 11. cap. 3. de ſeptem Sacramentis.

IV. Tertia opinio idem tradit quod præcedens, ſed inſuper addit, ita ſeparatas eſſe duas iſtas materias partiales, ut materia prius tradita nullo caſu effectum poſterioris ſupplere poſſit. Ajunt autem prioris materiæ ſive traditionis inſtrumentorum proprium effectum eſſe, ſacrificandi, & Euchariſtiæ conſecrandæ poteſtatem, poſterioris verò, ſeu manuum impoſitionis effectum, Confeſſiones audiendi, & abſolvendi à peccatis autoritatem: ſive priore traditione poteſtatem dari in corpus Chriſti verum; poſteriore in corpus Chriſti myſticum. Intereſt autem inter utriuſque materiæ traditionem ſatis longum temporis ſpatium. Nam inſtrumenta dantur poſt lectionem Epiſtolæ antequam tractus finiatur. Manus autem illa impoſitio fit poſt Epiſcopi celebrantis & omnium ordinatorum communionem. Quærunt autem ſi contingeret Epiſcopum celebrantem poſt prioris materiæ traditionem fortuito mori antequam poſteriorem tradidiſſet, An Ordinati illi eſſent perfecti Presbyteri; reſpondentque hoc caſu dimidiatos fore Presbyteros, id eſt, habituros ſacrificandi quidem poteſtatem, non autem abſolvendi a peccatis autoritatem; ideo neceſſarium illis fore ad Sacerdotii munus perfectè conſequendum, ut alter Epiſcopus manus ipſis imponeret, & quod prior morte impeditus imperfectum reliquerat, compleret. Hinc variæ pullularunt quæſtiones, Qua parte materiæ producatur character: An duplex character juxta duplicem formam dupliciſque materiæ traditionem in Presbytero producatur. Si unus, qua ratione poſterioris materiæ traditione extendatur. Extenſionis autem illius varii modi explicantur. In ejuſmodi quæſtionibus exagitandis ludunt Recentiores, ita ut non abs re dixerit Philippus Gammachæus cap. 8. de Ordine, *Obſervant hic etiam Doctores omnes eum Sacerdotem qui non ſuſcepiſſet ab Epiſcopo impoſitionem manuum, ſed ſolum Calicem, &c. Poſſe quidem Euchariſtiam verè conſecrare, quamvis id agendo peccaret mortaliter; ſed tamen non poſſe ullomodo à peccatis abſolvere per illam juriſdictionem ſibi à quocunque Epiſcopo etiam à ſummo Pontifice delegatam, quia eſſet contra jus divinum, & contra inſtitutionem Chriſti, qui ſeorſim hanc poteſtatem dedit Apoſtolis.* Non equidem omnes Doctores hoc philoſophemate ducuntur & delectantur: At ſanè recentiorum plerique, Vaſquez, Tannerus, Meratius, Puteanus, Iſambertus, Eſtius, Sylvius, & alii qui ſine fructu, ſed non ſine labore enumerarentur. Ante Concilium Tridentinum, licet non tanto apparatu, eaſdem movebant quæſtiones: Guilelmus de Rubione in 4. in fine diſt. 24. poſtquam hæc ediſſeruit colligit; *Ex quo videtur corollarie concludendum quod poſſet eſſe Sacerdos aliquis ordinatus habens poteſtatem conficiendi ſine aliqua abſolvendi.* Quod iterum poſtea multis probat. Idem Nicolaus de Niſſe tract. 6. p. 3. quæſtione 1. de ſacra Ordinatione. Nicolaus de Orbellis in 4. diſt. 24. q. 1. Joannes Eckius homil. 59. de Sacramentis, & alii.

V. Antequam ulterius progrediamur, prænonendus eſt Lector in ritu Ordinationis Presbyteralis hodierno triplicem fieri manus impoſitionem, ut ex Pontificali Romano colligitur. Priores duæ ſtatim fiunt poſt dictas Litanias: Tum nullo cantu nullaque oratione præmiſſis, Epiſcopus ſimul utramque manum imponit ſuper caput cujuſlibet ordinandi ſucceſſivè, nihil dicens. Idemque faciunt poſt eum omnes Sacerdotes qui adſunt. Hæc eſt prima manus impoſitio. Qua peracta ſtatim ſequitur ſecunda, qua tam Pontifex quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extenſas ſuper illos, Et Pontifex ſtans cum Mitra dicit orationem antiquiſſimam quam nobis etiam nunc exhibet Pontificale. Tertia in fine Ordinationis habetur, tumque ſuper unumquemque Ordinatum hæc verba profert Epiſcopus, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Prima ſententia omnes has manuum impoſitiones repudiat. Tertiæ autores hanc tertiam impoſitionem ſolam admittunt, ut ordini ſubſtantialem, duas priores quas in unam confundunt, cenſent eſſe purè ceremoniales, & accidentarias. Idem faciunt ſecundæ ſententiæ plerique autores, aut ad eam impoſitionis manuum diſtinctionem mentem non advertunt.

VI. Quarta opinio manuum impoſitioni conjungit in unitatem materiæ unctionem Presbytero in Ordinatione factam. Sententiam iſtam amplexus eſt Cardinalis Hoſius. Pauciſſimi aut nulli eum ſecuti ſunt, licet præcedentibus omnibus longè ſit probabilior, ut pote; Patrum dictis & antiquis Ritualibus multò conformior.

VII. Poſtrema opinio, ea eſt quæ materiam Sacerdotii conſtituit ſolam manuum impoſitionem. Hanc ſolam omnis Eccleſia, Latina, Græca, Barbara ſemper agnovit. Hanc ſolam commemorant omnes antiqui Rituales, Latini, Græci; omnes antiqui & recentiores Patres, Græci, Latini. Propoſitum noſtrum non eſt in unamquamque ſeparatim inquirere. Fruſtra hoc fieret, quum argumenta quibus utimur generalia ſint, & tres priores ex æquo evertant. Quarta ex iis quæ capite præcedente demonſtrata ſunt, ſatis confutata eſt. Aliis argumentis ab autoribus trium priorum ſententiarum confutari ſolet, ſed nos ejuſmodi argumenta pauci facimus. Duobus igitur argumentis, ſeu potius demonſtrationibus probabo primam falſam omnino eſſe, duas ſequentes falſas eſſe qua cum prima conveniunt. Deinde demonſtrabo ſecundam & tertiam etiam falſas eſſe ea parte qua cum prima diſſentiunt, eo quod eam manuum impoſitionem eligunt, quæ antiquis autoribus & ritualibus penitus incognita eſt.

VIII. Græci, ut demonſtratum eſt, legitimè,

timè, & validè Presbyteros consecrant: Semper Ecclesia Romana eorum Ordinationes probavit. At apud eos incognita est ista instrumentorum traditio, & semper incognita fuit. Ergo ea non pertinet ad Ordinationis Presbyteralis substantiam. Minor propositio non secus ac major indubitatæ est fidei, satisque demonstrata est, & quotidie Romæ ipsa praxi demonstratur. Legantur & relegantur præcedentes Græcarum ordinationum *ἀκολουθίαι*, seu rituales; legatur S. Clemens, Sanctus Dionysius, nihil aliud sedula lectione deprehendes præter manuum impositionem & orationem, quod materiæ & formæ rationem induere possit. Sed consideretur præsertim S. Dionysius qui ritus istos diligenter persequitur, mysticè & tropologicè multis verbis explicat; versentur, & revolvantur ipsius verba, nihil aliud præter manuum impositionem & orationem, aut si vis addere genuflexionem, tibi occurret, cui substantiale aliquid possis affingere. Eorum testimonia huc non referemus, cum supra initio secundæ partis textus integer relatus fuerit. Eadem ratio Dionysii Interpretum, S. Maximi, & Pachymeræ; horum instrumentorum traditionis in Ordinatione ignarissimi fuerunt.

IX. His igitur prætermissis argumentum evidens hujusce rei è duplici praxi desumemus. Refert Theodoretus in *φιλοθέῳ* c. 19. hanc de Salamano sanctissimo Eremita historiam, *Petro Pontifex civitatis cujus erat vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit volens ei donum dare Sacerdotii; & domunculæ perfossa aliqua parte est ingressus, manumque imposuit, & peregit precationem. Et sæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum advenerat gratiam significavit.* Ex hoc testimonio multa consequuntur. Primum ad Sacerdotii ordinem tradendum nihil apud Orientales præter orationem & Episcopalem manuum impositionem, requisitum fuisse. Secundum quod inde sequitur, nullam traditionis instrumentorum usum illis fuisse, non solùm ex eo quod eo loco dicitur ille Monachus sine ulla instrumentorum mentione Sacerdotium consecutus, sed etiam ex eo quod instrumentorum traditio cum eo quod accidit subsistere non potest: Sacerdos enim factus hoc nescivit, & sæpe hoc illi ab Episcopo repetendum fuit. At si tradita fuissent illi Calix cum vino, Patena cum Hostia, procul dubio se factum Presbyterum ignorare non potuisset: Imò factus Presbyter non fuisset. Tangere enim instrumenta recusasset, aut vis illi ad contactum inferenda fuisset, quod factum Theodoretus non commemorat. Tertium, preces consecratorias & ordinationis effectrices mysticè, hoc est secretò fuisse eo tempore pronuntiatas, quod etiam nunc sedulò faciunt Græci. Nam si alta voce pronuntiatæ fuissent, cum Sacerdotem creatum celare non potuissent. Denique colligitur, *ἀνάῤῥησιν* illam, seu proclamationem Ordinationis Sacerdotalis formam non esse: Nam ea Episcopus ille usus non est; intellexisset enim se Sacerdotem creari. *ἀνάῤῥησις* enim est, *Divina gratia promovet hunc N. in Sacerdotem.* Quo sane conficitur proclamationem illam ad electionis factæ pronuntiationem pertinere, qua tum opus erat, cum solus Episcopus privatim eligeret, & consecraret.

X. Eadem colliguntur & evidentius ex eodem Theodoreti libro cap. 13. ubi Macedonii alterius solitarii Monachi, & hominis simplicissimi ordinationem refert. Scribit enim eum ordinatione facta nesciviſse prorsus quid contigisset. Cum autem Assistentium aliquis hoc indicasset, gravissimè excanduisse, & obvios convitiis & baculo cui innitebatur, lacessiviſse.

XI. Eodem argumentationis genere idem evidenter deducitur ex verbis Sancti Hieronymi in versum 9. c. 58. Isaiæ, sic scribit, *Plerique nostrorum, χειροτονίαν, id est, ordinationem Clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, ne scilicet, ut in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina Clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum, Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Non enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, &c.* Dicit quosdam Episcopos clandestinas ordinationes fecisse, néve ordinantes deprehenderentur, manus ordinandis non imposuisse. Hanc ordinandi fraudem ait Sanctus Hieronymus se risisse; eo quod Ordinatio non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad manus impositionem consummatur. Si tum instrumentorum usus viguisset, num ejusmodi clandestinas ordinationes quibus nescientes consecrabantur, aliquis tentare potuisset? Manus variis admodum de causis imponuntur; deinde possunt imponi sine contactu: ideo facilè potest quis etiam manum imponens ordinatum celare. Præterea in hac occasione tam urgente Sanctus Hieronymus instrumentorum non esset oblitus, quorum traditione istorum hominum temerarius ausus multo melius & validius quàm manuum impositione confutabatur.

XII. Secundo antiqui Rituales Latini, non secus ac Græci, istam instrumentorum traditionem nobis non exhibent. Quidquid spectat ad illam materiam & formam ab iis abest. Duo ritus ordinationis editi, unus Romæ in Sancti Gregorii Sacramentario ex Bibliotheca Vaticana; Alter Parisiis ab Hugone Mainardo, ex Bibliotheca Corbeiensi, quos hic cum aliis editos habes, ista omnia nobis non repræsentant. Duo antiquissimi Petaviani literis uncialibus scripti, qui præ cæteris eminent: Duo alii secundum istos antiquissimi, & egregiè, splendideque scripti, qui ampli sunt, & multa in Ordinationibus illis exhibent, quæ videri possunt non necessaria, quorum unus est Rotomagensis, alter Rhemensis: Tres alii quorum primus Senonensis est, duo alii Corbeienses, unus à Rodrado scriptus nunc vertitur annus octingentesimus primus, alter à Rotaldo præcedente multò junior, sed copiosissimus, qui quæcunque noverat ad Ordinationes pertinere, iis ditavit Sacramentarium suum: Denique unus è Bibliotheca Thuana perantiquus, & alter Bellovacensis regnante Roberto Francorum Rege scriptus. Illi omnes

nes antiquiſſimi Sacramentarii libri, & iſtorum inſtrumentorum, & formæ, ſeu verborum ſolemnium quæ nunc pronuntiari ſolent, cum Ordinandis traduntur, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis; In nomine Domini. Amen*, non meminerunt; profundum & mirum eſt de hiſce rebus apud eos ſilentium. Quis adeo deſipit, ut ſibi perſuadeat iſtos Scribas, & Epiſcopos qui eorum libris in ſacris agendis utebantur, ea omiſiſſe quæ ſola Presbyterum creabant: Innumera verò quæ ad rem nihil pertinebant, tam diligenter & tam magnificè deſcripſiſſe?

XIII. Nec tantum antiqui rituales iſta inſtrumenta prorſus ignoraverunt; verumetiam eorundem temporum & præcedentium autores eorum nunquam ne Verbulo quidem meminerunt. Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valfridus Strabo, licet de Officiis Eccleſiaſticis ampliſſimè ſcripſerint. Nonnulli autores qui ab anno milleſimo ſcripſerunt iſtorum inſtrumentorum in ordinatione Presbyteri mentionem faciunt, ſed in eorum traditione ordinationis naturam conſiſtere nemo dixit, nec leviter indicavit, imo potius contrarium. Ita Hugo à Sancto Victore lib. 2. de Sacram. fidei part. 3. c. 12. *Accipiunt & Calicem cum vino, & Patenam cum Hoſtiis de manu Epiſcopi: quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant placabiles Deo hoſtias offerendi.* Ipſe Lombardus Scholaſticorum Princeps lib. 4. diſt. 24. contrarium videtur aſſerere. *Accipiunt etiam Calicem cum Hoſtiis, ut per hoc ſciant ſe accepiſſe poteſtatem placabiles Deo Hoſtias offerendi.* Documenta hæc ſunt poteſtatis acceptæ, & pignora exercendæ. Eundem ſenſum exprimunt, licet minus evidenter, Stephanus Æduenſis, & Ivo Carnut. in ſermone de excellentia ſacrorum Ordinum.

XIV. Nonnulli etiam canones apud Latinos occurrunt ex quorum tenore manifeſtè colligitur nullam tum fuiſſe apud eos in Presbyteri & Diaconi ordinatione inſtrumentorum traditionem. Concilium Toletanum 4. c. 27. *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi a gradu ſuo indignè dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum; ſi Presbyter, Orarium & Planetam; ſi Diaconus, Orarium & Albam.* Presbyter igitur Calicem & Patenam in ordinatione non receperat, cum ei non reddantur in reſtitutione ſua. Qua ratione ei reſtituta non fuiſſent, ſi ut volunt, in eorum traditione Presbyter creetur. Sed evidens hoc argumentum evidentius fiet, ſi quæ ſequuntur de Subdiacono & reliquis inferioribus conſiderentur. *Si Subdiaconus, Patenam & Calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur, receperant.* Si tradita fuiſſent Presbytero Calix cum vino, Patena cum Hoſtia, illi conſimiliter in reparatione reddita fuiſſent, ut factum eſt poſtquam iſte traditionis uſus invaluit. Ita enim nunc Pontificale Romanum, *Miniſtri tradunt in manus degradandi Calicem cum vino & aqua, ac Patena, & Hoſtia, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, &c.* Canon S. Concilii Hiſpal. 2. idem alio modo demonſtrat, ſed illum capite ſequente examinamus. Concilium Carthagin 4. eodem evidenter conſpirat: nulla enim inſtrumenta commemorat in Ordinatione Presbyteri & Diaconi, ſed ſolam orationem & manus impoſitionem. Deinde can. 5. dicit inſtrumenta Subdiacono tradenda, eo quod manus impoſitionem non accipit. Itaque ipſorum erat axioma, Ordines qui inſtrumentis gaudent, manus impoſitionem non habere: & vice verſa, Ordines qui manus impoſitionem accipiunt, inſtrumenta non habere.

XV. Hoc obſervarunt ſedulò antiqui omnes Rituales. Referunt enim ſemper illos Concilii Carthaginenſis canones, & nuſquam in ritu conferendorum Majorum Ordinum, inſtrumentorum meminerunt, ut nuſquam in minorum collatione quæ inſtrumenta habent, impoſitionis manuum. Capite ſequente diligentius hunc canonem examinabimus. Concilium Meldenſe ſub Carolo Calvo Francorum Rege anno 845. celebratum, iſtius obſervationis & diſtinctionis praxim luculenter demonſtrat can. 41. *Chorepiſcopus modum ſuum juxta canonicam inſtitutionem teneat, & nec ſanctum chriſma, &c. nec Eccleſias conſecret, neque ordines Eccleſiaſticos qui per impoſitionem manus tribuuntur, id eſt, nonniſi ad Subdiaconatum, &c.* Supra igitur Subdiaconatum Ordines conferuntur per manus impoſitionem, Subdiaconatus & inferiores per inſtrumentorum traditionem.

XVI. Interrogabis forſan, Quando igitur hic ritus & illius formula ſuperaddita ſunt? Difficile dictu cum iſta ſæpe non fiant aliquo Provinciali decreto, ſed alicujus Epiſcopi Pii doctive & famoſi inſtinctu, qui religioſis & devotis aliquot rationibus ductus hoc addendum eſſe arbitratur: Deinde paulatim vicini Epiſcopi id probantes cum Rituales novos exſcribi curant, id in iis addi procurant, aut etiam nova deſcriptione non expectata, antiquorum margini. Inde eſt quod poſteriores Rituales ſemper ſint prioribus ampliores, & ceremoniis auguſtiores. Tandem ab aliquot ſeculis Romani Pontifices his additamentis modum impoſuerunt, & à Rituali-bus & Pontificalibus quæ ſuperflua judicata ſunt, reſecuerunt. Si tamen conjecturis locus eſt, anni ſunt ſeptingenti vel circiter cum initium huic additamento factum eſt. Reperitur enim in codice Abbatis Conſtantini Caëtani cujus character hanc ætatem ſapit, & videtur planè ſcriptus ante annum Chriſti milleſimum. Eſt autem hodiernis ſimilis, *Hoc fatto*, id eſt, unctione peracta, *accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, dicat, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini.* Eodem modo reperitur in Ordine Romano edito, una aut altera vocula addita. Videntur autem exemplaria manuſcripta de quibus expreſſa eſt illius ordinis editio, recentiora eſſe eo codice quem citamus,

cum ordo ille editus ſit idem cum illo codice, A ſed multò amplior & abundantior. Ex charactere de ordinis editi antiquitate judicare non poſſum, cum editionis iſtius prototypon non viderim.

XVII. In ſecundo codice Bellovacenſi, licet poſt ſexcentos annos ſcripto, hoc additamentum non erat; ſed poſt libri ſcriptionem in infima margine alia manu & charactere additum erat, in hunc modum qui à vulgato multùm abeſt, *Poſtea dat eis Epiſcopus Calicem, ita dicens, Accipite Calicem, & habetote poteſtatem, atque licentiam offerre ſacrificium Deo tam pro vivis, quàm & pro defunctis fidelibus.* Nihil de B Patena & oblata, nihil de vino in Calice. In Moguntino annorum 450. non dantur illa inſtrumenta omnibus, ſed tantùm quibuſdam omnium nomine. *Poſt hæc Epiſcopus offert Calicem cum Patena præparata cum Hoſtia & vino, duobus vel pluribus ad tangendum, dicens, Accipite, &c.* Omnes codices poſt annos quingentos ſcripti hoc habent additamentum uniforme in textu: vix aliquis eo carens deprehendetur. Nullibi tamen reperi in illa inſtrumentorum traditione vinum aqua mixtum, ut Pontificalis Romani rubrica præcipit.

XVIII. Silentio prætereundum non eſt, cum primum reperitur in Ritualibus iſta in- C ſtrumentorum traditio cum ſua formula, eam de Presbyteris non enuntiari, ſed de Epiſcopis. Itaque ſi materia eſt & forma ſubſtantialiter ordinem conſtituens, non Presbyterum, ſed Epiſcopum primò conſtituebat. Nam in Sacramentario Gregoriano ex Bibliotheca Vaticana inter Sancti Gregorii opera Romæ edito iſta inſtrumentorum traditio cum ſua formula deprehenditur, ſed in Ordinatione Epiſcopi, non Presbyteri; Et in eo ordinationis Epiſcopalis loco qui materiam & ſubſtantiam Ordinationis præſcribit: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, caput ejus tangant. Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & det ei dicens, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis.* Hic autem codex omnium in quibus iſtud additamentum reperitur, eſt antiquiſſimus. Qui primum illud addiderunt Ordinationi Epiſcopali addi voluerunt, eo quod ſacrificium Epiſcopo primum convenit, deinde Presbytero permittente Epiſcopo, ut adnotant rituales & canones. Denique formulæ elegantia decimi ſeculi barbariem reſipit, & priorum ſeculorum elegantiæ nihil conſervat.

CAP. II.

Quæ manuum impoſitio ſit Presbyteratui ſubſtantialis. Quando cœpit, & cum qua varietate manuum impoſitio, & ejus formula quæ hodie ritum finit. Nec antiqui rituales, nec antiqui autores, qui quingentos annos antecеſſerunt, illius meminerunt. Idem demonſtratur ex nonnullis canonibus, & Concilio Tridentino. Objectioni ex antiquo monumento occurritur.

I. AGgrediamur nunc ſecundæ & tertiæ opinionis poſteriorem partem, & diſpiciamus, an illa poſtrema manus impoſitio, cum qua jungitur illa formula, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* ſit formaliter vera & antiqua Sacerdotii forma, aut pars illius, quam Apoſtoli, & antiqui nobis tradiderunt. Formaliter dixi, quia ſi nudè manuum impoſitionem ſpectemus, & ſolum verborum additorum ſenſum, ritus Græcus & Latinus, ſecluſis & deletis illis verbis & illa manus impoſitione de quibus litem intendimus, expreſſè & ſæpius idem complectitur. Itaque contendimus hanc poſtremam manus impoſitionem ut ſic, cum iſta formula, nullo modo ad Sacerdotii ſubſtantiam pertinuiſſe, ſed eſſe ceremoniam recens à Latinis additam. In hanc poſteriorem materiæ partem eodem modo argumentamur ut in priorem. Nihil prorſus horum nobis repræſentant antiquiſſimi, & hodierni Græcorum rituales, ut videre eſt ſingulos legentibus; ceremonia eſt illis prorſus incognita. Veram tamen habent ordinationem, & ab Eccleſia Ro- D mana probatam. Non igitur pertinet ad Sacerdotii ſubſtantiam, ſed ad ceremoniam quæ ordinationis decorem auget & ornat.

II. Deinde tota illa ceremonia, & ſecundum materiam, & ſecundum formam, & ſecundum circumſtantias mille ducentis annis incognita fuit in Eccleſia Dei: Nulli rituales ante hoc tempus illius meminerunt, licet copioſi ſint, & ſingulos ritus pauci momenti ſigillatim deſcribant. Imò nonnulli ſunt eo tempore longè recentiores, & diffuſi admodum qui illam prætereunt. In codice Rhemenſi qui ad Eccleſiam Rotomagenſem pertinet, & E eſt annorum circiter quadringentorum ſupra quinquaginta habetur iſta formula, ſed in margine addita, charactere tamen ad textus antiquitatem accedente. Et in eodem Sacramentario poſt ritum completum habetur iterum in margine, ſed manu recentiore adnotata, *Et poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti antequam dicatur poſtcommunio, tunc Epiſcopus trahat unicuique caſulam deorſum per ſcapulas, oſculans eum, &c.* In alio Rotomagenſi annorum circiter trecentorum poſt Communionem Euchariſtiæ factam, ſcribitur, *Et tunc ſucceſſivè imponis manus ſuper capita ſingulorum*

lorum inclinata, dicendo cuilibet quod ſequitur, A *Accipe Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis, &c. Poſtmodum extendens caſulam cujuſlibet, induit quemlibet, eorum manibus remanentibus junctis, dicendo ſic, ſtola innocentiæ, &c.* Secundum illum ritualem Ordinati tum induunt caſulam. At ſecundum Pontificalem hodiernum, & etiam antiquum morem, id fit cum jam jam ſunt ungendi ante Euangelium Miſſæ inceptum. Sed nunc induta Caſula pars ejus poſterior ſuper ſcapulas in partem anteriorem replicatur, quæ Miſſa dicta cum pronuntiatur, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* explicatur. Verùm illa ceremonia in eo rituali omittitur, in fineque Miſſæ cum pronuntiat Epiſcopus *Accipe Spiritum* B *ſanctum, &c.* explicata induitur.

III. In libro Pontificali recentiore majoribus literis exquiſitè ſcripto qui pertinet ad Collegium ſuxenſe Toloſanum, adnotatur ſecundum quarundam Eccleſiarum conſuetudinem, Iſtam formulam, *Accipe Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis, &c.* in prima manus impoſitione dici ſolere; ſed ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem nihil prorſus dici, licet omnes Presbyteri manus imponant. In fine ſimiliter Miſſæ Caſula quam plicatam ante Euangelium induerant, ab Epiſcopo unicuique ſigillatim explicatur, tum dicente, *Sto-* C *lam Innocentiæ induat te Dominus. Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur: Potens eſt enim Deus ut augeat tibi charitatem & opus perfectum.* Licet contineat iſte Pontificalis ceremoniam explicationis Caſulæ, materiæ tamen & formæ de qua diſputamus nullum habet veſtigium, niſi quod quaſdam Eccleſias formam illam uſurpare notat, ſed loco planè alieno, & Doctorum noſtrorum philoſophematis & myſteriis inepto. Denique lectus eſt nobis adhuc Pontificalis alius Rhemenſis annis aliquot abhinc quadringentis ſcriptus, qui tamen iſtius materiæ & formæ planè eſt immemor. Hoc quod nunc de antiquis Pontifica- D libus adnotamus ex parte animadvertit Joannes Major qui anno 1516. Commentarios ſuos in 4. ſententiarum Pariſiis edebat. Diſtinctione enim 24. q. 1. ex eo præſertim probat hanc manuum impoſitionem ad Presbyteratus ſubſtantiam non pertinere, quod *aliqua paſtoralia hæc non habeant, nec ſit probabile quod deficerent in aliquo tam neceſſario ad Sacramentum.* Notandum autem eſt diſcrimen inter rituales quos producimus, & eos quos citat Major. Nam rituales producimus jam exoletos, ſecundum quos à longo tempore ordines non amplius conferebantur. Diu enim eſt cum impreſſi rituales manuſcriptis ſucceſſerunt. E At rituales, ſive Paſtorales citat Major ſecundum quos multis locis ordines conferri videbat, qui tamen ea manuum impoſitione & formula carebant. Teſtatur Angelus in ſumma V. ordinatio, 1. n. 14. quædam Epiſcoporum Paſtoralia, alio modo variare: habere quidem manuum impoſitionem, ſed tum aliis verbis uti, non iſtis; non ideo tamen ordinationem eſſe iterandam. *Si quis Presbyter habuiſſet in ſua ordinatione impoſitionem manuum ſed non fuiſſent dicta prædicta verba, Accipe Spiritum ſanctum, &c. ſed alia ſecundum aliqua Paſtoralia Epiſcoporum, Tunc nihil iterandum eſt, vel ſupplendum.* Similem ritualium varietatem adnotabant etiam aliqui cum ſcribebat S. Bonaventura, ut videre eſt in 4. diſt. 24. part. 2. art. 1. q. 4. in objectione ſexta.

IX. Autores quoque qui ante quingentos annos de his ſcribebant, nullam iſtius manus impoſitionis mentionem faciunt, & ita ſermonem ſuum diſtribuunt, ut nullibi in ritu Ordinationis illis cognito locum habere poſſit. Stephanus Ædvenſis c. 4. *Iſti cum ordinantur, ab Epiſcopo ſuper capita eorum manus tenente benedicuntur. Omnes autem Presbyteri adſtantes cum Epiſcopo manus levant, & Spiritum ſanctum invocant. Invocatione facta ſtola ſuper utrumque humerum ponitur, &c.* ſingula perſequitur, nec verbum ullum de poſteriori manus impoſitione, & ejus formula. Similiter Ivo Carnutenſis in fine ſermonis de excellentia ſacrorum Ordinum, & Hugo à Sancto Victore in ſpeculo Eccleſiæ, c. 5. qui Ordinationis Presbyteralis compendium eodem modo ſtruunt, & iiſdem ſæpe verbis. Micrologus c. 21. de obſervationibus Eccleſiaſticis manifeſtè per conſequentiam negat hoc in ritu ordinationis haberi, *Item & ſuſceptionem Pœnitentium non ex ſua conſecratione, ſed ex Epiſcoporum conceſſione Presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit, quicunque ordinem conſecrationis eorum, ſive ſtatuta ſanctorum Patrum diligenter inſpexerit.* Si legiſſet Micrologus in Ritualibus temporis ſui hæc verba Presbyteris dicta cum ordinantur, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Qua fronte dicere auſus fuiſſet Pœnitentium ſuſceptionem Presbyteros ex ordinatione ſua non accipere, atque id ex Ritualium lectione manifeſtum eſſe, ſi ejuſmodi verba pronuntiata fuiſſent, quibus ea autoritas illis evidentiſſimè conferitur?

V. Honorius Auguſtodunenſis in Gemma animæ lib. 1. cap. 181. videtur negotium faceſſere, Ait enim, *His Epiſcopus in ordinatione manus imponit, poteſtatem ligandi atque ſolvendi tradit, quatenus ipſi ita vivant, ut alios ligare ac ſolvere valeant,* videtur alludere ad ea verba, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* ſed hoc conceſſo res eſt ad quæſtionem iſtam indifferens, loquitur enim Honorius, ſive quiſquis ſit illius libri autor, de prima manuum impoſitione quæ verè eſt Presbyteri conſtitutiva: ſtatim enim ſequitur, *Jugum Domini ſuave eis imponit, dum collum illorum ſtola cingit, quatenus ſic legi Dei obediant, ut alios regere queant. Manus eorum chriſmate ungit, &c.* Itaque hinc tantum colligeretur, Hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* dicta fuiſſe in prima manus impoſitione, quod nonnullos Rituales exhibere jam monuimus. Nec tamen hoc affirmare neceſſe eſt: Alludit enim ad ea verba quæ in omnibus antiquis Sacramentariis habentur ſub titulo, *Conſecratio Presbyteri,* & eodem modo in Pontificali Romano hodierno, ſed ſine titulo, *Da quæſumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem: Innova in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis ut acceptum à te Deus, ſecundi meriti munus obtineant; Cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent, &c.* Finita

prece illa, ſtatim Epiſcopus, ut etiam nunc, Orarium reflectit ſuper utrumque humerum.

VI. Idem efficaciſſimè probat canon 3. Concilii Cartag. 4. *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi, ſuper caput illius teneant.* Manifeſtum eſt hoc de priore manus impoſitione eſſe intelligendum, id eſt, de ea in qua Presbyteri manus ſimul cum Epiſcopo ſuper ordinandum imponunt. Autorum hodiernorum maxima pars cenſet iſtam manuum impoſitionem eſſe tantum ceremonialem: Ita ſit, ſed nobis oſtendant aliam: Deinde dicent nobis, quamobrem cum materiam Patres illi exactè in Epiſcopo, & inferioribus omnibus ordinibus deſignaverint, in Sacerdotio quod eſt omnium fundamentum & cauſa, illam omiſerint, illiuſque loco nobis ceremoniolam ſubſtituerint? Præterea ſcire velim, ſi manus illa impoſitio ad Presbyteratus ſubſtantiam nihil pertinet: Quare canone ſequente adnotatur de ordinatione Diaconi, *ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper illius caput ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Cum Presbyter ordinatur, adſtantes omnes Presbyteri manum ſimul cum Epiſcopo imponere debent, quia ad Sacerdotium conſecratur. Cum verò Diaconus, ſolus Epiſcopus manus imponit, quia ad miniſterium conſecratur. Manus igitur impoſitio Epiſcopi & Presbyterorum ſecundum Concilium neceſſaria eſt Presbytero ordinando; ſed ſolius Epiſcopi, Diacono. Qua ratione dici poteſt neutram neutrius ordinationi neceſſariam?

VII. Denique omnes illi fatentur in Ordinatione Subdiaconi, ſubſtantialem eſſe traditionem patenæ & calicis vacui. Sed idem Concilium jubet Epiſcopum hæc Subdiaconis tradere, cum ordinantur, eo quod manus ipſis non imponuntur. Eſt igitur illis vice manus impoſitionis quæ Presbyteris & Diaconis confertur, inſtrumentorum traditio. An ſubſtantialis ritus vicem tenet ceremoniolæ, & tanta cum diligentia Patribus de ceremoniola præcautum eſt & proviſum; de ſumma verò rei ſtatuâ ſunt taciturniores? Denique in ipſo illo actu quo Presbyteri manus cum Epiſcopo imponunt, formam ſive orationem pronunciat Epiſcopus, juxta Concilii præceptum: ita enim canon, *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, &c.* Quid aliud, *Epiſcopo eum benedicente*, quàm ſolemnia verba pronunciante? Ut canone præcedente de Epiſcopo conſecrando, *uno ſuper eum fundente benedictionem; reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.* Ita canone ſequente, de Diacono, *ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat.* Plurima ſunt illius rei exempla, unumque iterum habes in argumento quod ſequitur.

VIII. Canone 5. Concilii Hiſpalenſis II. refertur caſus ex cujus deciſione duo manifeſtè conſequuntur, inſtrumentorum traditionem non eſſe Presbyteratus materiam, nec formam illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* Canonem licet longiuſculum integrum referemus, quia rem perſpicuè proponit, & definit, *Ad cognitionem noſtram Aniani Egabrenſis Diaconi relatu deductum eſt, de quibuſdam ipſius Eccleſiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterorum, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & Presbyter quidam illis contra Eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe. Qui licet propter tantam præſumptionis audaciam, poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præventus. Sed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt; Hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne ſibi licentiam talis ultra uſurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu Sacerdotalis vel Levitici ordinis, quem perverſè adepti ſunt, depoſiti æquo judicio abſtantur. Tales enim meritò judicati ſunt removendi, quia pravè inventi ſunt, conſtituti.* Multa hinc manifeſtiſſimè deducuntur: Primum, benedictionem dare, id eſſe quod nos nunc dicimus, formam pronuntiare. Ex eo enim quod Presbyter benedictionem dederat, totus ritus inanis judicatus eſt. Unde in ejuſmodi actionibus, benedicere, benedictionem dare, fundere, nihil aliud eſt quàm verba formæ ſolemnia proferre. Secundum, Verba formæ non eſſe, *accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* Sed longam illam orationem quam repræſentant omnes libri rituales, antiqui, recentiores, & hodierni, cui antiqui omnes titulum imponunt, *Conſecratio*, & quæ eam ſequitur, cui titulus, *Conſummatio Presbyterii.* Nam ſi prior illa fuiſſet, *Accipe, &c.* Quid opus erat Epiſcopo oculorum morbo laboranti adjutore Presbytero qui eam prælegeret? Memoriter illam protuliſſet, cum ſit breviſſima, & de re communiſſima, quæ nulli Presbytero, nedum Epiſcopo, non poterat eſſe non cognita. Tertium, Orationem illam longam & quæ ſequitur, formam continere Presbyteri conſtitutivam. Tota enim actio eo quod eam pronuntiaſſet Presbyter non Epiſcopus, irrita judicata eſt, & graviter puniti qui temerè hoc nefas auſi fuerant. Quartum, inſtrumentorum traditionem, & verba quæ in traditione proferuntur, non eſſe Sacerdotii materiam & formam, quum eorum in canone nulla fiat mentio, & quidquid eſt formæ & materiæ, tribuant Patres manuum impoſitioni & benedictioni.

IX. Denique Concilium Tridentinum eandem ſententiam confirmat ſeſſ. 14. c. 3. ubi extremæ unctionis Miniſtros docet eſſe ſolos Epiſcopos, *aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii.* Loquitur evidenter Concilium de priore manuum impoſitione. Nam in poſteriore ſolus Epiſcopus manum imponit: De ea igitur non eſt intelligendum Concilium.

Deinde

Deinde ea manus impoſitio de qua verba fa- A cit eſt Sacerdotio ſubſtantialis, nec poterat hoc clarius Concilium ſignificare, quàm cum dicit Sacerdotes ritè per manus Epiſcopi & Presbyteri ordinari. His denique accedat quod inſtrumentorum Patres Tridentini nunquam meminerint.

X. His videtur opponi poſſe teſtimonium autoris quæſtionum veteris & novi Teſtamenti qui habetur inter opera Sanct. Auguſtini. Videtur q. 93. teſtari ſuo tempore hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, in ordinationibus uſitata fuiſſe: *Illud autem quod inſufflaſſe in Diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe, Accipite Spiritum* B *ſanctum, Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum ſanctum aguntur, idcirco cum regula eis & forma traditur hujus diſciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum Sanctum. Et quia verè ad jus Eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubjicit dicens, Cujus tenueritis peccata, tenebuntur, & cujus remiſeritis, remittuntur ei. Inſpiratio ergo hæc, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis per quam commendatiores habeantur.* Reſpondeo ex verbis iſtius autoris nihil aliud colligi poſſe, quàm Chriſtum per illam actionem, & illa verba po- C teſtatem Eccleſiaſticam Diſcipulis conceſſiſſe, & Spiritus ſancti tradendi autoritatem: quod eſt veriſſimum. Sed non ſequitur Apoſtolos, aut ipſorum ſucceſſores gratiam Spiritus ſancti iiſdem verbis, & eadem inſufflationis actione tradidiſſe, multo minus ad id hoc Domini exemplo adactos. Quemadmodum non ſequitur, Chriſtus in cœna Apoſtolos creavit Sacerdotes, & cum dixit illis, *hoc facite in meam commemorationem*, ſacrificandi poteſtatem illis tradidit: Eadem igitur actione & iiſdem verbis Sacerdotes ordinandi ſunt. Nulla enim Eccleſia hunc conſecrandi ritum obſervavit unquam.

XI. Verum ne plura exempla conquira- D mus, ipſe autor ſeſe explicat, & verbo & exemplo. Statim enim colligit, *Semel ergo fieri oportuit, ut de cætero traditio iſta non ſine dono Spiritus ſancti eſſe credatur.* Hoc eſt, ſemel igitur oportuit Chriſtum ſufflare in Apoſtolos, & dicere, *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* Ut Eccleſia Chriſti quam Apoſtoli fundaturi erant, largiendi Spiritus ſancti autoritatem haberet. Exemplis illuſtrat autor ſententiam ſuam. Verba enim citata immediatè iſta ſequuntur: *Sicut enim in Salvatore forma data eſt viſibiliter, ut poſt baptiſmum Spiritus ſanctus credentibus de cætero inviſibiliter dari non ambigeretur: ita & in ſupradicta cauſa forma data eſt in principio, ut ex eo traditioni Eccleſiaſticæ Spiritus ſanctus infuſus credatur.* Profectò non ſequitur in priore comparationis membro, Viſibiliter in forma columbæ Spiritus ſanctus deſcendit in Salvatorem: Ergo idem fieri debet in credentibus. Imo contrarium colligit autor, ſufficere id ſemel in Servatore factum fuiſſe, ut alio modo credatur gratia Spiritus ſancti in credentes inviſibiliter deſcendere. Similiter ex autoris mente colligendum, fuiſſe ſatis Chriſtum ſemel inſufflando in diſcipulos, & iis dicendo, Accipite Spiritum ſanctum, poteſtatem Eccleſiaſticam eis contuliſſe, ut ex eo credatur in ejuſdem poteſtatis per Eccleſiam collatione, gratiam tradi Spiritus ſancti. Itaque contrarium ejus quod prætenditur, autoris verba clare demonſtrant.

CAPUT III.

Confutatio illius opinionis quæ manuum impoſitionem interpretatur inſtrumentorum porrectionem ab Epiſcopo factam. Sententiæ iſtius abſurditas explicatur. Quid Patribus manus impoſitio. Ceremonia iſta à Judæis derivata, ad plures effectus uſurpatur. Tria Sacramenta dicuntur manus impoſitio. Sed Ordines majores potiſſimum per manus impoſitionem dari innumeris teſtimoniis probatur.

I. QUoties mentem ſubit ea quorumdam Scholaſticorum ſententia quæ Ordinum majorum materias in ſola traditione inſtrumentorum ſtatuit, formas verò in ſolis verbis quæ traditionem illam comitantur, non poſſum non mirari, quamobrem ab iſta materia manuum impoſitionem intercluſerunt, cujus tamen ſolius meminit ſcriptura; cujus ſolius meminerunt ſancti Patres omnes, atque ut cum Ariſtophane in Equitibus loquar, Οι ὃ ἐξ ἐνὸς στόματος ἅπαντες ἀνέκραγον impoſitione manuum Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos conſecrari. Quamobrem viri doctiſſimi, & rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſiſſimi id tantum ſubſtantiæ Ordinationum prærogativa decorarunt, quod ſancti Patres juxta cum ignariſſimis ignorarunt, cujus apud eos nec vola nec veſtigium. Nihil nunc ad nos attinere judicamus profundius in hujus intercluſionis cauſas penetrare: Eam tantum ſententiam hoc capite examinabimus, quæ manuum impoſitionem in porrectione inſtrumentorum venatur. In hoc ſanè laudanda ſententia, quod Priorem cum ſanctorum Patrum dictis conciliare nititur. Utinam cum pari laude id conſeciſſet.

II. A paucis annis Recentiorum Doctorum unus aut alter, cum ſententiæ prioris incommodis mederi volunt, ulcus ulceri mihi videntur addere, & lutum cœnoſiore luto purgare. Dicunt inſtrumentorum traditionem eſſe manuum impoſitionem, eo quod calicem vel quid aliud tradendo manus extenditur, & porrigitur; & hanc manus porrectionem eſſe manus impoſitionem de qua Patres loquuntur. Primum interrogemus Patres Latinos, qui in majoribus Ordinibus manuum impoſitionem ſe uſurpare profitentur; in inferioribus vero inſtrumentorum traditionem. *Subdiaconus* qui minorum ordinum primus eſt, inquiunt Concilii IV. Carthaginenſ. Patres, *cum ordinatur, quia*

manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum, &c. Si Neotericorum iſtorum interpretatio vera eſt, quid abſurdius à Sanctis illis Patribus pronuntiari potuit? An mente capti, aut dormitantes hæc protulerunt? Si manus impoſitio, eſt inſtrumentorum traditio, quamobrem dicunt inſtrumenta Subdiacono tradenda quia manus impoſitionem non habet: imò perfectiſſimam habet quia bis porrigit manum Epiſcopus, & ter Archidiaconus. Quid de extrema unctione, quoties manus in illius adminiſtratione porrigitur, & extenditur? Quis tamen unquam dixit extremam Unctionem per manus impoſitionem dari? Quid de baptiſmo dicam? Numquid qui baptizat, manum non extendit? Quid de ſacrificio Miſſæ, & rei ſacrificatæ miniſtratione? Quid denique de reliquis Sacramentis, quoties in eis miniſtrandis manus extenditur, & porrigitur? Sed quid Sacramenta proſequor? Quum das elcemoſynam manum imponis; quia extendis. Das nuces puero, illi manum imponis; extendis enim. Bibis, comedis, verberas aliquem, manum imponis, extendis enim. Nihil ergo aliquem fieri poterit, quin ſtatim manus imponatur. Sed ſemper reperiuntur aliqui qui malunt Soli obloqui quàm à Magiſtri aliquando labentis ſententia recedere. Quapropter eminentiſſimus Cardinalis Lugo non immerito dixiſſe mihi videtur diſput. 2. de Sacram. ſect. 5. n. 93. *traditionem inſtrumentorum nonniſi impropriſſimè, & ineptiſſimè poſſe appellari ſimpliciter manus impoſitionem.*

III. Verum equidem eſt in manus impoſitione extenſionem fieri: ſed hoc eſt omnis actionis manus proprium. Manus enim vix movere poteſt homo ut aliquid agat, quin eas cum brachio extendat, & contrahat. Si manus illa impoſitio religioſa in ea extenſione conſiſtat, omnis actio religioſa cujuſcumque generis, erit manus impoſitio: ac proinde imperitè admodum antiqui Patres quandam actionis ſpeciem per manus impoſitionem deſignarunt. Manus igitur impoſitio eſt extenſio manus ſive manuum ſuper alicujus caput, aut plurium capita, ita ut vola manus ſive concavum tegat caput. Non eſt autem neceſſe ut manus ſic extenſa inſideat capiti, & illud tangat, niſi Ritualis id adnotaverit. Sufficit ut ſic extenſa ſuper caput ſuſpendatur, & illud tegat & adumbret. Unde appoſitè S. Dionyſius ſic eam myſticè interpretatur. *Manus Pontificis impoſitio, ſimul quidem divinum præſidium Sacramento annexum declarat, quo tanquam ſancti pueri Patris Charitate foveantur; ita ut eis quidem ſtatum, vimque Eccleſiaſtici ordinis largiatur, contrarias autem poteſtates procul ab eis fugat? ἐμφαίνει πλατυαγχικὴν σκέπην*, propriè, *declarat myſterioſum & primarium Dei tegumentum.* σκέπη enim primo tegumentum ſignificat, deinde trantlatione facta, præſidium. Alludit Dionyſius ad illam manus impoſitionem quæ caput tegit quam expoſuimus. Sed obiter nota virtutem maximam quam ei Sanct. Dionyſius tribuit. Idem non minus evidenter exprimit Tertullianus in libro de reſurrectione carnis. *Caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur.* Nomina illa, *σκέπη adumbratio*, alludunt evidenter ad deſcriptionem quam fecimus. Sed ſanctiſſimi Patres diſerte nonnunquam exprimunt manus impoſitionem in ordinatione eſſe manus ſuper caput poſitionem & extenſionem. Sanct. Clemens Conſtitutionum lib. 8. cap. 16. *Cum Presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum ſuper caput Presbyteri, &c.* Carthag. Concil. cap. 4. Presbyter *cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Damaſus epiſt. 4. Innocentius Epiſt. 22. Dionyſius Eccleſ. Hierarch. cap. 5. Auguſtin. lib. 5. de baptiſmo contra Donat. cap. 20. & alii complures ſimiliter iiſdem verbis manuum impoſitionem explicant. Sic & Scriptura ſacra tam veteris quam novi Teſtamenti, ut ex ſectione ſequente conſpicitur.

IV. Ceremoniam manus impoſitionis à Judæis deſumpſerunt Apoſtoli, & ab Apoſtolis Chriſtiani. Multas actiones religioſas facturi Judæi manus ſolebant imponere iis quorum cauſa actiones illas inſtituebant. Benedicturi manus imponebant. Ita Geneſ. 48. v. 14 Jacob benedicturus nepotibus ſuis Ephraim & Manaſſe, *extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim, &c. ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, &c. Benedixitque Jacob filiis Joſeph.* Ita Dominus noſter pueris benedicens, manus ſuper ipſos impoſuit, Marci 10: 16. Sacrificaturi manus ſuper hoſtiam imponebant, Exodi 29: 10. *Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii. Imponentque Aaron & filii ejus manum ſuper caput illius, & mactabis eum* ſic Levit. cap. 1: 4. cap. 3: 2. Teſtes imponebant manus ſuper caput hominis qui eorum teſtimonio interficiebatur, ut conſtanter teſtarentur ſe nihil niſi verum perhibuiſſe. Daniel. 13: 34. In veteri Teſtamento Dux populi aliquando per manuum impoſitionem creabatur, ut Numerorum 27. *Dominus ait ad Moſen, Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt Spiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum, &c. ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael.* Et paulo poſt, *Et impoſitis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.* Sic Deuteronomii 34 *Joſue filius Nun repletus eſt Spiritu Sapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.*

V. Similiter in novo Teſtamento Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ipſiuſque Apoſtoli impoſitionem manus in variis actionibus uſurparunt, eos quoque imitata Eccleſia Chriſtiana. Tribus potiſſimum Sacramentis antiquitas nomen impoſitionis manuum indidit, Sacramento Confirmationis, Sacramento Pœnitentiæ, & Sacramento Ordinis. Duo priora aliquando ſic diſtinguit; Sacramentum Confirmationis, vocat manus impoſitionem in Spiritum ſanctum: Sacramentum Pœnitentiæ, manus impoſitionem in Pœnitentiam. Sed Ordinis Sacramentum per manus impoſitionem ſemper deſignat. Extra hæc Sacramenta ſæpiſſime

ſime manus impoſitione etiam nunc utitur A Eccleſia. Verum his immorari longè extra ſcopum noſtrum eſſet evagari. Nihil quoque nunc ob eandem cauſam de manus impoſitione in Spiritum ſanctum, aut in Pœnitentiam. In manus impoſitione qua Ordo ſignificatur ſubſiſtemus.

VI. Innumera ſunt hujus ſignificationis teſtimonia quæ ſimul indicant eam actionem eſſe ordinationi ſubſtantialem, ita ut non abs re ſtupore percutiatur qui animo revolvit eam ſententiam quæ à ſubſtantia Ordinum removet manus impoſitionem, & ejus loco ea ſubB ſtituit, quæ nunquam antiquis cognita fuerunt. Pauca ex innumeris colligimus eaque ſecundum verborum ſeriem non expandemus; operoſum nimis ea exſcribere, & parum fructuoſum. Sed tantum loca in quibus deprehenduntur, breviter adnotabimus, quæ Lector, ſi libuerit, poterit conſulere Actor. c. 6. v. 6. 1. ad Timoth. c. 4. v. 14. & c. 5. v. 22. 2. ad Tim. cap. 1. v. 6. Clemens Conſtit. Apoſtolic. lib. 8. c. 16. 17. 21. &c. S. Dionyſius Hierarchiæ Eccleſiaſt. c. 5. ſæpius. Cyprianus epiſt. 68. Euſebius hiſtor. l. 6. c. 35. ſæpius Nicænum I. Concil. c. 9. Neocæſar. c. 9. Ancyran. c. 10. Antiochenum c. 10. & 17. Carthag. IV. C c. 2. 3. Synod. VII. c. 14. Concilium Chalced. c. 1. 6. 10. S. Baſilius epiſt. ad Amphiloc. c. 1. & 51. Epiſtola 192. ad Nicopolitanos, & Epiſtola ad Epiſcopos Occidentis in Synodo VII. act. 1. S. Ephrem de Sacerdotio, & in vita S. Abrahami. S. Gregorius Nazianz. Orat. 20. in laudem Baſilii, & Oratione 4. de 40. Martyribus. Chryſoſtomus homil. 14. in c. 15. actor. & in 1. ad. Timot. c. 4. v. 14. & in c. 5. v. 22. in eoſdem textus Oecumenius Theodoretus, Theophylactus, Primaſius, Sedulius. Simeon Metaphraſtes in Chryſoſtomi vita ubi de ordinatione ejus verba facit. Syneſius Epiſt. 76. & 66. S. Ambroſius de dignitate Sacerdotii D c. 5. S. Hieronymus in c. 58. Iſaiæ ad finem capitis. S. Auguſtinus ſuper geſtis cum Emerito, & ſermone 2. de iiſdem geſtis, & lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 20. S. Innocent. Epiſt. 22. c. 3. S. Leo I. Epiſt. 83. ad Epiſcopos Africæ, Optatus lib. 1. contra Parmenianum. Cæleſtinus in Epiſtola ad Concilium Epheſinum; extat. c. 20. tertiæ partis Concilii. Hilarius Papa Epiſt. 1. Hormiſdas Epiſt. 25. c. 1. Theodoretus l. 4. hiſtoriæ c. 14. in fine, & 21. Socrates l. 5. c. 20. S. Gregorius I. in fine regiſtri, decreto 5. & homil. 39. S. Iſidorus l. 2. de divinis officiis, c. 5. Beda de remediis peccatorum c. 1. lib. 3. Comment. in c. 2. Marci, & in c. 2. Joannis verſus finem. Ecbertus Eboracenſis Epiſcopus in Pœnitentiali. Con- E cilium Meldenſe c. 44. Hiſp. II. c. 5. Alexander II. cauſa 1. q. 3. c. ex multis. Urbanus II. cauſa 1. q. 7. c. Daimbertus. Anacletus Epiſt. ad Epiſcopos Italiæ, Damaſus ep. 4. ſæpius, & alii complures quorum iſti ſunt pars minima.

CAP. IV.

De manus impoſitione qua ſecundum Judæos Rabbini creantur. Quomodo eam uſurpent, & de ea philoſophentur. Omnes eorum hiſtorici qui Hebraicè ſcripſerunt, ſunt recentiſſimi. Monſtroſa Judæorum in geſtis nationis ſuæ ignorantia. Nulla hiſtoriæ inſulſitas & fatuitas tam horrida eſſe poteſt, quin ſtatim ad eam probandam præſto non ſit illis aliquod Scripturæ ſacræ teſtimonium.

I. IMpoſitio manus ſuper caput alicujus rei multis de cauſis à Judæis uſurpata fuit, quarum nonnullas capite præcedente expoſuimus; Cum victimæ Deo offerebantur Sacerdotes manus victimæ jamjam mactandæ imponebant. Exod. 26. verſ. 10. & 5. *Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii: Imponentque Aaron & filii ejus manus ſuper caput illius, &c.* Hic ritus erat in Lege Moſis ordinarius, ut colligitur ex cap. 1. verſ. 2. Levitici & cap. 3. 8. 13. & cap. 4. verſ. 4. 29. 33. 2. Paralip. 29. 23. & multis aliis locis in quibus hæc ceremonia aut jubetur, aut exercetur. Hunc ritum in animalium mactatione obſervare ſolebant antiqui Ægyptii, ut refert Herodotus lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ. Teſtes etiam manus imponere jubentur ſuper eum qui eorum teſtimonio morte plectitur, ut demonſtrent ſe in teſtimonio jam lato perſeverare Levitic. 24. 14. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Cum Levitæ è populo Dei ſeparantur, & Deo conſecrantur, ut ſacris vice populi miniſtrarent, Primores populi manus illis imponunt, Levit. cap. 8. 10. *Cumque Levita ſuerint coram Domino, ponent filii Iſrael manus ſuas ſuper eos, & offeret Aaron Levitas munus in conſpectu Domini a filiis Iſrael, ut ſerviant in miniſterio ejus.*

II. Sed omnibus his manus impoſitionibus, aliiſque prætermiſſis, unum genus ſolum hic à nobis attenditur: Ea ſcilicet manus impoſitio, qua dignitas & Magiſtratus aliquis apud Judæos conferebatur. Bis tantum in hoc ſenſu & de eadem perſona legitur hæc manus impoſitio in veteri Teſtamento uſurpata, Numerorum 27. 18. *Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum, &c. Et dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael.* Et Deuteron. 34. verſ. 9. *Joſue verò filius Nun repletus eſt Spiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Et obedierunt ei filii Iſrael.* Præter Joſuam non legitur manus alteri in eum finem impoſita. Legitur equidem Moſes Numeror. 11. Dei juſſu ſeptuaginta viros è populo elegiſſe qui eum in

co

eo regendo adjuvarent, ſed non legitur eis manus impoſuiſſe; verum Deus nullius miniſterio aſſumpto ſeniores illos Spiritu ſancto replevit, *auferens de Spiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* Similiter cum conſulente Jethro Exod. 18. Moſes conſtituit in populo varios Magiſtratus, non dicitur illis manum impoſuiſſe.

III. Non leguntur quoque Judæi illam manus impoſitionem in creandis Magiſtratibus ſuis obſervaſſe, niſi poſt captivitatem Babylonicam, & Templum denuo ædificatum. Tum enim in varias regiones diſpergi cœperunt, & varias reſpublicas in terris peregrinis conſtituere. Antea hac creatione ſe opus non habere credebant, cum omnes terram ſuam incolerent, haberent in ea Pontifices & Levitas ex ſucceſſione qui ſacrificia peragerent, & Legem docerent: Reges quoque & Principes ex Davidis poſteris à quibus regebantur, & Magiſtratus municipales creabantur. Sed cum per varias regiones diſperſi ſunt & diſſeminati, licet nulla ſacrificia præterquam in Jeruſalem offerrentur, neceſſe tamen illis erat Magiſtros in Provinciis qui legem docerent, creare, & Magiſtratus quorum autoritate omnes in officio continerentur. Submotis enim his fundamentis nulla reſpublica conſiſtere poteſt. Ideo creari cœperunt apud eos Rabbini, qui utroque munere, & Doctorum, & Magiſtratuum fungerentur. Creationis autem formam à creatione Joſuæ quam modo ex Scriptura enarravimus, deſumpſerunt. Sed unus creationem illam ſibi arrogare non audebat: tenebatur promoturus alium, duos ſaltem velut teſtes ſibi adjungere. Verum neceſſarium non judicabant ut duo illi teſtes per manuum impoſitionem, aut alio modo antea promoti fuiſſent: Sufficiebat ut primus & principalis ordinans manuum impoſitionem ab alio jam promoto ſuſcepiſſet. Nec promotus poterat tantum una vice unum promovere, ſed plurimos, quorum numerus apud eos non erat definitus. Tantam autem in illis initiis terræ ſuæ prærogativam detulerunt, ut impoſitionem illam manuum alibi, quàm in terra Iſraelis fieri non poſſe aſſererent. Exiſtimarunt præterea, ſed falſo, nulloque teſtimonio fulti, manuum illam impoſitionem à Joſue per ſynedrium magnum ad Rabbinos uſque ſuos perpetua ſic conſecratorum ſucceſſione continuatam fuiſſe, & propogatam. Crediderunt inſuper poſteriores Judæi hanc terræ Iſraelis prærogativam cum Babyloniis Judæis eſſe communicatam, eo quod iſtam regionem incoleret princeps captivitatis quem è ſemine Davidis omnes fabulantur. Tandem iſtam Rabbinorum creationem ſolo aliorum Rabbinorum edicto ſine manuum impoſitione fieri poſſe aſſeverarunt, ita ut vel abſentes, atque etiam per Epiſtolam creari poſſent, modo promovens & ordinans in terra ſtarent Iſraelis, aut in terra Babel. Hac ratione nunc & à multis ſeculis Rabbinorum celebratur apud eos inſtitutio. Unde סמיכה poſitio, inſtitutio, ordinatio apud eos duplex ſtatuitur, una cum manuum impoſitione; altera ſolo verbo. Delegabatur autem iſte Magiſtratus Rabbinicus ad tempus, ad certum genus negotiorum, ad ſingularem aliquam cauſam, qua definita, vel tempore elapſo ceſſabat Magiſtratus: vel etiam ad alterius generis cauſas judicandas cenſebatur ineptus. Cum autem nunc nec è terra Iſraelis, nec è Babylone Rabbinorum ſuorum promotiones arceſſant, ideo illis non eſt facultas judicia criminalia exercendi: mulctas tantum poſſunt imponere, pœnitentialibus laboribus caſtigare, & Excommunicatione perpetua vel ad tempus delinquentes percellere. Hæc prolatis eorum teſtimoniis clariora fient.

IV. R. Moſes Ben Maimon Commentario in Miſnaioth. cap. 1. Tractatus Sanhedrin explicans axioma antiquæ traditionis quod habetur. n. 3. illius capitis סמיכת זקנים ועריפת ענלה בשלשה דברי רי שמעון, *impoſitio manus Seniorum, & decollatio Vitulæ à tribus fit, ut ait R. Simeon.* ita ſcribit, אין אנו צריכין סמיכה בידים אבל האיש אשר ראוי למנותו יאמר לו הבית דין המכנים אותו אתה רבי פלוני סמוך אתה ורשאי אתה שתדין דיני קנסות ובוה יהיה האיש ההוא סמוך והוא נקרא אלהים ויודין כל הדינין יהדבר זה לא יהיה כי אם בארץ ישראל ואמרו ול אין סמיכה בחוצה לארץ אבל צריך שיהיה הסמוכה ואהו שרוצין לכנותו כלם בארץ ישראל ובשתהיה לו סמיכה בארץ ישראל הוא רשאי לדין דיני קנסות ואפילו בחוצה לארץ לפי שבעקרנו סנהדרין נוהגת בארץ ובחוצה לארץ. *Non ſumus adſtricti ad ordinationem quæ fit per manus impoſitionem. Sed domus judicii cum inſtituit & creat aliquem Rabbinum qui hac præfectura dignus eſt, dicet ei, Tu N. Rabbinus es, ordinatus es, & poteſtatem tu habes judicandi cauſas criminales. Per hæc verba vir ille ordinatus erit, vocabiturque Deus, & omnes occurrentes lites dirimet. Res autem iſta non fiet niſi in terra Iſraelis. Dicunt autem Patres noſtri bonæ memoriæ nullam manus impoſitionem fieri extra terram Iſraelis, ſed neceſſe eſſe ut inſtitutor, & ille quem inſtituere volunt, ambo ſint in terra Iſraelis. Cum autem facta fuerit manus impoſitio, & inſtitutio alicujus in terra Iſraelis, tum erit illi poteſtas judicandi cauſas criminales etiam extra terram, cum Synedrium quod eſt principium & fundamentum noſtrum hoc intra & extra terram facere ſoleat.*

V. R. Obadias à Bartenora eadem verba commentans, eadem paucioribus verbis & aliquid amplius dicit, יש במשמעות הדברים גם כנוי הריין שהנדול הסמוך צריך שיצרף עמו שנים בחוצה לסמוך הכם כדי שיקרא רבי

רבי וידון דיני קנסות וכו ולאו דבעי מסמך
ידיה עלויה אלא בשמא קרו לדין רבי ואין
סמיכה בחוצה לארץ אלא צריך שיהו שם כך
והנסמך יהיו כלן בארץ ישראל ואו יהיה לו
רשות לדון קנסות ואפילו בחוצה לארץ לפי
שסנהדרין נוהגת בין בארץ בין בכל אחד
ישנסמכי בארץ *In ſenſibus qui his verbis tribui poſſunt, ineſt etiam inſtitutio judicis; Quia neceſſe eſt ut principalis qui manus impoſitionem ſuſcepit, cum alicui ſapienti vult manum imponere, duos alios ſibi adjungat ut Rabi vocari poſſit, & cauſas criminales judicare. Significatio autem hujus dictionis* סמיכה *impoſitio petita eſt ab eo quod Moſi præcipitur Joſuæ 27. verſ. 23. Et imponet manus ſuas ſuper eum: Non ante requiritur ut manum imponat ſuper eum, ſed tantum ut nomine ſuo expreſſo vocetur Rabbi. Non ſit autem illa inſtitutio extra terram; ſed neceſſe eſt ut ambo & manum imponens & cui manus imponitur, in terra Iſraelis verſentur: Tumque erit illi poteſtas judicandi lites criminales, etiam extra terram Iſraelis; Quia ſic ſolet facere Synedrium tam in terra Iſraelis, quam extra cum ſemel in terra ordinati fuerint.*

VI. Sic loqui ſolent Judæi omnes de duplici Rabbinorum promotione. R. Abraham Zachuth in lib. Juchaſin, ubi Alphabeticè recenſet Doctores in Talmude celebres, & præcipua eorum geſta quorum in Talmude fit mentio, enarrat, hæc habet in R. Juda filio Babæ

רבי יהורם בן בבא הסומך שאלמלא הוא
בטלו דיני קנסות מישראל וכן הסמיכה
והסמיכה לא דוקא ביד כמו שעשה
משה ליהושע אלא אפילו ברבור בלבר די
שיאמר אני סומך תהיה סמוך *Sine enim operâ Rabbi Judæ filii Babæ judicia criminalia extincta fuiſſent ex Iſraele, atque etiam manus impoſitio ſeu Rabbinorum creatio. Ea autem non fit tantum manu ut Moſes fecit Joſuæ, verumetiam nudo ſermone. Sufficit ut inſtituens dicat, Ego inſtituo te in Magiſtrum. Sis inſtitutus.* Promovit ille ſeu creavit quinque inſignes viros ad Rabbinatum, ut ait eodem loco Zacuth. Alii his quinque unum addunt, alii duos. Mortuus eſt iſte Baba trecentis ſagittis ab Ethnicis confixus. Rab. Abraham Levita in Cabbala ſua occiſum refert, eo quod contra Romanor. edictum Rabbinos manuum impoſitione creaſſet. ר' יהודה בן בבא גם הוא
נהרג על שנזר מלך רומי שמד שכל הנסמך
יהרג והסומך יהרג וחעיר שסומכין בה תחרב
הלך הוא וישב בין שתי עירית הגדול בין
אישא לשפרעם וסמך ר' זקני וכו ובאו
עליו איבים ועשו את כל נופו ככברה ונהרג
Rabbi Juda filius Babæ etiam ipſe occiſus eſt, eo quod Romanorum Imperator decreverat mortis exitium adverſus Ordinatum & ordinantem, atque etiam ut deleretur urbs in qua ordinatio facta fuiſſet. Ille igitur profectus eſt, & ſedit inter duas

A *magnas urbes, inter Oſam, & Sepharam, ordinavitque quinque ſeniores, &c. Irruerunt que adverſus eum inimici, totumque ejus corpus fecerunt ut cribrum, eumque occiderunt.* Quia ut ſcripſit Abraham Zacuth trecentis ſagittis corpus ejus trajecerunt.

Tota hæc hiſtoria in Talmude Babylonico fuſius refertur c. 1. tractatus Sanhedrim f. 14. p. 1. & tractatu de idololatria ſeu עבודה זרה, fol. 8. p 2. Sed haſtis transfixum dicunt filium Babæ. Sic ajunt Magiſtri poſtquam Romanorum decretum, & Judæ ordinationes contra
B decretum enarrarunt, ביון שהכירי אויביהם
בהן אבר להן בניו רוצו אמרו ליר' מה תהא
עלוך אבר להן הדיני מוטל לפניהם באבן
שאין לה דופק אמרו לא זו משם עד שנעצו
בו שלש מאות לונביאות של ברזל ועשאוהו
ככברה *Poſtquam inimici eorum hæc cognoverunt, Dixit eis quidam, filii currite, indicate ei, Rabbi quid præparatur contra te? Reſpondit ei, Ecce ego jacco projectus ante eos ſicut lapis qui non commovetur. Hoc dicto inde non receſſerunt, donec*
C *hoſtes confixiſſent eum trecentis lanceis ferreis, & corpus ejus velut cribrum reddidiſſent.* Hinc appareret quanto in pretio ſit apud eos manuum illa impoſitio, cum maluerit R. Iuda mortem crudelem ſubire, quam jus illud manus imponendi quod à Majoribus acceperat, pro virili non propagare. Hoc autem Judæ factum Talmudiſtæ, Judæique omnes ut heroicum celebrant.

VIII. Continuatam volunt hanc Rabbinorum promotionem à Moſe in hunc uſque diem; ideo in omni Judicum conſeſſu volunt unum ſaltem ſic promotum adeſſe. Moſes Tranenſis in libro Kirjath Sepher tractatus Sanhedr. c. 4:
D כל בר" צריך שיהיה אחד מהם סמוך מפי
הסמוך שהרי משרת רבינו סמך את יהושע
כדכתיך ויסמוך את ידיו עליו וכן סמך את
הזקנים ושרתה עליהם שכינה והם סמכו
לאחרים ואחרים לאחרים ונמצאו הסמוכים
איש מפי איש עד סרעה ואחד הנמסך מפי משה
או מפי הסמוכים *Neceſſe eſt omni Synedrio aſſidere Judicem unum qui ordinatus fuerit ab uno ante ipſum ordinato. Nam Moſes Magiſter noſter manus impoſuit ſuper Joſuam, ſicut ſcriptum eſt, & impones manum tuam ſuper eum. Eodem modo ordinavit Seniores, & ſuper eos habitavit Divinitas. Ipſi verò alios ordinarunt, & alii alios; ita deprehenduntur ordinati unus ab alio ad Moſen uſque Magiſtrum noſtrum; unus ſcilicet à Moſe aut ab jam ordinatis.* Statim excipit ordinationem illam non eſſe tantum intelligendam de ordinatione per manus impoſitionem facta, ſed etiam de ea quæ nudis verbis celebratur. והסמיכה
היא לקרותו רבי ולא בעי לאנוחי ידיה על
ריישיה דסבא *Ordinatio illa eſt ut vocetur Rabbi, non autem requirit ut imponantur manus ſuper caput ſenioris.* Dicit inſuper promotionem illam Rabbinorum, ſeu ordinationem fieri

non poſſe à minori numero quàm trium, modo eorum unus ante fuiſſet ordinatus ואין סוככין אלא בשלשה ואחד מהם סמך· Ordinatio autem illa fieri poterat ad tempus, & propter negotium unum aliquod, ita ut tempore exacto & negotio peracto, ceſſaret ordinatio. ויכולין לסכוך הרבה בבת אחת כמו משה שסמך ע' זקנים וכן לסכוך לדבר אחד יכן עד זמן כך· *Poſſunt etiam una vice plures ordinari, ut fecit Moſes qui 70 ſeniores inſtituit. Eſt etiam illi poteſtas ad unam rem aliquam Ordinandi, & ad certum aliquod tempus.*

A *teſtatem, ſed non docendi quæ prohibita ſunt & licita. Vel etiam concedit illi poteſtatem in prohibita & licita, ſed non judicandi cauſas pecuniarias, aut etiam hæc judicandi, ſed non cauſas criminales, &c. Ita quoque poſſunt Ordinatores poteſtatem concedere uſque ad tempus, & Ordinato dicere. Eſt tibi poteſtas judicandi vel docendi, donec huc veniat Princeps; Vel toto illo tempore, quo nobiſcum in hac urbe commoraberis, atque eadem ratio omnium quæ his ſimilia ſunt.*

IX. Rabbi Moſes Ægyptius in quarta parte magni operis ſui quod inſcribitur, יד הזקה, tractatus Sanhedrin cap. 4. eadem ſed clarius & diſtinctius explicat, ביצד היא הסמיכה לדורות לא שיסמכו על ראש הזקן אלא שקורין לו רבי ואומרים לו הרי את סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות· ואין סוככין סמיכה שהיא מינוי הזקנים אלא בשלשה והוא שיהיה אחד מהן סכוך כפי אחרים כמו שביארנו וכו' יש לסומכין לסכוך אפילו מאה בפעם אחת ודוד המלך סמך שלשים אלף ביום אחד ויש להם למנות כל מי שירצו לרבים יחידים· *Quomodo ſe habuit promotio quæ per ſecula & generationes facta eſt, non ita facta fuit ut manus ſuper ſenioris caput imponerent, ſed eum Rabbi vocantes, eique dicentes, Ecce tu promotus es, eſtque tibi poteſtas judicandi etiam judicia pœnalia. Neque promovere ſolent promotione ea quæ Seniores in Rabbinos conſtituerent, niſi cum tribus quorum unus ordinatus erat ex eorum numero qui ab aliis ordinati ſunt, ut explicavimus, &c. Ordinantes ordinare poſſunt una vice etiam centum. David enim Rex triginta millia uno die ordinavit. Eſt etiam eis poteſtas inſtituendi, & ordinandi quemcunque voluerint cum ſolis & nudis verbis.*

B

C

D

X. Hanc autoritatem poteſt Synedrium multis modis diſtribuere, & limitare, extendere & reſtringere. Ita enim eodem loco ſequitur, כיצד חכם מופלא שראוי להורות לכל התורה כולה יש לבית דין לסכוך אותו וליתן לו רשות לדון ולא להורות באישור והתר או יתנו לו רשות באיסור והתר ולא לדון דיני ממונות או יתנו רשות לוה לדון אבל לא לדון דיני קנסות וכו וכן יש לסומכין ליתן רשות עד זכן ולוכר לנסמך יש לך רשות לדון או להורות עד שיבוא הנשיא לכאן או כל זמן שאהרוג עמנו במדינה זכן כל כיוצא בזה· *Quid vero de Sapiente præclaro qui poteſt univerſam legem docere? Poteſt Synedrium eum ordinare, illique dare judicandi po-*

E

XI. Conjecturam addit Moſes Ægyptius quæ populo Iſraelitico magnam autoritatem conciliat ad Judicium ſuorum ſucceſſionem continuandam & confirmandam, quam ideo referunt & probant Rabbini Obadias à Bartenora, & Moſes Tranenſis locis jam citatis, aliique Judæi, נראין לי הדברים שאם הסכימו כל החכמים שבארץ ישראל למנות דיינים ולסמוך אותם חרי אלו סבוכים ויש להן לדון דיני קנסות ויש להם לסמוך אחרים· אם כן לכרה היו החכמים כצטערים על הסמיכה כדי שלא יבטלו דיני קנסות כושראל לפי שישראל כפוזרין ואי אפשר שיסכימו כלן ואם תירה שם סמוך מפי סמוך אנוצריך דעת כלן אלארן דיני קנסות לכול שהרי נסמך מפי בית דין והדבר צריך הכרע· *Sententia iſta mihi placet, quod ſi Sapientes omnes terræ Iſraelis convenirent & conſentirent ad inſtituendum Judices, & ad manus eis imponendum, illi ordinati eſſent, peneſque eos eſſet autoritas judicandi judicia pœnalia, atque etiam alios ordinandi, &c. Si res ita ſe habet, Quamobrem Sapientes ita ſolliciti & anxii fuerunt de promotione illa, ut judicia pœnalia non extingnerentur ab Iſraele? Id factum eſt propter Iſraelitarum diſperſionem: fieri enim non poteſt, ut omnes conveniant. Si autem eſſet illic Ordinatus à jam Ordinato, neceſſaria non eſſet omnium ſententia, ſed judicaret & definiret cauſas criminales erga quemcumque, eo quod promotus eſſet autoritate Synedrii. Sententia iſta neceſſario videtur admittenda.*

XII. Moſes tamen Tranenſis relato & laudato hoc Moſis Ægyptii teſtimonio ſcribit hanc ſapientum Congregationem decem annis antequam ſcriberet factam fuiſſe, & Rabinum Jacob Berob electum, & manibus impoſitis ordinatum, qui poſtea multos diſcipulos ſuos ordinavit. Ita ille loco ſæpius adnotato, והיום כבו עשרה שנים בשנת הרחץ הסכימו רוב חכמי ישראל שבאי לסמוך לגדול בדורו מורינו הרב הר' יעקב בירוב ול והוא סמך קצת תלמידיו הבובהקים יבורכו כפי עליון להחזיר העטרה ליושנה אכן· *Hodie ſunt anni circiter decem cum anno* 303. (Chriſti 1543.) *convenerunt multi ſapientes Iſrael ad promovendum magnum illum in generatione ſua Magiſtrum noſtrum Rabbinum, Rabin. Iacob Berob cujus memoria in benedictione eſt. Qui poſtea aliquot Diſcipulos ſuos viros inſignes ordinavit, quique ab ore Dei ex-*

excelſi benedicentur, ut reſtituere poſſint coronam legis in priſtinum ſtatum, Amen. Ita illi ſucceſſionem ordinationis Rabbinorum ſuorum quacumque arte adſtruere conantur.

XIII. Nonnulla eorum quæ de impoſitione manuum, & Rabbinorum creatione ex antiquorum & recentiorum Judæorum commentariis prodidimus, jam Talmudis autoritate demonſtrata ſunt, nunc ad cætera pergamus. Eodem cap. 1. tractatus Sanhedrin, fol. 14. pag. 1. אמר ר' יהושע בן לוי סמיכה בחוצה לארץ מאי אין סמיכה אלמא B דלא דיני ריני קנסות כלל בחוצה לארץ והא תנן סנהדרין נוהגות בין בארץ ובין בחוצה לארץ אלא דלא סמיכנן בחוצה לארץ פשיטא סומכין בחוצה לארץ ונסמכין בארץ הא אמרינן דלא אלא סומכין בארץ ונסמכין בחוצה לארץ.

Dixit R. Joſue filius Levi, Creatio Rabbinorum extra terram Iſraelis facta, Quid? non eſt promotio. Quamobrem? eo quod cauſæ criminales nullo modo judicantur extra terram Iſraelis. Atqui traditur, quod Synedrium judicare ſolebat tam extra terram Iſraelis, quàm intra; ſed non imponebant manus extra terram. Perſpicuum eſt quod promoventes poterant eſſe extra terram, ſed promoti in terra. Ecce aſſeverant alii quod non, ſed promoventes eſſe debere in terra, promovendi verò poterant eſſe extra terram. C

XIV. Gloſſa Talmudica nonnulla notat ad verba præcedentia quæ non erit inutile huc referre. Ad hæc verba, *eo quod cauſæ criminales, &c.* והכי קאמר אין סמיכה מועלת בחוצה לארץ ואפילו סמכוהו בארץ. *Hoc ſibi volunt hæc verba promotio non eſt utilis extra terram Iſraelis, etiamſi aliquis in ea promotus fuerit.* D Eſt quidem ſenſus verborum Talmudicorum quæ gloſſantur: Sed hæc ſententia ab iis non admittitur, ut ſequentia Talmudis verba demonſtrant. Deinde in illa verba *perſpicuum eſt quod promoventes*, &c. Objiciens per illa verba, *extra terram Iſraelis*, non intelligit, terram quamlibet, ſed Babyloniam in qua erant Judæorum academiæ celeberrimæ, & Princeps juxta eorum ſententiam de familia Davidis: Ideo eorum multi hanc terræ Iſraelis prærogativam in Judæos Babylonis diffundebant. Hæ circumſtantiæ objectioni locum dederunt, אם בני בבל נותנין רשות לאחד שבארץ ישראל לרון קנסות הא אמרן דלא דאין סמיכה בחוצה לארץ וכיון דאי היה נבן הכי לא מצינן למסמכיה כל שכן היכא דליתיה נבן. *Si Babylonii dederint facultatem uni habitanti in terra Iſraelis judicandi cauſas criminales. Sed dicunt hoc fieri non poſſe; Quia manus impoſitio non fit extra terram Iſraelis. Quandoquidem ſi eſſet apud nos & in manu noſtra quis promovendus, nec ſi poſſemus eum promovere; multò minus hic poterimus id facere in eo qui apud nos non eſt, nec ſub manu noſtra.* E

A Denique in hæc verba, *Promoventes erant in terra, &c.* סומכין בארץ ונסמכי בחוצה לארץ מאי אם הסומך עומד בארץ והנסמך עומד בבבל וליתיה גבי סומך מי מהני כאילו איתיה גבירה בשערת סמיכה ומצי לכירן בחוצה לארץ כרתני סנהדרין נוהגין בחוצה לארץ או דילמא כיון דליתיה גבייהו בשערת סמיכה לא מהניא ליה. *Qui promovent in terra Iſraelis, & promoventur extra terram, Quid eſt? Si Promovens ſtat in terra, & qui promovetur ſtat in Babel, nec eſt apud promoventem: Quid inde lucratur? Idem eſt ac ſi eſſet apud eum in hora promotionis ſuæ, poteſtque judicium exercere extra terram Iſraelis, ut traditur, Synedrium ſolet judicia exercere extra terram: Vel etiam forte hoc ſic eſt intelligendum, quod cùm apud eum non ſit, cùm promovetur, nihil illi prodeſt promotio.* Itaque juxta iſtum Gloſſatorem Promotio Abſentis limitanda eſt his duabus conditionibus, modo Promovens ſit in terra Iſraelis, & Promotus vel in terra Iſraelis, vel apud Babylonis Judæos; ſicque creatus quæcunque judicia ubique gentium in Judæos exercere poterit. Poſterior ſenſus quem verba, ut ait Gloſſator, pati poſſunt, non eſt apud eos in praxi.

XV. Talmud Hieroſolymitanum cap. 1. Tractatus Sanhedrin fol. 19. col. 1. אבר רבי בא בראשונה היה כל אחד ואחד ממנה את תלמידיו כגון רבן יוחנן בן זכיי מינה את רבי ליעזר ואת רבי יהושע ורבי יהושע את רבי עקיבא ורבי עקיבא את ר' מאיר ואת רבי שמעון וכו'. אמרו בית דין שמינה שלא לדעת הנשיא אין מינוי מינוי ונשיא שמינה שלא לדעת בית דין מינוי מנוי חזרו והתקינו שלא יהא בד"ם ממנין אלא מדעת הנשיא ושלא יהא הנשיא ממנה אלא מדעת בית דין. *Dixit R. Ba, ab initio unuſquiſque autoritatem habebat promovendi diſcipulos ſuos. Veluti Raban Jochanan filius Zachæi promovit R. Eliezer, & R. Joſua: Et Rabi Ioſua, R. Akibam, & R. Akiba R. Meir & R. Simeonem, &c. Dixerunt, domus Iudicii quæ promovit aliquem & præfecit ſine ſententia Principis, inſtitutio ejus non eſt inſtitutio; Princeps autem licet præficiat aliquem ſine ſententia domus Iudicii, inſtitutio ejus rata eſt. Rem iterum conſiderarunt, & conſtituerunt, ut domus judicii neminem promoveret niſi ex ſententia Principis, neque Princeps niſi ex ſententia domus judicii.*

XVI. Moſes Ægyptius in magno opere, יד חזקה libro & capite jam citatis, hæc paulò aliter refert. Ait enim hanc autoritatem Rabbinis ablatam Hillele principe, & cum Principe communicatam; addita tamen certa conditione quæ ſequitur, בראשונה היה בל מי שנסמך סומך לתלמידיו והכמים חלקו כבוד להלל חזקן והתקנו שלא יהא אדם נסמך

נסמך אלא ברשות הנשיא ושלא יהא הנשיא סומך אלא אם כן היה אב בית דין עמו ושלא יהיה אב בית דין סומך אלא אם כן היה הנשיא עמו. *Ab initio omnis Ordinatus ordinabat Discipulos suos. Verum Sapientes gratiam Hilleli Senioris impertiti sunt, & constituerunt, ut nemo ordinaretur, nisi potestate à Principe accepta: Neque etiam ordinaret Princeps, nisi cum eo esset pater Synedrii; neque Pater Synedrii ordinaret, nisi similiter cum eo esset Princeps.*

XVII. Hæc de manus impositione à Judæis in Rabbinorum & Magistratuum suorum creatione observata edisseruimus; ex quibus Christiana manus impositio utcunque illustrari potest, & iltius ceremoniæ in sacris Ordinationibus quibus Magistratus Ecclesiastici creantur usurpandæ prima occasio videtur aperiri. Ex antedictis colligi tantum velim Judæos annis centum, & forsan aliquanto pluribus ante natum Christum Dominum nostrum, Doctores & Rabbinos suos per impositionem manus in Synagogis creasse, qui etiam extra terram Israelis causas civiles & criminales judicare possent, atque etiam rebelles variis Excommunicationibus pro criminum gravitate percutere. Hanc autem manuum impositionem saltem à tribus celebratam fuisse, quorum etiam unus saltem, qui videlicet principalis esset Ordinator, & actionis moderator, eandem manus impositionem antea subiisset. Quæ certa sunt, & apud Judæos explorata, atque ab eorum antiquissimis Doctoribus, nemine dissentiente, tradita.

XVIII. Nolim autem fidem adhiberi omnibus fabulis & historiolis quas Judæorum Magistri his adtexuerunt; cujusmodi nonnullas sermoni necessario insertas exposuimus, ut video passim facere viros Hebraicè doctos putant Judæis de historia gentis suæ scribentibus assentiendum. Quæ sententia in historiæ Judaicæ causa fallacissima est. Nam Judæi nullos prorsus habent, aut habuerunt Historicos ab Esdra ad annum Christi millesimum, atque etiam centesimum supra millesimum. Josephus Matthiæ filius nobilissimus Judæus, & historiarum Judaicarum scriptor celeberrimus, ipsis planè est incognitus. Alter Ben Gorion impostor qui vix annos ante sexcentos vivebat, historiam Judaicam conscripsit ab Antiocho Epiphane ad Hierosolymæ excidium maxima ex parte de Josepho vero exscriptam, cui multa initio de Alexandro aliorumque bellis addidit, veris passim fabulas permiscens impostura suæ certissimos indices. Iste Gorionides ab annis quingentis fuit posterioribus Judæis notissimus. Cæteri quoque omnes quos habent, nullo excepto, posteriores sunt seculo post nativitatem Christi decimo. Antiquissimus enim post Gorionidem Abraham Levita qui Cabbalam suam historicam scribebat circa annum Christi

A 1150. Antiquius forsan est Chronicon vulgò dictum סדר עולם זוטא *ordo mundi parvus.* Sed Chronicon illud nihil aliud est quam nuda nominum & annorum textura ab initio mundi ad usque annum Christi circiter octingentesimum.

XIX. Opponet aliquis Chronicon ab iis dictum סדר עולם רבא, *Ordo mundi magnus,* cujus est compendium *ordo parvus* jam nobis commemoratus, additis brevissimè eorum nominibus qui Remp. Judaicam in Assyria sub Persarum Regibus annis à Christo 400. rexerunt. Concedamus huic operi quantam voluerit quilibet antiquitatem: Hoc ad rem de qua agimus nihil prorsus interest. Chronicum enim illud exponit tantum brevissimè historiam sacram per annorum seriem; & cum in Nehemiæ & Esdræ historia finiit, & quæ historia sacra tacet, præteriit, paucas addit lineas quibus probat ab historiæ sacræ terminis in sequentia tempora verbis sapientum, hoc est Talmudistarum, esse attendendum. Deinde notat Monarchiam Græcorum durasse annis centum & octoginta, Maccabæorum centum tribus, Herodianorum totidem. His autem uno verbo dictis eximius hic & diligens autor cum hoc præclaro & erudito historiæ fragmento Chronicum claudit, אלו הן שמונה מלכי יון אלכסנדרוס מכדון פירטון שלומין סליקס סנטרוק אנטיוך אנטיוכס גסקלגס מפולימוס שלאסורוס פול עד פולימוס של אספסינוס שכונים שנה אילו בפני הבית· בפולימוס שלאספסינוס עד פולימוס של טיטוס כד" ומפולימוס של טיטוס עד מלחמת בן כויבא יז' שנה ומלחמת בן כויבא ב' שנים ומחצה כב' שנה אחר יהרבן הבית *His sunt octo reges Græcorum, Alexander Macedo, Phirton, Selimon, Seleucus, Santeroch, Antioch, Antiochus, Gasclenus. A bello Assueri Phul usque ad bellum Vespasiani octoginta anni. Hæc ante domus destructionem. A bello Vespasiani usque ad Titi 24. anni, & à bello Titi usque ad bellum filii Cozibæ 16. anni. Et bellum filii Cozibæ annis duobus cum dimidio duravit. Sic conficiuntur anni 22. post domus eversionem.* Videant Chronologi Judaicæ insciliæ admiratores qua ratione Bœotica hæc ænigmata intelligant. Amanuensis error videtur, *anni 24. ad bellum Titi.* Expungendi sunt viginti, ut summa collecta cum præcedentibus annis conveniat.

XX. Quapropter nutant & labascunt omnia prope quæ permulti literarum Hebraicarum & Rabbinicarum non imperiti magna cum pompa literaturæ Hebraicæ scribunt de jure & privilegiis Regum Judaicorum, de magni Synedrii in eos potestate, de tribus crimi-

criminibus quorum causa jussu Synedrii vapulabant Reges, de bellis arbitrariis quæ injussu Senatus decernere non poterant. De autoritate magni illius Senatus qui Reos quatuor supplicii rum generibus afficere poterat; Regis verò qui uno tantùm: Qui Pontificem magnum etiam capitali supplicio punire: Qui solus de Pseudo propheta, de Apostatis, de vectigalibus, ædificiis publicis, aliisque compluribus cognoscere. Hæc inquam quid dico nutant & labascunt? sed planè falsa sunt, & temerè à Rabbinis & Talmudicis pronuntiata. Eorum enim omnium nihil prorsus meminit scriptura, nihil Josephus, etiamsi sæpius data occasione id necesse fuisset. Imò sæpissimè tam è scriptura quàm potissimùm è Josepho contraria his evidentissimè colliguntur. Quid dicam de magni illius Synedrii Principe, & Præside; quem è stirpe Davidis semper assumptum prædicant; de ejus Vicario quem honoris causa Synedrii Patrem appellatum fingunt; de Hillele apud eos ter maximo, qui eorum traditiones magna ex parte aut invenit, aut excoluit, & polivit; quem volunt annos quadraginta natum è Babylonia Hierosolymam venisse, annis quadraginta legem Hierosolymis docuisse, & annis quadraginta Senatus principem fuisse, populumque universum cum summo Pontifice regnante Herode gubernasse, cui in summo illo principatu filii ejus successerunt, eumque ad excidium usque Hierosolymæ conservarunt: De quo tamen ne ἅπαξ quidem Josephus, imò ex quo multa contraria, & cum hac principatus fabula, plane ἀσυμφωνία. Quid de ipso magno Synedrio, quid de 23. Synedrio, & trium judicum Synedrio apud Rabbinos recentiores & veteres tantopere decantatis? Nusquam de his meminit Scriptura, nusquam Josephus. Semel quidem meminit Scriptura, Num. scilicet c. 11. Seniorum 70. quos jubente Deo elegit Moses e senibus Israel, ut ipsi populo judicando adessent. Sed hoc fuit Mosis singulare factum, quod nec jussit populum imitari, nec unquam legitur imitatus. Si Judæis esset aliquis eorum temporum Historicus ista commemorans, aut quivis alius ejusdem temporis aut proximi liber, iis facilè assentiendum judicarem. Quod enim Historicus unus omittit, alter supplere potest. Sed nullum prorsus habent Judæi illorum temporum historiographum. Recentiores sunt omnes; nec tantum nullum habent, sed nullum se habuisse commemorant. Josephus Hebræus licet ὑστερολιμαῖος & recentior, nihil tamen refert quod causam istam juvare possit.

XXI. Dices: Unde igitur illis tot aniculârum deliramenta, tot historiarum portenta? à Talmudistis acceperunt. Unde verò Talmudistæ? à Scripturæ testimoniis deduxerunt, sed mirum in modum explicatis. Nihil est enim tam absurdum, tam comicum, tam ridiculum, tam monstrosum, atque ab omni fide & probabilitate abhorrens, ad quod demonstrandum statim præsto non sit illis è sacra Scriptura testimonium. Hoc in promptu nobis esset texentis testimoniis demonstrare. Sed locus hic non est huic digressioni idoneus; jamque satis superque digressi sumus. Aliquando σὺν θεῷ hanc materiam copiosè exponemus: Nunc ad lineas nostras redeundum.

CAP. V.

Presbyteratus formam nec inesse in verbis quæ proferuntur in instrumentorum traditione, nec in verbis istis, Accipe Spiritum Sanctum, &c. possent tamen ex Ecclesiæ præcepto formæ vicem tenere. Concilii Tridentini canonem demonstratur non esse huic sententiæ contrarium. Ex Sanct. Augustino & Amalario probatur antiquos dicere non solitos, Accipe Spiritum Sanctum.

I. AD substantialem & perpetuam Ordinationis Presbyteralis formam demonstrandam eodem argumentandi genere utemur, quo in materiæ probatione usi sumus. Ut de materia factum est, duplex etiam hac in causa sit quæstio juxta duplicem de naturaillius Ordinis sententiam. Qui enim dicunt unicam esse istius Ordinationis materiam, consequenter asserunt unicam esse formam, verba scilicet in rituali huic materiæ accommodata, nempe, *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quàm pro mortuis, in nomine Domini.* Qui duplicem materiam statuunt, duplicem quoque formam fingunt, jam enarratam, & hanc, *Accipe Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis, &c.* Eadem argumenta quæ contra materiam allata sunt, contra formas quoque istas vel separatim vel conjunctim sumptas eodem cum robore afferri possunt, & jam propter rerum conjunctionem allata sunt. Itaque adversus utramque formam objicitur, rem esse inauditam hactenus apud Græcos, & nongentis à Christo annis apud Latinos. Deinde posteriorem illam formam trecentis annis priore juniorem; & recensendo rituales Latinos ab annis quinquaginta supra quadringentos in annos sequentes facilè illius ortum & progressum recognosci. Ista autem omnia jam facta sunt quum de materia disputaremus: Quapropter nunc ab isto labore nos continebimus.

II. Quum de forma loquimur, ut quum locuti sumus de materia, his verbis *instrumentorum porrectionem, non esse materiam*, addidimus de industria, *perpetuam.* Si enim quis contenderet ea instrumenta postquam ab Ecclesia communiter usurpata sunt, veram cum precibus quæ cum priore manuum impositione concipiuntur, materiam & formam constituere, atque etiamsi velit, cum verbis, quæ cum posteriore manuum impositione recitantur, nec

id inficiarer, nec aſſererem. Quamobrem enim non poterit Eccleſia Sacramento Ordinis, ut ſæpe fecit Sacramento Matrimonii, novas pro materia & forma conditiones apponere quarum prævaricatio Sacramentum reddat irritum & nullum, cum Chriſtus nullam materiam aut formam hujus Sacramenti non ſecus ac matrimonii in ſpecie definiverit? Sanè ſupra vidimus Ordinationes ſæpe irritas & inanes antiquitus declaratas, eo quod regulæ à canonibus pro ordinationis materia præſcriptæ, obſervatæ non fuiſſent. Hoc unum contendimus, iſtam inſtrumentorum traditionem, & poſtremam manus impoſitionem ceremonias eſſe recenter innovatas, & recentiſſimè poſtremam illam manus impoſitionem. Quapropter iniquè admodum ii populi qui ſine ea ceremonia ordinationes ſuas ab antiquiſſimis temporibus celebrare ſolent, prævaricationis accuſarentur: nec demonſtrari poteſt Eccleſiæ intentionem fuiſſe, cum primùm inſtitutæ ſunt, omnem Ordinationem ubique gentium, iis omiſſis factam, irritam pronuntiare. Quid? An nullo autore Pontifice, nullo decernente Concilio dicemus Græcos antiquo more ſuo ordinationem celebrantes inaniter agere, eo quod ceremonias iſtas omittunt, de quibus ne fando quidem audiverunt?

III. Sunt tamen aliqui recentiores Doctores qui decreto Concilii Tridentini freti erroris & temeritatis arguunt eos qui poſtremam iſtam manus impoſitionem cum verbis ſuis non conjungunt cum inſtrumentorum traditione ad materiam & formam ordinationis Presbyteralis conſtituendam. Cenſent enim Concilii canonem ita clarum eſſe, & interpretationi ſuæ conformem, ut nemo ſine errore & temeritate contradicere poſſit. Canon autem eſt ejuſmodi, *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum, aut per eam non imprimi characterem, &c. anathema ſit.* ſeſſ. 23. can. 4. Sed ſanè cum ſibi non conſentientes erroris & temeritatis condemnant, ipſi temerarii ſunt. Illa ſententia quæ omnem manuum impoſitionem ab ordinatione excludebat, erat ante Concilium Tridentinum communiſſima. Cui probabile fiet unquam Patres Tridentinos ſententiam in Eccleſia vulgatiſſimam decreto ſuo condemnaſſe? Deinde poſt Concilium Tridentinum Doctores permulti & celebres eandem ſententiam docuerunt, & contrariam confutarunt, Dominicus Soto in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. §. At verò, Gregorius de Valentia tom. 4. diſput. 9. q. 1. puncto 5. Didacus Nugnez in eundem S. Thomæ locum, verſiculo, *Septimus ordo*, Bonacina de Sacramentis diſput. 8. q. unica, puncto 3. n. 2. Antoninus Diana moralium reſolutionum part. 2. tract. 4. de Sacramentis, reſolut. 187. Gravina ex profeſſo multis diſputat contra eos qui ejuſmodi ſententiam amplectuntur, diſputat. 2. de materia & forma Sacrament. §. 7. concluſ. 3. Joannes della Cruz in directorio conſcientiæ part. 2. de Sacramento ordinis, dub. 2. concluſ. 1. & multi alii mihi non lecti. Quis judicabit ex decreto illo tam evidenter colligi hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* ad formam Ordinationis pertinere, ut qui contradixerit, erroris condemnari poſſit, cum tot viri docti quibus decretum illud eſt perſpectiſſimum, contrariam planè ſententiam tueantur?

IV. Quod ad illum canonem attinet, ſtatuunt Patres per ſacram ordinationem dari Spiritum ſanctum, & conſequenter non inaniter in ritu ordinationis verba iſta, accipe Spiritum ſanctum, ab Epiſcopo proferri: Sed non dicunt per verba illa præcisè characterem imprimi, & dari Spiritum ſanctum. Irridebant Hæretici Epiſcopum illa verba proferentem, eo quod inanem exiſtimabant ordinationem Catholicam. Hanc hæreſim anathemate feriunt Patres, ſimulque docent per Ordinationem dari Spiritum ſanctum, & characterem imprimi. Conſidera præterea Patres illos præcisè admodum loqui. Nam cum dixiſſent per ſacram ordinationem dari Spiritum Sanctum his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum*, nihil addiderunt, ut poſſint intelligi ex æquo de tribus majoribus ordinibus, qui propriè vocantur ſacri ordines, & in quibus ex omnium prope conſenſu character imprimitur, aut impreſſus extenditur. Ideo non magis hæc verba de Presbytero intelliguntur quàm de Epiſcopo aut Diacono; fruſtraque omnino ſunt qui eo canone volunt Presbyteris datam eſſe poteſtatem in corpus Chriſti myſticum. Nulla enim conjectura colligi poteſt id uni potius quàm alteri tribuendum. Imò videntur Patres ſimpliciter dixiſſe, accipe Spiritum ſanctum, & reſecuiſſe, *Quorum remiſeritis, &c.* ne de ſolo Presbytero intelligerentur.

V. Verba illa, *accipe Spiritum ſanctum*, ab antiquis Latinis uſurpata non fuiſſe; & conſequenter nec Ordinationis Presbyteralis, nec cujuſvis alterius, formam fuiſſe, præter argumenta jam allegata, ex omnium ritualium, & autorum antiquorum qui de officiis eccleſiaſticis ſcripſerunt, profundo ſilentio petita, demonſtrant evidenter nonnulla alia quæ hic ſubjiciemus. Id clariſſimè deducitur ex iis quæ habet Sanct. Auguſtinus lib. 15. cap. 26. de Trinitate, *Quemodo*, inquit, *Deus non eſt qui dat Spiritum ſanctum? Imò quantus Deus eſt qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Prapoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait, date & mihi hanc poteſtatem, ut dem Spiritum ſanctum; ſed cuicunque impoſuero manus, ut accipiat Spiritum ſanctum. Quia neque ſcriptura prius dixerat, Videns autem Simon quod Apoſtoli darent Spiritum ſanctum, ſed dixerat, videns autem Simon quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus.* Et poſt aliqua ſic colligit. *Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro; effundere autem ſuper alios non utique poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deum ſuper eos à quo hoc effietur, invocamus.*

VI. Hoc tam luculentum Sancti Auguſtini teſtimonium à formula loquendi tam ſcripturæ ſacræ quàm Eccleſiæ petitum, mendacii & impoſturæ ſtatim convinceretur, ſi illius ævo

Epiſ-

Episcopi ordinantes dicere solebant, *Accipe Spiritum sanctum*. Quibus enim verbis evidentius & efficacius testari possunt Episcopi se Spiritum sanctum dare quam illa formula loquendi, *Accipe*? Ac proinde luculentissimis & quotidianis testimoniis falsi convinceretur tam confidens Sancti Augustini asseverantia, Ecclesiæ Præpositos Spiritum sanctum non dare, sed Deum orare ut ad eos veniat quibus manus imponunt. Cum aliquis quod tuum est, alteri tradit, clarius id exprimere non potest quàm his verbis, Accipe hoc. Hæc enim propositio huic æquivalet, do tibi hoc, nec est minus usitata. Sic Abrahæ reddit uxorem Pharao Genes. 12. 19. *Accipe eam & vade*. Et Jacob Esau dat munera. Genes. 33. 10. *Accipe munusculum de manibus meis*. Ut apud Virgilium Andromache ad Julum, *Accipe & hæc manuum tibi quæ monumenta mearum, Sint puer*. Filia Pharaonis Mosis nutrici, Exod. 2. 9. *Accipe puerum istum*. Ita Dominus noster corpus suum tradens discipulis, *Accipite, hoc est corpus meum*. Hæc est naturalis & vulgatissima formula sese explicandi, cum nos dare aliquid significamus. In causa pari cum ordinandis instrumenta tradit Episcopus qua loquendi formula hoc facit? Accipe Amictum; Accipe Manipulum, Accipe Ceroferarium, Urceolum, Baculum, Annulum, &c. Idem est ac si dicat, do tibi manipulum, baculum, &c. Imò major est emphasis quàm si diceret, do tibi. Imperativus enim; Accipe, non solum denotat rei alicujus traditionem, sed rei istius traditionem cum potestate & autoritate conjunctam. Ideo nusquam legas in ritualibus cum instrumenta traduntur, do, vel trado tibi, sed Accipe: quia simul cum ista traditione duplex innuitur potestas, tradentis instrumentum, sive ordinantis, & ea quam ordinatus ab ordinante accipit. Ea de causa Principes Magistratus creantes eodem loquendi modo utuntur: *Accipe*, inquiebat Trajanus Præfectum Prætorio creans, *hunc ensem*, &c. & consimiliter Barbari Romanos imitati.

VII. Verum si quid eo argumento validius excogitari potest, illud est quod ex Sancto Augustino in eodem loco colligitur. Quibus verbis putas, Lector, probat Sanctus Augustinus Christum dedisse Spiritum sanctum? Ex his scripturæ verbis, *Et cum resurrexisset, & apparuisset discipulis suis, insufflavit, & ait, Accipite Spiritum sanctum*. Christum dicit Sanctis bis dedisse Spiritum sanctum, semel in terra post resurrectionem, quod probat solo testimonio allegato; & de cœlo postea in die Pentecostes. Ex utraque ista spiritus traditione probat Spiritum sanctum à filio procedere, & filium consequenter Deum esse. *Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum*? statimque comparat Discipulos cum Christo, affirmans Discipulos nunquam professos se spiritum dare, sed orasse ut Spiritus descenderet in eos quibus manus imponebant, *quem morem*, inquit, *in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Si tum Ecclesiæ Præpositi soliti fuissent dicere, *Accipite Spiritum sanctum*, Nam planè ridiculum fuisset Sancti Augustini argumentum? imo falsæ suppositioni innixum, & Ecclesiæ praxi quotidianæ contrarium?

VIII. Ex Amalario colligitur simili argumento formam istam annis octingentis & quinquaginta post Christum natum planè fuisse in Ecclesia Dei incognitam. Amalarius lib. 2. de divinis officiis, cap. 12. Ordinationem Diaconi explicans ex Sancto Augustino docet, *non dare Apostolos Spiritum sanctum, sed orare ut veniret super eos quibus manus imponebant*, idque novis probat argumentis: quæ sanè omnia non modo falsa sunt, sed etiam ridicula, si tum soliti fuissent Episcopi, super ordinandos Diaconos, Presbyteros, & Episcopos hæc verba, *Accipite Spiritum sanctum* pronuntiare. Sequitur igitur apud Amalarium, *Unde scriptum est in libro Numerorum, Et dixit Dominus ad Moysen, Congrega mihi 70. viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint, ac Magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, & descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis. Non dixit, aufer de Spiritu tuo, & trade eis; sed auferam, & tradam. Et paulo post, Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Moyse, & dans 70. viris. Neque hic dixit, quod Moyses daret, sed Dominus dedit*, &c. Quæ ratio, quodnam complexionis genus, si in ipsa Diaconi ordinatione, de qua est illi sermo, dicunt Episcopi, *Accipe Spiritum sanctum*, traduntque Spiritum sanctum imperando, non deprecando? Amalarii seculo nulla adhuc erat istius ritus memoria. Idem non minus evidenter ex alio ejusdem autoris testimonio, quod habetur lib. 1. cap. 23. de officiis Ecclesiasticis, ubi Sancti Augustini locum jam relatum fusè exscribit.

CAP. VII.

Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem nunquam tulisse, ut ipsius Patriarcha sine Episcopis per solos Presbyteros regeret Patriarchatum suum; neque ipsum per Presbyteros aliquando consecratum fuisse, ut quidam Eutychius Patriarcha scripsisse fertur. In paucissimis verbis multorum mendaciorum convincitur Eutychius ille. Prava textus Arabici interpretatio absurditatem auget. Ægypti variæ erant Provinciæ, sed autoribus sacris & prophanis una dicebatur propriè Ægyptus. Ægyptus urbibus abundantissima ab uno Episcopo regi non potuit. Sanctus Athanasius ab urbe, Episcopi necessitatem colligit.

I. ANtequam ad alia feramur, enodandus nobis est nodus quem ex Eutychii Patriarchæ

triarchæ Alexandrini Chronico nexuit Joannes Seldenus, vir linguarum, & variarum rerum cognitione insignis. Edidit nuper Ἐυτυχιανὸν breviſſimum Arabicè & Latinè ex Eutychii Chronico, eo tantum fine ut demonſtraret rempublicam Chriſtianam ſine Epiſcopis regi poſſe, Presbyteros Epiſcopis pares eſſe, eoſque poſſe è corpore ſuo Epiſcopum conſtituere & conſecrare. Verba Chronici quibus hoc conficit, ex Arabico textu ita tranſtulit: *Conſtituit item Marcus Evangeliſta duodecim Presbyteros cum Anania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent, &c. Neque deſiit Alexandria inſtitutum hoc de Presbyteris, ut ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim uſque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo* 318. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent. Et decrevit ut mortuo Patriarcha convenirent Epiſcopi qui Patriarcham ordinarent.* Et paulo poſt, *Ab Anania quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque in tempora Demetrii Patriarchæ ibidem nullus erat in Provinciis Ægypti Epiſcopus; nec Patriarcha ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus* Patriarcha *tres conſtituit Epiſcopos. Et primus fuit hic* Patriarcha *Alexandrinus qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.*

II. In his verbis duo potiſſimum continentur inſolita, & in Eccleſia Dei inaudita: Prius, Presbyteros non modo Epiſcopos elegiſſe, quod hactenus multis in locis obtinet; verumetiam conſecraſſe, quod nulli annales, nulla monumenta Eccleſiaſtica memoriæ prodiderunt. Poſterius, Eccleſias Ægyptias ſine Epiſcoporum miniſterio & regimine annos ducentos tranſegiſſe ab Anania ad Patriarcham uſque Demetrium qui primus tres Epiſcopos creavit. Verum ex eo teſtimonio, etiam ut jacet, & interpretatus eſt Seldenus contrarium omnino conſequitur ejus quod cum aliis Heterodoxis contendit, inter Epiſcopum & Presbyterum nullum fuiſſe in Ægypto diſcrimen. Imò hoc ſuo effato ſupponit Eutychius, Epiſcopos Presbyteris dignitate longè præſtare: Ideò ut rem notabilem & ſcitu dignam refert Patriarchas Alexandrinos per ſolos Presbyteros ſine Epiſcopis Eccleſias Ægypti adminiſtraſſe. Cum enim Epiſcopus à Presbytero longè differret, ex totius Eccleſiæ conſuetudine; ideò notat hoc in Eccleſiis Ægypti ſpeciale fuiſſe & extraordinarium, ut contrà quàm ſolerent cæteræ, Patriarchæ illas ſine Epiſcopis regerent. Sanè ſi toto illo tempore idem fuiſſet in Ægypto Epiſcopus quod Presbyter, eadem ratione potuiſſet dicere Eutychius Eccleſias Ægypti ducentis annis per ſolos Epiſcopos ſine Presbyteris gubernatas fuiſſe, qua dixit tanto tempore per Presbyteros ſine Epiſcopis.

III. Verum his prætermiſſis neutrum Eutychii dictum tam inſolens, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum, erat à viro docto ſine diligenti examine admittendum; cum præſertim teſtimonium perhibeat Eutychius ille de rebus ante multa ſecula geſtis; ſuceritque inſuper Arabs, linguæ Græcæ quæ antiquis Patriarchis, & plebi Alexandrinæ vernacula erat, planè ignarus. Num viri cordati erat ad dicti tam temerarii, & inſulſi regulam, hiſtorias ſanas, dilucidas, conſtantes, interpretari, flectere, torquere? Sed odium quo marcent in Eccleſiam Catholicam Hæretici nihil intentatum & inauſum relinquit: Surſum deorſumve omnia miſcent, ut ei malum undecumque accerſant,

Ἐγχεῖ τ' ἄορι, μεγάλοισιν χειμαδίοισιν.

Sed nunc in mucronem ſuum incurrunt.

IV. Refert Seldenus, & non indiligenter, ex certis hiſtoriis quæ ipſum à fide Eutychio in poſteriore dicto adhibenda avertere debuerant, quæque etiam avertiſſent, niſi odium quo ejuſmodi homines in Eccleſiam efferati ſunt, ipſum excæcaſſet. Refert, inquam, ex Adriani Cæſaris Epiſtola ad Servianum Conſulem apud Vopiſcum in Saturnino, hæc verba quæ ex diametro ſunt Eutychii dictis oppoſita, *Ægyptum quam mihi laudabas, totam didici, levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapim colunt, Chriſtiani ſunt; & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos vocant.* Si tum nullus fuiſſet Epiſcopus præter Alexandrinum, an hæc Adrianus Imperator qui totam luſtraverat, ſcribere potuiſſet? Hoc ſanè didicerat ex conſtanti vulgi conſuetudine qui primos urbium Presbyteros non aliter quàm Epiſcopos ab eo tempore nuncupare ſolebant. Validius eſt hoc argumentum ſi Eutychianæ perſuaſionis ratio habeatur. Putat enim Alexandrinum Epiſcopum perpetuo vocatum fuiſſe Patriarcham. Itaque juxta Eutychium nemo in Ægypto vocabatur Epiſcopus. Quis igitur Adrianum docuerat apud Chriſtianos Ægyptios eſſe Epiſcopos?

V. Convincunt præterea Eutychium falſitatis quæ ſequuntur à Seldeno relata. Vetus Marci vita, *Pentapolim pergit, &c. & ordinans Epiſcopos per regiones illas, & Clericos, iterum Alexandriam venit.* Alfricus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Sanctorum vita idem teſtatur. Rabanus Maurus & Notkerus in Martyrologio, 7. Kalend. Maii, *Ordinaverat pro ſe Anianum, aliis quoque longè latèque Eccleſiis Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos.* Scribit quoque Nicephorus Calliſtus l. 2. c. 43, in Cyrene & Pentapoli Epiſcopos ordinaſſe, cui, inquit Seldenus, conſentiunt Græcorum Synaxaria. Teſtantur præterea Metrophanis & Alexandri acta Ægyptum centum Epiſcopis ante Concilii Nicæni acta celebrem fuiſſe. Iſta ſanè omnia uni Arabi contra univerſam Eccleſiæ praxim ſcribenti, & de rebus multis ſeculis antequàm natus eſſet tranſactis teſtanti, ſi mens læva non fuiſſet, longè erant præferenda. His Actis addi poſſunt teſtimonia ἀναλήμματα, Alexandri ſcilicet Patriarchæ Alexandrini

in

In Epiſtola quàm exoriente primum hæreſi Ariana ſcripſit ad omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos quam refert Socrates hiſtoriæ lib. 1. cap 2. & Gelaſius Cyzicenus lib. 2. cap. 3. de actis Concilii Nicæni: *Ario igitur, &c. nos cum aliis fere centum Epiſcopis Ægypti & Libyæ anathema denuntiavimus.* Sanct. ipſe Athanaſius Apologia 2. longè poſt medium, idem teſtatur: *Sunt autem ex Ægypto, & Libya, & Pentapoli Epiſcopi propemodum centum, quorum nemo nos accuſavit.* Huic numero convenit Epiſtola Concilii Sardicenſis ad univerſos Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos. Huic enim ſubſcribunt nonaginta quinque Epiſcopi Ægyptii, ut legere eſt apud Athanaſium in eadem Apologia, & tomo 1. Conciliorum. Unde tanta Epiſcoporum frequentia, ſi annis ante hoc tempus circiter nonaginta nullus erat in toto Patriarchatu Epiſcopus? Si ad annum Chriſti prope 240. tres tantum Epiſcopos tulit Patriarchatus?

VI. Multis aliis teſtimoniis falſi convinci poteſt iſta Eutychii ſententia. Refert Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ, c. 34. ex Dionyſii Epiſcopi Alexandrini immediati Heraclæ ſucceſſoris Epiſtola, Cheremonem Nili in Ægypto Epiſcopum cum jam grandævus eſſet, & ætate prope exactâ in Arabiam ſeceſſiſſe, ut Decii perſecutionem fugeret. Itaque Chæremon ille longè præcedebat Heraclæ Pontificatum qui 13. Pontificatus ſui anno defunctus eſt. Eodem tempore ſcripſit idem Dionyſius librum de Pœnitentia ad Cononem Hermopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum. Biennio poſt epiſtolam ſcripſit de feſtorum celebratione ad Hieracem quem vocat Eccleſiarum Ægypti Epiſcopum, cujus Epiſtolæ nonnulla verba refert Euſebius lib. 7. hiſt. c 16. Nec loquuntur Euſebius aut Dionyſius de his Epiſcopis tanquam recens in Ægypto creatis, ſed ſicut feciſſent de aliis Aſiæ, Græciæ, aut Italiæ Epiſcopis.

VII. Idem Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, referente Euſebio lib. 7. c. 19. mentionem facit Nepotis Epiſcopi Ægyptii qui dudum mortuus erat, & pro Millenariorum hæreſi ſcripſerat. Cum videret Dionyſius multos fratres hunc librum & autorem magni facere, publicè eum refutandum ſuſcepit: *Quanquam*, inquit Dionyſius, *non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplectior, & diligo, ut pro fide, pro ſtudio in doctrina poſito, pro aſſidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque variis Pſalmis hymniſque ab eo compoſitis, quibus hucuſque nonnulli fratrum libenter utuntur; verum etiam propterea quod ex hac vita migravit, hominem multò magis revereor, &c.* Multis annis vixerat ille Nepos ante Dionyſium, atque ideò multis annis ante ipſum Epiſcopus. Denique Chronicon Alexandrinum ante paucos annos ab Abrahamo Ekellenſi Latinè redditum iſtius Eutychii impoſturam, aut credendi levitatem evidentiſſimè detegit, cum ait in Juliano Demetrii Prædeceſſore. *Poſt hunc* Julianum, *nullus Epiſcopus manere potuit Alexandriæ, ſed etiam exibant, & conſtituebant Sacerdotes omni loco.* Ante Demetrium igitur multi Epiſcopi Alexandriæ commorari ſolebant, hoc eſt, circiter annum Chriſti, 183. Tum enim Pontificatum iniit Julianus, teſte Euſebio, qui ſcribit hiſtor. l 5. c 19. Agrippinum cui Julianus ſucceſſit, anno primo Commodi obiiſſe. Inde forſan iſtius fabulæ ſomniandæ occaſionem aliquis cœpit, cui poſtea ſupremum actum Eutychius addidit.

VIII. Verum nihil eſt quod evidentius revincat iſtam Eutychii poſitionem quàm ſancti Hieronymi teſtimonium, ad quod tamen illuſtrandum aſſertur. Totus eſt Sanct. Hieronymus in aſſerenda, quantum pati poteſt Eccleſiæ traditio, Presbyterorum cum Epiſcopis paritate. Hanc demonſtrat ab antiqua Eccleſiæ Alexandrinæ praxi, quæ aliarum Eccleſiarum morem in Epiſcoporum ſuorum conſecratione non ſequebatur. Nam à Marco, inquit, Euangeliſta ad Heraclam, & Dionyſium uſque, Presbyteri illius Eccleſiæ defuncto Epiſcopo alium non aliter ſuffecerunt, quàm unius è corpore ſuo electione & Enthroniſmo, non ſecus ac Milites Imperatorem renuntiant, aut Diaconi Archidiaconum. Hoc eſt, non convocant Provinciæ Epiſcopos, ut moris eſt in omnibus aliis Eccleſiis ad electionem faciendam, aut jam factam à Clero examinandam; nec electo ad evocandas cœlitus ampliores gratias manus imponunt, ceremoniaſque ſolemnes in manus impoſitione celebrari ſolitas uſurpant. Ex illo Alexandrinorum more colligit Sanct. Hieronymus quod aſſumpſerat, Vix Epiſcopum habere quo Presbytero præſtet, cum neceſſe non ſit Presbyterum, ut ad Epiſcopi dignitatem evehatur, benedictione, & manuum impoſitione imbui. Itaque Diaconos cum ſe Presbyteris anteponunt, imprudenter quoque ſeſe Epiſcopis anteponere. Nec ultra progreditur Sanct. Hieronymus. Si autem verum fuiſſet quod ait ille Eutychius, quàm opportunam argumentandi pro Presbyteris adverſus Diaconos occaſionem inde deprompſiſſet Hieronymus, vir eloquens, & Rhetoricis exaggerationibus ſæpe indulgens. Deprehendiſſet morem quem contendebat in Eccleſia naſcente obſervatum fuiſſe, in tota Ægypto annis ducentis poſt natum Chriſtum perſeveraſſe, tot urbes quibus ſemper abundavit Ægyptus, à ſolis Presbyteris tanto temporis ſpatio gubernatas fuiſſe; Presbyteros in tam ampla Provincia munia omnia Epiſcopalia adminiſtraſſe. Nihil ſanè fingi poteſt ſcopo S. Hieronymi conducibilius. Cum autem vir tam perſpicax, & in Adverſarios ferùidè inſtare ſolitus, id non urgeat, imò penitus prætereat, argumentum eſt certiſſimum totum iſtud Eutychianum effatum nihil aliud eſſe quàm anilem fabulam ab eo temerè creditam.

IX. Poſterius Eutychii dictum de Presbyteris manus Patriarchæ imponentibus, & eum conſecrantibus, Sanct. Hieronymi verbis quàm maximè adverſatur. Poſtquam enim retulit morem illum Eccleſiæ Alexandrinæ, infert ex eo propoſitionem huic dicto planè contradicentem, *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat.* Idem & eodem modo pronuntiavit Sanct. Chryſoſtomus, ut ſupra relatum eſt c. 5. ſect. 5. Exercitationis quartæ. Idem & S. Ambroſius in 3. c.

Epiſt. 1. ad Timoth. & rationem reddit: *Unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet* Timotheus, *oſtendit. Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit quod non accepit.* Quaſi diceret, vult Apoſtolus Timotheum Epiſcopos ordinare, non autem Presbyteros; eo quod fas non ſit majorem à minore ordinari: Epiſcopus autem major eſt Presbytero. At Eutychius contra perpetuam iſtam traditionem dicit annis trecentis Epiſcopos Alexandrinos à ſolis Presbyteris & electos, & conſecratos fuiſſe. Cum autem hæc aſſertio Eutychiana ſcopo ad quem collimabat Hieronymus, tantopere faveat, ſi vera eſt, quamobrem Sanct. Hieronymus de more Eccleſiæ Alexandrinæ illius temporis verba faciens ſententiam Eutychio prorſus oppoſitam affirmavit?

X. Præterea ſi Presbyteri Alexandrini ipſiſſimi manus imponebant ei quem è corpore ſuo in Patriarcham elegerant; Qua ratione hoc ignorare potuit Sanct. Hieronymus, cum poteſtas illa conſecrationis Presbyteris Alexandrinis delata ad Alexandrum uſque perſeveraverit, qui obiit Hieronymo jam grandiuſculo, quique primus, ut refert Eutychius, autoritatem illam Presbyteris Eccleſiæ ſuæ abrogavit? Qua ratione Hieronymus hoc ignorare potuit, qui ſæpius & variis temporibus de hac quæſtione à Diaconis irritatus contentioſè ſcripſit, ſæpiuſque Ægyptum, Epiſcopos, & Monachos Ægyptios adiit, à quibus veritatem nullo negotio ſciſcitari potuit?

XI. Non immeritò quoque ad examen revocabitur quod de Decreto Alexandri aſſerit Eutychius, *Vetuiſſe ne deinceps Patriarcham crearent, & decreviſſe ut mortuo Patriarcha convenirent Epiſcopi, qui Patriarcham ordinarent, &c. atque ita evanuit inſtitutum illud antiquius, quo creari ſolitus à Presbyteris Patriarcha, & ſucceſſit in locum ejus decretum de Patriarcha ab Epiſcopis creando* His enim oppoſita certiſſimè conſtant ex Liberati Breviario c. 20. quod ſupra c. 2. Exercit. 3. retulimus. Ex eo enim colligitur evidenter ducentis ſaltem poſt Alexandrum annis Presbyteros Alexandrinos, non Epiſcopos, Patriarcham elegiſſe: nec Presbyteros nec Epiſcopos, nec quoſvis alios manum electo impoſuiſſe. Cum Liberato hac in parte bene convenit quod ſcribit Epiphanius in hæreſi 69. *Cum hæc ſit Alexandria conſuetudo, ut poſt Epiſcopi mortem ſucceſſor diutius non differatur, ſed ſubinde pacis inendæ cauſa ſubrogetur, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus jurgia in vulgus, & contentiones exiſtant, abſente Athanaſio Achillam ſubſtituere coacti ſunt.* Longum fuiſſet nimis & moroſum Epiſcopos ad electionem convocare. Ideo mortuo Epiſcopo, & peractis exequiis Clerus urbicus ſtatim congregabatur, & ad alterius Epiſcopi electionem procedebat. Hinc Achillas non expectato Athanaſii Diaconi reditu ab urbis Clero ſuffectus eſt defuncto: quo intra trimeſtre ſimiliter mortuo Athanaſius totius Cleri conſenſu juxta Alexandri mandatum electus eſt.

XI. Deinde ſi verum eſſet illud Sanct. Marci decretum de duodecim Presbyteris & uno ex ipſis in Patriarcham ab iiſdem eligendo male illud obſervavit Julianus, Patriarcha tamen ſanctiſſimus, qui moriens Demetrium Laicum & uxoratum elegit, nec hanc electionem collegio duodecim Presbyterorum detulit. Imò interrogatio à populo Alexandrino morienti Patriarchæ facta, demonſtrat hoc decretum nunquam obſervari ſolitum. Totus enim populus morituro Patriarchæ aſſidens, ſic eum interrogat, *Pater noſter quis ſuper nos poſt te Patriarcha futurus eſt?* Cumque non bene intellexiſſet Patriarchæ reſponſum, eandem interrogationem iteravit: nec ab electione excuſat ſe Patriarcha, ſed rogante populo ſtatim quod petebat exequitur; nec populus inducitur ab autore Chronici Alexandrini ut quid inuſitatum faciens. Similiter ſi verum eſſet quod Eutychius ille de Alexandri Patriarchæ decreto fabulatur, Alexander primus in Decretum ſuum prævaricatus fuiſſet. Ipſe enim moriens inconſultis Epiſcopis mandavit Clericis ſuis ut Athanaſium Diaconum tum abſentem ſibi ſubſtituerent, ut autor eſt S. Epiphanius tam in hæreſi Meletianorum quàm Arianorum. Itaque duobus modis graviter in decretum ſuum incurriſſet: Priori, electionem Epiſcopis non deferendo; poſteriori, Diaconum non Presbyterum eligendo.

XII. Denique idem decretum falſi convincitur, & ratione numeri, & in ratione Decreti. Abraham Ekellenſis natione Maronita Chronicon Arabicum Calipharum Saracenorum, & Patriarcharum Alexandrinorum ad annum uſque 1234. Latinè tranſtulit, & edidit, in quo temporum ratio diligentiſſimè habetur. Autor ille diligens ubi de Sanct. Marco, & Aniani in Pontificem creatione verba facit, trium tantum Presbyterorum, & ſeptem Diaconorum creationem commemorat, *Multiplicato credentium in Chriſtum numero conſtituit Sanctus Anianum Epiſcopum Alexandriæ, & cum eo tres Presbyteros, & Diaconos ſeptem. Quo facto egreſſus eſt inde, &c.* Improbabile ſanè eſt in una urbe licet maxima ſtatim ab Euangelii prædicatione creatos fuiſſe duodecim Presbyteros, cum trecentis fere poſt annis plures ſeptemdecim Presbyteris Alexandriæ in re maximi momenti dijudicanda cum Epiſcopo ſuo non convenerint, ut conſtat ex Decreto quo Alexander cum omnibus Presbyteris ſuis anathema pronuntiat Ario apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. c. 3. & Concilium Nicænum Piſani lib. 1. Et ex ſubſcriptionibus Epiſtolæ totius Cleri Alexandrini ad Theognium, & alios Epiſcopos apud Sanct. Athanaſium Apologia 2.

XIII. Verùm enimverò non fruſtra nobis timendum eſt, ne de rebus iſtis tam anxiè diſputando, id nobis quodammodo contingat quod Ariſtophanes in Nubibus exprobrat Philoſophis, περὶ καπνῦ ϛιϛλιεχθῆν, de fumo anxiè & ſolicitè nugari. Illud enim contra quod potiſſimum contendimus, non ita abſurdè ſcripſit Eutychius, ſed perverſa Eutychiani textus interpretatione colligit Seldenus. Abraham Ekellenſis tranſlationem edidit libri Hebed Jeſu autoris Syri, adnotationeſque in hunc librum perdoctas & curioſas tranſlationi

ſlationi conjunxit. In pagina adnotationum 164. hæc ſcribit: *De Papa, ejuſque origine ſuis ſcripſimus in reſponſione ad Joannem Seldenum de originibus Eccleſiæ Alexandrinæ.* Nec ibi plura. Cum hæc legiſſem Romam ad Abrahamum ſcripſi, ab eo ſciſcitans quid de iſtis originibus cenſeret. Sic ille reſpondit, *Seldenum plura admiſiſſe in iis originibus peccata tam vertendo, quam commentando. In verſione ad ſuas adſtruendas fallacias, & propoſita argumenta, pro univerſalibus particularia interpretatus eſt, & vice verſa.* Duo exempla mihi protulit quæ ad rem noſtram maximè faciunt, & difficultatem ex Eutychii dictis oppoſitam radicitus præcidunt. Tranſtulit Seldenus, *Uſque in tempora Demetrii Patriarchæ nullus erat in Provinciis Ægypti Epiſcopus.* At textus Arabicus habet, *in Provincia Ægypti.* Ægyptum ſumit Eutychius pro ea parte quæ à Græcis dicitur *delta*, quæque tota Nili brachiis alluitur, & circumdatur. Iſta Ægypti pars propriè Ægyptus vocatur. *Tres Provinciæ*, inquit Ammianus in fine l. 22. *Ægyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis: Ægyptum ipſam, & Thebaidem, & Libyam; quibus duas adjecit poſteritas, ab Ægypto Auguſtanicam, & Pentapolin à Libya ſicciore diſparatam*: cæteræ propriis nominibus vocabantur, quorum plura ab Ammiano enumerata ſunt. Romani Imperatores, ut refertur in Notitia Imperii Romani, Ægyptum in ſex Provincias diſtinguebant, Libyam ſuperiorem, Libyam inferiorem, Thebaidem, Ægyptum, Arcadiam, & Auguſtanicam, & unicuique ſuum dabant Præſidem; omnes Auguſtali Præfecto ſubjecti, quarum in jure ſæpe fit mentio; & nonnunquam Ægypto nominata, ab ea diſtinguuntur, ut l. 9. Cod. de vectigal. & Commiſſis, & Novel. 8. in Notitia. Hoc etiam faciunt inſignes Geographi, Strabo, & Ptolomæus.

XIV. Iſta Ægypti acceptio, & à cæteris regni Ægyptiaci Provinciis diſtinctio, autoribus Eccleſiaſticis eſt frequentiſſima. Concilium Nicænum I. can. 6. *Antiqua conſuetudo ſervetur, per Ægyptum, Lybiam, Pentapolin, &c.* Idem Concilium ſic inſcribit Epiſtolam ſuam, *Ad fratres Ægyptum, Lybiam, Pentapolin incolentes.* Epiſtolam referunt Socrates lib. 1. c. 6. Theodoretus. l. 1. c. 9. Cyzicenus l. 2. c. 33. Item in quibuſdam ſubſcriptionibus Concilii ejuſdem apud eundem Gelaſium. Sic quoque accipit Alexander Alexandriæ Epiſcopus in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolis Epiſcopum apud Theodor. l. 1. hiſtor. c. 4. *Miſi Epiſtolas Collegarum qui ſunt in tota Ægypto, & Thebaide; deinde eorum qui per Libyam & Pentapolin.* Eandem diſtinctionem ſæpius legere eſt in ſecunda Athanaſii Apologia, in ipſo initio: In titulo Epiſtolæ Synodi Alexandrinæ, ubi dicitur ex Ægypto, Thebaide, Libya, Pentapoli congregata: in fine item iſtius Epiſtolæ: Item in Epiſtola Synodi Hieroſolymit. & in Epiſtola Conſtantii Imperatoris ad Neſtorium Præfectum, in qua Auguſtanicæ mentionem facit. Sanct. Epiphan. initio hær. 68. quæ eſt Meletianorum. *Hic enim mos obtinet ut Alexandriæ Epiſcopus, totius Ægypti, ac Thebaidis, Mareoticque, ac Libyæ, Ammoniacique ac Marcotidis, ac Pentapolis Eccleſiaſticam habeat adminiſtrationem.* Multò igitur convenientius erat Eutychii dictum tam inſolens ad Ægyptum propriè dictam reſtringere, quàm rem de ſe abſurdam, perverſa interpretatione factam abſurdiſſimam, in lucem emittere.

XV. Alterum exemplum eſt in his verbis, *Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui Epiſcopos fecit.* Ita Seldenus interpretatur, cum eſſet interpretandum, *Et eſt primus Patriarcha qui in Alexandria fecit Epiſcopos.* Id eſt, Demetrius primus eſt Patriarcha qui in Ægypto propriè dicta ſibi immediatè ſubjecta Epiſcopos creavit. Hinc tantùm ſequitur particularem Ægypti diœceſim à ſolo Epiſcopo Alexandrino ducentis poſt Chriſti reſurrectionem annis ſine aliorum Epiſcoporum miniſterio adminiſtratam fuiſſe. Quod quanquam nobis non adverſetur, omnino tamen improbabile eſt, propter civitatum maximarum multitudinem quibus feraciſſima illa pars Ægypti ſemper abundavit, & antiquæ Apoſtolicæque Eccleſiæ perpetuam conſuetudinem quæ Epiſcopos in urbibus majoribus creare ſemper ſolita fuit, Africæ denique Provinciæ vicinæ in quibus numeroſiſſimi ſemper fuerunt Epiſcopi, & illo ipſo tempore quo nullos perhibet Eutychius in Ægypto fuiſſe Epiſcopos, ut ex Sanct. Cypriani Epiſtolis, & Conciliis quæ eo tempore celebrata ſunt, evidentiſſimè conſtat. Recenſet Claudius Ptolomæus, ipſe Alexandrinus, urbes viginti quinque aut ſex maximas & Metropoles in ſolo delta Ægypti. Minorum urbium & oppidorum numerus erat prope infinitus; octodecim millium fuiſſe ſcribit Diodorus Siculus. Plinius l. 5. c. 9. refert Rege Amaſo regnante numerata fuiſſe urbium viginti millia. Cui fiet credibile ducentis prope annis Religionem Chriſtianam maximis cum incrementis in Ægypto propagatam fuiſſe, & infinitæ huic hominum multitudini, atque tot Metropolibus nullum datum Epiſcopum? Sanct. Marcum rationem Ægypti regendæ cæteris Apoſtolis prorſus contrariam iniviſſe? Cæteri Apoſtoli eorumque ſucceſſores cùm primum numeroſi incipiebant eſſe in aliqua civitate Chriſtiani, ſtatim illis creabant Epiſcopum. Marcus verò & ejus ſucceſſores ab hac tam neceſſaria diſciplina, velut à peſte, diligentiſſimè ſibi caverunt. Deinde ducentis poſt annis mutata de repentè ſententia, centum Epiſcopos brevi temporis ſpatio creaverunt, velut prioris ſententiæ admodum pœnitentes.

XVI. Eandem hac in cauſa diſciplinam in Ægypto quæ in cæteris orbis regionibus obſervatam evidenter ſatis indicant Sanct. Athanaſii verba in Apologia 2. verſus finem, *Mareotes, ut dixi, ager eſt* (pagus) *Alexandriæ, quo in loco nunquam Epiſcopus fuit, imò ne Chorepiſcopus quidem, ſed univerſa ejus loci Eccleſiæ Epiſcopo Alexandrino ſubjacent; ſtatamen ut ſinguli pagi ſuos Presbyteros habeant. Sunt autem pagi iſti maximi decem numero, aut aliquanto plures. Pagus autem ubi habitat Iſchyras, minimus eſt, & pauciſſimorum hominum; adeo ut non ibi,*

ſed in proximo pago Eccleſia conſtituta ſit. Nihilo tamen minus hominem qui ne Presbyter quidem erat, hujus pagi præter Majorum traditionem Epiſcopum ſcilicet, appellaverunt. Hinc ſanè evidenter colligitur Sanct. Athanaſium hæc duo fundamenta ratiocinationi ſuæ ſuppoſuiſſe: Epiſcopos in pagis ex canonum præſcripto non eſſe inſtituendos. Ut enim demonſtret Iſchyram non fuiſſe Epiſcopum, probat eum tenui pago Præfectum, cui ne Chorepiſcopus quidem unquam inſtitutus fuerat. Deinde Majorum traditionem in Ægypto fuiſſe, non ſecus quàm in cæteris orbis Chriſtiani Provinciis, Epiſcopos civitatibus eſſe præficiendos, & oppidis pagiſque Majoribus Chorepiſcopos; longè ſane contra id quod fabulatur Eutychius. Idem etiam non improbabiliter deducitur ex Sanct. Epiphanii animadverſione initio hæreſeon 68. A & 69. Notat plurimas eſſe Alexandriæ Eccleſias, & unicuique Præfectum eſſe Presbyterum qui Eccleſiam illam ſub autoritate & directione Epiſcopi Alexandrini regat & gubernet. Opportunum erat Epiphanio annotare, olim & diuturno tempore totius Ægypti Eccleſias ita per Presbyteros adminiſtratas fuiſſe, tandem creatis ab aliquot annis Epiſcopis hanc conſuetudinem in ſola urbe principe perſeveraſſe; ut paulò ante in hæreſi 68. notaverat omnes Epiſcopos Provinciarum Ægypti uni Archiepiſcopo Alexandrino B ſubjectas eſſe. At licet hæc ſæpius repetat, id tamen ſermoni ſuo tam opportunum, atque ut planè extraordinarium, adnotatu digniſſimum, nuſquam commemorat. Hactenus de inſulſiſſima fabula, & plura forte quam poſtulabat ejus inſulſitas. Penſum noſtrum retexamus & accuremus.

EXERCITATIO VIII.

DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS multis ſimul ſacrificantibus, & Euchariſtia poſt Ordinationem Presbyteris data.

CAPUT I.

Antiquitus Presbyteros multos, atque etiam Epiſcopos paſſim unam ſimul Miſſam concelebrare ſolitos demonſtratur. Qua ratione Presbyteri Latini cum ordinantur unam Miſſam ſimul & cum Epiſcopo celebrent, ex antiquis codicibus deſcribitur. Referuntur Scholaſtici multi qui de hoc ritu varié diſputant. Ritus ille apud Græcos Ordinarius, & qua ratione celebretur. Variis antiquorum Patrum, & Conciliorum Græcorum & Latinorum teſtimoniis probatur. Varii canones ad hanc conſuetudinem alludunt. Quibus potiſſimum diebus hoc fiebat. Omnium Presbyterorum in Sanctuario ſedes communis. Clariſſime hic ritus deſcribitur in antiquis Ordinibus Officiorum Romanis. Hinc colligitur quid erat vera communio Eccleſiaſtica. Hujus antiqui ritus ignoratio Doctores multos in abſurda præcipites egit.

I. ECcleſia Latina in collatione Presbyteratus, ſimiliter, & potiſſimum in conſecratione Epiſcopi, ritu utitur quodam qui ab aliquot ſeculis non abs re videtur planè extraordinarius: Eum enim, exceptis his duabus occaſionibus, nuſquam uſurpat. Presbyteri & Epiſcopi recens ordinati ſimul cum Epiſcopo ordinante Miſſam celebrant & conſecrant, & ſacrificatis participant: Eo tamen diſcrimine, ut Presbyteri ſacrificio adſtent genuflexi, & ab altari diſſiti, ſicque diſpoſi- C ti in Miſſali ſuo omnia Legant ſicut Celebrans; canonem quoque, & verba conſecrationis ſolemnia pronuntient: deinde Laico more genuflexi ſub una ſpecie communicent. Epiſcopus autem Conſecratione ſua peracta altari conjunctus adſtat non ſecus ac Conſecrans, atque ut ipſe ſtans omnia in altari peragit. Deinde cum ad communionem ſanctiſſimi corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti Domini noſtri ventum eſt, illius communionem recipit de manu Conſecrantis reverenter inclinatus,

clinatus, non genuflexus. Unicam autem hoſtiam ambo conſecrant, & de ea participant. Sic conſecrans poſtquam ſacri ſanguinis partem cum hoſtiæ particula intincta ſumpſit, ſanguinis reliquum Conſecrato ſimiliter inclinato tradit. His actis quæ Miſſæ ſunt, perficiunt, ut in Miſſali præſcribitur.

II. Antiquus iſte ritus qui huc uſque viget, illuſtrari poteſt ex eo quod legitur in antiquo Ceremoniali manuſcripto annorum circiter trecentorum, aut aliquanto minus, quod pertinet ad Collegium de Fuxo Toloſanum. Liber ſine cooperculo, forma ejus parva, non plicata tamen, ſed extenſa. Sub titulo, *De communione Epiſcoporum qui conſecrantur*, & *Abbatum qui benedicuntur*, hæc leguntur.

III. *Præterea ſi Pontifex aliquem vel aliquos Epiſcopos conſecrare debuerit, Subdiaconus opportuno tempore præparet hoſtiam vel hoſtias pro conſecrando vel conſecrandis, conſecrandam vel conſecrandas; & provideat quod tantum de vino in calice ponat ad conficiendum ſanguinem Domini, quantum ſufficere poſſit ipſi Pontifici, & conſecrando, ſeu conſecrandis, qui de ſanguine communicare debent. Pontifex autem quando communicat de ſanguine non totum ſumat, ſed partem ejus cum parte hoſtiæ quæ in calice miſſa fuit. Reliquum verò dimittens in calice, det ſacram hoſtiam conſecrato, ſeu conſecratis qui communicare debent, ſicut ſupra de Sacerdotibus ordinatis dictum eſt: Excepto quod genua flectere non debent. Et ſi ſint unus vel duo tantum conſecrati, ac diſpoſitio loci permittat, & quod ſtantes circa cornu altaris ſicut ſteterunt concelebrando Miſſam, communicare poſſint, ibidem ſtando communicent: alioquin accedendo ad ipſum Pontificem ſacram communionem recipiant, ſubſequente Diacono eis porrigente calicem, communicent de eodem ſanguine, qui poterunt eum ſumere cum calamo, ſi habeant paratum, alioquin ſumant cum ipſo calice. Poſtea Pontifex abluat digitos cum vino ſuper calicem, & de ipſo vino iterum abluat os: de quo & ad abluendum os conſecratus ſeu conſecrati ſumere debent cum predicto calamo; ita tamen quod is qui ultimo ſumit ſive ſanguinem, ſive vinum, poſtquam ſumpſerit cum calamo quantum poteſt ſumere, reſiduum ſine calamo hauriat, ut nihil in calice remaneat, &c. Quod ſi Pontificem Abbatem, vel Abbatem benedixerit, præparandæ ſunt hoſtiæ pro ipſis; & ipſi tempore opportuno accedentes ad Pontificem communicare debent modo predicto, non tamen ſumere de ſanguine.* Hic ritus à præcedente in duobus potiſſimum differt. Primum quod ſanguinem cum calamo hauriunt, quod eſt antiqui moris monumentum. Cap. 2. Ordinis Romani, ubi Ordo Miſſæ ſecundum antiquos Patres occidentales exponitur, dicitur, quod Presbyteri ſacrum ſanguinem cum fiſtula hauriunt. Idem etiam habet ſub eodem titulo antiquus ordo annorum ſeptingentorum, qui pertinebat ad Abbatem Cajetanum. Secundum eſt, quod Epiſcopus conſecratus non participat de eadem hoſtia, de qua conſecrans, ſed ſibi propriam conſecrat.

IV. Ante tempus pridris manuſcripti adnotatum, ſæpe ſolebant Latini Presbyteri extra Ordinationis occaſionem cum Epiſcopo ſacrificium celebrare. Eſt in eadem Bibliotheca Toloſana rationale ceremoniarum Miſſæ per quæſtiones more Scholaſticis conſueto diſpoſitum ante circiter quadringentos annos ſcriptum & compoſitum quod hoc ut plerumque factum ſuo tempore teſtatur ſub titulo, *de diverſis Sacerdotibus ſuper eandem Oblatam celebrantibus.*

V. *Quum autem interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, ſi forte non omnes ſimul conſecratoria verba pronuntient, Quæritur, an ille ſolus conficiat, qui primus pronuntiat? Quid ergo cæteri faciunt? an iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere quod ille non conficit qui celebrat principaliter, & ille conficiat qui ſecundario celebrabit; & ſic pia celebrantes intentio defraudabitur. Sane dici poteſt, & probabiliter reſponderi, quod ſive primi, ſive poſterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad inſtans prolationis Epiſcopi cui principaliter celebranti concelebrant, & tunc omnes ſimul conſecrant, & conficiunt. Quanquam nonnulli conſentiant, quod qui primus pronuntiat, ille conſecrat, nec aliorum defraudatur intentio, &c. Conſueverunt Presbyteri Cardinales Romanum circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, dumque conſummatum eſt ſacrificium de manu ejus communionem accipere, ſignificantes Apoſtolos, qui cum Domino pariter diſcumbentes, ſacram de manu ejus Euchariſtiam acceperunt, & in eo quod ipſi concelebrant, oſtendunt Apoſtolos, tunc a Domino ritum hujus Sacrificii didiciſſe.*

VI. Presbyteri illi non adſtant altari genuflexi, ſed Pontificem circumſtant, ut nunc in Epiſcoporum conſecratione fieri ſolet. Hæc ex Innocentio III. deſumpſiſſe videtur lib. 4. de Sacrificio Miſſæ c. 25. Hanc Innocentii autoritatem ſibi opponit Durandus in 4. diſtinct. 13. q. 3. cui ſic reſpondet, *Quod autem dicitur de Innocentio, quod videtur approbaſſe illam conſuetudinem: poteſt dici quod approbat ut Doctor, & non ut Papa; nec doctrina ſua tenetur in omnibus: nec Eccleſia Romana tenet illud quod ipſe dicit de Presbyteris Cardinalibus concelebrantibus cum Papa, & ſic fiebat tempore ſuo, nunc tamen non fit: quia viſum eſt periculum poſſe facile contingere in tali celebratione. Imò vix fieret quin periculum contingeret: & ideo illa conſuetudo abolita eſt, ſicut nobis conſtat qui in curia Romana longo tempore ſteimus, & adhuc ibidem ſumus, & Miſſis ſummorum Pontificum interfuimus, in quibus illa conſuetudo nunquam fuit obſervata: Et ſi obſervaretur non eſſet neceſſarium credere quod bene fieret. Quia ſecundum Hieronymum non quod fit Romæ, ſed quod fieri debet, attendendum eſt.* Utrumque facilè verum eſſe poteſt, & quod dixit Innocentius, & quod Durandus. Cum enim inter utrumque centum annorum ſpatium intercedat, nihil prohibet morem illum qui Innocentii tempore obſoleſcere incipiebat, Durandi tempore fuiſſe obſoletum. Præſertim cum mos ille fuerit Doctoribus Scholaſticis innumerarum difficultatum ſeges ampliſſima,

nonnullis asserentibus hoc fieri posse, aliis negantibus, aliis certos quosdam possibilitatis modos & terminos excogitantibus : omnibus deinde ut sese ab Adversariorum telis tuerentur, novas & involutas reculas, *ἐπιλυτικὰς καὶ ἀνεμοφερήτους* cudentibus & recudentibus. Qui hæc cognoscere voluerit legat Alexand. Halens. 4. p. q. 10. memb. quinto art. 2. §. 8. S. Thomam in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. ad quæstiunc. 2. & in Summa tertia parte quæst. 82. art. 2. Richardum in 4. dist. 13. art. 2. q. 1. Paludanum eadem distinctione q. 4. Capreolum ibidem q 1. potissimum art. 4. Durandum loco jam citato. Gabrielem lectione 6. in canonem Missæ, Caëtan. in 3. p. q 82. art. 2. Angelum. Eucharist. 2. n. 3. Sylvest. verbo, Eucharistia 2. q. 13. qui antiquos plures refert. Victoriam in Summa n. 88. Dominicum Soto in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. Ledesmam in 4. 1. part. q. 22. art. 2. dubio 2. Philippum Gamachæum de Sacrificio Missæ versus finem cap. 9. Suarem tom. 1. de Sacrament. disputat. 61. sect. 4. Gregor. de Valentia quæst. 10. de Ministro Euchar. puncto 2. Henriquez lib. 8. de Euchar. c. 18. qui permultos refert autores Anglez q. 7. de Eucharistia 1. diffic. 8. Vasquez in 3. part. disput. 218. Arcudium lib. 6. cap. ultimo, Koning de Sacram. q. 82. art. 2. Tannerum disputat. 5. de Eucharist. quæst. 9 dubio 3. Franciscum Sylvium in 3. partem, q. 82. artic. 2. Sed præ cæteris legat Richardum, Capreolum, Vasquem c. 3. & 4. & Recentiores qui aliorum modos quibus consecrationem à multis Sacerdotibus fieri posse arbitrantur, fusè admodum refutant, & suos peculiares stabiliunt. Obiter tantum referam verba Capreoli Durando respondentis ad ea quæ temerè de Ecclesia Romana censuit: *Ad ea vero quæ dicit contra Innocentium, & Ecclesiam Romanam non oportet respondere, quia temerè, & detractoriè dicta sunt.* Cætera quæ ab iis hac in causa operosè ac spinosè disputantur, prætermittimus: alienissima enim sunt ab eo scopo quem nobis proposuimus. Deinde quid opus in disputationum laqueos sese induere, & pedicas Vulcanis tenuiores sibi tendere, *τὰς σοφὰς ἰδεῖν ἀνδὲ θεῶν μαχάρων.* Rem ipsam de qua nunc agimus, in Ecclesia Catholica fuisse vulgatissimam, imò antiquitus ordinariam, & prope quotidianam in Ecclesiis majoribus quæ Presbyteris abundabant; deinde pietate lapsu temporis deferveſcente, & canonica disciplina tepescente, ad dies festivos & solemnes contractam, ex veteribus monumentis demonstrabimus.

VII. Hanc antiquam & Apostolicam traditionem hactenus integram Græci conservarunt, cujus vestigia Latini in ordinationibus Presbyterorum & Episcoporum etiam nunc exprimunt. Cum apud Græcos in aliqua Ecclesia multi sunt Presbyteri, omnes simul ordinariè Missam celebrant, & eorum aliquis deputatur cui primariò celebratio competit. Huic velut principali celebranti nonnulla de consuetudine dicenda competunt, ut apud nos in Capitulis & Monasteriis Hebdomadario; aliis quoque Presbyteris nonnulla alia quæ cum apud eos stata sint & ordinaria, unusquisque A dato primo mandato, quæ sibi sunt agenda statim recognoscit. Si adsit Episcopus vel Protopapas, & celebrare voluerint, principales sunt celebrantes. Omnes igitur Presbyteri & Diaconi adsunt processioni quam magnum introitum vocant, qua sacra dona à mensa propositionis ad altare deferuntur; sed principalis celebrans calicem vino consecrando plenum manu portat, principalis verò Diaconus panem super caput tenet, & digitis thuribulum. Cæterum dum mystica consecratio peragitur, Presbyteri principali celebranti adsunt à dextris & sinistris altari juncti, & illud velut coronam cingentes. Retrò Presbyteros altari B adsunt Diaconi, sed stantes semper, licet aliquando Presbyteri sedeant Unusquisque Presbyter Liturgicum suum præ manibus tenet & legit. Dum quædam alta voce dicenda sunt, ut omnium prope orationum fines, quas ideo *ἐκφωνήσεις* vocant, *exclamationes*, Principalis celebrans primus *ἐκφωνεῖ*; deinde secundus ab ipso Sacerdos; postea tertius. Sed si occurrat eadem *ἐκφώνησις*, principalis celebrans iterum eam profert, v. g. in Liturgia prima *ἐκφώνησις* occurrit, *ὅτι πρέπει σοι*, &c. Hanc dicit principalis celebrans. Secunda *ὅτι σὺν τῷ κράτῳ*, &c. Hanc dicit secundus Sacerdos. C Tertia occurrit, *ὅτι ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος*, &c. Hanc profert tertius. Quarta, eadem cum prima recurrit, *ὅτι πρέπει σοι*. Eam iterum dicit principalis celebrans. Quinta, *ὅτι ἐλεήμων*. Eam profert quartus Presbyter, & sic de cæteris. Hic ordo apud eos usque ad Præfationem observatur. Dicta præfatione omnes exclamationes, una excepta in qua pro Patriarcha aut Episcopo oratur, principalem celebrantem spectant. Hanc Constantinopoli Syncellus protert, alibi alius pro Episcopo. Verba Christi *λάβετε φάγετε*, &c. Semper principalis celebrans & solus ea pronuntiat: Solus item exclamat *σὺ γὰρ εἶ ὁ τῶν*, & hæc, *καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον.* Denique & orationem quam *ἀπολύσεως* vocare solent, quæ ritus ultima est, & alta voce extra Sanctuarium in Ecclesiæ medio retrò ambonem recitatur. Cum ad communionem deventum est, seipsum principalis celebrans communicat. Aliis vero, Presbyteris primum, deinde Diaconis, utrisque stantibus, sed inclinatis, altari ipse conjunctus & stans consecrati panis particulas distribuit in manus, quas Presbyteri ad altare inclinati, Diaconi verò circum altare, vel ad latus, similiter inclinati magna cum reverentia consumunt. Deinde ipsis similiter ad altare positis, postquam de sanguine principalis celebrans degustavit, de Calice degustandum aliquid præbet.

VIII. Ista nunc antiquorum Patrum & Conciliorum testimoniis demonstremus. Huic antiquo mori evidens testimonium perhibet S. Clemens Constitut. lib. 8. cap. 11. 12. 13. ubi describit sacrificii faciendi ordinem ab Apostolis constitutum. Episcopum repræsentat sacris operantem, Presbyteros ipsum ad altare à dextris & sinistris circumstantes; Diaconos quoque, alios altari ministrantes, alios variis Ecclesiæ locis; Hypodiaconos quoque, & cæteros munera sua obeuntes, cap. 11.

Alii

Alii item Diaconi deambulent, & contemplentur viros & mulieres, ne quis fiat ſtrepitus, &c. Diaconi ſtent ad januas quibus viri in templum ingrediuntur, & hypodiacons ad januas quibus mulieres, ne quis egrediatur, neve aperiatur janua tempore oblationis, &c. Unus autem hypodiaconus miniſtret aquam Sacerdotibus ad lavandum manus. Capite vero 12. Sacrificii Miſſæ ordinem proſequens, *His peractis adhibeant Diaconi dona ad altare Epiſcopi; & Presbyteri ad dexteram & lævam ejus ut Diſcipuli Magiſtro aſſiſtant. Duo vero Diaconi ex utraque parte altaris teneant ſtabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex lintee, ut parva animalia volitantia abigant, ne in Calicem incidant. Igitur Epiſcopus precationem ſilentio faciens una cum Sacerdotibus, & ſplendidam veſtem indutus, &c.* Capite vero 13. peracto ſacrificio ſic communionem deſcribit, *Poſtea communicet Epiſcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Aſceticæ, & ex fœminis Diaconiſſæ, &c. Recitetur verò Pſalmus* 33. *dum cæteri omnes communicant.*

IX. Hanc unius Miſſæ ab Epiſcopo & Presbyteris, Diaconiſve, & cæteris Miniſtris inſimul celebratæ conſuetudinem ſupponit can. 8. Apoſtolicus cum decernit. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius ordinis Eccleſiaſtici, oblationis facta particeps non extiterit, cauſam dicito. Et ſi juſta fuerit, veniam conſequatur; ſin minus à conſortio ſegregetur, ut auctor offenſionis factus populo, & ſuſpicionem præbens in offerentem.* De unico Epiſcopo aut Presbytero hoc intelligi non poteſt. Prorſus enim improbabile eſt unum Epiſcopum aut Presbyterum celebrantem nolle communicare. Quorſum enim ſacrificaſſet? Sed eorum qui ipſi adſunt Presbyterorum ut aliquis non communicet, multæ cauſæ dari poſſunt, ut etiam fatetur canon. Deinde canonis textus diſertè nolentem communicare ab offerente diſtinguit cum ait, Communionis recuſationem in offerentis injuriam redundare. Alius igitur in eadem ſacrificii actione principalis offerens Epiſcopus ſive Presbyter; alius Epiſcopus ſive Presbyter recuſans.

X. Idem non minus evidenter colligere eſt ex can. 18. Nicæno. *Pervenit ad ſanctam Synodum quod in nonnullis locis & Civitatibus Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam, quod neque canon, neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi non habent poteſtatem, iis qui offerunt, dent Corpus Chriſti. Jam verò illud etiam cognitum eſt, quod quidam ex Diaconis etiam ante Epiſcopos Euchariſtiam attingunt, &c. Accipiant autem ſuo ordine Euchariſtiam poſt Presbyteros; eis prabente Epiſcopo vel Presbytero.* Fingi non poteſt qua ratione hæc audacia Diaconis contigerit, niſi ponantur plures Diaconi & Presbyteri Miſſam ſimul celebrantes. Nam non agitur de ægrotis ad quos Euchariſtia delata fuerit? Nec etiam agitur de Depoſitis aut ſuſpenſis quos quis imaginari poſſit poſt Miſſæ celebrationem communicaturos advenire; Ecquid eſſet indecori, aut periculi Diaconos ejuſmodi Clericis qui offerendi poteſtatem non habent, & communione Eccleſiaſtica privati ſunt, Euchariſtiam dare? Sed agitur de ſolemnitate ordinaria qua Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſimul unam Miſſam de more celebrantes ordine quiſque ſuo communicabant, Epiſcopo communionem Presbyteris præbente, deinde Presbytero Diaconis. Actionem ob oculos tuos propone, ut hodie & ab aliquot ſeculis fieri ſolet, & conſidera an hæc Diaconorum inſolentia accidere poſſit? An etiam nunc ante Epiſcopos Euchariſtiam contingere?

XI. Similiter c. 13. Neocæſarienſi, *Vicani Presbyteri non poſſint in Dominico offerre præſente Epiſcopo, vel urbis Presbyteris; neque panem dare in oratione, neque Calicem. Sin autem abſint, & ſolus ad orationem vocatus fueris, dat.* Quid volunt Patres hac prohibitione? Intellectu facile eſt poſitâ conſuetudine ſuperius explicata. Primum conſidera in illis Chriſtianiſmi initiis, in ſingulis urbibus unam tantum aut duas fuiſſe Eccleſias ad quas Chriſtiani ſacrificaturi conveniebant. Deinde Presbyteros, etiam peregrinos qui literas habebant commendatitias, ad orationem & ſacrificium fuiſſe admiſſos. Quid igitur ſibi volunt Patres cum hoc prohibent non peregrinis Presbyteris qui ſæpius incogniti ſunt, ſed Vicanis quorum vita, doctrina moreſque non minus quàm Urbanorum nota ſunt? Sanè Miſſæ adeſſe, ſacrificare, συλλειτουργεῖν cum aliis concelebrare, cum adeſt Epiſcopus, aut Urbani Presbyteri, Vicani non prohibentur. Quid igitur? Prohibetur ne principaliter celebrent, ſed hunc honorem Urbanis Presbyteris concedant.

XII. Id quod diximus illuſtrat ſimul & probat can. 5. Conc. Toletan. 1. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, aut caſtella, aut vici ſunt, aut villa, ſi ad Eccleſiam, aut ad ſacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, &c.* An intelligenda hæc juſſio ut ſacrificio adſint ut nunc, & ab aliquot ſeculis fieri ſolet, velut Laici, & Laicis permixti? An ut in aliquo privato oratorio Miſſam ſeorſim celebrent? minimè ſanè, ſed quiſque pro gradus ſui dignitate in ſacrificio publico & quotidiano miniſtraturus: neque tum Miſſæ privatæ ſine evidenti neceſſitate dicebantur, nec Eccleſiarum fabricæ, in quibus erat unicum altare, iſtam ſacrificii innumeram eodem tempore repetitionem permittebant. Hoc explicat diſertè Concil. Aruernenſe anno 541. ſub Theodeberto Rege celebratum c. 14. *Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neque in civitate, neque in Parochiis canonicus eſſe dignoſcitur, ſed in villulis habitans, in oratorio ſancto deſervient, celebret divina myſteria, Feſtivitates præcipuas, Domini natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſint feſtivitates reliquæ, nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in civitate teneat.* Huic præcepto niſi obediant, graviter puniuntur. Quo igitur convenire debent Presbyteri & Diaconi per villarum oratoria diſperſi? ad Epiſc. ut publicum cum ipſo agant ſacrificium. Sic Conc. Agath. can. 21. permittit Laicis propter familiæ fatigationem Miſſam audire in Oratoriis agrorum extra Parochias, *in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conventus*, ſed excipit Feſtivitates ſolemnes, quarum ſex enumerat; deinde addit, *Clerici vero, ſi qui in feſtivitatibus, quas ſupra diximus, in Oratoriis (niſi jubente aut permittente Epiſcopo) Miſſas facere aut*

aut tenere voluerint, à communione pellantur. Si tunc conſuetum fuiſſet Clericis Laico more Miſſæ adeſſe, aut Presbyteris ſeorſim in Oratorio aliquo cum Diacono Miſſam celebrare, Eccleſiæ præcepto feciſſent ſatis in agris commorantes, quod tamen factum graviſſimè puniunt.

XIII. Ut qua ratione hoc fieret Lector intelligat, eum ſcire oportet in Eccleſiis majoribus in quibus plures erant Presbyteri, ſedem omnium capacem in Sanctuario fuiſſe, in qua ſedebant omnes cum officium aliquod in Eccleſia peragebatur, aut cum erat in actione ſacrificii ſedendum. Locum communi vocabulo dicebant Latini Presbyterium, ſedem vocabant Græci σύνθρονον. Ita quoque in Eccleſiis Epiſcopalibus, præſertim in Metropoliticis, ſedes erat ampla plurium Epiſcoporum capax, quæ ſimiliter σύνθρονος dicebatur. De ſede iſta Presbyterali Novella eſt Juris Orientalis lib. 2. Heraclii Imperatoris, rogatu Sergii Patriarchæ data, qua Presbyterorum Eccleſiæ Patriarchalis Conſtantinopolitanæ numerum definit: In tantum enim creverat, ut σύνθρονος eos amplius capere non poſſet. Patriarchæ querela his verbis refertur, *Retulit nobis eos qui Clero credita ſibi ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ continentur, videntes ad magnam quandam immenſitatem progredi reverendorum Presbyterorum, & aliorum in diverſis gradibus religioſorum Cæricorum numerum, adeo quidem ut ſedes Presbyterorum communes, συνθρόνους καθέδρας, arientur, & ſæpenumero complures Sacerdotale munus, ἱερατεύειν, obire volentes ab iis excluſi, qui ante venerant, cum pudore diſcedant.* Omnibus igitur Presbyteris erat ſedes communis, & in ea ſacrificantes, & ſacrificaturi pro ratione temporis ſedebant, ut diſertè teſtantur Imperator, & Patriarcha.

XIV. Itaque omnes ſimul unicam Miſſam dicebant, & ſacrificii participes erant, aut non participati cauſam juxta can. 8. Apoſtolicum jam citatum dicere tenebantur. Definitio autem Imperatoris fuit petente Patriarcha, ut Presbyterorum Eccleſiæ majoris numerus octoginta non excederet, Diaconorum Marium 150. fœminarum 40. Subdiaconorum 70. &c. Similiter definit ut Eccleſiæ ſanctæ Deiparæ in Blachernis ſint tantum Presbyteri duodecim; Diaconi Mares octodecim, fœminæ ſex, Subdiaconi octo, &c. Idem dicendum de Diaconis, Subdiaconis, & reliquis Clericis pro ratione miniſterii ſui quod de Presbyteris demonſtravimus. Diaconi autem tunc in eo ſtatu perpetuo manebant, niſi creandi Presbyteri alicujus neceſſitas eum ad Presbyteratus dignitatem vocaret: Tum è Diaconis unus eligebatur qui alicujus Eccleſiæ neceſſitati juvandæ Presbyter ordinabatur. Eadem ratio Subdiaconorum, & reliquorum interiorum ordinum. Unuſquiſque in ordine ſuo miniſtrabat, nec ſuperior interioris miniſterium unquam niſi ingruente neceſſitate exercebat. Nec minus erat indecorum, Presbyterum extra neceſſitatem Diaconi miniſterio fungi, quàm nunc in Eccleſiis Cathedralibus & Collegialibus, Presbyterum Acolythi munus exercere. Aliquando ita puniebantur A Presbyteri ut miniſterio Sacerdotali privarentur, ſed honore & συνθρόνου fruerentur, ut videre eſt can. 1. Ancyrano, *Viſum eſt eos cathedræ quidem honoris eſſe participes, non licere autem ipſis offerre.*

XV. Plurima ſunt alia hujus antiqui moris teſtimonia quæ diligens Lector antiqua monumenta luſtrans adnotare poterit. Nonnulla alia quæ nobis occurrerunt, præcedentibus adjiciemus. Concilii Epheſini tom. 3. cap. 13. nonnullis Epiſcopis à Synodo excommunicatis crimini vertitur, quod audita Synodi ſententia ſimul aggregati Miſſam celebrarint. *Ubi primum enim ſe à nobis exauctoratos, atque excommunicatos reſciverunt, ſtatim una ſacris operati ſunt, & hactenus ſacris operari non deſinunt, &c.*

XVI. Concilii Chalcedonenſis act. 11. poſt medium, Baſſianus Epheſi Epiſcopus, ſed depoſitus, in quendam Stephanum in ſedem ſuam intruſum ſic loquitur, *Baſſianus Epiſcopus dixit, Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis mecum Miſſas celebrabat, mecum communicabat, & communicabat mihi tanquam Epiſcopo. Et ipſa die, qua recluſerunt me, ſimul communicavimus, & arripuit me, & incluſit me, &c.* Hoc modo etiam intelligendum eſt quod ſcribit Euagrius hiſtoriæ lib. 1. cap. 13. de Domno Epiſcopo Antiocheno, & Symeone Stylita, *Ubi venit ad Symeonem*, Domnus, *manſionem, & rationem vivendi admiratus, ea qua apud illum ſecretiora erant, cognoſcere valde cupiebat. Ambo igitur ſimul ingrediuntur, & puro Chriſti corpore conſecrato, vitalem inter ſe mutuo participant communionem.* Ambo unam Miſſam celebrant, & eidem ſacrificio participant. Sic quoque quod S. Athanaſius Apologia 2. pro fuga ſua contra Arianos longe ante medium, Iſchyræ exprobrat, eum *nunquam ut Presbyterum decet Synaxim cum aliis feciſſe μὴ ὃ ἐννυχθῆναι αὐτὸν ποτε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οἷς πρεσβύτερον.*

XVII. In Concilio ſexto actione 14. verſus finem hæc habentur, *Conſtantinus Deo amabilis Presbyter, & Grammaticus Latinus dixit: Scio Domine temporibus Pauli quondam Patriarchæ veniſſe Fortunium, qui fuit Epiſcopus Carthaginenſis, & cum Miſſas altaris eſſet in ſancta magna Dei Eccleſia, quæſitum eſt quomodo ſedere debuiſſet, utrumne ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an poſt eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in Bibliotheca Patriarchii librum quinti Concilii, ut cognoſceret quomodo ſedere debuiſſent, contigit ut inveniretur & Latinus liber ejuſdem Concilii. Et exinde inſtructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter ſedere.* Vides plures Epiſcopos eandem Miſſam celebrare, & in Synodo omnes conſidere. Ita jubet Concilium Arelat. 1. c. 20. ut Peregrino Epiſcopo locus ſacrificandi detur, & Carthagin. 4. cap. 33. Apoſtol. 33. qui juxta hunc ſenſum intelligendi ſunt, ſcilicet locus illi cum aliis ſacrificandi concedatur: hoc eſt, cum Epiſcopis & Presbyteris ad communionem admitti.

XVIII. In relatione Remenſium Clericorum de Ebbonis ad ſedem Remenſem reſtitutione apud Flodoardum. *His ita peractis,*

iterum

iterum reboantibus signis, & vociferante omni Ecclesia, Te Deum laudamus, ductus est Ebbo Episcopus in vestiarium, & indutus Episcopalibus vestimentis, similiter etiam alii Episcopi, & processerunt cum eo ad celebrationem Missæ. Nam Rotadus Episcopus dextra manu eum sustentans, habuit suæ partis Lupum Catalaunensis Ecclesiæ Episcopum, & Hirminfredum Presbyterum, postea Belnacensis Ecclesiæ Episcopum: Sinistra autem manu sustentans eum Simeon Episcopus, similiter suæ partis habuit Erpuinum Episcopum, & Vitaum Cameracensis Ecclesiæ Chorepiscopum. Et sic ad sanctum altare cum eo procedentes ad propriam sedem eum deduxerunt; atque cum eo consedentes in omni Pontificali officio ipsa die ei communicaverunt. En sacrificat Ebbo sedi suæ restitutus cum quatuor Episcopis, uno Chorepiscopo, & uno Presbytero, Diaconorum & inferiorum Ministrorum turba non adnumerata.

XIX. In Epistola Joan. 8. ad Photium in fine octavæ Synodi Græcæ, *Quod autem dicitur sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam in te convenire, teque Ecclesiam illam viduatam recepisse, Missosque nostros noluisse tecum consacrificare, συλλειτουργεῖν scil. De consensu gratias Deo agimus: Sed Missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, eo quod nondum certo nobis cognitum erat quo in statu esset thronus ille.* Et Epistola sequente ad eundem Photium: *Præterea continebant litteræ pietatis vestræ, Apocrisiarios nostros noluisse statim una tecum ad Missarum solemnia convenire: quod actidisse dicimus propterea quod præter mandata nostra quicquam agere iis non permiseramus.* Una & eadem opera habes testimonium Ecclesiæ Græcæ & Latinæ; Tunc enim nullum erat inter eas hac in causa discrimen.

XX. Denique ad hujus rei demonstrationem nihil clarius legi & proferri potest quàm quatuor prima capita ordinis Romani in Bibliothecis Patrum sæpius editi, quibus sigillatim repræsentantur ceremoniæ in Missa Pontificis & aliorum Episcoporum ante septingentos saltem annos usitatæ. Pontifex Missas solemnes variis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, aliisque Ministris comitatus celebrabat, eosque magna ex parte sacrificio peracto Pontifex sacra Corporis & Sanguinis Christi communione donabat, cæteros concelebrantes Episcopi. Initio capitis primi. *Acolythi cum Defensoribus primum, deinde Presbyteri cum suis petita benedictione, divisi hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam.* Aliquantum postea. *Et Pontifex a sæpe dictis Presbyteris in superiorem ducendus est gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco figendus est gressus usquequo Presbyteri primum; Et tunc duo, & duo Diacons altaris cornua osculentur.* Iterum paulo post, *Subdiaconus verò qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem Presbyteros residentes, ascendit in Ambonem ut legat, &c.* Deinde lecto Euangelio, *Tunc surgens Pontifex a sede, &c. Suscipit oblatas de manu Presbyterorum & Diaconorum quibus licitum est accedere ad altare.* Consecratione facta, & pace data; *Tunc Acolythi vadunt dextra lævaque post Episcopos circa altare, reliqui descendunt ad Presbyteros, ut frangant Hostias, &c. Accedunt primum Episcopi ad sedem, ut communicent de manu Pontificis secundum ordinem. Sed & Presbyteri omnes ascendunt ut communicent ad altare; &c. Postea Episcopi communicant populum, annuente Pontifice, & post eos Diaconi confirmant. Presbyteri autem jussu Pontificis communicant populum; & ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut Pontifex cœperit communicare populum in Senatorio, statim schola incipit antiphonam ad communionem; & psallunt usque dum communicato omni populo; etiam in parte mulierum, redit in sedem, & repetito versu quiescunt.* Illa autem phrasis, post Episcopos, vel Presbyteros Diaconi confirmant, significat Calicem populo præbent, postquam Corpus Domini distributum est. Tandem in fine ritus dicitur, *Descendente autem illo Pontifice, in Presbyterium, Episcopi primum dicunt; Jube Domine.* Resp. *Benedicat vos Dominus. Amen. Post Episcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde de Schola, deinde omnes Processores, & Mansionarii, & intrat in Secretarium.*

XXI. Idem demonstrant tria quæ sequuntur capita, quorum longum esset referre testimonia hoc probantia. Ex uno quoque capite unicum testimonium exscribam quod communionis ordinem explicat, In secundo capite cui titulus; *Ordo Processionis, Si quando Episcopus Festivis diebus Missam celebrare voluerit, sicut ab antiquis Patribus Occidentalium institutione est constitutus,* sic habetur, *Presbyteri verò & Diaconi osculando Episcopum Corpus Christi ab eo manibus accipiant in sinistra parte altaris communicaturi; Subdiaconi autem osculando manum Episcopi ore accipiant Corpus Christi ab eo. Postquam vero Diaconi in sinistro cornu altaris de Sanguine Christi communicarunt, venientes Subdiaconi ordinatim, accipiant Sanguinem Christi ab Archidiacono, manus ejus osculantes.* Eadem leguntur iisdem prorsus verbis in antiquo plusquam septingentorum annorum codice, sub eodem titulo. In tertio vero capite ita statuitur, *Accedunt primum Episcopi ad sedem, ut communicent de manu Pontificis secundum ordinem: similiter Presbyteri, ut communicent post eos. Episcopus autem primus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & stat in cornu altaris, ut confirmet sequentes ordines, usque ad primicerium Defensorum, &c. Post hæc Episcopi communicant populum, annuente eis Primicerio cum manu sua Planeta percontato Pontifice.* Post *eos Diaconi confirmant, &c. Presbyteri autem annuente Primicerio, jussu Pontificis communicant populum.* Et in fine quarti capitis quod inscribitur, *Qualiter celebrandum sit officium Missæ,* hæc habentur præcedentibus similia, *Accedunt primum Episcopi secundum ordinem ac manu Pontificis communicare, & post eos ascendunt Presbyteri omnes, ut communicent ad altare. Cum autem communicaverit Archidiaconus, Calicem interea tenet primus Episcopus. Sicut enim in Romana Ecclesia summo Pontifici ministrant Episcopi; sic in cæteris Ecclesiis debent Episcopis facere Presbyteri, &c.*

XXII. Hic est antiquus usus totius Ecclesiæ Catholicæ Græcæ & Latinæ ubi plures erant Presbyteri, vel cum plures convenerant Episcopi & Presbyteri, quod potissimum contingebat in Majoribus festis. Tum enim, ut populus tenebatur sacrum audire, & communione refici Corporis Christi; ita Clerici, quisque pro gradus sui mensura, in Missa ministrare &

eadem communione paſci tenebantur: Presbyteri celebrare, Diaconi in altari Presbyteris inſervire, Subdiaconi, Acolythi, &c. aliis miniſteriis fungi. Ideo ut hoc ſolemniter facerent, omnes diebus Feſtivis, præſertim ſolemnibus, ſimul conveniebant, & Miſſam ſimul omnes celebrabant, ut ex antiquo more ſigillatim quatuor primis Ordinis Romani capitibus deſcribitur. Communis illa Miſſæ celebratio, quæ omnium Clericorum miniſtrantium communioni ſemper conjungebatur, erat propriè & κατ' ἐξοχὴν Communio Eccleſiaſtica ab antiquis Patribus tantopere celebrata, qua Clerici variis gradibus pro criminis perpetrati gravitate privabantur, quaque totaliter privati ad conditionem Laicam redigebantur, atque ut Laici ab Eccleſia excipiebantur. Antiqui iſtius moris deſuetudo, & ex deſuetudine ignoratio, occaſionem dedit nonnullis Scriptoribus in ipſum debacchandi, aliis aſſerentibus omnino tollendum eſſe, aliis periculoſum admodum, aliis negantibus aliquando ab Eccleſia uſurpatum fuiſſe, & alio torquentibus quæ ſuperſunt illius veſtigia. In ejuſmodi abſurda præcipites agi neceſſe eſt quotquot de ritibus Eccleſiæ inconſultis antiquis monumentis ex ſolo capitis ſui genio diſputant. Nonnulli adeo ſunt propoſiti tenaces ut de antiqua conſuetudine moniti & convicti, eam negare cum non poſſint, malunt omnia ſurſum deorſum miſcere, quàm eam præſentibus ceremoniis non accommodare, ita ut ſi ipſis credas, nihil unquam in Eccleſia factum fuerit neque fieri potuerit, niſi quod in ea quotidie fieri videmus. Eorum conſilium probo & laudo; factum, niſi res id vehementer poſtulet, laudare non poſſum. Eccleſiaſticæ ceremoniæ æternæ non ſunt. Variis de cauſis immutari poſſunt, atque etiam ſola temporis viciſſitudine antiquari. Nullum inde fidei periculum imminet. Fruſtra ſudat, & cum larvis acerrimè luctatur, qui ut ejuſmodi periculum avertat, hæret anxius & ſolicitus.

CAP. II.

De antiquo uſu Hoſtiæ conſecratæ Epiſcopis & Presbyteris poſt ordinationem apud Latinos datæ, per 40. dies deguſtandæ & conſumendæ. Quæ hujus ritus cauſa, quando cœpit, & deſiit. De ritu Græcorum, qui ſancti panis particulam Ordinatio Presbytero tradunt, reddendam Pontifici tempore communionis. Hujus ritus ratio, varietas in illius exercitio. Quare ordinis materia eſſe non poteſt. Quando apud eos cœpit. Presbyter recens Ordinatus jubetur ſeptem dies continuos celebrare.

I. ANtequam iis quæ ſpectant ordinem Presbyteratus finem imponamus, duo nobis examinanda ſunt, quæ in antiquis noſtris Ritualibus extraordinaria videri poſſunt. Prius occurrit in ritualibus Latinis, poſterius in Græcis. Epiſcopo Latino poſt conſecrationem ſuam, cum in Miſſa ad communicationem perventum eſt, Hoſtiam integram dat Pontifex conſecratur, de qua tum aliquid conſecratus deguſtat; reliquum verò ſibi conſervat, ut quotidie quadraginta dierum ſpatio paulatim illud reverenter conſumat. Ordo Romanus editus ita hoc enuntiat in fine ordinationis Epiſcopalis, *Cum autem venerit ad communicandum, Dominus Pontifex porrigit ei formatam atque ſacratam oblationem integram: Suſcipienſque eam Epiſcopus, ipſe ex ea communicet ſuper altare: quod vero reſiduum fuerit, ſibi reſervet denuo ad communicandum unoquoque die uſque quadraginta dies expletos. Et poſtmodum juſſus à Domino Pontifice, communicat populum cum cæteris Epiſcopis.* Antiquus Conſtantini Abbatis codex ante annos ſeptingentos ſcriptus eadem habet & iiſdem verbis. Alter codex Rotomagenſis ante annos ſaltem quadringentos ſupra quinquaginta ſcriptus, & alter Rhemenſis ſed junior, eundem ritum præcipiunt. Moguntinus unus triginta tantum dies præſcribit. Flaccus Alcuinus de divinis Officiis capite, *Qualiter Epiſcopus ordinetur de Eccleſia Romana.* eandem ceremoniam ut ſuo tempore uſitatam cæteris adnumerat.

II. S. Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis qui ſcribebat paulo poſt annum Chriſti milleſimum Epiſt. 2. ad Finardum teſtimonium perhibet huic ritui ut antiquo, & ab omnibus Epiſcopis, Comprovincialibus ſuis, uſurpato: *Noſtri enim Epiſcopi Provinciales in hujuſmodi ritum omnes conſentiunt.* Duo etiam docet hac in cauſa quæ Rituales prætermittunt. Prius, ſacram illam Hoſtiam quadraginta diebus conſumendam non ſolum datam fuiſſe Epiſcopis in eorum conſecratione, ſed etiam Presbyteris. Poſterius, ſacræ illius Hoſtiæ conſumptionem Epiſcopos & Presbyteros inter Miſſarum ſolemnia quæ celebrabant, perfeciſſe, hoc eſt, ſingulis illi quadraginta diebus Miſſam celebraſſe & præter Hoſtiam quam conſecrabant & conſumebant, aliquid inſuper de Hoſtia ab Epiſcopo data deguſtaſſe, donec, 40. die tota conſumeretur. Hujus rei occaſione hanc hiſtoriam refert. *Porro noſtro tempore quidam inter cæteros ad Sacerdotalem gradum admiſſus, Hoſtiam quoque ſicut & alii de manu Epiſcopi ſuſcepit, quam in pergameno in hos uſus parato involutam quotidiana celebratione ſolvebat, & portiunculam parvam juxta inſtantium dierum numerum computatam ſumebat. Accidit vero ut quadam die expletis myſteriis, dum veſtimenta cum ſyndone altaris incantus colligeret, immemor Hoſtiæ ſacræ, diligentiam nequaquam adhibens, theſaurum cœleſtem infelix amitteret. Veniens ad diverſorium, quæque neceſſaria curat; tranſigitur dies in craſtinum. Repetita celebratione frater ille inſtante hora communicandi, Hoſtiam ſanctam non inveniens, turbatus nimium & conſternatus, ſurſum deorſum curſitans, nec etiam ſignum aliquod invenire potuit. Audiens Epiſc. ex negligentia fratris ortum periculum, omnibus in commune fratribus unius reatum pœnitendum inſtituit. Ipſum verò fratrem arctioris pœnitentiæ diſciplina corrigendum propoſuit.*

III. Ex iſta Fulberti narratione colliguntur præcipuæ circumſtantiæ in ritu iſto obſerva-

tæ

tæ quas rituales non explicant. Hujus hiſtoriæ occaſione petiit Fulbertus ab illo Epiſcopo cujus mentionem fecit, an non ſatis eſſet, ut indiligentiæ iſtius periculum vitaretur, duobus aut tribus tantum diebus Hoſtiam illam ſacram conſervare, ita ut ſecundo vel tertio die tota conſumeretur, *præſertim cum ipſe noſſet rariſſimos hujus ordinis viros eſſe, qui in hac re pervigilem curam adhiberent.* Fulbertum increpavit Epiſcopus, eumque docuit ſatis non fuiſſe diſcipulis poſt reſurrectionem ſemel aut bis Chriſtum vidiſſe, ſed neceſſe fuiſſe ut *per quadragenos dies complaciti horis glorificati corporis revelata ſpecie eos tanquam panis cœleſtis ſuavitate refoceret.* Itaque ex iſtorum Præſulum mente recens ordinatus 40. diebus Hoſtiam illam ſacratam conſervat, ut hoc modo repræſententur 40 dies quibus Dominus noſter poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis conſervatus eſt, eoſque præſentia ſua corroboravit; quaſi recens ordinatum præſentia ſua ſimiliter hac quadraginta dierum communione ſit corroboraturus. Deinde ait hanc actionem providentiæ Dei erga populum Iſraëliticum eſſe imaginem: Deum dediſſe, 70. Senioribus de Spiritu Moſis, cujus participatione populum, 40. annis in deſerto rexerunt, & toto illo tempore pluit illis manna de cœlo. Ita poſtquam Presbyteri recens ordinati chariſmata Spiritus ſuſceperunt, quadraginta diebus manna cœleſti, & pane vitæ ſuſtentantur. Iſta pluribus eodem loco Fulbertus.

IV. Nihilominus ritus ille non eſt admodum antiquus. Omnes enim antiquiſſimi noſtri Rituales illum non habent. Ratoldi Sacramentarium licet amplè exhibeat nobis Epiſcopi conſecrationem, hunc ritum nihilominus non commemorat; Eſt tamen antiquorum recentiſſimum circa annum à Chriſto nato 960 ſcriptum: Huic æqualis aut etiam ſuperior eſt Conſtantini Cajetani codex, qui iſtum ritum cæteris adſcripſit. Multo majorem iſtius ritus antiquitatem arguit Alcuinus, ſi modo caput illud apud Alcuinum non irrepſit. Tempore etiam Fulberti nondum pervaſerat omnem Galliam: Nam Finardus ad quem ſcribit Fulbertus recens creatus Sacerdos, miratur quod data fuerit illi ejuſmodi Hoſtia 40. diebus continuis paulatim deguſtanda, ab eoque cauſam iſtius ritus ut extraordinarii ſciſcitatur. In regionibus Galliæ unde oriundus erat non meminerat eum obſervari Ideo hinc occaſionem capit Fulbertus de variis Eccleſiarum conſuetudinibus in unitatem tamen fidei conſpirantibus diſſerendi Itaque his omnibus conſideratis videtur hic ritus ante octingentos & quinquaginta annos alicubi in Italia cœpiſſe, ne irreptitium dicamus illud ex Alcuino teſtimonium; deinde Galliam pervaſiſſe, magnamque illius partem poſt annum à Chriſto nongenteſimum penetraſſe. Anno enim milleſimo erat in Gallia & Italia frequentiſſimus, ut ex Fulberto & illius temporis ritualibus colligitur. Tandem ab annis circiter quadringentis & quinquaginta ob varia quæ inde oriebantur incommoda, in deſuetudinem paulatim deveniſſe, & penitus extinctum eſſe. Præterierunt enim nonnulla ſecula, cum ritus iſte prorſus obſolevit.

V. Poſterior ritus apud Græcos occurrit, nec immerito, non ſecus ac prior, videri poteſt inſolens. Deprehenditur in Euchologiis editis ad finem ordinationis Presbyteri, & in hunc modum ibidem explicatur. Poſtquam conſecratio facta eſt, cum dicturus eſt Pontifex illa verba, *Ita ut ſint participantibus; accedit Ordinatus, cui præbet Pontifex ſanctum panem, hoc eſt, particulam panis conſecrati, ſic dicens, Accipe depoſitum hoc, & ſerva illud usque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando debet abs te illud repetere. Is vero accepto ſancto pane deoſculatur manum Pontificis, & recedit ad locum ubi prius erat, imponens manum ſuper ſacram Menſam. Cum vero Pontifex dicturus eſt, Sancta ſanctis, tunc conſecratus reſtituit ſanctum panem Pontifici, & primus inter alios Presbyteros communicat.* Eadem habet ex antiquis noſtris codicibus codex Allatianus. Idem ritus vigebat tempore Symeonis Theſſalonicenſis: illum enim recenſet in ordinatione Presbyteri & explicat. *Cum autem Epiſcopus ſignaverit, & conſummaverit dona invocatione divini Spiritus, tunc advocatur iterum Ordinatus: Et Epiſcopus accipiens dextera manu ſecundum panem integrum ſanctificatum ei tradit, palmas in modum crucis componenti in divinæ paſſionis demonſtrationem; atque etiam ex eo quod in palmis vulneratus eſt, pro nobis crucifixus, eique dicit, Accipe hoc depoſitum, illudque cuſtodi usque ad adventum Domini cum a te illud requiſiturus eſt.* Cætera in hanc rem ſupra in ipſius textu proſtant.

VI. Tria in hoc ritu Lectorem notare velim. Primum, ſanctum Dionyſium & Clementem eum prorſus præterire, nec illius circumſtantiæ quæ cum eo cohæreat, mentionem facere. Secundum, antiquos noſtros rituales omnes uno Allatiano excepto qui recentior eſt, repræſentare panis illius traditionem ante conſecrationem, cum edicit Diaconus, *Compleamus preces noſtras Domino*, & ſancta dona deteguntur, hoc eſt, ut Latinorum more loquar, cum primum Miſſæ canon incipitur; ac proinde panis ille Ordinato traditus ſecundum antiquos illos rituales nondum eſt ſanctificatus. Hanc antiquam conſuetudinem adhuc obſervant Rutheni, ut teſtatur Arcudius lib. 6. cap. 3. Tertium eſt, omnes noſtros antiquos rituales, uno excepto qui recentior eſt, illorum verborum, *Accipe hoc depoſitum, &c.* quæ ſecundum recentiores Græcos dici ſolent cum Ordinato traditur panis ille, mentionem non facere. Itaque certum eſt cum primum ille ritus introductus eſt, nihil fuiſſe in traditione illa ab Epiſcopo pronuntiatum. Unde patet ridiculam eſſe illius ſententiam qui Ordinationis Presbyteralis ſecundum Græcos materiam in ea traditione vult contineri. Deinde Euchologia, Barberinum, & Cryptæ Ferratæ quæ ſunt omnium antiquiſſima, diſertè dicunt panem illum dari χειροτονηθέντι, Ordinato. Præterea ſeries Ordinationis id demonſtrat: Poſtquam enim omnia quæ requirit. Sanct. Dionyſius peracta ſunt, ſtola ſuper utrumque humerum compoſita, à Presbyteris ut ipſorum Collega ſalutatus eſt, & in Presbyterorum συνεδρίου ab

Epiſcopo collocatus, traditur illi cum ſilentio panis ad conſecrandum. Iſtius ceremoniæ novitas, origo, & progreſſus ex dictis evidenter colliguntur.

VII. In ritus iſtius deſcriptione nonnulli codices quaſdam minutas circumſtantias addunt, quas alii omittunt. Verum facilè conciliari poſſunt, cum unus alio diligentius ea referat. Symeon Theſſalonicenſis videtur aliquid ſpeciale dicere. Dum enim alii dicunt Epiſcopum panis μερίδα particulam è diſco ſupra ſacram Menſam poſito deſumere, & Ordinato tradere; ille ait ſecundum panem integrum è menſa ſumere, & tradere. Nihil tamen inde conſequi video niſi ritus varietatem, Latino mori conformiorem. A Latinis enim tradebatur Ordinato oblata integra. Antiqui Rituales excepto antiquiſſimo, & recentiore, nec non & edito qui hanc admonitionem prætereunt, adnotant Ordinatum ſeptem diebus continuis ad Miſſæ ſacrificium celebrandum obligari. Hujus obſervationis rationes nonnullas affert Symeon Theſſalonicenſis. Conveniunt aliqua ratione cum Latinis qui quadraginta diebus continuis poſt ordinationem id fieri præcipiebant.

EXERCITATIO IX.

DE DIACONATU, EJUS MATERIA, forma, & officiis.

CAPUT I.

Quatuor de materia Diaconatus Theologorum ſententiæ recenſentur. Multis argumentis demonſtratur Euangelii traditionem in ordinatione Diaconi eſſe recentem. Verba quibus traditur multis modis variaſſe. Indicatur tempus quo Romanus ordo ſcriptus fuit. Traditio ſtolæ Diacono in Occidente & Oriente antiquiſſima. In multis locis inferiores Miniſtri Euangelium legebant. Id Romæ aliquando fieri ſolebat. Primitus Euangelium in Miſſa non legebatur. Solemnis Euangelii lectio in Miſſa per Diaconum multis locis antiquiſſima. Quamobrem hoc factum. Nonnullis id fiebat per Archidiaconum.

I. Dicturi nunc de Diaconatu tria breviter inquiremus, de ejus materia, de forma, deque Diaconi officiis: Cætera mihi videntur in vado; ſed de iſtis nimboſi turbines in ſcholis concitari ſolent. Diaconatum ordinem eſſe, & characterem imprimere aſſumimus. Nam cum Sacerdotium characterem imprimat, idem mihi videtur neceſſitate quadam ſaltem de Diaconatu inferendum. Sacerdos enim ſine Diacono ſive Miniſtro concipi non poteſt: Ideo relatio qua Sacerdos fertur in ſacrificium, in Diaconum neceſſario redundat. Diacono igitur ſemel & neceſſario propter ſacrificium & Sacerdotem conſtituto multa alia tribuuntur in quibus præter ſacrificium Eccleſiæ miniſtrat, de quibus poſtea. In Diaconi ab Epiſcopo creatione duo potiſſimum concurrere, & conſiderari ſolent, quæ his nominibus à Scholaſticis vocantur, materia & forma. De utraque ſeparatim.

II. Quatuor colligi poſſunt de materia Diaconatus Scholaſticorum ſententiæ. Prima eſt eorum qui ſolam manuum impoſitionem cenſent eſſe iſtius ordinis materiam, quales videntur S. Bonaventura in 4. diſt. 24. 1. part. art. 1. q. 4. Durandus ibidem q. 3. n. 7. & 8. Scotus in eandem diſt. q. 1. Roſſenſis in libro contra captivitatem Babylonicam c. 22. §. 7. & de Sacerdotio contra Lutherum axiom. 9. Arcudius lib. 6. c. 4. Becanus eandem ſententiam amplectitur de Sacramento Ordinis cap. 26. q. 4. cum ait materiam verè eſſentialem eſſe manuum impoſitionem, accidentalem autem, inſtrumentorum porrectionem. Secunda ſententia eorum eſt qui multa alia cum manuum impoſitione requirunt, ut Michaël Medina lib. 1. de continentia c. 39. qui ſtolam, Dalmaticam, & Euangelii traditionem materiam Diaconatus ſtatuit. Sichardus Cremonenſis Epiſcopus lib. 2. de inſtitutis Eccleſiæ c. 2. explicata neceſſitate impoſitionis manuum, ſubjicit, *Poſtea dat ei ſtolam ſuper humerum ſiniſtrum Epiſcopus, dicens, Accipe ſtolam candidatam de manu Domini, &c. Et poſtea ut intelligat ſe eſſe Chriſti præconem, tradat Euangelium dicens, Accipe poteſtatem legendi Euangelium tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini. Hæc res igitur, & hæc verba ſunt hujus Sacramenti ſubſtantia. Dalmatica verò ſi cui datur, ſolemnitatis eſt, & non ſubſtantiæ.* Similiter Paulus Iadrenſis

ſis Archiepiſcopus in theſauro Pontificum qui Toloſæ in Collegio Fuxenſi aſſervatur manuſcriptus, *Diaconus cum ordinatur, traditur ſub certis verbis ſtola, & codex Euangelii, quæ rei & verba ſunt hujus Sacramenti ſubſtantia: cætera ſunt de ſolemnitate.*

III. Tertia ſententia manuum impoſitioni ſolam addit libri Euangeliorum traditionem. Ita ſentiunt Sanct. Thomas q. 37. art. 5. ad quintum, & q. 38. art. 1. ad. 1. nec contradicit in 4. diſt. 24. q. 2. art. 3. licet enim ibi occaſione data ſcribat characterem imprimi in libri Euangeliorum traditione, nihil tamen addit quo manuum impoſitionem excludat, licet pleriſque alius ſit ſenſus. Cardinalis Hoſius in Confeſſione Cathol. c. 52. Cardin. Bellarmin. de Sacramento Ordinis, c. 9. Petrus à Soto de Sacramento Ord. lectione 5. Ledeſmius in 4. diſt. 26. art. 4. ad. 1. Franciſcus Hallerius de ſacris Ordinat. ubi de materia & forma Ordin. §. 15. Iſambertus de Sacramento Ordinis diſp. 3. art. 3. Franciſcus Sylvius in 3. part. q. 37. art. 2. quæſito 3. Henriquez Summæ l. 10. c. 8. Koning diſp. 20. de Sacram. Ordinis dubio 7. concl. 3. Laymannus Theolog. Moralis lib. 5. tract. 9. c. 5. n. 2. Filliucius tom. 1. tract. 9. c. 2. n. 44. Diana utramque ſententiam cenſet probabilem tractatu 4. de Sacramentis reſolut. 188. Eſtius in 4. diſt. 24. §. 16. & 24. Puteanus quæſt. unica de Sacram. Ordinis dub. 5. Gammachæus de Sacram. Ordinis c. 4. concluſ. 1. 2.

IV. Quarta ſententia à materia Diaconatus omnia excludit præter Euangelii traditionem, etiam manuum impoſitionem. Ita Richardus in 4. diſt. 24. art. 4. q. 3. Summa Aſtenſis lib. 6. tit. 5. art. 6. Sylveſter Ordo. 2. n. 3. Ruard. Tapperus art. 17. in Luther. Paludan. diſt. 24. q. 2. art. 8. n. 15. & ſequentibus. Major in eandem diſt. q. 1. circa medium Viguierius in inſtit. c. 16. §. 6. verſ. 1. Dominicus Soto ibid. q. 1. art. 3. §. *Per quam tamen.* Gregor. de Valentia diſput. 9. q. 1. de Sacramento Ordinis, puncto 5. Ludovicus Meratius tract. de Ordine diſp. 6. ſectione 1. tom. 3. in Summam Sancti Thomæ. Vaſquez in 3. part. diſp. 236. c. 7. num. 85. & diſp. 238. c. 4. num. 35. 36. Recentiores nonnulli eandem ſententiam adeo mordicus amplectuntur ut licet ratiunculis nemini non notis nitantur, temeritatis tamen & erroris notam contrarium ſentientibus inuri velint.

IV. Poſtrema hæc à vero longiſſimè aberrat; nihil enim aſſignat pro materia quod ad eam ullo modo pertineat. Neceſſarium nobis non videtur in unamquamque agere ſpecialibus argumentis, cum præcipua quæ nobis occurrunt tres poſteriores qua manuum impoſitioni aliquid addunt, ex æquo refellant. Antiqui omnes Rituales nongentorum annorum ſpatio ſcripti nec Dalmaticæ, nec traditionis Euangeliorum mentionem faciunt. Vix ſexcenti ſunt anni cum in Ordinatione Diaconi Euangelium tradi cœptum eſt. Excipiendum eſt ſolum Sacramentarium Anglicanum quod annorum videtur octingentorum, & illam traditionem habet cum formula ſpeciali, *Poſtea tradat ei Epiſcopus ſanctum Euangelium, dicens, Accipe iſtud volumen Euangelii, lege & intellige, & alios trade, & tu opere adimple.* In codice Bellovacenſi poſteriore, qui annorum eſt quingentorum & aliquot, non aderat hæc traditio ſed in extrema margine addita erat cum formula, & à præcedente, & ab hodierna differente, in hunc modum, *Tunc porrigit Epiſcopus eis textum Euangelii, ita dicens, Accipite licentiam legendi Euangelium in Eccleſia Dei.* Alter codex Rhemenſis, ſed qui nunc pertinet ad Eccleſiam Rotomagenſem ætatis annorum circiter 450. repræſentabat illam traditionem, ſed poſt benedictionem, & cum formula præcedente, *Tunc det illis textum Euangeliorum, dicens, Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei.* Verum poſt hæc verba, *Eccleſia Dei* nota erat remittens ad marginem, in qua alio atramento, & ſcriptura recenti ſcriptum erat, *tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.* Quibus verbis hodierna formula completur.

V. In duobus codicibus ſexcentorum annorum reperitur hæc traditio cum hodierna formula. Priorem citat Hugo Maynardus, & Tilianum à Poſſeſſore vocat, qui regnante Henrico primo Francorum Rege ſcriptus eſt. Poſterior eſt Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus, cujus ſcriptio, ut ſæpius diximus, vix ad ætatem illam pertingit. Id ex fine non inevidenter conſtat: Ibi enim eſt ordo ad armandum & benedicendum Eccleſiæ Defenſorem, ſive militem. Poſt enim illam ætatem dictio *Militi* invaluit non pro gregario aliquo milite, ſed pro viro nobili, quem poſtea Equitem dixerunt: Autores quoque qui poſt annum milleſimum vixerunt, paſſim viros fortes, & nobiliſſimos, milites ſimpliciter vocaverunt. Autor igitur illius libri qui ſub nomine Ordinis Romani edi ſolet, collegit librum ſuum citra tempus adnotatum non modo ex antiquis & recentioribus Sacramentariis & Officiorum ordinibus Romanis, verumetiam ex aliarum diœceſeon & populorum moribus, ut ipſe titulo præpoſito, aut adnotatione facta prudenter admonuit; ut in ipſo libri initio, in Epiſcopi conſecratione, in Eccleſiæ dedicatione, in Regum unctione, in nocte Paraſceves, & pleriſque aliis locis videre eſt. Nec negotium faceſſere debet, quod Amalarius & Alcuinus aliquando ex Ordine Romano nonnulla referant quæ in iſto ſecundum verba ipſa deprehenduntur. Nam poſteriores Sacramentariorum Collectores non componunt marte ſuo Sacramentaria, ſed exſcribunt: Cumque aliquid addunt, id verbis ſuis non exprimunt, ſed ut expreſſa vident, tranſcribunt. Autor igitur ille duplicem dedit ordines Majores conferendi formam, priorem antiquiorem & compendioſam: Poſteriorem diffuſiorem & recentiorem. In priore & compendioſiore de Euangelii Diacono traditione nihil prorſus dixit: In poſteriore illam expreſſit.

VI. Itaque manifeſtum eſt ad Diaconatus materiam nullo modo pertinuiſſe Euangelii traditionem cum Eccleſiæ magna pars eam nunquam uſurpaverit, nec etiam nunc uſurpet; & pars altera nongentorum annorum

ſpatio eam nunquam uſurpaverit: Et poſt illud tempus nonnullæ Eccleſiæ ſub formulis variis eam amplexæ fuerint, tandemque ſero in unam & eandem formulam conſpiraverint. Quod de Euangelii traditione dictum eſt, multo magis de Dalmatica dicendum. Traditio enim iſtius veſtis multo eſt traditione Euangelii recentior. Sed traditionis ſtolæ ratio eſt peculiaris. Illius enim in ordinatione Diaconi mentionem faciunt omnes antiqui rituales, Græci & Latini, omnes prope autores Latini & Græci qui de his rebus ſcribunt. Nonnulla tamen argumenta referemus quæ ſtolam non ſecus ac alia eximunt.

VII. Secundo Traditionis Euangelii non meminerunt antiqui autores qui de Ordinibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt. Sanctus Iſidorus lib. 2. cap. 8 de divinis Officiis varia Diaconorum officia recenſet; nihil tamen quod ad Ordinationem pertineat aliud recenſet tam in hoc ordine quàm in aliis, niſi quod tradunt canones Carthaginenſes. Amalarius lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 11. & 12. evidenter Euangelii traditionem ab ordinatione Diaconi excludit, cum de Euangelii lectione facienda in Miſſa à Diacono ſcribit, *Primævo tempore Diaconus non legebat Euangelium quod nondum erat ſcriptum: Sed poſtquam ſtatutum eſt à Patribus noſtris, ut Diaconus legeret Euangelium, ſtatuerunt ut & Subdiaconus legeret Epiſtolam.* Non inde colligendum Euangelium Diacono in Ordinatione traditum, cum illud in Miſſa legere cœpit: Hoc enim teſte Amalario falſum eſt, nec ullam Euangelii traditionis dum Ordinationis Diaconicæ ceremoniasrecenſet, mentionem facit. Solum colligitur Euangelii traditionem ad materiam Diaconatus non pertinere, eo quod ex Amalarii ſententia non ſemper Diaconus illud in Miſſa legerit, ſed tantum cum Epiſtolæ lectio Subdiacono demandata eſt, quod tardè contigit. Deinde eodem loco diſertè negat Amalarius Epiſtolæ memoriam fieri in Subdiaconi Ordinatione, licet eam publicè in Eccleſia legat, *Miror qua de re ſumptus uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſimè legat lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex Miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex literis canonicis, neque ex nomine ſuo.* Et in fine cap. 12. *Additur unum miniſterium Diacono, id eſt, ut legat Euangelium, quod in primo tempore non legebatur.* Itaque ſi non legebat Euangelium, multò minus illi datum in Conſecratione videtur. Deinde dato quod legeret in Miſſa, non tamen inde ſequeretur illi in Conſecratione ſua traditum, ut de Subdiacono ſcribit Amalarius, & in Epiſcopi conſecratione ſimile quid ſervatur. Eadem inconſequentia aliis rationibus & exemplis demonſtrari poſſet. Iſtius quoque traditionis licet de ceremoniis Ordinationis Diaconicæ agant, non meminerunt Alcuinus, & Rabanus Maurus. Denique Durandi tempore ceremonia iſta nondum omnes Eccleſias pervaſerat. Teſtatur enim in 4. diſt. 24. q. 3. ſecundum antiquiſſimum Eccleſiæ Anicienſis cui præerat, Ordinarium, ſive Sacramentarium, Diacono in Ordinatione ſua Euangelium non fuiſſe traditum, ſeque hoc manu ſua addidiſſe Pontificali, ut poſtmodum Eccleſia Anicienſis aliis ſeſe conformaret.

VIII. Tertiò ex Concilio Carthaginenſi 4 manifeſtè id colligitur, eo modo quo in Presbyteri ordinatione jam dictum eſt. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manus ſuper caput illius imponit, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Unde eſt quod neceſſaria ad ordinationem Diaconi definire volentes, ſolius manuum impoſitionis mentionem faciunt, & quod eſt præ cæteris ſubſtantiale prætereunt? Unde eſt quod diligenter materias & formas Minorum ordinum, ut etiam nunc ſe habent, explicant & proſequuntur; Majorum verò & ſacrorum, ſi ipſis credere fas eſt, accidentaria tantum, & quæ pauci momenti ſunt, facileque poſſunt adeſſe & abeſſe commemorant? Unde eſt quod omnes rituales antiqui & recentiores in hunc uſque diem, iſta ut præcipua, maximè neceſſaria, & memorabilia initio cujuſque Ordinationis inſerunt, ſi in Majoribus ordinibus, quibus innititur totius Chriſtianiſmi fundamentum, ludiera tantum præcipiunt? Nullus eorum qui ſic cenſent, tam imprudentis & ſtultæ ſcriptionis accuſari vellet. Si cum præcedente canone comparatur canon ſequens, omnia inſtrumenta quæcunque ſint, evidenter excluduntur. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum: De manu vero Archidiaconi urceolum, cum aqua, & mantile, & manutergium.* Inſtrumenta illi dantur, quia manus impoſitionem non accipit. Igitur ſi manus impoſitionem acciperet, inſtrumenta illi non darentur. Ipſorum principium eſt, ad ordinationem faciendam duo hæc ſimul dari non debent. Cui unum datur, alterum dari non debet. Sed Diacono datur manus impoſitio: Nulla igitur inſtrumenta dari debent. Similiter ex S. Dionyſio præſertim, argumentari licet; In ordinationibus Presbyteri & Diaconi tam multas ceremonias, quæ leves videntur, commemorat. Unde eſt quod nullius inſtrumenti meminit?

IX. Quartò idem etiam evidenter colligitur ex Concilio Tolet. 4 c. 27. *Epiſcopus Presbyter aut Diaconus, ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, Orarium, annulum, & baculum. Si Presbyter Orarium, & Planetam. Si Diaconus, Orarium & Albam. Si Subdiaconus, Patenam & Calicem.* Diaconus depoſitus cum reſtituitur, Euangelium illi non datur, ergo in Ordinatione illud non acceperat. Non poteſt igitur illius ordinis eſſe materia. Id confirmatur ex eo quod fieri ſolitum fuit poſtquam Euangelium dari cœptum eſt. Primum enim quod in Diaconi degradatione amoveri præcipitur, eſt Euangeliorum liber cum hac verborum formula, *Amovemus a te poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, quia id non competit niſi digno.*

X. Quinto Diaconi apud multas gentes Euangelium non legebant. In Eccleſia Africana hoc officio fungebantur Lectores, ut conſtat ex Sanct. Cypriano Epiſt. 33. in qua de

Aure

Aureliano Confessore quem Lectorem ordinaverat, sic loquitur. *Merebatur talis Clerica ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora non de annis suis, sed de meritis æstimandus. Sed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat, quia nihil magis congruit voci quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare: Post vero sublimia quæ Christi Martyrium prolocuta sunt, Euangelium Christi legere unde Martyres fiunt, ad pulpitum post cataſtam venire.* Similiter loquitur Epistola sequente de Celerino Confessore quem ad Lectoratum & Euangelium legeret, evexerat. Hippone tamen tempore Sanct Augustini Diaconus hoc faciebat. Id suadent hæc verba sermone 4. de Sanct. Stephano, *Diaconus erat, Euangelia legebat, quæ legis vel audis & tu.* In Hispania eo munere fungebantur Subdiaconi ut constat ex can. 4. Concilii Toletani 1. *Subdiaconus defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios vel Lectores, ita ut Euangelium & Apostolum non legat.* Ne Euangelium & Apostolum legat ad Ostiarios vel Lectores hoc crimine perpetrato relegatur. Eodem sensu intelligendus canon secundus, *Placuit ut Pœnitentes non admittantur ad Clerum, nisi tantum si necessitas aut usus exegerit, & tunc inter Ostiarios deputentur, vel inter Lectores, ita ut Euangelia aut Apostolum non legant.*

XI. Nec ab hoc usu abhorret Romana consuetudo. Nam in Ordine Romano in Officio Feriæ 5. in Cœna Domini, *finitis Antiphonis Diaconus aut Lector, cui mandatum fuerit, imponat Euangelium secundum Joannem, quasi lectionem legens*, Imponere Euangelium huic autori est legere, ut sæpissimè in hoc opusculo. S. quoque Dionysius Ministris Diacono inferioribus Euangelii lectionem tribuit, non autem Diacono cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarchiæ, ἐξῆς ἡ ἀφὶ τ λειτουργῶν ἡ τ ἀναγνοφφων δίλτων ἀνάλυσις. *Deinceps à Ministris divinorum librorum lectio recitatur*, Hæc verba sic Pachymeres enarrat, ἐξῆς ἡ ἀφ' τ ἀναγνωσῶν. τύτυς γὰ λέγει λειτυργύς, τῶν θείων γεφφῶν, τῶν πεοφητικῶν, & ἀποσόλων, τὸ θεῖν ἐυαγγελίου ἡ ἀνάγνωσις ἦν. *Deinceps per Lectores, (hos enim vocat Ministros) sacrarum scripturarum, Prophetarum, Apostoli, divini Euangelii, lectio recitatur.* Sed ibidem disertè hoc testatur Dionysius. Scribit enim Pontificem psalmodiam incipere concinente toto Clero; postea per Ministros sacras Scripturas & Euangelium legi; deinde Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes foras mitti, solis in Ecclesia remanentibus fidelibus. His peractis, Ministrorum alios portis Ecclesiæ clausis adstare, alios aliquid aliud quod ad proprium ordinem pertinet, peragere, τύτυ ἡ τ λειτυργικῆς ἀφιερωσεως ἐκλεκτύς σὺν τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου τεθῆναι τὸν ἱερὸν ἄρτον. *Electos vero ministrantis ordinis sacrum panem cum Sacerdotibus super divinum altare proponere.* Per electos è Ministris Diaconos intelligit, quos sic ab aliis Ministris distinguere solet, ut paulò post eodem capite. Cum igitur eos qui Euangelium legunt Ministros simpliciter vocat, non Diaconos, sed Ministros Diaconis inferiores intelligit.

XII. Denique plerique autores & antiqui, asserunt Apostolos, & eorum successores Missam sine Epistola & Euangelio celebrasse eamque inchoasse ab his canonis verbis, *Hanc igitur oblationem, &c.* ita Alcuinus de divinis Officiis, capite *de celebratione Missæ.* Walfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 22. pauciora ex antiqua traditione tradit, *Quod nunc agimus*, inquit, *multiplici orationum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus, & commemoratione Passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter, &c. Et relatio Majorum est ita primis temporibus Missas fieri solitas sicut modo in Paraſceve Paschæ communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica, &c.* Similia testatur Amalarius lib. 4. de officiis Ecclesiasticis c. 20 & in proœmio lib 3. Sed ante hos omnes id asseruit Sanct. Gregorius Papa scribens ad Joannem Episcopum Syracusanum, quod etiam ex eo refert Amalarius l. 4. c. 26. & Joannes Diaconus l. 2. ipsius vitæ, *Orationem verò Dominicam idcirco mox post precem dicimus; quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis Hostiam consecrarent.* Multorum igitur annorum decursu Euangelium in sacrificii celebratione lectum non est. Cui fiet credibile Diaconum primum & necessarium sacrificii Ministrum, per illud instrumentum constitutum esse altaris Ministrum quod nec ad altare, nec ad sacrificium ullo modo pertinet?

XIII. His accedit quod postquam Euangelium in Missa legi constitutum est, imò postquam constitutum est lectionem illam à Diacono faciendam esse, lectio illa ad sacrificium non pertinere judicata est, & coram iis facta quibus nec sacrificio addere, nec illud videre licebat. Nota est distinctio inter Missam Catechumenorum, & Missam fidelium. Ad Missam Catechumenorum pertinet Euangelii lectio, cujus lectioni & prædicationi impuri omnes homines Ethnici, Judæi, peccatores publici, Catechumeni, Pœnitentes, Energumeni adesse possunt, & debent: At sacrificio, eorum nullus; omnes sedulò pelluntur, portæ illis occluduntur, neve ingrediantur, & illud videant, nedum participent, Diaconi præ cæteris diligenter invigilant. Qua ratione, quave analogia per illud creabitur Sacerdotis & sacrificii Minister, quod ad sacrificii celebrationem nullo modo pertinet?

XIV. Certum equidem est morem hunc solemnis lectionis Euangelii per Diaconum inter Missarum solemnia faciendæ ab antiquissimis temporibus in Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ multis locis invaluisse. S. Clemens lib. 2 Constitut. c. 57. postquam lectiones veteris Testamenti, & Apostolicas lectori tribuit, Euangelii lectionem disertè attribuit non Diacono soli, sed Diacono vel Presbytero. Sanct. quoque Hieronymus in Epistola ad Sabinianum, *Euangelium Christi quasi Diaconus lectitabat.* Videtur tum κυρίως Euangelii lectio ad Dia-

Diaconum pertinuiſſe. Concilium Vaſenſe II. A ſive III. anno 529. celebratum can. 2. *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homilias à Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni judicentur, Sanctorum Patrum expoſitiones publicè recitare?* Sanct. Gregorius l. 4. indict. 13. Epiſt. 44. in Synodo Romana, *Conſtituo ut in hac ſede ſacri altaris Miniſtri cantare non debeant, ſolumque Euangelica lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exolvant: Pſalmos verò ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, aut ſi neceſſitas fuerit, per Minores Ordines exhiberi.* Cantationem quam hic Diaconis prohibet B Gregorius, S. Iſidorus, & alii quos infra referemus, inter præcipua Diaconorum munera recenſent. Sic pro variis temporibus & gentium varietate variant iſtiuſmodi ritus. S. Iſidorus l. 2. c. 8. de divinis Officiis, poſtquam multa Diaconorum officia retulit, *Ipſi etiam ut aures habeamus ad Dominum clamant; ipſi quoque Euangelizant; ſine ipſis Sacerdos nomen habet, officium non habet.* Annales Metenſes anno 870. de Carlomanno Caroli-Calvi Regis filio, *Carlomannus cum eſſet parvulus, juſſu Patris attonſus, Clericus factus eſt. De hinc procedente tempore ad Diaconatus officium, quamvis invitus atque coactus in præſentia genitoris ordinatus eſt, legitque publice Euangelium, & Pontifici Miſſam celebranti juxta morem miniſtravit.* Alcuinus quoque loquitur de Euangelii ſolemni lectione per Diaconum facta, ut de re ſuo tempore conſueta, in libro de divinis Officiis, capite de Miſſæ celebratione. Amalarius ſimiliter locis jam citatis, Stephanus Æduenſis hoc miniſterium Diaconorum multis aliis conjungit c. 7. de Sacramento altaris, *Officium iſtorum eſt, præcentare ad orandum, movere genua ad flectendum, legere Euangelium. Horum etiam eſt Sacramenta Dominici corporis diſpenſare, menſam Dei adornare. Sacerdos autem de manu Diaconi debet accipere Calicem Domini cauſa vitandæ præſumptionis,* & poſt hos recentiores omnes.

XV. Ratio autem ſolemnis iſtius lectionis Diacono tributæ, non eſt quod in ipſius Ordinatione traderetur illi Euangeliorum codex. Antiqua enim Sacramentaria licet in Miſſæ ordine mentionem faciant Euangelicæ lectionis à Diacono factæ, cum tamen Diaconi ordinationem enarrant, nuſquam Euangelii traditionis mentionem faciunt. Apud Græcos quoque Euangelium ſemper legit Diaconus, nunquam tamen huc uſque in ipſius ordinatione traditus eſt illi Euangeliorum codex. Verum iſtius moris probabilis ratio mihi videtur, quod univerſæ Eccleſiæ mos fuit Euangelii lectionem magno cum apparatu & ſolemnitate celebrare. Ab altari tollitur Euangelium, & magna cum pompa ad Ambonem ſeu pulpitum defertur, cruce præcedente à Subdiacono geſtata, Acolythis quoque thuribulum & accenſos cereos ferentibus, & dum legitur adſtantibus, deinde eadem cum Pompa à pulpito ad altare referentibus. Eadem lectio apud Græcos eſt ſolemnior. Cum igitur hæc ſolemnitas ab Apoſtolis ortum habuerit, ab initio multis viſum eſt ſolemnitatis iſtius ducem non facere Lectorem, qui Clericatus apud Græcos initium eſt & primus gradus, apud Latinos ſecundus, ſed Diaconum Sacerdoti autoritate & dignitate proximum. Conſuetudinem hanc plurimum confirmavit mos alius qui in univerſa Eccleſia paulatim invaluit, ut ſcilicet Lectores juvenes admodum & pueruli eligerentur. Indecorum ſanè fuiſſet, & Eccleſiaſticæ gravitati parum conſentaneum pueris actionem tam ſolemnem committere, & tantæ pompæ duces declarare. Quid in hac cauſa de Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudine dicemus, in qua lectores è fidelibus & Catechumenis promiſcuè eligebantur, ut teſtatur Socrates l. 5. hiſtoriæ ſuæ cap. 21. A ratione ſane erat omnino alienum tantæ pompæ Eccleſiaſticæ ducem eſſe Catechumenum.

XVI. Ideo Eccleſiæ ſolitæ ſunt viros graves & honoratos eligere, qui tam ſolemnem facerent lectionem. Sozomenus lib. 7. hiſtoriæ cap. 19. *Hinc etiam ſacrum codicem* Euangeliorum *hic* Alexandriæ, *legit ſolus Archidiaconus, apud alios verò Diaconi: In multis etiam Eccleſiis ſoli Sacerdotes; diebus autem ſolemnibus Epiſcopi, ut Conſtantinopoli prima Feria Reſurrectionis Dominicæ.* Syri Maronitæ, quantum ex eorum ordinatione colligi poteſt, Alexandrinos imitari videntur. Nam Diacono poſt ſuam ordinationem traditur Apoſtolus, ſeu liber Epiſtolarum; Archidiacono vero liber Euangeliorum, cujus pericopen intra Miſſarum ſolemnia legit. Neſtoriani vero ſecundos illos imitantur quos Sozomenus commemorat. Juxta enim Neſtorianorum ritum Diacono non datur liber Euangeliorum, ſed Epiſtolarum. Lectori vetus Teſtamentum; ſed Presbytero ſoli cum ordinatur liber Euangeliorum. Itaque hac in re nulla cum neceſſitate egerunt Eccleſiæ, ſed unaquæque in ſuo ſenſu ſine alterius reprehenſione ſemper abundavit.

CAPUT II.

De forma Diaconatus quadruplex ſententia. Formam Diaconatus nullam aliam antiquitus fuiſſe præter Orationem. Quæ nunc in Pontificali imperative enuntiatur, recentem eſſe. Non cohærere cum textura Orationis in cujus medio profertur. Orationes quæ in ordinationibus occurrunt, & præcipua Eccleſiæ officia à Pontificibus ante Conſtantini imperium compoſita. In quibuſdam Provinciis Presbyteri manum Diaconis cum Epiſcopo imponebant.

I. QUemadmodum de materia Diaconatus quadruplicem attulimus ſententiam, ſic neceſſe eſt quadruplicem ab iiſdem autoribus verborum ſolemnium formulam quadruplici materiæ analogam conſtitui. Iiſdem argumentis & autoritatibus quibus tres poſteriores de materia ſententiæ confutatæ ſunt, confutantur etiam tres poſterio-

res

res de forma Diaconatus ſententiæ. Nam deſtructa materia quæ formæ ſubeſt, ſimul evaneſcat forma neceſſe eſt. Deinde formæ illæ nihil aliud ſunt quàm verba quædam ſolemnia ab ordinante cum materiam profert, & ſubjicit, pronuntiata. Si igitur demonſtratum eſt materiam ab ordinante nunquam eſſe ſubjectam, certum eſt verba illa ſolemnia nunquam eſſe pronuntiata. Conſequentiam iſtam demonſtrare, nihil aliud eſſet quàm ſolem meridianum facula illuminare. Supereſt igitur prima ſententia, quæ materiæ, manus ſcilicet impoſitionis, formam eſſe ait hæc verba, quæ pronuntiat Epiſcopus cum Diacono manus imponit, *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* In hac Diaconatus forma acquieſcunt permulti Scholaſtici Doctores, videturque Pontificale Romanum illam tradere, quod paſſim ſequuntur diverſarum Provinciarum Pontificalia Nam cum recitat Epiſcopus præfationem, quæ in omnibus antiquis & recentioribus ritualibus vocatur, *Conſecratio Diaconi*, & præfationis paulò plus quàm mediam partem protulit, manum ſolus ſuper Diaconi caput imponit, formamque jam relatam pronunciat jubente Pontificali, cujus hæc ſunt verba, *Hic ſolus Pontifex manum dexteram extendens ponit ſuper caput cuilibet ordinando, & nullus alius, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur, dicens ſingulis, Accipe Spiritum ſanctum, &c.* ut ſupra.

II. Nihilominus illa verba Diaconatus forma antiqua eſſe non poſſunt. Antiquam dico, eo quod, ut jam non ſemel dictum eſt, negare nolim nunc formam eſſe ab Eccleſia recens poſitam; Verum hac opinione in medio relicta, videtur mihi propter hanc rationem evidentiſſimum illa verba antiquam non eſſe Diaconatus formam. Nulli rituales, nulla Sacramentaria antiqua; imo nulla recentia ante quadringentos annos ſcripta, iſta verba repræſentant, multaque iis carent iſto tempore recentiora. Verba ſunt à paucis ſeculis addita. Nec noſtri rituales tam multi, nec ii quibus uſus eſt Hugo Mainardus, nec antiquus ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus, nec ille qui è Bibliotheca Vaticana Sanct. Gregorii operibus eſt inſertus, iſtorum verborum unquam meminerunt. Nulli autores divinorum officiorum, Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Ivo Carnutenſis, Hugo à Sanct. Victore, Lombardus, licet ordinationem Diaconi minutè explicent, illa verba commemorant. Nulli rituales Græci, nec antiqui, nec recentes, nec hodierni illa agnoſcunt, Syri, aliique interioris Orientis populi nullum iſtius formulæ penes ſe habent veſtigium. Qua ratione formula Ordinationi neceſſaria dici poteſt, quam mille ducentis annis Eccleſia Romana, totuſque Occidens prorſus ignoravit, quæque univerſo Orienti non modo hactenus inuſitata fuit, ſed etiam penitus incognita? Idem probatur inſuper ex eo quod illa loquendi formula. *Accipe Spiritum ſanctum*, à loquendi formula antiquorum Patrum prorſus aliena eſt. Sed eorum teſtimonia ſupra excuſſimus cum de Presbyteratus forma nobis actum eſt: inde repeti poſſunt.

III. Evidenter itaque conſtat formulam illam in medio Orationis qua ſola conſecrari & ordinari ſolebat Diaconus, eſſe recens adjectam ſecuritatis cauſa. Cum enim Doctorum magna pars Antiquorum dictis inhærens aſſereret materiam Diaconatus eſſe manuum impoſitionem, vulgatumque eſſet ordinum formam modo imperativo enuntiandam eſſe, formamque ſemper materiæ conjungendam, nihil autem videret imperativè enuntiari, ſed omnia deprecativè dum manus Diacono imponeret Epiſcopus, crediderunt nonnulli ad rem ſecurius agendam aliquid imperativum eſſe inſerendum dum manus fieret impoſitio. Hoc autem fecerunt in medio antiquæ Conſecrationis Diaconicæ, non rei novæ & extraordinariæ additione, ſed ejuſdem rei quæ jam deprecativo modo inerat, imperativa repetitione. Hic eſt antiquæ conſecrationis contextus, *Tu horum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Emitte in eos quæſumus Domine Spiritum ſanctum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratia tua munere roborentur, &c.* Nunc in Pontificali hæc ſic interrupta habentur. *Tu horum vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Accipe Spiritum ſanctum ad robur, ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus, In nomine Domini Emitte in eos, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratia tua munere roborentur.*

IV. Facilè judicare potes an hæc intertexta fuerint ab eo qui orationem illam conſecratoriam compoſuit. Pauca verba ſunt, textura tamen ſua novitatis notam inuſtam gerunt. Omnia illa generalia Eccleſiæ officia, ut & ea quæ varia tempora ſpectant, Adventum, Quadrageſimam, Dominicas, Feſta Paſchatis, Pentecoſtes, Natalis Domini, & ejuſmodi, ab antiquis Pontificibus qui Conſtantinum magnum præceſſerunt, compoſita fuerunt, & omnia illius temporis elegantiam ſapiunt. An ea de quibus agimus eadem elegantis leporis gratia imbuta ſint, diſcernat Lector. Denique viſum forſan fuiſſet commodius orationis autori ex Eccleſiæ conſuetudine illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* orationem ſubſequi quàm præcedere. Orandus enim videtur Spiritus ſanctus ut veniat, deinde ab Eccleſiæ Miniſtro confidenter dandus: non autem dandus, deinde orandus ut veniat. Itaque his omnibus diligenter conſideratis colligendum videtur unam & eandem eſſe, ſemperque fuiſſe apud Latinos & Græcos Diaconatus materiam & formam; materiam in manus impoſitione conſiſtere, formam vero in orationibus manus impoſitioni conjunctis.

V. Amalarius lib. 2. c. 12. reprehendit quendam libellum anonymum de ſacris Ordinibus, eo quod edicat ſolum Epiſcopum debere manus ſuper Diaconum imponere; quia non ad Sacerdotium conſecratur, ſed ad miniſterium. *Numquid*, inquit, *ſcriptor libelli doctior, atque ſanctior Apoſtolis qui poſuerunt plu-*

res manus ſuper Diaconos quando conſecrabantur; & propterea ſolus Epiſcopus ponat manum ſuper Diaconum, ac ſi ſolus poſſit precari virtutem gratiarum, quam plures Apoſtoli precabantur? &c. Miratus ſum aliquando quid Amalario hæc ſcriberet, in mentem venerit, cum Concilium Carthag. 4. hoc ſtatuat quod dicit libellus ille, & antiqua omnia Sacramentaria illud habeant. Sed proculdubio neſciebat Amalarius Concilium Carthaginenſe hoc edicere, & nonnulla Sacramentaria ſui temporis hunc canonem non habebant, ſed diverſum. Nam & antiquiſſimorum noſtrorum nonnulla ſtatuunt omnes Presbyteros juxta manum Epiſcopi ſaltem caput Diaconi tangere, ut Gelaſianum antiquiſſimum, & Rotomagenſe. Omnium verò antiquiſſimum quod Gallicum eſt, jubet equidem omnes Presbyteros cum Epiſcopo manus imponere dum ordinatur Presbyter; ſed de Diacono prorſus tacet, veluti eorum arbitrio manus Diacono ſimul cum Epiſcopo imponere, vel non imponere permittens. Sanè libellum iſtum Amalarius nunquam reprehendiſſet, niſi fuiſſet Sacramentariorum quibus utebatur autoritate ſubnixus. Diſputandum nunc eſſet de ſolemni illa Græcorum formula, *Divina gratia quæ infirma curat, & deficientia ſupplet, &c.* quam nonnulli omnium majorum ordinum apud Græcos formam eſſe contendunt, mutato tantum nomine perſonæ ordinandæ, Subdiaconi in Diaconum. Diaconi in Presbyterum, & Presbyteri in Epiſcopum. Sed de hac formula ſupra cum de Epiſcopis ageremus, latè diſputatum eſt.

CAP. III.

De Diaconorum officiis. Diaconorum officia & munera à Levitis antiqui Patres repetere ſolent. Electio & ordinatio Diaconorum unde ſumptæ. Concilii Græcorum in Trullo ſententia improbatur. Quodnam principale Diaconi officium. Varia Diac. officia ex SS. Patribus enarrantur. Diaconi olim adminiſtrabant Euchariſtiam; poſtea hoc illis prohibitum in præſentia Presbyteri. Omnia exteriora negotia Epiſcopi per Diaconos gerere ſolebant. Ideo Diaconi dicti, aures, oculi, os, cor, & anima Epiſcopi. Cauſas Chriſtianorum cum Epiſcopis judicabant. In Concilio eorum officium. Paræciam aliquando regunt. Poſſunt eſſe Vicarii Metropolitarum. Ex tot prærogativis faſtus eorum ortus & repreſſus. Romæ & aliis locis in Occidente ſeptem tantum ſolebant eſſe Diaconi. Antiquitus prædicatio Diaconis non permittebatur, licet Evangelium legerent. Poſtea conceſſa. Privatim & extra Eccleſiam Laicis, nedum inferioribus Clericis data occaſione Chriſtianam religionem docere licet.

I. DE Diaconatus munere & officio pauca hic adnotare non videtur nobis ſuperA vacaneum. Diaconorum originem & munera plerique Doctores antiqui, & recentiores prope omnes qui de his rebus commentantur, ab antiquis Levitis repetere ſolent, & Diaconorum noſtrorum miniſteria Epiſcopis & Presbyteris præſtari ſolita ex antiquorum Levitarum miniſteriis ſummo Pontifici & Sacerdotibus præſtitis proportione quadam metiri & digerere. Ita Sanctus Clemens lib. 2. Conſtitutionum c. 25. *Epiſcopi namque ſunt veſtri Pontifices; Sacerdotes vero veſtri ſunt Presbyteri: Levitæ autem veſtri, qui nunc ſunt Diaconi.* Et Sanctus Hieronymus in fine Epiſt 85. ad Euagrium. *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Eccleſia.* Ideo autores omnes Eccleſiaſtici, hos Sacerdotum Miniſtros promiſcuè vocant, modo Diaconos, modo Levitas: Et in eorum conſecratione quæ antiquiſſima eſt, & qua hactenus utitur Eccleſia, Levitis comparantur, & trinis antiquorum Sacerdotum gradibus: *Cujus corpus, Eccleſiam videlicet tuam cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam; ſuorumque connexam diſtinctione membrorum per legem mirabilem totius compaginis unitam in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris; ſacri muneris ſervientem trinis gradibus Miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Levi filiis, qui in myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent.* Hoc rurſus non minus evidenter apparet in conſecratione Presbyterorum, qui loco ſecundo, viceque filiorum Aaron funguntur. Ad hunc antiquæ legis ſtatum alludens Optatus Milevitanus, Diaconos dixit in tertio Sacerdotio eſſe conſtitutos, ut & Presbyteri in ſecundo.

II. Hinc S. Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſ. c. 8. Diaconorum originem & officia tractare ſic incipit, *Diaconorum ordo à Levi tribu accepit exordium*: Deinde pergit eorum officia ex Levitarum officiis eruere & explicare. Sic Concilium Aquiſgranenſe c. 7. Amalarius lib. 2. de officiis Eccleſ. c. 12. jacto prius ex Sancti Hieronymi Epiſtola fundamento. Rabanus Maurus de inſtitutione Clericorum lib. 1. c. 7. Stephanus Æduenſis de Sacramento altaris c. 7. Ivo Carnutenſis ſer. 2. de rebus Eccleſiaſticis, Gemma animæ lib. 1. c. 180. Hugo à S. Victore de Sacramentis fidei lib. 2. part. 3. c. 11. Lombardus lib. 4. diſt. 24. & poſt illos alii innumeri. Ut Diaconorum originem & officiorum ordinem repetunt antiqui autores à Levitarum inſtitutione, & officiis; ita eorum conſecrationem ab Electione & ordinatione primorum Diaconorum quæ act. 6. refertur, ut Concilium Neocæſari c. ultimo, Sanct. Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium, Iſidorus, Amalarius, Rabanus Maurus, cæterique fere omnes autores jam citati. Unde conſequitur Apoſtolos occaſionem primæ Diaconorum creationis à ſecundario ipſorum officio deſumpſiſſe, à cura ſcilicet habenda viduarum, pauperum, & perſonarum miſerabilium. Ideo Sanct. Hieronymus in Diaconorum faſtum invehens, ait, *Quis patiatur ut men-*

mensarum & viduarum Minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur? &c. sciant quare Diaconi constituti sunt; legant acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ.

III. Patres Græci in Concilio Trullano congregati hanc creationis Diaconorum causam asserere reformidarunt c. 16. Quapropter Diaconos sive Ministros tum creatos negaverunt esse Diaconos sive Ministros sacris mysteriis servientes, sed tantùm bonorum quæ Apostolis donabantur, dixerunt esse œconomos & Dispensatores, S. Chrysostomi testimonio in sententiam suam allegato; Conciliique Neocæsariensis canonem qui de veris Diaconis Apostolorum verba interpretatur, infirmarunt, & exautorarunt. Sed priore interpretatione assumpta, credimus eam principali Diaconorum institutioni non contradicere. Cum enim duo sunt fines, licet unus sit alio principalior, nihil prohibet occasionem dari quæ prius moveat causam agentem ut agat nunc propter finem secundarium quàm propter principalem. Ante igitur hanc Diaconorum institutionem Apostoli non modo fungebantur officio Episcoporum & Presbyterorum, sed etiam Diaconorum. Quidni occasio creandorum Diaconorum prius exoriri potuerit propter juvandos pauperes viduas, quàm propter sacrificii necessitatem? Et Apostoli diutius supplere potuerint sacrificii ministerium quàm Pauperum curam?

IV. Principale igitur & palmare Diaconi ministerium est Sacerdoti ministrare: Ideo Diaconus, hoc est, Minister κατ' ἐξοχὴν dicitur. Est autem Diaconus Sacerdoti ita necessarius, ut sine eo Sacerdos fungi Sacerdotio non possit. Sanctus Isidorus lib. 2. c. 8. de officiis Ecclesiast. scribit de Diaconis; *Ipsi clara voce in modum Præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendo. Ipsi etiam ut anres habeamus ad Dominum, clamant: Ipsi quoque evangelizant. Sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere Calicem, nisi eis traditus sit a Diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria, Levitæ componunt mensam Domini, Levitæ operiunt arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum quæ operiuntur à Levitis, ne videant qui videre non debent, & sumant qui servare non possunt.* Hæc officia Diaconus & pleraque alia exercet, adeo necessaria, inquit Isidorus, ut sine eo habeat nomen Sacerdos, non officium. Eadem repetit ex Isidoro, & confirmat Concilium Aquisgran. c. 7. & Rabanus Maurus lib. 1. de institutione Clericorum cap. 7. Multa quoque verbo tenus ex iis mutuatur. Ivo Carnutensis in sermone de excellentia ordinum.

V. Autor tractatus de septem Ordinibus inter opera Sancti Hieronymi hæc omnia habet, & longè plura, *Sine hoc*, inquit, *Sacerdos nomen non habet, ortum non habet, officium non habet.* Et post multa, *Tunc deinde ut aures habeamus ad Dominum Diaconus acclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse commonet adstantibus Sacerdotibus, ne leviter hanc vocem, quæ loquitur & pacem adnuntiat, aut negligenter aspicias, aut contemnendam putes. Sufficit huic ordini tantum per Dominum esse concessum, ut non solus Sacerdos in templo Dei totum agere, & implere videatur. Eget officio Diaconi Sacerdos, sicut & Diaconus Sacerdotis, &c. Diaconus Calicem tradit, testis passionis, testis dispensationis, testis humilitatis, nec elatus in superbiam ut qui obtulit, nihil sperandum sibi à Diacono recognoscat.* Autorem adeat, qui plura ex eo scire cupit. His addit Alcuinus, *ponit linteum in altare, ponit panem & Calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi habet potestatem Presbyter, si Diaconus adfuerit. Sicut Presbytero officium consecrandi competit, ita Diacono ministrandi.* Amalarius lib. 2. de officiis Eccl. c. 12. *Ex isto libro Numerorum, & verbis S. Hieronymi qui nos jubet differentias sacrorum Ordinum sumere à veteri Testamento discimus ministerium esse Levitarum ut custodiant Ecclesiam, & vasa ejus atque supellectilem; necnon etiam & quæ necessaria sunt Ecclesiæ portare per iter, portent.*

VI. Nonnulla alia magni momenti Diaconis tribuit Clemens lib. 8 Constit. c. 28. *Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem, accipit verò à Presbytero. Non baptizat, non offert. Oblatione verò à Presbytero aut Episcopo facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris, &c. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem.* Ad Diaconum singulariter pertinet sanguinem Domini ab Episcopo aut Presbytero consecratum populo dispensare, non autem corpus Dominicum nisi ipsis absentibus aut jubentibus. Stephanus Æduensis c. 7. de Sacr. altaris supra relatus idem habet, & multa alia ex aliis autoribus jam deprompta. Conc. Arelat. 2. c. 15. *Diaconi corpus Christi tradere præsente Presbytero non præsumant. Quod si fecerint, ab officio Diaconatus abscedant.* Conc. Carth. 4. c. 38. *ut Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo si necessitas cogat, jussus eroget.* Gelasius I. Epist. 1. sive 9. c. 10. Burchard. l. 4. c. 57. lib. 5. c. 13. Ivo parte 1. c. 252. & part. 6. c. 69. & dist 93. c. Diaconos. Hujus praxis vide multa exempla lib. 8. de Sacramento Pœn. c 23. sect. 12. 13. Antiquissimis temporibus videtur illa potestas laxior fuisse: Ita enim Justinus Martyr Apol. 2. Postquam & is qui præest gratias egit, & populus omnis benedixit, ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt, deferuntur. Consimiliter Synodus Ancyrana c. 2. Diaconis qui sacrificaverant, prohibet *panem, aut Calicem deferre.* Nec contradicit, imo potius hoc confirmat Concil. Nicænum c. 18. cum Aquisgranensi c. 41. cum prohibent Diaconis Eucharistiam Presbyteris ministrare. Inferioribus igitur gradibus id possunt Diaconi præstare. Ratio quam reddunt Patres prohibitionis suæ id videtur convincere. *Quia neque canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi.* Illud igitur præstare possunt iis qui hac potestate carent.

VII. Curam etiam Martyrum & Confeſſorum, atque etiam aliarum miſerabilium perſonarum in carceribus propter confeſſionem Jeſu Chriſti Domini noſtri captivorum, gerere ſolebant, iis fidelium eleemoſynas diſtribuere, omnia victui neceſſaria ſuppeditare, eorum vota, poſtremaque voluntatis placita excipere, & ad Epiſcopum deferre. Concil. Carthagin. 4. c. 43. Aurelian. 5. c. 20. Cæciliano à Donatiſtis crimini imputatum quod cum Archidiaconus eſſet Martyribus neceſſaria non modo non ſuppeditaſſet, ſed etiam ſuppeditari prohibuiſſet, ut teſtatur Optatus Milevit. l. 1. Varia inſuper & multiplicia erant Diaconorum officia in ſacris Ordinationibus, in baptiſmis ſolemnibus Antiquorum, in conſecratione Chriſmatis, atque ut ita dicam, in omnibus prorſus officiis Eccleſiaſticis. Populi oblationes Epiſcopo celebranti offerebant, *Διπτυχίαν* in Eccleſia & confeſſus decorem procurabant: Populum ſpeculabantur, neve murmur excitaret, aut inſolentius ſeſe gereret, in officio continebant, Conſtitut. Apoſtolic. c. 27. & 58. Epiſcopo prædicanti adſtabant, ne quid mali aut incommodi ei inferretur diligenter obſervantes, ut ex Epiſtola Euariſti Papæ monetur diſt. 93. c. *Diaconi qui.* Singula miniſteria enarrare operoſum nimis, & faſtidio plenum. Qui harum rerum curioſus eſt, antiquum percurrat dicendarum Miſſarum & baptiſmorum faciendorum ordinem qui extat in Bibliothecæ Patrum variis editionibus, & ſi vacat, attendat Rubricas Miſſalis, & ceremoniale Epiſcoporum, & experietur quod antiqui dixerunt, Sacerdotem ſine Diacono nihil agere, nomen habere, non officium. Hoc in ritibus Græcorum evidentius conſpicitur. Nihil enim agit Presbyter, nec in Liturgico officio, nec in quocunque alio, niſi monente eum Diacono, ipſique miniſtrante, ut paucis, velut in ſpeculo conſpicitur initio Euchologii, ſub primo titulo, *διάταξις τ̃ ἱερατικ̃ς*, *Ordo & Conſtitutio ſacri Diaconatus miniſterii.* Paucarum paginarum lectione de multiplici Diaconorum officio, velut ex calamo de ſpica, ſtatim judicabit.

VIII. Verùm præter hoc ſacrum miniſterium in altari & officiis Eccleſiaſticis ab iis præbitum, omnia prope Eccleſiaſtica negotia cujuſcunque generis fuiſſent, Epiſcopus per Diaconos gerebat. Nec hæc conſuetudo in Eccleſiam recens introducta fuit, cœpit ab ipſis Eccleſiæ incunabulis. Bona Eccleſiæ jubet canon Apoſtolicus 41. Epiſcopum per Diaconos pauperibus, & ubi opus eſt, diſtribuere, & impendere. Ideo Sanct. Clemens Epiſtola prima ipſi vulgo tributa de iis ſic decernit, *Diacons Eccleſiæ tanquam oculi ſint Epiſcopi, obeuntes, & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentius ſi quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum, &c. Negligentiores quoque & eos qui rarius ad audiendum verbum Dei accedunt, nec ſolicitè ad Epiſcopi tractatum conveniunt, ipſi commoneant, & hortentur, &c. Sed & eos qui ſecundum carnem ægrotant, ſolicitè perquirant, & plebi, ſi forte plebs ignorat, indicent de his, ut ipſi viſitent eos, & quæ neceſſaria ſunt præbeant eis cum conſcientia ejus qui præeſt. Quod tamen etiam ſi clam fecerint, non peccabunt. Sed & de peregrinis ſimiliter Epiſcopo ſuggerant refovendis, & cætera his ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ, & diſciplinam ejus pertinent, Diaconis curæ ſint.* Idem Clemens l. 2. Conſtit. c. 44. Similia, ſed auguſtiora ſtatuit, *Diaconus quidem de re omni ad Epiſcopum referat, ut Chriſtus ad Patrem. Verùm quæcunque poteſt, facta ab Epiſcopo poteſtate, moderetur per ſe, ſicut Chriſtus poteſtatem creandi & providendi à Patre accepit. Quæ verò majora ſunt, Epiſcopus judicet. Cæterùm ſit Diaconus Epiſcopi auris, & oculus, & item os, cor, & anima, ne Epiſcopus ſolicitudine multarum rerum, ſed graviorum tantum urgeatur.* De Diaconi officio nihil dici poteſt efficacius, & auguſtius. Capite 47. prærogativam Diaconis concedit quæ Miniſtri officium longe ſuperat: Vult eos controverſiis Chriſtianorum dijudicandis cum Epiſcopo & Presbyteris aſſiſtere, *Aſſiſtant judicio Diaconi, & Presbyteri, qui citra acceptionem perſonarum tanquam homines Dei juſtè judicent.*

IX. Similiter ſi quod negotium neceſſarium eſt Epiſcopis in comitatu Imperatoris, illud per Diaconos procurare debent, ut jubet Concilium Sardicenſe c. 8. & 9. Ad Concilium Provinciale poſt Presbyteros ingrediebantur Diaconi, & *corona facta de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteri à tergo eorum reſideant. Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent.* Concil. Tolet. 4. c. 4. Deinde omnes monente Archidiacono orant, ipſoque iterum monente orationem finiunt. *Et omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus Alba indutus codicem canonum in medio proferens, Capitula de Conciliis agendis pronuntiat, &c. Si Presbyter aliquis, aut Diaconus, Clericus ſive Laicus de his qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono cauſam ſuam intimet, & ille Concilio denuntiet. Tunc ille & introeundi & proponendi licentia concedatur.*

X. Verum hæc quæ ſequitur prærogativa videtur omnibus excellere. Aliquando Diacono ſoli conceſſum eſt Paræciam regere, Concil. Eliberitanum c. 77. *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Idem colligitur ex can. 7. Concilii Tarracon. anno 517. celebrati, *De diœceſanis Eccleſiis, vel Clero id placuit definiri, ut Presbyteri vel Diaconi qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſervent, id eſt, ut Presbyter unam faciat hebdomadam; quæ expleta ſuccedat ei Diaconus ſimiliter.* Datum eſt illis à Concilio ſexto Græcorum c. 7. privilegium, ut ante Presbyteros, & etiamnum Epiſcopos, Diaconus in certo caſu ſedeat, extra quem licet officiis Eccleſiaſticis honorificis fulgeant, prohibentur cum Presbyteris ſedere, nedum præſidere. *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere, Statuimus ut Diaconus etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia civitate ſuper aliquo capite.* Idem honor nec illo tempore, nec multis poſt ſeculis

ſeculis gradibus Diacono inferioribus delatus A eſt.

XI. Tantus honor Diaconis delatus, ſed præſertim negotiorum Eccleſiaſticorum cura & factio iis ab Epiſcopis demandata, continuuſque cum iis de his rebus tractatus, & inde facilis ad eos acceſſus, occaſionem ambitionis illis dederunt, eorumque animum ita inſolenter extulerunt, & inflarunt, ut ſæpius auderent Presbyteris ſeſe æquare, & etiamnum præſidere. De hac Diaconorum inſolentia plurimum conqueritur autor quæſtionum utriuſque Teſtamenti, S. Auguſtino antiquior, cujus opus illius operibus inſeritur, multiſque argumentis quæſtione 101. eorum inſolentiam B retundit quæ apud eum loco citato legi poſſunt. Præcipuam inſolentiæ occaſionem eam refert quam adnotavimus. *Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe Miniſtros, non conſiderant quid illi à Deo decretum ſit, & quid debeant cuſtodire; ſed tollunt hæc de memoria aſſiduæ ſtationes Dominicæ, & officialitas, quæ per ſuggeſtiones malas ſeu bonas nunc plurimum poteſt. Aut timentur enim, ne male ſuggerant, aut emuntur ut præſtent.*

XII. Eodem tempore Sanct. Hieronymus acerrimè reſtituit huic Diaconorum inſolentiæ, ut videre eſt Epiſt. 85. ad Euagrium, *Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam ut Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros quos & Epiſcopos, quis patiatur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* Tandem poſtquam hanc inſolentiam multis exagitavit, aliam illius occaſionem aperit, paucitatem ſcilicet Diaconorum, & Sacerdotum turbam. *Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ vindicat. Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Caterum in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi, licet paulatim increbreſcentibus vitiis, inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare.* Cauſa iſtius ambitionis à S. Hieronymo reddita admodum eſt probabilis; Diaconorum illa paucitas diutiſſimè Romæ obſervata, æſtimationis primum, deinde faſtus plurimum contulit.

XIII. Ab antiquo enim Romæ ſeptem tantum creari ſolent Diaconi, ut teſtantur Sozomenus lib. 7. cap. 19. Sylveſter in Synodo Romana 294. Epiſcoporum cap. 6. Anacletus Epiſt. 1. Fabianus Epiſtol. 1. Cornelius Papa E apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ cap. 35. Sanct. Ambroſius in 1. ad Timoth. cap. 3. hoc generaliter de Epiſcopalibus Eccleſiis docet, *Nunc ſeptem Diaconos eſſe oportet, & aliquantos Presbyteros, ut bini ſint per Eccleſiam, & unus in civitate Epiſcopus.* Addit Stephanus Æduenſis cap. 7. de Sacramento altaris, *Statutum Apoſtolica præceptione ut Vicario Chriſti in ſancta Sanctorum introeunte, ſeptem in ſublimiori gradu menſæ altaris aſſiſtentes ſerviant.* Et Ivo Carnutenſis ſermone de excellentia Ordinum, ſucceſſores Apoſtolorum decreviſſe, *ut in omni matrice Eccleſia ſeptem Diaconi circa aram Chriſti ſublimiori gradu tanquam columnæ altaris aſſiſterent.* Idem etiam voluit Concilium Neocæſar. antiquiſſimum can. ultimo quem repetit & innovat Concilium Aquiſgran. cap. 64. Burchard. l. 2. cap. 219. Quod ad inſolentiam iſtam & faſtum Diaconorum attinet, longè ante Sanct. Hieronymum exoriri cœperat. Eum naſcentem repreſſerat Concilium Nicænum cap. 18. & canonem renovavit Concilium Aquiſgran. c. 41. Idem fecerunt, & in eodem faſtus genere, poſt Concilium Nicænum & S. Hieronymum plurima alia Concilia. Ambitio enim hominum ſemper vireſcit, nunquam feneſcit. Concil. Laodic. c. 20. Concil. in Trullo c. 7. Carthag. 4 c. 39. Agath. c. 65. Toletan. 4. c. 38. Andeg. c. 3. Tanta cum difficultate primam Apoſtolorum Conſtitutionem obſervabant, quæ eſt ejuſmodi, *Sit ſolium Epiſcopi in medio* Eccleſiæ *poſitum, & ex utroque ejus latere ſedeant Presbyteri, & adſtent Diaconi ſuccincti.* Conſtitut. lib. 2. cap. 57.

XIV. Lapſu tamen temporis in nonnullis locis Epiſcoporum faſtus & avaritia non modo Diaconos, ſed etiam cæteros Clericos multum repreſſit, & afflixit, ut de hac re lamentabundus conqueritur autor tractatus de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ jam laudatus, ubi de Diaconis, *Singuli quique pro potentia Epiſcopalis nominis, quam ſibipſi illicitè abſque Eccleſia vendicaverunt, totum quod Levitarum eſt, in uſus ſuos redigunt, nec hoc ſibi quod ſcriptum eſt, vendicant, ſed cunctis auferunt univerſa. Mendicat infelix Clericus in plateis, & civili operi mancipatus, publicam à quolibet depoſcit alimoniam: Et quidem ex eo deſpicitur à cunctis Sacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus juſtè putatur ad hanc ignominiam devenisſe. Eget in ſede Presbyter, in altari Levita, in Secretario Subdiaconus, in lectione Lector, & in templo Oſtiarius, in ſepultura foſſarius. Moriuntur fame qui alios ſepelire mandantur: Poſcunt miſericordiam, qui miſereri aliis ſunt præcepti. Et dum iſta fiunt, Sacerdos qui hoc non fecerit, condemnatur. Solus incubat divitiis, ſolus miniſterio utitur, ſolus univerſa ſibi vendicat, ſolus partes invadit alienas, ſolus occidit univerſos.* Lamentabilem iſtam de Epiſcopis querimoniam fuſè perſequitur.

XV. In Pontificali Romano Diaconis tria miniſteria præſertim tribuuntur, miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare. Prædicationem quoque illis tribuit autor proximè citatus: Idem videtur facere Amalarius in fine cap. 12. lib. 2. cum illis tribuit Prophetiæ donum, & autor Gemmæ animæ lib. 1. cap. 180, ſed eo loco conditionem neceſſitatis adjungit: Verum eodem libro cap. 231. id fieri poſſe cum ſe dat occaſio ſæpius innuit. Idem teſtatur Iuo Carnutenſis in ſermone 2. de rebus Eccleſiaſticis. S. Iſidorus & poſt eum Rabanus Maurus, dicunt Diaconum Euangelizare; ſed nihil cogit hoc ad Euangelii prædicationem extendere.

XVI. Aliter tamen ſe habebat Eccleſiæ antiquior uſus. Ordo Romanus initio ritus Ordinationis, duo tantum Diaconis tribuit principalia miniſteria, *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, & baptizare.* Ita quoque alter antiquus

ordo manuſcriptus qui hic inſeritur: cæteri iſta prætereunt. S. Clemens Diacono Euangelii lectionem concedit lib. 2. cap. 57. prædicationem verò nunquam. Autor antiquus & Sanct. Ambroſio coætaneus cujus commentarii in Epiſtolas S. Pauli iſtius Sancti operibus inſeruntur, ſcribit in 4. cap. Epiſt. ad Epheſios, in primis Euangelii initiis omnes docuiſſe & baptizaſſe omni tempore & loco, quod multis exemplis ex Apoſtolorum Actis demonſtrat; ſed poſtquam, inquit, omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, unicuique officia propria credita ſunt, & ordinata. Ex quibus inſert, *Hinc ergo eſt unde nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque Clerici vel Laici baptizant; neque quocunque die credentes tinguntur, niſi ægri.* Atque hoc adeo verum eſt, ut licet in antiquo ordine Romano, in ſcrutiniis baptizandorum Vigiliæ Paſchatis multa Euangelia legantur, atque in unoquoque Euangelio multi breves tractatus, & Euangelii expoſitiones ad Catechumenos habeantur, nullæ tamen à Diaconis fiunt, ſed à Presbyteris omnes.

XVII. Præterea hujus rei argumentum eſt, prohibitio prædicandi Alexandriæ Presbyteris facta poſt exortam Arii hæreſim, & ſolis Epiſcopis prædicatio permiſſa, ut teſtantur Socrates lib. 5. cap. 22. & Sozomen. lib. 7. c. 19. Si prædicatio, Diaconorum erat munus, propter unius Presbyteri crimen plecti non debuerunt Diaconi: Sed ne quidem prohibitionis Diaconis factæ meminerunt; nec erat neceſſe, cum hoc non attentarent Diaconi. Ideo ſatis habuit Sozomenus dicere propter Arium Presbyterum, ſolum Epiſcopum Alexandriæ prædicare. Similiter paulò ante dixerat, *Cæſarea Cappadociæ, & Cypri die Sabbati, & Dominico ſemper ſub Veſperum accenſis Lucernis Presbyteri & Epiſcopi ſcripturas interpretantur.* De Diaconis ne verbum quidem. Eadem conſuetudo evidenter probatur ex can. 2. Concilii Vaſenſis 2. in Gallia Viennenſi, *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi qua Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni judicentur Sanctorum Patrum expoſitiones publicè legere.* Ingruit neceſſitas prædicandi; Diaconis tamen prædicatio non permittitur, ſed ſola homiliarum Sanctorum Patrum recitatio, idque cum aliqua permiſſionis ejuſmodi excuſatione. Si publicè Euangelium Chriſti legunt, cur homilias publicè legere eis non permittemus? Quid permiſſionem datam excuſare opus, ſi quod longè majus erat, & ejuſdem generis, ipſis ex officio competebat? Hoc etiam colligi poteſt ex Sanct. Pauli Epiſtolis. In prima enim ad Timoth. cap. 3. conditionum quas in Epiſcopo requirit, ſub cujus nomine Presbyterum intelligit, ut manifeſtum eſt, & omnes conſentiunt, una eſt, Doctorem eſſe, Et c. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo.* Clarius adhuc c. 1. Epiſt. ad Titum, Epiſcopo & Presbytero nominatis, inter conditiones utrique neceſſarias recenſet prædicationis officium, *amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.*

XVIII. Alterum hujus rei argumentum ſumitur ex eo quod Origeni contigit, cum Alexandria pulſus Cæſaream Paleſtinæ vehit, referente Euſebio lib. 6 hiſtoriæ cap. 13. aliàs 20. Epiſcopus Cæſareæ & vicini Epiſcopi quibus erat doctrinæ fama notiſſimus, cum, licet Presbyter nondum eſſet ordinatus, magnopere rogaverunt ut in communi Eccleſiæ conſeſſu ſcripturas interpretaretur. Demetrius Alexandriæ Epiſcopus ad cujus diœceſin pertinebat, hoc graviter tulit, & ad illos Epiſcopos reſcripſit, ut contra Eccleſiæ canonem agentes. Alexander Epiſcopus Hieroſolymæ, & Theoctiſtes Cæſareæ Demetrio reſponderunt, hoc non eſſe ut ajebat, inauditum, ſed aliquando ab antiquis factum, cum aliquis, licet non Presbyter, doctrinâ eximiâ excellebat, *Quod autem in literis adjunxeris, nunquam antea auditum, neque jam uſurpatum, ut Laici præſentibus Epiſcopis diſputarent, Scripturaſque exponerent; in eo mihi neſcio quo modo videris perſpicue falſa dixiſſe. Nam ubi idonei & habiles reperiuntur, qui fratribus in verbo Dei adjumento ſint, à ſanctis Epiſcopis rogantur, ut populum in verbo inſtituant: Sicut Larandis Euelpis à Neone; Iconii Paulinus à Celſo; & apud Synadas Theodorus ab Attico, qui omnes beati & pii fratres erant. Ac veriſimile eſt quamvis nobis obſcurum, & minimè cognitum ſit, illud idem in aliis locis fieri.* Quum autem hoc contigit jamdudum erat cum Origenes privatas & publicas catecheſes Alexandriæ habuerat, ſed non in Eccleſia; multos pro Chriſto labores exantlaverat; ſeipſum caſtraverat ut liberius & extra omnem calumniæ aleam catecheſibus cum puellis & mulieribus vacaret, ut videre eſt ejuſdem lib. c. 3. & ſequentibus. Deinde eodem cap. 13. dicit tantùm Euſebius cum hoc Cæſareæ fecit Origenes, nondum fuiſſe Presbyterum. Itaque probabile eſt Origenem tum fuiſſe Diaconum & ætate provectum, nedum Laicum. Quidquid ſit evidenter apparet tam ex Demetrii querela quàm ex Epiſcoporum reſponſo ſolos Epiſcopos & Presbyteros in Eccleſia prædicare ſolitos. Vult Alexandriæ Epiſcopus prædicationem aliis nunquam permitti; volunt alii Epiſcopi permitti quidem poſſe, ſed magna de cauſa, viriſque doctrina & pietate præſtantibus. Conſentiunt igitur omnes ſecundum communem & vulgatum Eccleſiæ morem hoc publicè in Eccleſia Diaconis, nedum inferioribus Miniſtris, eſſe illicitum.

XIX. Publicè in Eccleſia dico: Nemini enim privatim & domeſticè extra Eccleſiam, atque etiam publicè, data legitima occaſione, fidem profiteri, docere, & prædicare unquam prohibitum eſt: Imo ſæpe plurimum laudabile fuit. Hoc in actis Apoſtolorum fecerunt Stephanus & Philippus Diaconi: quanquam eorum facti ratio ſit peculiaris. Nondum enim erant definita uniuſcujuſque officia, ſed unuſquiſque, ut ſe ferebat occaſio, Chriſtum prædicabat. Hoc munere ſumma cum omnium admiratione diu functus eſt Origenes, licet cum illud inciperet, annum tantum

deci-

decimum ſeptimum ageret. Catecheſes habebat & diſputationes de religione Chriſtiana ἐν τῇ διατριβῇ, ἐν τῷ διδασκαλείῳ, in doctrinæ ludo & gymnaſio, non in Eccleſia. Illuc confluebant Ethnici, Catechumeni, viri, mulieres ut ab eo fidei capita edocerentur, ut videre potes apud Euſebium hiſtoriæ lib. 6. cap. 3.

XX. Hoc officio erga mulieres fungi Diaconiſſarum proprium erat, præſertim cum mulierum domus earum inſtruendarum cauſa erant adeundæ, ut infra dicemus. Idem ſæpe fecerunt homines privati & mulieres ſeculares. Apollo hac in cauſa erat celebris, Actor. cap. 18. 19. licet baptiſmo Chriſti nondum eſſet tinctus. Priſcilla act. 18. verſ. 26. Frumentius & Ædeſius apud Socratem lib. 1. cap. 15. Sozomenum lib. 2. cap. 23. Nicephorum lib. 8. cap. 35. Celebris eſt ſerva illa quæ Iberos cum Rege ſuo ad fidem Chriſtianam convertit, ut refert Rufin. l. 1. cap. 10. & poſt eum Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus. Celebris hiſtoricis noſtris, Gregorio Turonenſi, Aimonio, & aliis omnibus Crotildis Regina quæ Clodoveum Maritum ſuum, & cum eo Francorum gentem ad Chriſtum convertit. Celebres innumeræ aliæ quas hic recenſere longum eſſet, & ſupervacaneum. Id quod de Diaconis ſive Miniſtris ex Sancto Dionyſio poſſet opponi, ad rem nihil facit, cum prædicatio ad purgationis actionem quam illis tribuit non pertineat, ſed ad illuminationem quæ juxta ipſius dictata, & philoſophemata, Presbyterorum peculiaris eſt. Purgant Miniſtri in Eccleſia, pſallendo, ſacra oracula legendo, baptizandis veſtem, tibialia, calceos detrahendo, eos ad Occidentem vertendo, rurſuſque ad Orientem convertendo, aliiſque ſimilibus miniſteriis quibus in Sacramentorum adminiſtratione Epiſcopis & Presbyteris inſerviunt. Nec verborum S. Dionyſii ſeries & contextus ex ipſius mente ad plura quam ad ejuſmodi miniſteria diffundendus eſt.

EXERCITATIO X.

DE DIACONISSIS, EARUM ORDINATIONE & miniſteriis ſecundum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ praxim.

CAPUT I.

Ordinationi Diaconi benedictio Diaconiſſæ ſimillima. Quatuor genera mulierum enarrantur, quæ antiquitus ad caſtitatem tenebantur. Benedictio Virginis apud Latinos in tribus potiſſimum differt à benedictione Viduæ. Tertium mulierum genus apud Latinos tantum deprehenditur. Rituales omnes antiqui Græcorum repræſentant ordinationem Diaconiſſæ. Iiſque conſentiunt Balſamon & Blaſtares. Quid μαφόριον.

I. TRes illi antiquiſſimi Rituales Græci uno conſenſu, & eodem tenore nobis tradunt Diaconiſſæ ordinationem, & ſimilibus prope ritibus & verbis quibus Diaconi, adminiſtratam. Utraque enim Ordinatio χειροτονία, & χειροθεσία dicitur. Utraque ad altare à Pontifice celebratur, & eodem Liturgiæ loco: In utraque manus imponitur dum adprecatur Pontifex: In utraque ſtola collo apponitur, in altari Ordinatus & ordinata communicantur, Calix Sanguine Chriſti plenus ut ex eo deguſtent, in manus traditur. Hæc videri poſſunt communem Theologorum ſententiam evertere, quæ negat ordinationem ullam mulieribus competere poſſe, imo quæ gravi cenſura contrariam ſententiam afficit. Verum non exiſtimant Græci iſta ceremoniarum communicatione ullam mulieribus propriè dictam χειροτονίαν infundi, ut diſertiſſimè teſtatur Sanct. Epiphanius hæreſi 79. *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt, ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur*, &c. Verba capite tertio integra referemus. Nec opinor Theologos aliquos ita ſeveros fore, ut mulieres abdicare velint omni in Eccleſia erga alias mulieres miniſterio, & ſacra aliqua ad illud ſuſcipiendum & conferendum ceremoniali inauguratione. Si aliquis tam auſterus & tetricus

tricus fuerit, ut nihil quod ad ordinationem Ecclesiasticam spectet, mulieribus concedi posse contendat, facilè antiquissima multorum seculorum traditione revincetur, ejusque tetricitas retundetur. Nihil enim nobis perhibent Rituales illi antiqui de Diaconissis & earum ordinatione, quàm quod exploratissimis testimoniis constat olim in Ecclesia tam Latina quàm Græca fuisse usitatissimum. Hoc est quod hac Exercitatione nobis probandum assumimus.

II. Mulierum Deo consecratarum quæ ad perpetuæ virginitatis vel castitatis observationem tenebantur, quatuor genera Patres commemorant. Primæ sunt Virgines quæ virginitatem Deo vovebant, quales erant quatuor Philippi Diaconi filiæ Act. 21. Ejusmodi Virginum innumera exempla nobis exhibent monumenta Ecclesiastica, antiquissima, & recentiora. Apocalypsis, Sanct. Ignatii Epistolæ, Clemens Romanus, Concilium Eliberitanum, Tertullianus, Sanct. Cyprianus, & post eos innumeri. Earum est in ritualibus antiquis, & hodiernis peculiaris consecratio: Sed nulla illis fit manus impositio, nisi fuerit mater sive Abbatissa. Secundum mulierum genus erant viduæ quæ defuncto marito castitatem Deo vovebant, ut Virgines virginitatem. Istæ non secus ac Virgines nullo officio in Ecclesia fungebantur: In Monasteriis cum Virginibus vivere solebant, postquam Monasteria condere Christianis Imperatores permiserunt. Vivebant etiam domi suæ aut cum parentibus; sub peculiari tamen Episcopi cura, quod non probat Concilium Parisiense sub Ludovico Imperatore lib. 1. cap. 44. In duobus potissimum Virginum consecratio à Viduarum consecratione differebat. Virginum consecratio & velatio ad Episcopum pertinebat; Viduarum verò ad Presbyterum. Deinde velum ab Episcopo consecratum Episcopus Virgini consecratæ imponebat. Vidua verò velum à Presbytero vel Episcopo consecratum ipsissima ab altari sumit, sibique imponit, non Episcopus, non Presbyter, ut diertissimè jubent canones. Concil. Carthag. 2. cap. 3. & 3. cap. 36. Hispal. 2. cap. 7. Leo Epist. 88. Gelas. Epist. 1. sive 9. cap. 15. 23. Zacharias Epist. 7. cap. 6. Parisien. Concil. lib. 1. cap. 40. Tribur. cap. 25. Burchard. lib. 8. cap. 35. 36. Iuo part. 7. Decreti cap. 53. 55. Ordo Romanus in consecratione Viduæ.

III. Tertia olim erat differentia & magni momenti: Vidua non benedicebatur, nec à Presbytero nec ab Episcopo; sufficiebat illi publica castitatis professio coram Presbytero, ut testatur Gelasius l. loco citato. *De viduis sub nulla benedictione velandis superius late sufficienterque prediximus.* Superius autem nihil aliud præter hæc verba dixerat, *Viduas autem velare, Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstitit.* Zacharias Epist. 7. cap. 6. Et Concil. Turon. 2. cap. 21. *Omnes sciunt quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis; quia solum propositum illis sufficere debet.* Ideo forte in antiquis Ritualibus Latinis rarissimè legitur benedictio sive consecratio Viduarum, ut etiam Diaconarum; reperitur tamen, ut infra dicemus. Hanc distinctionem apud Græcos non legi; solum distingunt Diaconissas à Virginibus, Diaconissasque ordinant ut cæteros Clericos, & altari ut Diaconos admovent. Virginum autem consecrationem à Viduarum consecratione non animadverti eos distinguere; Videntur utrosque uno & eodem modo consecrare.

IV. Tertium mulierum Deo consecratarum genus complectebatur uxores Clericorum quibus cum Maritis suis cohabitare non licebat. Eæ antiquitus apud Latinos, saltem multis in locis, maritorum nomen ferebant: Uxor Episcopi dicebatur Episcopa: Uxor Presbyteri Presbytera; Uxor Diaconi, Diaconissa, sive Diacona. Hujus consuetudinis apud Græcos nulla sunt exempla: Imo Epiphanius negat Viduas dici posse πρεσβυτερίδας, Presbyteras, sed πρεσβύτιδας, *Seniores.* Ratio videtur in promptu: Presbyteri & Diaconi apud Græcos uxoribus post ordinationem utuntur; Ideo consecrari Deo non possunt. Solæ Episcoporum electorum uxores apud eos cum mariti ordinantur, castitatem vovent, & Monasteria ingrediuntur, nec amplius hominum familiaritate & commercio fruuntur, ut vult Concilium in Trullo can. 48. Hinc novæ cognominationis occasio apud eos non oritur. Sed mos ille Presbyterorum & Diaconorum utentium conjugio nunquam fuit in Occidente usitatus. Quapropter cum Episcopi, Presbyteri, Diaconi conjugati ordinabantur, eorum uxores perpetuam castitatem vovebant, nec Monasterium tamen ingredi illis temporibus cogebantur, ut diserte præcipiunt multi canones antiqui, Toletan. 1. c. 18. Epaunense c. 32. Aurelian. 1. c. 15. Martinus Bracarensis collectionis canonum, c. 29. Antisiodor. c. 22.

V. Hinc maritorum nomen apud Latinos illis tributum. Ita Concil. Turon. 2. c. 14. Episcopum, *Episcopam non habentem nulla sequitur turba mulierum, &c.* & can. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, &c.* Antisiodor. c. 21. *Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire.* Gregorius II. in Concilio Rom. c. 1. *Si quis Presbyteram duxerit in conjugium anathema sit.* Zacharias Papa in Synod. Rom. c. 5. *Presbyteram Diaconam, Nonnam, aut Monacham, &c. Nullus sibi præsumat nefario conjugio copulare, &c.* Ideo refert S. Gregorius l. 4. Dialogor. c. 20. & citatur dist. 32. c. Presbyter, Ursicinum Presbyterum piè admodum regentem Ecclesiam suam, *ex tempore accepti ordinis Presbyteram suam ut sororem dilexisse, sed quasi hostem cavisse, ad se propius accedere non sivisse.* Idem præcipit Sanctus Basilius Paregorio Presbytero septuagenario sub Excommunicationis interminatione, *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium. Sit illa cum Virginibus, & tu inter viros ministra.* Epistol. 198. Inducebantur etiam vestibus peculiaribus professioni idoneis, ut constat ex S. Gregorio l. 7. Ind. 2. Epist.

Epiſt. 7. ubi Graviniæ Abbatiſſæ crimini imputatur, quod *uſque ad diem obitus induiſſe Monachica veſte noluerit, ſed in veſtibus quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanſerit.*

VI. Poſtremum mulierum Deo conſecratarum genus Diaconiſſas ſeu Diaconas propriè dictas ſpectat, quarum ordinationem antiquiſſimi Græcorum rituales nobis exhibent; quæque, ut ex earum ordinatione unicuique conſtare poteſt, nihil habent præter nomen cum antiquis Diaconis Latinorum Diaconorum uxoribus commune. De iſtis, cæteris dimiſſis, nobis eſt hic agendum, demonſtrandumque nihil de iis Rituales Græcorum antiquos ſtatuere, niſi quod ſcriptura ſacra, antiqui Patres Latini & Græci multis ante ſeculis docuerunt. Prius tamen notabit Lector Matthæum Blaſtarem in Nomocanone nondum edito, litera γ, teſtari antiquos libros rituales à ſe Lectos qui eandem quam nunc edimus Diaconiſſarum ordinationem exhibebant. Blaſtaris verba ut ab Arcudio lib. 6. cap. 10. Latinè interpretata referuntur, hæc ſunt, *Veteſti ſanè libri qui ceremonias omnium Ordinationum diligenter complectuntur, etiam annum ætatis quotus eſſe oporteat, Diaconiſſa præſcribunt, ſcilicet quadrageſimum, & habitum Monachalem, & cum quidem perfectum, & inſtitutum vitæ, quod nimirum deceat eam cum viris virtute præſtantibus certare. Præter ea omnia peragi in ejus initiatione, exceptis paucis, tradunt, quæ & in Diaconorum ſolent. Quippe ad ſacram menſam adducta Pallio Pontificis contegitur, extremitatibus pallii à parte anteriori Pontificis pendentibus, ac prolatis illis verbis, Divina gratia, quæ infirma ſanat, &c. neutrum pedum ad genu flectit, ſed tantum caput inclinat, impoſitaque ipſi manu Pontifex precatur, ut ſine reprehenſione miniſterii opus perficiat, caſtitatem atque honeſtam converſationem ſectetur; ac ita ſacris ædibus præſto ſit. Non autem permittit ei immaculata adminiſtrare Euchariſtiæ myſteria, nec flabellum ei in manus tradit, ut ſit in ordinatione Diaconi; ſed ſtolam Diaconorum ſubter pallium Pontificis collo ejus imponit deductis extremitatibus ſtolæ ad partem anteriorem. Tempore verò communionis poſt Diaconos divinorum myſteriorum participem efficit. Quæ accepto Calice ex manibus Pontificis impertit nemini, ſed continuò ipſum altari ſacro imponit.*

VII. Arcudius apud Blaſtarem legit ὠμοφόριον, quod etiam habet recentius ex tribus Ritualibus qui Diaconiſſæ Ordinationem commemorant. Sed alius Blaſtaris textus legit, & rectè μαφόριον quod eſt flammeum ſive velum longum mulieris Deo conſecratæ. Itaque ſic vertendum, *ad ſacram menſam adducta maphorio velatur, extremitatibus ejus à parte anteriori pendentibus*, nullus commodus ſenſus ex alia lectione conficitur. Idem cum Blaſtare teſtatur Balſamon ad Marcum Patriarcham Alexandrin. reſcribens, reſponſ. 35. lib. 5. juris Orient. *olim aliquando ordines Diaconiſſarum canonibus cogniti fuere, καὶ ἦν καὶ αὐταῖς βαθμὸν ἐν τῷ βήματι, habebantque & ipſæ gradum ſeu dignitatem in Sanctuario.* Balſamon igitur & Blaſtares viderant Ordinationum rituales antiquos Diaconiſſæ Ordinationem ut noſtri repræſentantes. Quapropter non eſt audiendus Arcudius cum ſcribit, *Quod refert Blaſtaris ex quibuſdam antiquis, ſeu potius Apocryphis, Euchologiis, de ſtola Diaconæ, & quod amplius de forma illa enuntiandâ, Divina gratia quæ infirma ſanat, &c. errorem eſſe judico, immo hæreticum, per conſequens improbandum, & omnino rejiciendum, &c.* Blaſtaris ſententia non ex apocryphis Euchologiis, ſed ex authenticis expreſſa eſt. Id etiam in Arcudio mirandum quod quidquid in verbis Blaſtaris condemnat hæreſeos illud habet Euchologium Patriarchicum Cryptæ Ferratæ, quod Arcudius lib. 6. cap. 9. & alibi ſæpius, ut maximè ſincerum & authenticum laudat.

CAPUT II.

De Diaconiſſarum ordinatione ſeu benedictione. Apoſtolus & antiquiſſimi Patres per Viduas univiras intelligunt Diaconas impoſitione manus ordinatas. Diaconiſſæ ex omni devotarum genere, & ex Laicis eligi poterant. Diaconarum quænam ad 40. annum, quænam ad 60. ordinabantur. Diaconiſſæ ad Clerum pertinent, & ordinari dicuntur, & ut Clerici puniuntur. Frequentiſſimæ fuerunt apud Græcos. Diaconiſſas & earum ordinationem apud Latinos non infrequenter deprehendi. Quæ de Diaconiſſis dicta ſunt, autoritate Concilii Nicæni primi demonſtrantur. Quid ἐξετάζειν, quid χεῖρα in eo canone.

I. HIs ad mulierum Deo ſacratarum, & ritualium noſtrorum ſinceritatem illuſtrandam adnotatis, quid antiquiſſima Eccleſiæ monumenta de antiquis Diaconiſſis, earum ordinatione & officio nos doceant, inquiramus. Sanctus Paulus cap. 5. 1. Epiſt. ad Timotheum inter cæteras conditiones, quas in viduis poſtulat, hanc enarrat, ut *fuerit unius viri uxor*, inquit, verſ. 9. *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, quæ fuerit unius viri uxor.* In verbis Apoſtoli eo loco duo manifeſta ſunt. Prius cum de Viduis agere quæ caſtitatem Deo vovent; ſequitur enim, *Adoleſcentiores autem Viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Poſterius, è numero Viduarum iſtarum quaſdam eligi quæ uni viro nupſerant, & præ cæteris erant virtutum exercitio cohoneſtatæ. Illæ ſunt quæ eo tempore Diaconiſſæ vocabantur, quæ ut Diaconi unam uxorem duxiſſe tantum debuerant; ſic & illæ uni viro nupſiſſe. Quamobrem requiritur ut uni viro nupſerint? Hactenus inauditum eſt ut à mulieribus caſtita-

tem ſimpliciter profeſſuris poſtulatum fuerit unicum matrimonium. Cum igitur ab his viduis unitas matrimonii requiritur, ad aliquod officium ſeu dignitatem præter ſimplex caſtitatis votum, euehuntur. Et officium illud, quid aliud eſſe poteſt quàm Diaconatus ſeu miniſterium aliquod Eccleſiaſticum, cujus mentionem alibi facit Apoſtolus, & qui ipſi coætanei fuerunt?

II. In fine Epiſtolæ ad Romanos ſic additur, ὡς ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας. *Scripta fuit ad Romanos è Corintho per Phoeben Diaconam Cenchreenſis Eccleſiæ.* In oratione ſecunda quæ fit ad ordinandam Diaconam rogatur Deus ut ei quæ in Diaconam conſecratur largiatur Spiritum ſanctum, & Diaconici miniſterii gratiam, ut Phoebæ largiri dignatus eſt. Ita quoque Apoſtoli verba de Diaconiſſis intellexit canon 74. Nicænus Arabicus, Diaconiſſæ *ex iis* Viduis *eligantur quæ non male audiant, ex eo uſque tempore quo fuerunt adoleſcentulæ, ſintque annos natæ ſexaginta, ſicut Beatus Paulus ordinavit.* S. Baſilius can. 24. *Viduam quæ in viduarum numerum relata eſt, hoc eſt, quæ ab Eccleſia in Diaconatum ſuſcepta eſt, cenſuit Apoſtolus nubentem eſſe deſpiciendam,* τετίμηται τῷ διακονικῷ τάγματι ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας. Senſus verborum S. Pauli ſecundum Eccleſiam Græcam clarius non poterat exprimi. Patres in Trullano Conc. can. 40. ex verbis Apoſtoli colligunt eum ſtatuiſſe Diaconiſſam ſexaginta annorum ordinandam. Ita Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Clericis l. 27. & Cod. Iuſtin. eodem tit. l. 9.

III. Sanctus Ignatius in Epiſtola ad Antiochenos, *ſaluto ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſſas: ſaluto Chriſto acceptas Virgines.* Et in Epiſtola ad Philippenſes. ἀσπάζομαι τὸ σύγκριμα τῶν παρθένων, καὶ τὸ πάγκαρπον τῶν χηρῶν. *Saluto Collegium Virginum, & ordinem Viduarum.* S. Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum c. 19. *De Diaconiſſa ego Bartholomæus ſic conſtituo; Manus ei Epiſcope impones præſentibus Presbyteris, & Diaconis, & Diaconiſſis.* Deinde ſequitur oratio ἐπὶ χειροτονίας διακονίσσης *in Ordinatione Diaconæ.* Sacræ autem Virgines ὐ χειροτονοῦνται, *non ordinantur. Mandatum enim Domini non habemus: Certare enim pro præmio Virginitatis, voluntatis eſt*, inquit c. 24. & c. 25. Idem negat de Viduis quæ non ſunt Diaconiſſæ, ſed quæ ſimpliciter caſtitatem vovent. χήρα ὐ χειροτονεῖται. *Vidua non ordinatur, ſed ſi jam diu virum amiſit, & caſtè & laudatè vixit, & domeſticorum diligentem curam habuit, ut honeſtiſſimæ illæ, ac graviſſimæ fœminæ Judith & Anna, cooptetur in gradum vidualem.* Secundum igitur antiquam Eccleſiæ traditionem ſolæ Diaconiſſæ per manus impoſitionem orationi conjunctam ordinantur: Virgines autem & Viduæ per ſolum votum ab ipſis emiſſum, & ab Eccleſia acceptum Deo conſecrantur.

IV. Diaconiſſæ verò ex tribus illis mulierum Deo conſecratarum generibus de quibus initio diximus aſſumebantur, ut quæque eo munere digna judicabatur; & ſuperaddita voto ordinatione, & Diaconatus gradu conſtituebatur. Hoc nos docet Clemens lib. 6. cap. 17. *Diaconiſſa eligatur Virgo pudica. Sin autem non fuerit Virgo, ſit ſaltem vidua quæ uni nupſerit, & fidelis atque honorata ſit.* Sanctus Epiphanius in expoſitione fidei poſt omnes hæreſes, de Diaconiſſis ait, *Illæ quidem univiræ, & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ Virgines.* Similiter Concil. Carthag. 4. c. 12. & Juſtinianus Novellæ 6. c. 6. *Volumus autem & ipſas quæ ad ordinationem perducuntur Diaconiſſas, ſive ex viduitate, ſive ex Virginitate, &c.* Ideo vult Clemens lib. 3. Conſtit. cap. 7. Viduas Diaconiſſis obedire. Concilium in Trullo c. 48. ſtatuit ut Epiſcopi uxor poſtquam conſecratus eſt, Monaſterium ingrediatur, *Sin autem digna viſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehatur.* Sancta Theoſebia Gregorii Nyſſeni uxor quam Nazianzenus Epiſt. 95. vocat, ἁγνὰς ἱερεῖν, καὶ ἱερέως σύζυγον, καὶ ὁμότιμον, καὶ τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀξίαν, *Verè ſanctam Presbyteri conjugem, & honore parem, magnis myſteriis dignam*, quum Maritus ejus Epiſcopus creatus eſt, Diaconiſſa facta eſt. Idem refert Metaphraſtes apud Surium 19. Februarii in vita Sanct. Auxibii de Themiſtagora qui ad fidem ab Auxibio fratre cum uxore converſus, ab eo Diaconus ordinatus eſt, & uxor ejus S. Timo Eccleſiæ Diaconiſſa. Eadem ratio de pleriſque Clericorum uxoribus quæ ut mariti gradum majorem aſcenderent, caſtitatem voverunt.

V. Diaconiſſarum igitur ordo quartus erat à tribus aliis mulierum Deo conſecratarum commemoratis diſtinctus, qui ex tribus illis aſſumi poterat, aut etiam ex mulieribus purè Laicis, cum inſignis pietatis aliqua judicabatur, Solæ autem omnium per χειροτονίαν, ſeu manus impoſitionem & orationem creabantur. Hinc Zonaras in 15. can. Chalcedonenſem rationem petit conciliandi quoſdam canones cum Apoſtolo. Nam Apoſtolus vult Diaconiſſam eligi è viduis quæ ſexageſimum annum attigerunt. At canon Chalcedonenſis citatus, & alii, ſtatuunt quadrageſimum annum ſufficere. Zonaras cum nonnullis aliis quos refert ait Apoſtolum eſſe de Viduis intelligendum, canones verò de Virginibus ad eandem dignitatem electis: Virgines eo quod virum paſſæ non fuerint, nuptiarum deſiderio Viduis minus accendi. Patres Concilii Trullani cap. 40. aliam conciliationis rationem ineunt, ſcilicet Patres qui Diaconiſſam annorum 40. ordinari χειροτονεῖσθαι permiſerunt, *Vidiſſe Eccleſiam Dei gratia potentiorem ac robuſtiorem evaſiſſe, & ulteriùs procedere ad divinorum mandatorum obſervationem, firmitatem, ac ſtabilitatem.*

VI. Diaconiſſas, & earum ordinationem multa alia monumenta Eccleſiaſtica demonſtrant. Tertullianus c. 7. lib. 1. ad Uxorem. *Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & Apoſtoli præſcriptio declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam adlegi in Ordinationem niſi univiram non concedit.* Et in fine exhortationis ad caſtitatem de iiſdem viduis verba faciens eodem ordinandi verbo utitur. *Quanta igitur, & quæ in Eccleſiis? Ordinari in Eccleſia ſolent, quæ Deo nubere maluerunt.* Viduæ illæ Deo conſecrantur per benedictionem quæ ordinatio-

nationis nomine, veluti Clericalis, à Sanctis Patribus appellari plerumque ſolet. Ordinationis enim nomen Tertulliano & authoribus in Africa coævis pro χειροτονία & ordinatione quæ fit Clericis per manus impoſitionem familiare fuiſſe conſtat ex ipſo Tertulliano cap. 41. de Præſcript. ubi de Hæreticorum Clero, *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes, nunc Neophytos conlocant, nunc ſeculo obſtrictos*, &c. Et cap. 7. libri de idololatria, *Adleguntur in ordinem Eccleſiaſticum artifices idolorum.* Conſtat idem ex Sanct. Cypriano ſæpius, & præſertim evidentiſſimè ex Epiſtolis 33. & 68. Quapropter nemini dubium in Africa Tertulliani tempore, ut in Oriente, Diaconiſſas fuiſſe ordinatas. Idem colligitur ex can. 12. Concil. 4. Carthag. infra referendo.

VII. Concilium Univerſale 4. can. 15. *Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hanc cum ſummo libramine. Si vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur ejuſmodi cum eo qui eidem copulatur.* Ordinatio Diaconiſſæ dicitur χειροτονία, & χειροθεσία, diciturque per illam manus impoſitionem gratiam Dei ſuſcipere. Concilium ſextum in Trullo cap. 14. *Similiter nec Diaconus ante 25. annos, nec Diaconiſſa ante quadraginta annos ordinetur*, χειροτονείσθω. Et can. 48. muliebris ille Diaconatus dicitur ἀξίωμα, dignitas.

VIII. Eodem ſenſu dixit Sanct. Epiphanius hæreſi 79. *Diligenter obſervandum eſſe Eccleſiaſticum ordinem ſive officium, uſque ad Diaconiſſas tantum neceſſarium fuiſſe*, διάταγμα ὂν ἐπ' ἄκρον χαρισμάτων μόνον τὸ ἐκλησιαστικὸν ὑπόδειγμα τάγμα. Hinc ſequitur ex ejus ſententia Virgines & Viduas Deo ſacratas quæ non ſunt Diaconiſſæ ad Eccleſiaſticum ordinem non pertinere. Eodem quoque ſenſu Sanctus Baſilius Diaconiſſam fornicantem Clericorum more puniendam eſſe ſtatuit, cap. 44. *Diaconiſſa quæ una cum Græco fornicata eſt, ad communionem recipienda eſt*, (precum videlicet) *ad oblationem autem ſeptimo anno admittetur, ſcilicet ſi in caſtitate vitam agat.* Virgo aut Vidua Deo ſacrata, mulier quoque Laica poſt tanti ſceleris perpetrationem ad Pœnitentiam ſive Subſtrationem in qua duri Pœnitentiæ labores imponuntur, relegata fuiſſet. Verum eo quod Diaconiſſa Clericorum numero cenſetur, ad communionem precum, ſive Conſiſtentiam cum fidelibus & ſacrificii conſpectum admittitur; attamen propter ſceleris gravitatem Euchariſtica communione ſeptem annis privata. Quamobrem, inquies, ad Subſtrationem non eſt damnata? Ratio eſt in promptu. Alio pœnæ genere punita eſt: nempe à Diaconatu depoſitione, cui propter enorme crimen ſegregatio à communione Euchariſtica conjungitur. Ita Clerici puniri ſolent, ne bis idem crimen puniatur, depoſitione ſcilicet & ſeveriſſima Pœnitentia. Hoc eodem loco docet cap. 32. Sanct. Baſilius, *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à Laicorum autem communione non arcentur: Non enim vindicabis bis in idipſum.* Ut igitur Presbyter vel Diaconus fornicationis rei deponerentur, ſed ab Eccleſia & precum communione non arcerentur: Sic Diaconiſſa à gradu & dignitate ſua deponitur, ſed à communione non pellitur, ne bis in idipſum vindicetur, quod eadem ratione canon Apoſtolicus 25. prohibuerat: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur. Dicit enim ſcriptura. Non vindicabis bis in idipſum. Similiter reliqui quoque Clerici.* Manifeſtum eſt igitur Diaconiſſas à Patribus Græcis ordinatas, & Clericorum more punitas. Hunc canonem eodem ſenſu commentatur & illuſtrat Balſamon.

IX. Frequentes autem apud Græcos ejuſmodi Diaconiſſas teſtantur leges Imperatoriæ. Juſtinianus Novellæ 3. c. 1. ubi Cleri Conſtantinopolitani majoris Eccleſiæ numerum definit, prohibet ne plures ſint in ea ſexaginta Presbyteris, Diaconis maſculis centum, fœminis quadraginta. Itaque in una Eccleſia quadraginta erant Diaconiſſæ. Novellæ autem 6. cap. 1ext0 ſæpiſſimè de ordinatione Diaconiſſæ mentionem facit, qua ætate, quibus moribus eſſe debeat, cum ordinatur, qua ratione Ordinationem promereri debeat, qualiter ſi nupſerit poſt ordinationem, aut peccaverit, puniendæ. Iterum Novellæ 123. c. 13. *Diaconiſſam vero non ordinari in ſancta Eccleſia, quæ minor eſt annorum quadraginta, aut ad ſecundas veneris nuptias.* Heraclii Imperatoris Novella quæ habetur Juris Occident. lib. 2. eundem Diaconiſſarum numerum in eadem Eccleſia confirmat. In Eccletia autem Sanctæ Mariæ Virginis in eadem urbe Diaconorum maſculorum numerum definit octodecim, fœminarum ſex, Subdiaconorum octo, &c. Ante hos Imperatores juſſerat Valentinianus, ut refertur lib. 16. Cod. Theodoſ. Tit. de Epiſcopis & Clericis lege 27. *ut nulla niſi emenſis ſexaginta annis, cui vetus domi proles ſit, ſecundum præceptum Apoſtoli ad Diaconiſſarum conſortium provehatur.* Refertur quoque Cod. Juſtin. de Epiſc. & Clericis lege 9. Ilius legis Theodoſianæ mentionem facit Sozomen. lib. 7. c. 16.

X. Quæ de Diaconiſſis Græcorum dicta ſunt, ab uſu & antiqua conſuetudine Latinorum non abhorrere non modo probant quæ jam de iis ex antiquis Latinis relata ſunt, ſed etiam nonnulla alia quæ nunc referimus. Gregorius II. in Concilio Romano cap. 2. *Si quis Diaconam in conjugium duxerit, anathema ſit*, Et can. 14. *Adrianus filius Exhilarati, qui poſt præſtitum Sacramentum in Apoſtolica confeſſione, Epiphaniam Diaconam illicito auſu in uxorem habet, anathema ſit.* Non videntur loqui Patres de Diaconi uxore. Nam Mariti ſeſe opponentis ejuſmodi nuptiis nulla mentio, & ſi canon ſequens totus ejuſdem Epiphaniæ cauſa ſit conditus. Concilium Vormacienſe canon 73. renovat Concilii Chalcedon. c. 15. *Diaconiſſam non ordinandam ante annum 40. & hoc cum ſummo libramine. Si vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujuſmodi cum eo qui eidem copulatur.* Hujus canonis

innovatio confirmat uſum apud Latinos omnium quæ de Græcis Diaconiſſis demonſtrata ſunt.

XI. Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus ritum exhibet & Miſſam peculiarem Ordinationis Diaconiſſæ: Ordinatur ad Altare inter ſolemnia Miſſæ, poſt Epiſtolam & graduales: conſecratione peracta, *Tunc ponat Epiſcopus Orarium in collo ejus dicens. Stola jucunditatis induat te Dominus. Ipſa autem imponat velamen capiti ſuo, palam omnibus de altari acceptum.* Deinde datur illi annulus; poſtea torques in capite: Tandem Euangelium legitur, & Miſſa completur. Initio ritus ante principium Miſſæ hæc habetur adnotatio, *Epiſcopus cum Diaconam benedicit, Orarium in collo ejus ponit. Quando autem ad Eccleſiam procedit, portat illud ſuper collum ſuum, ſic verò ut ſummitas Orarii ex utraque parte ſub tunica ſit.*

XII. In Bibliotheca Collegii Toloſæ vulgo dicti de Fuxo liber eſt manuſcriptus majori forma, literis magnis & elegantibus, inſcriptus, *liber Pontificalis Officii.* In eo ſic adnotatur fol. 156. *De benedictione Diaconiſſæ require in Ordinario. Oratio in Miſſa, Deus caſtitatis amator, &c.* Poſt alias orationes, *Deinde imponit eis Epiſcopus Orarium ſicut in Ordinario continetur: Poſtea dat ei annulum dicens, Accipe, &c. poſtea torquem ſive coronam, dicens, Accipe, &c.* Ordinarium illud ad quod remittit Pontificale non legi. Hinc manifeſtum non incelebrem fuiſſe poſterioribus ſeculis apud Latinos Diaconiſſarum inſtitutionem. Opponi poſſunt nonnulli antiquorum Conciliorum Gallicorum canones; ſed iis infra capite ſequente reſpondebitur.

XIII. Eundem ordinationis Diaconiſſarum ritum, & in Clero dignitatem docet & ſtabilit Concilium Nicænum primum cap. 19. non ut tunc inſtitutum, ſed ut ab antiquo in Eccleſia uſitatum. Definiunt Patres Paulianiſtas ad Eccleſiam revertentes eſſe rebaptizandos: Eorum vero Clericos rebaptizatos iterum ordinari poſſe ab Epiſcopo Catholico, ſi Clericali gradu examine facto digni judicentur. *Si vero*, inquiunt, *examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi oportet.* Hoc eſt, gradus quem apud ſuos obtinebant, nullo modo eſt eis pacis cauſa per novam ordinationem reddendus. Poſtea ſequitur ὡσαύτως ἡ καὶ περὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζομένων, ἢ αὐτὰς τύπῳ τῷ αὐτῷ φυλαχθήσεται. *Similiter autem & de Diaconiſſis, & universe de iis qui in Clero recenſentur, eadem forma ſervabitur.* Nihil mihi videtur clarius dici potuiſſe. Volunt definitionem priorem ad Diaconiſſas & inferiores Clericos extendi, id eſt, eos non modo iterum baptizari, ſed etiam ſi examine facto digni deprehendantur, iterum ad eundem gradum ordinari quem apud ſuos acceperant. Diaconiſſiæ igitur autoritate Concilii & ordinabantur, & Clero adnumerabantur.

XIV. Sed verba ſequentia difficultatem nectere videntur, ἐμνήσθημεν ἡμεῖς τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξεταζομένων, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν ἔνια ἔχουσι, ὥστε ἐξαπαντῶν ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι. Relictis diverſis interpretationibus quæ nec ſecum nec cum textu cohærent, quarum refutatio lectori tædium ſine fructu pareret, ea ſic interpretamur, *Meminimus autem Diaconiſſarum quæ in illo habitu & ordine deprehenſæ ſunt, ut cum nullam manus impoſitionem habuerint, omnino inter Laicas recenſeantur.* Exceptio eſt definitionis præcedentis, qua edixerat, *Similiter & de Diaconiſſis, &c.* In antiquiſſima canonum collectione Corbeienſi, quæ nunc in Monaſterio Sancti Germani Benedictinorum aſſervatur, illa canonis pericope ſic redditur: *Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodem habitu eſſe probantur, quod non habeant aliquam manus impoſitionem, & ideo modis omnibus eas inter Laicas deputari debere.* Eadem planè interpretatio cum noſtra, & idem ex ea conſequitur. Alia eſt in eodem Monaſterio vetuſtiſſima quidem, ſed priori vetuſtate plurimum cedens, quæ ab ea non differt, niſi quod omittit, *aliquam*, quæ omiſſio ſenſum reddit paulo obſcuriorem. Poſterior iſta, prima eſt è tribus tranſlationibus quæ in Conciliorum editione extant.

XV. Interpretatur igitur Synodus quod de Diaconiſſis dixerat; ſe Diaconiſſas intelligere quæ reapſe fuerunt apud Paulianiſtas Diaconiſſæ; illudque munus apud eos exercuerunt. Hæ tantum ſi dignæ probentur, erunt iterum ordinandæ, & Clero Catholico allegendæ poſtquam baptizatæ fuerint. Si verò nondum manus iis fuerit apud ſuos impoſita, quantumlibet fuerint ad Diaconatum diſpoſitæ, deſtinatæ, electæ, omnino erunt Laicis ab Epiſcopo Catholico annumerandæ. Genuinus eſt canonis ſenſus, qui cum præcedentibus optimè cohæret, nullaque difficultate niſi imaginaria laborat. Itum eſt in varias & abſurdas interpretationes ob præjudicatam de illegitima Diaconiſſarum ordinatione ſententiam. Cum autem tot antiquorum monumentis legitimam eſſe conſtet, non eſt quod quis ab ea verborum nativa interpretatione abhorreat. Quapropter hic canon egregiè confirmat quidquid de Diaconiſſis hactenus diximus, nedum evertit, ut quidam prava interpretatione decepti contendunt.

XVI. Ἐξετάζειν autem & ἐξετάζεσθαι rectè explicari apud optimos autores, Thucydidem, Demoſthenem, Xenophontem, & alios, *recenſere, adnumerare, adhuc extare*, exploratum eſt. Sed his omiſſis Lectori ſatisfaciet ipſius Concilii teſtimonium cap. 13. Si deploratus & communionem aſſecutus, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, *iterum viventibus adnumeretur*, hoc eſt, convaluerit, adhuc vivat. cap. 16. Presbyteri vel Diaconi, ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, *vel qui omnino in canone recenſentur*, id eſt, qui ſunt in canone, canoni ſive matriculæ & catalogo Clericorum inſcripti. In fine canonis repetitur eadem phraſis: Et iterum initio ſequentis canonis, σχῆμα quoque non modo habitum, veſtem, ſed etiam formam, ſpeciem, ornatum, dignitatem ſignificat, ut can. 8. ejuſdem Synodi de Novatianis. *Ubi ergo omnes, ſive in vicis, ſive in urbibus, ipſi ſoli inveniuntur ordinati*, εἰ διεσκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ, ἔστωσαν ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι, *Qui inveniuntur in Clero, erunt in eadem dignitate.* Nova verſio, *in eodem ordine.* Rectè antiqua tranſlatio, *Qui inveniuntur in Clero, in eodem perſeverent*, hoc eſt,

eſt, ſi Novatiani facti Catholici in aliqua urbe, vel pago ſoli ſint Clerici, perſeverent in Clero, & in eadem dignitate qua ante converſionem potiebantur. Similiter & in pericope de qua quæſtio, Meminimus Diaconiſſarum τὰ ἐν τῷ σχήματι ἐξεταζόμενα, quæ in Clero fuerunt, quæ ordini & diguitati Diaconiſſarum adnumeratæ ſunt: Quod ſi non habeant aliquam manus impoſitionem, oportet omnino eas Laicis adnumerare.

CAP. III.

Ex antiquis Patribus varia & multiplicia recenſentur Diaconiſſarum miniſteria. Diaconiſſa Diacono erat ſubdita, non autem inferioribus Miniſtris. Quando deſierunt in Oriente. Quando in Occidente. Conciliatio multorum canonum Occidentalium qui videntur Diaconiſſas ante multa ſecula abrogaſſe. Sanctimoniales ante 25. annum ſecundum canones non conſecrantur. Nullæ fuerunt apud Græcos mulieres πρεσβυτερίδες, Presbyteræ, ſed πρεσβύτιδες, ſeniores.

I. REſtat nunc ut de officiis & miniſteriis Diaconiſſarum agamus: Unde conſtabit antiquos Patres juſtas earum inſtituendarum cauſas habuiſſe; conſtabit etiam Eccleſiæ hodiernæ juſtas earum exauthorandarum cauſas non defuiſſe. Pleraque ejuſmodi miniſteria deſcribit S. Clemens Conſtit. lib. 3. c. 15. *Eliges quoque Diaconiſſam fidelem & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere vero poſſis Diaconiſſam propter cogitationes improborum. Ad multa enim indigemus Diaconiſſa. Ac primum quidem cum mulieres baptizantur, unget quidem eis Diaconus frontem tantùm oleo ſancto; poſt eum vero illinet eas Diaconiſſa. Non enim opus eſt ut viri inſpiciant fœminas, &c.* Deinde explicato baptiſmi ritu, ait, c. 16. *Virum quidem ſuſcipiat Diaconus, mulierem vero Diaconiſſa, ut honeſtè, & à quibus decet, fiat ſignum infractum: Poſtea Epiſcopus baptizatos chriſmate ungat.* Et lib. 2. c. 26. ſic edicit, *Ad Diaconum, aut Epiſcopum nulla mulier ſine Diaconiſſa accedat.* Et lib. 3. c. 7. poſtquam vitam deſcripſit quam agere debent Viduæ addit, *Viduas igitur oportet eſſe honeſtas, graves; obedientes Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, adhuc etiam Diaconiſſis.* Libro autem 8. c. 28. *Diaconiſſa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod januas cuſtodit, & Presbyteris miniſtrat cum mulieres baptizantur, idque propter decorum & honeſtatem.* Idem quoque de Diaconiſſa refert Harmenopulus ſect. 2. Epitomes tit. 4. can. 14. Diacono ſubjecta erat Diaconiſſa, poteratque eam Diaconus abſente Presbytero excommunicare; ſed nulla erat Hypodiacono in eam autoritas, neque inferioribus Clericis ut ſtatuit Clemens eodem loco. Conſeſſus mulierum in Eccleſia curam gerebat, eaſque in ſede idonea collocabat; ut Diaconi viros, Clemens lib. 2. c 58. De Primitiis & Decimis, ſive oblationibus fidelium quibus Clerici alebantur partes quatuor donabantur Epiſcopo, tres Presbytero, duo Diacono; Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus, & Diaconiſſis, eorum unicuique pars una, lib. 8. c. 31. Itaque Clericis Diacono inferioribus exæquabantur.

II. S. Ignatius in Epiſtola ad Antiochenos jam citata Diaconiſſis ut principale munus, portarum Eccleſiæ cuſtodiam tradit, portarum videlicet per quas mulieres ad Eccleſiam ingrediuntur. Per diverſas enim portas viri & mulieres in Eccleſiam ingredi ſolebant, quod in Occidente potiſſimum multis ſeculis diligenter obſervatum eſt.

III. S. Epiphanius in expoſitione fidei quæ extat in fine Panarii, ſive librorum de hæreſibus, *Diaconiſſæ ad hunc unum uſum adhibentur, ut mulierum decoris & honeſtatis cauſa ſint adminiſtræ, ſi id forte neceſſe fuerit: ſive dum baptiſmo initiandæ ſunt; ſive dum earum corpora perſcrutanda. Illæ quidem univiræ, & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias Viduæ, vel perpetuæ Virgines.* Hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum qui mulieribus ſacrificandi licentiam dabant, ſigillatim magis quæ ad Diaconæ miniſterium pertinent, explicat; *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii ſanctionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur: ſive ut baptiſmi tempore adſit: ſive ut inſpiciat ſi quid paſſa ſit, aut moleſtia pertulerit: ſive ut cum nudandum eſt mulieris corpus interveniat; ne virorum qui ſacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed à ſola Diaconiſſa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quæ tempore veſtibus exuitur. Quæ in re cum ordinis illius modeſtia, tum Eccleſiaſtica diſciplina prudenter admodum ex canonis præſcripto eſt conſultum.*

IV. Confirmat hæc, & aliquid addit Concilium Carthag. 4. c. 12. videlicet officium docendi mulieres baptizandas. *Vidua vel Sanctimoniales quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogate reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant.* Puto ex antecedentibus conſtare, Viduas illas vel Sanctimoniales electas ad hoc miniſterium fuiſſe Diaconiſſas, quæ ex Viduis & Sanctimonialibus eligi ſolebant. Varia fuiſſe Diaconarum miniſteria facilè colligitur ex Clericorum numero, quem definivit Juſtinianus Novella 3. in Eccleſia majore Conſtantinopolis, Presbyterorum ſcilicet ſexaginta. Diaconorum maſculorum centum, fœminarum quadraginta. Fuiſſe multiplicia oportet illa miniſteria quæ in una Eccleſia quadraginta Diaconiſſas exercerent.

V. Tota illa diſciplina in Diaconiſſas & ipſæ Diaconiſſæ, abhinc annos quingentos, & quid amplius, abolitæ ſunt & extinctæ in utraque Eccleſia Græca & Latina. Iſta deſuetudo Doctoribus Latinis permultis antiqui moris ignaris occaſionem dedit de hac ordinatione iniquè

Pronuntiandi; ſed hoc judicium ratione zeli quo expreſſum eſt, facilè excuſatur. Vivente Balſamone deſierant in Oriente Diaconiſſæ; ut teſtatur in can. 15. Chalcedon. Nonnullas quidem Monachas ait adhuc eo nomine Conſtantinopoli vocari, ſed abuſivè, eo quod nulla chirotonia conſecrentur. Interrogatus tamen à Marco Alexandrino Patriarcha de officio Diaconiſſarum lib. 5. Juris Orientalis Reſp. 35. dicit in Eccleſia Conſtantinopolitana adhuc vigere; verum propter menſtruorum inquinationem ab altari repulſas, & muliebres cœtus tantum Eccleſiaſticè dirigere. Præterea omnia Euchologia ab annis quadringentis Diaconiſſarum ordinationes non amplius nobis exhibent. Eaum quoque non meminit Symeon Theſſalonicenſis, licet Ordinationum ritus & myſteria ſuſè ſatis explicet. Eam quoque prætereunt Euchologiorum Græcorum editiones.

VI. Eodem tempore in Occidente omnino evanuerunt Diaconiſſæ. Sed antiquitus multò infrequentiores fuerunt in Occidente quam in Oriente. Vix enim antiqui rituales ſeu Sacramentaria earum mentionem faciunt. Deinde Petrus Pictavienſis primus Lombardi commentator in gloſſis ſuper ſententias l. 4. diſt. 20. lit. f. ſeptem velorum genera diſtinguens, unum Diaconiſſis tribuit, ſed deſiiſſe ſcribit, *Eſt*, inquit, *velum ordinationis in Diaconiſſis quadrageſimo anno, ſed abiit in deſuetudinem.* Paucis verbis duo demonſtrantur, Ordinationem Diaconiſſarum ante Petrum in Occidente viguiſſe; & Petri ſeculo jam deſiiſſe. Longè ante Petrum deſuetudinem illam contigiſſe, aut ſaltem incelebrem fuiſſe conſuetudinem illam ex Lombardi & Hugonis Victorini ſcriptis manifeſtum eſt, qui de Sacramento Ordinis, & omnibus ejus partibus, & adjunctis ante Petrum ſcribentes, nihil tamen de Diaconiſſis tradiderunt.

VII. Antiqua nonnulla Concilia Occidentis, Galliæ potiſſimum, videntur contradicere, & omnino evertere quæ de Diaconiſſis in Occidente diximus, & ſenſu noſtræ ſententiæ contrario à permultis Doctoribus explicari ſolent: diligenter tamen conſiderata eam ſtabilire mihi videntur. Singulos canones proferemus, & ſeparatim excutiemus, ut de genuino ſenſu Lector ipſe judicet. Concil. Arauſican. 1. c 26. *Diaconiſſæ omnimodan on ordinandæ. Si quæ jam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur, capita ſubmittant.* Neceſſe non eſt canonem illum de Diaconiſſarum abrogatione interpretari; ſed tantum ex eo colligere, præcipi ne omnimodæ ordinentur, hoc eſt, ne ſine examine, ne ante quadraginta annos, ne præter conditiones à canonibus requiſitas. Quod ſi aliter ordinatæ fuerint, *benedictioni quæ populo impenditur, capita ſubmittant*, id eſt, Laicæ habeantur.

VIII. Epaunenſe Concilium cap. 21. *Viduarum conſecrationem quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſolam eis Pœnitentiæ benedictionem, ſi converti ambiunt, imponendo.* Aliquid neceſſario ſubaudiendum. Quamobrem enim jubent Patres Diaconas illas ad Pœnitentiam publicam relegari ſi convertantur? Gravia igitur crimina perpetraverant. At omnes crimina perpetraſſe, & ad Pœnitentiam amandandas eſt improbabile. Dicet forſan aliquis non omnes peccaſſe, ſed propter multarum crimina univerſum ordinem in illis Provinciis extinctum. Id fieri potuit. Verum ſi hoc factum fuiſſet; Pœnitentiæ impoſitionem abſolutè & ſine ullo diſcrimine Concilium non decreviſſet. Certum igitur de omnibus Diaconiſſis canonem non eſſe intelligendum. De quibus vero difficile dictu. Lumen forſan mutuabitur canon ille ex can. 17. Concilii Aurelian. 2. *Fœmina quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta canonum acceperunt; ſi ad conjugium probantur iterum devolutæ, à communione pellantur.* Patres igitur Epaunenſes univerſas Diaconas contra canones ordinatas deponunt, quales teſte Concilio Aurelianenſi 2. plures erant eo tempore; non autem omnes omnino Diaconas. Vult autem Aurelianenſis canon ut benedictio Diaconatus contra canones ſuſcepta non liberet eas à caſtitate quàm voverunt ſervanda.

IX. Sed Concilium Turon. 2. can. 21. quod poſt Epaunenſe annis 60. celebratum eſt, aliam nobis ſuppeditat interpretationem. Nam Viduarum conſecrationem de qua Epaunenſe loquitur, interpretatur viduarum benedictionem, non in Diaconiſſas ordinationem. Certum eſt autem viduarum benedictionem cum Deo ſeſe conſecrant, canonibus prohiberi, ut capite præcedente docuimus. Nihil igitur aliud prohibent Patres Epaunenſes quam Viduarum cum velum accipiunt benedictionem, nec ullus eſt eis de Diaconiſſis ſermo. Turonenſis canon eſt ejuſmodi, *Illud verò quod aliqui dicunt, Vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cum omnes ſciant quod nunquam in canonicis libris legatur benedictio Vidualis; quia ſolum propoſitum illis ſufficere debet ſicut in Epaunenſibus canonibus à Papa Avito, vel omnibus Epiſcopis conſcriptum eſt*, Deinde refertur canon ipſe Epaunenſis, *Viduarum conſecrationem quas Diaconas vocant, ab omni religione noſtra penitus abrogamus.* Itaque juxta mentem Turonenſium Patrum non agitur in canone Epaunenſi de Diaconiſſis propriè dictis, ſed tantum de viduis quas vulgus impropriè Diaconas vocabat non benedicendis.

X. Sed admiſſa hac interpretatione non immerito quæretur, quis erit ſenſus verborum iſtorum, *ſolam eis Pœnitentiæ benedictionem ſi converti ambiunt, imponendo*, in canone Epaunenſi ſequentium. Reſpondeo, juxta Concilii Turonenſis mentem de Viduis agi in canone Epaunenſi quæ ſecundis nuptiis ſeſe implicuerant, quæque crimen ſuum obtentu benedictionis non acceptæ, excuſabant. Definiunt nihilominus Patres non obſtante hac excuſatione nulli viduæ quæ ſe Deo conſecrat dandam eſſe benedictionem, ſolamque, ſi contra caſtitatis propoſitum egerint, relictam eſſe Pœnitentiæ benedictionem, nec ut à ſecundis nuptiis abſtineant, benedictionem ut Virginibus eſſe impertiendam. Refert præterea idem Concilium in hujus rei probationem can. 27. Concil. Arelat. 2. ut demonſtret viduis caſtitatem

tatem profeſſis, licet non benedicantur, ad ſecundas nuptias convolare non eſſe permiſſum: *Et expreſſius decretum eſt in Synodo Arelatenſi, Profeſſas Viduas, ſi in incontinentiis perſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas.* Itaque ex can. Epaunenſi argumentari eſt extra ſcopum jaculari. Eodem prorſus ſenſu intelligi poteſt c. 17. Concilii Aurelianenſis 2. jam relatus.

XI. Sed fortius ſtringere videtur can. 18. ejuſdem Concilii. *Placuit etiam ut nulli poſtmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Videtur enim Concilium non omnes Diaconiſſas deponere, & ad Pœnitentiam redigere, ut Epaunenſe, quod eſt abſurdiſſimum; ſed relictis iis quæ jam ordinatæ erant, cavere ne in poſterum aliæ conſecrentur. Non eſſe tamen univerſalem illam prohibitionem ex ratione reddita clarum eſt, *propter conditionis humanæ fragilitatem.* Ergo nulli Virgini Virginitas, nulli viduæ caſtitas credenda eſſet, quod eſt perabſurdum. Intelligendus ergo canon ille ex antiquorum canonum præſcripto, ut nulli poſtmodum fœminæ diaconalis benedictio credatur ante annum 40. vel ut ſcriptura ſacra, & antiquiſſimi canones jubent, ante ſexageſimum.

XII. Hujus rei præclaram rationem nos docet Sanct. Baſilius c. 24. ad Amphilochium, *Vidua ſexaginta annos nata, ſi rursus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione ceſſaverit. Sed ſi ante ſexaginta annos, eam in numerum retulerimus noſtra eſt, non mulieris culpa.* Concilium Chalcedon. hoc tempus ad annum 40. reduxit, & Concilium in Trullo conſimiliter. Ut igitur Diaconiſſæ crimen imputetur ante ſexageſimum, aut ſaltem ante quadrageſimum annum ad hanc dignitatem non eſt provehenda: Nec canon iſte cum præcedente & aliis comparatus plura exigit. Eadem de cauſa in Concilio Agathenſi quod Aurelianenſe 2. triginta annis præceſſit, per Sanctimoniales intelligendæ ſunt Diaconæ, cum ait c. 19. *Sanctimoniales quantumlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.* Ætas illa Diaconiſſis velandis & ordinandis erat deſtinata; Sanctimonialibus verò Virginibus annus 25. ut illius ſeculi & præcedentis canones & decreta definiunt: Ita Concil. Carthagin. 3. c. 4. Arelat. 2. c. 33. Milevitan. c. 26. Gelaſius I. Ep. 1. Turon. 2. c. 21. Non eſt probabile Agathenſes Patres tot canonibus contrarium ſtatuiſſe. Velum igitur Diaconiſſarum intelligunt, quod Sanctimonialibus, ſi neceſſe erat, juxta canones anno quadrageſimo tradebatur. Eodem ſenſu accipiendus eſt can. 8. Concilii Cæſaraugustani: *Item lectum eſt non velandas eſſe Virgines, quæ ſe Deo voverunt, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam Sacerdos probaverit.* Hac ratione canones omnes ſibi perbelle conſentiunt.

XIII. Supereſt Concilii Laodiceni. c. 11. qui cum aliqua probabilitatis ſpecie opponi poteſt, *Non oportet ſeniores ditlas, πρεσβύδας, vel Præſidentes, in Eccleſiis conſtitui,* καθίστασθαι. Verum non agitur eo canone de Diaconarum ordinatione, ſed de Seniorum mulierum in Eccleſia, quæcunque illæ ſint, ad certam præfecturam in illa regione uſitatam inſtitutione: πρεσβυτέρια iſtam tollit Concilium. Ideo Patres verbo καθίστασθαι uruntur, quod conſtituere & ſtabilire ſignificat; non ordinare per manus impoſitionem, ſive χειροτονεῖσθαι. Zonaras & Balſamon Seniores illas interpretantur vetulas quaſdam mulieres, quæ tum temporis in illa Provincia cæteris mulieribus in Eccleſia ordinis & confeſſus cauſa præficiebantur. Notabit inſuper Lector malè Interpretes omnes πρεσβύδας interpretari Latinè Presbyteras; pejuſque antiquam verſionem paraphraſticè hoc nomen ſic explicare, *mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos autem Viduæ, Seniores, Univiræ, & Matriculariæ, &c.* Nullæ enim ſunt apud Græcos mulieres Presbyteræ, πρεσβυτείδες, ut diſertè negat Sanct. Epiphanius hæreſi 79. & adnotatum eſt ſuprà, ſed tantum πρεσβύδες, quo nomine in quibuſdam regionibus vocabantur è Diaconiſſis ætate provectiores.

EXER-

EXERCITATIO XI.

DE VARIIS QUÆSTIONIBUS QUÆ secundum Latinos & Græcos communiter de Subdiaconatu & quatuor Minoribus ordinibus diſputari poſſunt.

CAPUT I.

Subdiaconatum & quatuor minores Ordines demonſtratur non eſſe Sacramenta, eo quod antiqui autores dicunt eos non eſſe ſacros, & ab Eccleſia labente tempore eſſe inſtitutos. Deinde eo quod olim plures in quibuſdam Provinciis fuerunt, in aliis multò pauciores, nonnulli abrogati, alibi viguerunt: Nonnullorum in multis Provinciis nulla unquam memoria. Multi Scholaſtici aſſerunt Subdiaconatum non eſſe Sacramentum: Plurimi de quatuor minoribus id negant. Non omnes Ordines inſtituti ſunt propter Miſſæ ſacrificium. Ordo Cuſtodiæ Martyrum, in quo conſiſtebat. Acolythorum apud Græcos nuſquam mentio.

I. HActenus actum eſt de ordinibus qui in Eccleſia Latina per manuum impoſitionem & orationem non ſecus quàm in Græca conferuntur. Nunc de cæteris agendum quos per inſtrumentorum traditionem conferre in Eccleſia Latina mos eſt, quoniam, ut ait Concilium Carthag. IV. manuum impoſitionem non habent. In his igitur conferendis perpetua eſt & antiquiſſima Latinorum à Græcis & Orientalibus differentia. Hi enim in eorum collatione ſolam adhibent cum Oratione manuum impoſitionem, iſti verò ſolam inſtrumentorum traditionem. Ordines iſti ſecundùm vulgatum Latinorum uſum quinque ſunt, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus: Secundum autem Græcos duo, Subdiaconatus, & Lectoratus. Quibuſdam, ut Syris, tertius eſt, Cantoratus. De his quædam quæri poſſunt, quæ ad omnes ex æquo ſpectant; alia quæ ad ſingulos. A Prioribus incipiemus. Primum quæritur, an ordines illi Sacramenta ſint, characteremque imprimant. Secundo, an ſecundus primum neceſſario ſupponat; tertius utrumque, & ſic de cæteris. Tertiò unde varietas illa materiæ, & quid eſt quod ei occaſionem dedit.

II. Prima quæſtio nondum definita eſt, & in utramque partem à Doctoribus Scholaſticis diſputatur, ea tamen cum differentia, ut longè plures reperiantur qui quatuor minores Ordines aſſerant non eſſe Sacramenta, quàm qui idem de Subdiaconatu prædicent. Omnes tamen in eo conveniunt, quod cenſeant hanc propoſitionem probabilem, *Subdiaconatus & quatuor minores Ordines Sacramenta non ſunt, nec characterem imprimunt*, licet quà reſpicit ſolos minores Ordines, eam judicent probabiliorem, & eorum multi affirmativam, illi contrariam hac repudiata amplectantur. Eam propoſitionem integram, qua reſpicit Subdiaconatum, & ſubſequentes Ordines aſſerunt Sententiarum Magiſter l. 4. diſtinct. 24. Durandus in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. num. 6. Cajetanus Opuſcul. tom. 1. tractatu 11. artic. unico. Victoria Summa de Sacram. quæſtio 2. de Ordine, Martinus Aiala de traditionibus Apoſtolicis, par. 2. c. de Ordine. Arcudius de Sacrament. l. 6. c. 9. in eam inclinat. His addi poteſt Alphonſus de Caſtro adverſus hæreſes, verbo, *Ordo Sacramentum*, qui hanc contrariæ præfert. Verum qua ſolos Ordines minores reſpicit, longè plures ambabus, ut dicitur, manibus eam amplectuntur: Gabriel Vaſquez Doctor inter Scholaſticos celeberrimus, Tom. 3. in tertiam partem, diſput. 237. c. 2. qui quacunque congeſſit autores ſibi conſentientes, Durandum, Cajetanum, Martinum Aialam, Alphonſum ubi ſupra, Medinam lib. 1. de continentia c. 46. Dominicum Soto in 4. d. 24. q. 1. art. 4. Concluſ. 7. & §. ad argumenta Durandi, ubi addit ſibi perſuaſum habere, ſi S. Thomas in Summa Theologiæ ad hunc locum perveniſſet, amplexurum contrariam opinionem ei quam in 4. diſt. 24. tradidit: Et diſt. 25. q. 1. art. 2. poſt 2. Concluſionem; manifeſtè

feſte dicit hanc ſententiam cum Durando ſe conceſſiſſe. Navarrus in Summa c. 22. n. 18. His addi poſſunt alii non pauci, Victoria relectione de Simonia. Anglez in 4. eos vocat Sacramentalia. Caranza in Summa Conciliorum inſtitutionis ait eſſe Eccleſiaſticæ, Arcudius lib. 6. c. 9. Eſtius utramque ſententiam ita cenſet eſſe probabilem, ut nihil in alterutram partem definire voluerit.

III. Quum ego examino & perpendo antiquorum Patrum de Subdiaconatu & minoribus Ordinibus teſtimonia, propoſitionem illam qua aſſeritur, & Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines, non eſſe Sacramenta, judico tam eſſe certam & evidentem, ut qui ea conſideraverit, ire contra vix poſſit. Scholaſtici qui primi ea de re diſputarunt, argumenta è Pontificali Romano cum antiquorum Patrum dictis & factis non ſatis comparato deprompſerunt. Deinde eorum diſcipuli pauca quæ Magiſtri non viderant, edocti, ab ea quam hauſerant ſententia receſſionem non fecerunt, exiſtimantes iis ſe facilè reſpondere poſſe. Verum ſi quis antiqua monumenta diligentius ſcrutetur, ut Poſteri fecere tanta contra ſe teſtantium nube obruetur, ut niſi affirmet veri Sacramenti iſtos Ordines rationem non habere, difficillimè de eorum verbis exitum ſit expediturus An fallar conſideratis quæ ſequuntur, Lector dijudicet. Quatuor argumentis propoſitionem illam demonſtrabimus, ſeu potius Antiquorum teſtimonia in quatuor claſſes digeremus.

IV. Primum argumentum petetur ab iis Antiquorum dictis quæ docent minores illos Ordines ab Apoſtolis non eſſe inſtitutos, ſed ab Eccleſia, creſcente fidelium multitudine adjectos, aliaque enarrant his ſimilia. Uno teſtimonio duos teſtes proferemus, Amalarium Fortunatum vulgo creditum Archiepiſcopum Trevirenſem, & Sanct. Ambroſium ab eo in ſuæ ſententiæ confirmationem allatum, lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. c. 6. *Primò notandum eſt eos Ordines qui potiſſimum neceſſarii ſunt in Eccleſia Apoſtolum Paulum denominaſſe, & eorum mores depinxiſſe, ſine quibus non poteſt rite immolatio altaris celebrari, ſcilicet ſine Sacerdote & Diacono. Ut ſine retardatione Sacerdos vigilet circa hoſtiam, neceſſarius eſt Diaconus ad miniſtrandum ea quæ neceſſaria ſunt Sacerdoti: Cæteri Ordines his adjecti ſunt. Creſcente Eccleſia, crevit officium Eccleſiaſticum: ut multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſet, adjiciuntur inferiores in adjutorio Prepoſitorum. Unde Ambroſius in tractatu Epiſtolæ ad Timotheum: illud vero dictis noſtris adjici dignum eſt, quoniam non convenit demirari, ſi neque Subdiaconorum neque Lectorum memoriam Apoſtolus feciſſe videatur. Illis etenim gradibus functionum qui in Eccleſia neceſſario habentur, iſti poſtea magis ſunt adjecti propter utilitatem miniſterii, quod propter multitudinem credentium per alteros poſtea impleri debere neceſſitas flagitavit. Unde nec Ordinationem ante altare aſſequuntur, eo quod nec myſteriis miniſtrare ſtatuuntur; ſed alii quidem eorum, Lectionum officium implent, alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent miniſteria; nec non ſolicitudinem implent luminariorum. Nam myſterii miniſterium Presbyteri ſoli implent & Diaconi; alii quidem eorum Sacerdotale opus implentes; alii vero ſacris miniſtrantes.* Nihil mihi clarius his verbis fingi poſſe videtur. Deinde ex iſta Patrum narratione Durandi fundamentum quo probat Subdiaconatum & Minores Ordines vera Sacramenta eſſe non poſſe, & cui Adverſarii illud concedendo reſpondere non poſſunt, falſum evidenter aſſumit: Omnes ſcilicet Ordines ad Sacramentum Euchariſtiæ referri. Ad Synaxis enim celebritatem & decorem auguſtiorem; ad populum regendum & in officio continendum; plerique eorum inſtituti ſunt, non ad Sacrificium altaris peragendum; coram quo non conſecrantur, nec conſecrati miniſtrant. Sanè ſi velis ad ſacrificium eos referre, & idcirco Sacramenta vocare, non ſeptem tantum erunt Ordines, & Sacramenta, ſed centum facilè creabuntur, quorum unumquodque directius & immediatius ad Euchariſtiæ ſacrificium referetur quàm Oſtiariatus, & Exorciſtatus.

V. Urbanus II. in Concilio Beneventano, ut apud Ivonem in Decreto part. 5. c. 72. citatur, *Nullus in Epiſcopatum eligatur, niſi in ſacris Ordinibus religioſe vivens inventus eſt. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatus & Presbyteratus. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe: Super his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus. Subdiaconos verò, quia & ipſi altaribus miniſtrant, opportunitate exigente, concedimus; ſed rariſſimè, ſi tamen optata ſint religionis & ſcientiæ. Quod ipſum ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia non fiat.* Soli hi ordines Majores ſunt, & Apoſtolico jure ſacri: Eccleſia poſtea Diaconatum qui implicitè continet omnes inferiores ordines & dignitates, ſive miniſteria, diverſimodè explicavit pro populi fidelis multitudine, & Eccleſiarum opibus, varios creans utilitatis & ſplendoris causâ ordines & dignitates. Ait Subdiaconos altaribus miniſtrare. Jam tum ab aliquot ſeculis hoc uſurpabatur, ſed non ſic ab antiquo, nec hactenus in Oriente obtinuit. Hic canon refertur quoque dist. 60. canone ultimo.

VI. Hugo à Sanct. Victore lib. 2. de Sacramentis fidei, part. 3. c. 13. eandem ſententiam ut ſuo tempore vulgatam confirmat, ad canonem præcedentem alludens, *Sacri canones definiunt nullum in Epiſcopum eligendum, niſi qui prius in ſacris Ordinibus religioſè fuerit converſatus. Sacros autem Ordines Diaconatus & Presbyteratus tantum appellandos cenſent, quia hos ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe, & de his ſolis præceptum habemus Apoſtolicum*, &c. Paulò poſt Hugonem Gratianus eodem modo philoſophatus eſt dist. 21. *Levitas autem ab Apoſtolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos & Acolythos, procedente tempore, Eccleſia ſibi conſtituit.* Magiſter Sententiarum omnium Scholaſticorum dux iiſdem annis cum duobus præcedentibus vivens lib. 4. dist. 24 lit. I. *Cumque omnes* Ordines *ſpirituales ſint & ſacri, excellenter tamen canones duos tantum ſacros Ordines appellari cenſent, Diaconatus ſcilicet & Presbyteratus: quia hos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe, & de his ſolis*

præceptum Apoſtoli habemus. Apoſtoli enim in ſingulis civitatibus Epiſcopos & Presbyteros ordinaverunt: Levitas etiam ab Apoſtolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos verò & Acolythos, procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit. His æqualis Petrus Bleſenſis ſerm. 47. *Primo notandum occurrit, quia productior eſt aſcenſus ad hunc gradum nunc quàm in primitiva Eccleſia; in qua qui tantum fidelis erat, Diaconus fiebat vel Sacerdos. Introducti poſtea ſunt quidam minorum Ordinum gradus, per quos tanquam per cantica graduum aſcenditur ad Sacerdotium.* Iſto conſenſu nihil expreſſius requiri poteſt: cui accedit quod nulli autores antiqui contrarium dixerint, aut iſtos Ordines ex parte inſtitutionis, ſacris æquaverint.

VII. Secundum argumentum, ſive ſecunda teſtimoniorum claſſis, petitur ab iſtorum Ordinum, modo unius, modo alterius, aut etiam plurium ceſſatione, additione, diminutione, abrogatione, & redintegratione; quibus manifeſtè evincitur eos Ordines inſtitutionis eſſe Eccleſiaſticæ; & poſſe pro Eccleſiæ prudentia aut conſuetudine, ſicut cæteræ Eccleſiæ conſuetudines, mutari aut abrogari. Iſta multorum exemplorum inductione demonſtrari poſſunt. Primum ex eo quod infra teſtimoniis innumeris demonſtrabimus, ab annis ſaltem mille & ducentis tres ex iſtis quatuor ordinibus in Eccleſia Orientali prorſus deſiiſſe; ſi modo in ea aliquando fuerunt. Sed tanto tempore Latinorum nemo ideo Græcos aut alios Orientales redarguit, aut mutilum eſſe apud eos Sacerdotium conqueſtus eſt. Tot viri ſancti, tot Martyres, tot Doctores apud eos fuerunt, quorum apud eos nullus fuit Oſtiarius, aut Exorciſta, aut Acolythus. Tot ſancti Epiſcopi qui hos Ordines nunquam contulerunt, aut de iis conferendis nunquam cogitarunt.

VIII. Secundo Cantoratus ſeu Pſalmiſtatus, hactenus ordo eſt apud Græcos & Syros non ſecus ac Lectoratus, & Subdiaconatus, ut docent omnia eorum Euchologia. Antiquitus eadem erat Latinorum conſuetudo: Antiquus ordo Romanus, *Pſalmiſta, id eſt, Cantores poſſunt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dante ei Presbytero, vel potius Epiſcopo, Antiphonarium in manus, & dicente ſibi, Videte ut quod ore cantatis, corde credatis, & quod corde creditis, operibus probetis.* Idem Concilium Carthaginenſe 4. c. 10. *Pſalmiſta, id eſt, Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, &c.* Eadem habent Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſiaſt. c. 12. Rabanus Maurus de inſtit. Clericor. l. 1. cap. 11. Iſidorus quoque loco citato, & in Epiſt. ad Leudefridum ſeparatim, & capite diſtincto, non ſecus ac cæterorum ordinum, Pſalmiſtarum ordinationes & officia, explicat. Rabanus Maurus licet id non faciat ſeparato capite, Pſalmiſtarum tamen ordinationes & officia à Lectoribus dividit: Quibus ſanè demonſtrant ſe credidiſſe ordines eſſe diſtinctos, & diſtinctis actionibus conferendos. Idem credidit Concilium Carthaginenſe III. quod omnes illos autores præcedit, cum dixit c. 21. *Clericorum nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retineant.* S. quoque Gregorius lib. 11. Ep. 54. *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, Lectores, Clericos appellamus.* Similia Beda in vita S. Cuthberti, c. 16.

IX. Objicietur forſan diſſimilitudinem eſſe quod Cantoratum poterat conferre Presbyter. Sed hoc nihil ad rem. Erat enim ex antiquorum Conciliorum decretis permiſſum Chorepiſcopis, & Monaſteriorum Præfectis, modo Sacerdotes eſſent, non modo Cantoratum conferre, verum etiam quatuor minores Ordines, atque etiam Subdiaconatum, ut ſæpius jam dictum eſt, & probatum: Conſtatque hoc præterea manifeſtò quod ad Chorepiſcopos attinet ex Sanct. Iſidori verbis lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. c. 6. Eodem privilegio nunc fruuntur non tantum Cardinales Presbyteri, ſed & Ciſtercienſis Ordinis Abbates. Ut igitur hoc privilegium non impedit Ordinum ſic collatorum veritatem; ſic nec idem in Occidente Presbyteris Cardinalibus ſeu Parochis conceſſum impediet quin Pſalmiſtatus quia per Presbyterum collatus, ſit verus Ordo, & Subdiaconatui, cæteriſque minoribus Ordinibus æquiparandus. Imo quilibet Epiſcopus olim in multis Provinciis cui libebat Presbytero jus & autoritatem dare poterat Acolythos & Subdiaconos creandi & conſecrandi, ut evidenter teſtatur Gelaſius I. Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, c. 8. At hic Cantoratus ordo in Eccleſia Latina, ut omnes ſciunt, prorſus interiit.

X. Tertiò, nonnulli ordines olim in quibuſdam Eccleſiis viguerunt, qui à multis ſeculis abrogati ſunt; & in multis Eccleſiis nonnullorum ex quatuor illis Minoribus nulla erat memoria. Foſſariorum ordo in quibuſdam Eccleſiis olim erat celebris. Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, aut quivis alius illius Epiſtolæ autor, ſanè antiquus: ſcribebat enim, ut ex illo opuſculo colligitur, florente adhuc in quibuſdam Galliæ partibus imperio Romano, de variis Clericorum ordinibus opere ſpeciali ſcribere ſibi proponebat. A quo vero incipit? *Primus*, inquit, *in Clericis foſſariorum ordo eſt*, &c. eumque poſtea plurimis verbis, ut ſequentes ordines deſcribit. Sed Exorciſtatum & Acolythatum prorſus præterit. Quamobrem vero hæc? Si in ipſius Eccleſia & vicinis nulla fuiſſet ſpecialis foſſariorum, ut aliorum Ordinum, conſecratio; ſed Exorciſtarum, atque Acolythorum ordines in iis locis à cæteris Ordinibus fuiſſent diſtincti? Foſſariorum ordo non vigebat tantum in locis quibus Hieronymus ille ſcribebat, ſed etiam in Oriente apud Syros, vicinoſque populos, ut ex antiquiſſimo autore Sanct. Ignatio Antiocheno conſtat ad Antiochenam plebem ſuam ſcribente: *Salvete*, inquit, *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorciſtas*, &c. Per laborantes intelliguntur foſſarii, ut Sanct. Epiphanii verba in expoſitione fidei demonſtrant; qui eoſdem Clericis adnumerat, *ſequuntur laborantes qui mortuorum corpora curant.* Paulatim tamen Ordines iſti extincti

ſunt

ſunt in illis ipſis locis in quibus inſtituti fuerant; atque à multis ſeculis nulla eſt amplius eorum memoria.

X. Quarto, debet his adjungi Martyrum cuſtodia quæ olim in Eccleſia Romana proculdubio fuit ordo Eccleſiaſticus, ut conſtat ex S. Sylveſtro in Epilogo Synodi Romanæ, *Si quis deſiderat in Eccleſia militare, aut proficere, ſit prius Oſtiarius, Lector, Exorciſta per tempora quæ Epiſcopus conſtituerit. Deinde Acolythus annis quinque, Subdiaconus annis quinque, Cuſtos Martyrum annis quinque, Diaconus annis quinque, Presbyter annis tribus*, &c. Fateor equidem Epilogum iſtum S. Sylveſtro eſſe multo poſteriorem. Verum ea in Epilogum conjecta ſunt, quæ ad Concilii ſubſtantiam pertinebant. Quidquid ſit, cum iſta ante annos circiter nongentos citata & approbata deprehendantur, certum eſt ejuſmodi ordinem ante illa ſecula in Eccleſia Romana fuiſſe uſurpatum. Hæc eadem habet, & eodem ordine Pontificale Damaſi in vita S. Sylveſtri.

XI. Nemo, quod ſciam, explicavit, quale eſſet officium cuſtodiæ Martyrum, & circa quæ verſaretur. Ut id quod ſentio explicem, in memoriam revocandum eſt, Chriſtianorum Eccleſias olim martyria dictas, eo quod in Martyrum cœmeteriis ædificarentur, altariaque Eccleſiarum ſuper ipſa Martyrum cœmeteria conſtruerentur. Martyrium propriè erat Eccleſiæ ſanctuarium, in quo erat altare, & ſubtus altare locus in quo Martyris corpus reconditum erat, in quem locum per aliquot gradus deſcenſus erat. Ab eo loco tota Eccleſia Synecdochicè Martyrium dicebatur. Apud Latinos, Romæ potiſſimum, locus ille Confeſſio vocabatur; ut Confeſſio Sanct. Petri, Sanctuarium eſt Eccleſiæ Sanct. Petri in quo erat altare Deo dicatum ſub Sanct. Petri nomine, & ſub altari corpus Sanct. Petri ſepultum. Hoc paſſim Romæ in antiquis Eccleſiis viſitur. Cuſtos igitur Martyrum ille dicebatur, cui cura iſtius Martyrii, ſeu Confeſſionis, altariſque ſuprà ædificati erat demandata; non quidem ut altare curaret, Sanctuariumque ingrederetur, dum celebrabantur myſteria: hoc erat tunc ſolis Sacerdotibus & Diaconis licitum; verùm ut extra illa tempora curationis iſtius officio fungeretur: ideo teſtimonia quæ Cuſtodum illorum mentionem faciunt, eos collocant ante Subdiaconos poſt Diaconos; Subdiaconi enim propius ad altare accedunt. Hæc obiter de Martyrum Cuſtodibus dicta ſunto.

XII. Nec etiam in hac cauſa minimi momenti eſſe debet, quod Acolythorum nuſquam fit mentio, niſi poſt annum à Chriſto nato ducenteſimum & quinquageſimum; ſcilicet apud Sanct. Cyprianum, & in Epiſtola S. Fabiani: quæ enim antiquiora teſtimonia referuntur, palam νοθευτὰ. Verum quidem eſt de his eo tempore mentionem fieri, ut jam conſtitutis, & ſtabilitis, ac proinde Acolythorum creationem illud tempus præcederet. Verùm ſi ſunt ab ipſiſmet Apoſtolis inſtituti, quî factum eſt, ut antiquiſſimi autores qui cæteros ordines commemorant, & plures quàm nunc habeamus, Acolythorum non meminerint? Quî factum eſt, ut apud Græcos autores nulla unquam ætate compareant? Apud Euſebium quidem in hiſtoria Eccleſiaſtica Acolythos legere eſt, ſed hoc à ſe, aut ex Autore Græco non refert; exſcribit tantum verba Epiſtolæ S. Fabiani Papæ Græcè tranſlata; ex quo ſolo teſtimonio, ut ab Euſebio refertur, colligi poteſt in Eccleſia Romana tum temporis Acolythos viguiſſe.

CAP. II.

Idem demonſtratur iis Antiquorum teſtimoniis quæ docent Diaconatum & Presbyteratum collatos omiſſis Subdiaconatu, & aliis minoribus, vel omnibus, vel aliquo, aut aliquibus eorum Presbyteratus ad ſui collationem nullum ordinum antecedentium prærequirit, ſed ad exercitium requirit Diaconum. Acolythus aliquando pro Subdiacono ponitur. Saltus in Ordinibus antiquitus dupliciter committebatur. Confeſſoris Chriſti dignitas licet non eſſet Ordo, ſufficiens tamen erat ad Diaconatum præparatio.

I. TErtia argumentorum claſſis, ſeu tertium argumentum ab iis Antiquorum teſtimoniis petitur, quæ docent iſtorum ordinum ſubordinationem in altiorum Ordinum promotione ſæpe non fuiſſe obſervatam; hoc eſt, ſæpe Lectores ordinatos, qui nunquam fuerant Oſtiarii; Acolythos qui nunquam fuerant Oſtiarii, Lectores, aut Exorciſtæ; Subdiaconos, aut etiam Diaconos, qui nullo minorum Ordinum charactere fuerant inſigniti. Unde certè manifeſtiſſimum mihi videtur antiquam Eccleſiam iſtos ordines non exiſtimaſſe divinitus inſtitutos. Nam ſi aliter cenſuiſſet, qui confidentia unum aut alterum, aut etiam omnes pro arbitrio prætermitteret? Hinc etiam colligitur veritas iſtius axiomatis vulgati, Epiſcopatum ut validè conferatur, neceſſario Presbyteratum præcedentem requirere; Presbyteratum verò nullum antecedentium ordinum: Nullum enim extat exemplum Epiſcopatus non Presbytero collati. Cæteros quoque antecedentium nullum, ut radicitus inhæreant, ſupponere. Hoc tamen peculiare habet Presbyteratus quod licet in ſui collatione præcedentium nullum requirat, neceſſario tamen in officii ſui exercitio Diaconum poſtulat, ut ſæpe dictum & probatum eſt. Quapropter licet Diaconatu non præcedente, rata ſit Presbyteratus collatio, eo tamen creato, abſolutè neceſſe eſt Diaconum creari, ſi nullus jam ſit creatus, ut officium ſuum exequi poſſit. Ideo ſacra Scriptura trium tantum mentionem fecit, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi; Epiſcopi qui regeret Eccleſiam; Presbyteri qui ſacrificaret; Diaconi qui miniſtraret. Eccleſia poſtmodum

Episcopum implicitè varios gradus continentem in Metropolitas, Patriarchas, & Primates explicavit: Diaconos in varios gradus sibi invicem subordinatos: deinde multitudine fidelium crescente, & Ecclesiarum opibus, in Ministros alios honoratos, sibi tamen ut conferri possint non subordinatos.

II. Verum id quod assumpsimus exemplis demonstremus. Hujus antiqui moris exempla occurrunt plurima. Multa refert Petrus Arcudius lib. 6. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis cum Orientali c. 9. eadem & plerique alia referemus. Ordinem ducat Concilium Sardicense, c. 10. quem refert in Photium Nicolaus I. ep. 2. Sic autem decernit, *Si quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur quam Lector, & Diaconi, & Presbyteri ministerio perfecerit, ut in unoquoque gradu, si dignus exhibitus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere.* Omittunt Patres illi, quorum maxima pars Latinorum erat, Subdiaconatum juxta Græcos; tres alios ordines, juxta Latinos.

III. Huic decreto frequens Ecclesiæ praxis suffragatur. Sanctus Chrysostomus, ut videre est apud Georgium Patriarcham Alexandrinum, Metaphrastem, Leonem Imperatorem, Cassiodorum, & alios qui ejus vitam, gestaque describunt, primo constitutus est Lector à Zenone Tyri Episcopo; deinde Diaconus à Meletio Antiocheno. Denique Presbyter à Flaviano Meletii successore. Licet autem omnia Chrysostomi dicta factaque minutè & fusè nonnulli autores persequantur, neque tamen minorum Ordinum, nec ipsius Subdiaconatus mentionem faciunt: Imo eam vitæ actionem enarrant, quæ nec minores Ordines cæteros, nec Subdiaconatum admittit. Similiter S. Eutychius Constantinopol. Patriarcha, circa annum 550. primum ordinatus est Lector, deinde Diaconus, postea Sacerdos, denique Patriarcha: nec aliorum ordinum susceptorum apud istos autores ulla mentio. Quamobrem autem eos subticuissent, cum enarrati gloriam illis conciliarent.

IV. Pressius adhuc idem probat id quod de Sanct. Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo narrat vitæ illius autor apud Surium 12. Maji, Pappum nempe Citriæ Episcopum ordinasse illum Diaconum invitum; deinde Presbyterum & Episcopum, cum ut ordinationem effugeret Epiphanius sæpius clamaret, & affirmaret se non esse Clericum, hoc est, nondum in Lectorem consecratum, sperans hac vera & constanti assertione Pappum ab ordinatione cessaturum. At Pappus hæc fusque deque habens ait, *Vide ô fili nec neges coram tot sanctis Patribus, & condemneris, ut qui absconditi talentum. Dixitque Epiphanius, Non pater, non sum Clericus. Hæc autem cum dixisset Epiphanius, Pappus dedit pacem. Unus vero ex Diaconis, capite Epiphanii apprehenso, eum vi duxit ad Pappum, ad altare; adeo ut multi quoque alii convenerint, ut eum servarent ad altare. Eum itaque ordinat ad altare. Et rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat Presbyterum, rursusque fit consequentia, & eum ordinat Episcopum.* Græcè proculdubio pro consequentia habetur ἀκολουθία, officium, ordinationis scilicet Episcopalis. En Subdiaconatus ordinem, cæterosque præcedentes omittit Pappus, insignem Monachum existimans ad Diaconatus susceptionem satis esse dispositum, atque uno & eodem die tres illi confert ordines; Diaconatu enim collato & enim Presbyterum & Episcopum illum ordinat.

V. Epiphanius ipse omissis cæteris ordinibus Paulinianum Monachum Sanct. Hieronymi fratrem comprehensum, ore compresso, ne repugnaret, Diaconum ordinavit & Presbyterum: *Ignorantem eum & nullam penitus habentem suspicionem*, ait Sanct. Epiphanius Epist. 60. apud Sanct. Hieronymum, *per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, &c. & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Domini, & compellentes ut ministraret, &c. & cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.*

VI. Hujus rei tria sunt exempla apud Theodoretum in Philotheo cap. 13. refert simplicem quendam, & rusticum Eremitam Macedonium nomine austerissimè in vertice montis viventem, & magna cum sanctitatis fama, in urbem à Flaviano Antiocheno Episcopo, accusationis in eum delatæ prætextu, accersitum, sed revera ut eum Sacerdotio initiaret. *Cum autem*, inquit, *mysticum esset propositum sacrificium, adduxit ad altare, & eum cooptat in numerum Sacerdotum. Postquam autem finitum fuit sacrum officium, & hoc ei significavit aliquis, quod enim factum fuerat, ignorabat omnino, primum quidem incessebat omnes maledictis, & convitiis, &c.* Si Lector fuisset, num cum Presbyter consecrabatur, quid sibi fieret, ignorasset, initiantemque & assidentes Diaconos & Clericos convitiis & baculo quem gestabat, persecutus fuisset? Idem evincunt quæ subjicit. Octavo post die qui erat Dominicus eum accersit Flavianus ut celebritatis esset particeps. Legatis vero quid respondet? *Non sufficiunt*, inquit, *vobis ea quæ facta sunt, sed me rursus efficere vultis Presbyterum. Cum ii autem dicerent fieri non posse ut bis eadem fieret ordinatio, non cessit, neque venit, donec tempus, & ejus familiares eum id docuerunt.* Vides quanta hominis ruditas, & quàm ab omni Clericatus ordine aliena! Vixerat enim sanctus ille vir annis 45. in profunda fossa, & 25. in variis tuguriolis. Ideo illum dicit Theodoret. omnis eruditionis expertem, in agris educatum, divinis eloquiis minimè vacantem.

VII. Idem refert cap. 15. alium Eremitam Acepsemam nomine cellæ subterraneæ annis 60. inclusum neminem admisisse, eumque exacto illo tempore se intra quinquaginta dies moriturum prædixisse. Cujus rei vulgata fama ad eum venit Episcopus ut Sacerdotem consecraret, quod morti proximus facilè concessit. *Quoniam*, inquit, *non ita diu abhinc recedam iis quæ hic sunt relictis, jussis non invitus pareo. Statim ergo, nullo dicente, hic quidem flectens genua expectabat gratiam; ille vero manum imponens erat Administrator spiritus. Cum autem accepto Sacerdotio vixisset paucos dies*

dies vitam vita mutavit. Quis ſuſpicari poteſt hominem rudem, qui in foſſa ſubterranea annis 60. vixerat, Diaconatu & Subdiaconatu donatum fuiſſe? Cap. 19. narrat alium Eremitam Salamanum nomine, hominem ruſticum ſe toto vitæ tempore in domuncula ſubterranea abdidiſſe, neminemque ad colloquium admiſiſſe; Epiſcopum tamen illius civitatis ad quam vicus pertinebat, Sacerdotio donare voluiſſe; ideo domunculam aliqua ſui parte effodi juſſiſſe, & illac ingreſſum, illi manum impoſuiſſe, & precationem peregiſſe. Quid poſtea Epiſcopus illi, quid ille? *Sæpe quidem ei Epiſcopus dixit, & quæ adeum advenerat, gratiam ſignificavit. Cum nullam autem vocem audiiſſet abiit, jubens foſſam rurſus ædificari.* En Epiſcopus Sacerdotii gratia eum admonet eſſe imbutum. Quamobrem vero ſi præcedentibus ordinibus erat initiatus? Num myſterium quod in eo celebraverat Pontifex hoc dato ignorare poterat?

VIII. Sanct. Cypriano Neophyto idem eveniſſe ob præclara ejus merita nos docet Pontius ejus Diaconus: *Hic de imperitis gentibus venient, tam matura cœpit fide, quam panci fortaſſe perfecerint; Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi, Presbyterium & Sacerdotium ſtatim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Multa ſunt quæ adhuc plebejus, multa quæ jam Presbyter fecit.* Manifeſtum videtur cæteris ordinibus omiſſis Presbyterium & Sacerdotium ſtatim accepiſſe, cum eos non commemoret, & illum ea de cauſa laudet quæ præcedentium ordinum omiſſionem poſtulat: Si præcedentes ſuſcepiſſet, contraria planè ratione eum laudaſſet, quod ſcilicet non Neophytus, ſed in omnibus ſacri miniſterii gradibus exercitatus ordinatus fuiſſet. Illa verba, *Quis enim non crederet*, &c. referuntur ad Presbyterium & Epiſcopatum, qui ſoli ſunt honorum gradus, alii, gradus ſunt miniſterii. Hoc demonſtrant verba ſequentia. *Multa ſunt quæ adhuc plebejus*, &c. Nihil medium ſtatuit inter Cypriani ſtatum plebejum & Presbyteralem. Si inferiores ordines acceperiſſet, dixiſſet proculdubio, multa ſunt quæ fecit Diaconus, Subdiaconus, &c. ſed horum omnium, altum ſilentium.

IX. Ita quoque Sanct. Auguſtinus ex Laico invitus factus eſt Presbyter, ut evidenter ex Poſſidonio colligitur. Sic cap. 4 illius Ordinationis circumſtantias enarrat. *Eodem tempore in Eccleſia Hipponenſi Catholica Valerius ſanctus Epiſcopatum gerebat. Qui cum flagitante Eccleſiaſtica neceſſitate de providendo & ordinando Presbytero civitatis, Dei plebem alloqueretur, & exhortaretur; jam ſcientes Catholici Sancti Auguſtini propoſitum & doctrinam, manus injecta, quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat. Solebat autem Laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum Eccleſias quæ non haberent Epiſcopum ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, &c. Ubertim eo flente, nonnullis lachrymas ejus, ut nobis ipſe retulit, tunc ſuperbè interpretantibus, & tanquam cum conſolantibus, ac ducentibus, quia locus Presbyterii, licet ipſe majore dignus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatui.* Repræſentatur nobis Sanct. Auguſtinus purè Laicus, cum populo permixtus & aſtans, eorum quæ à Clero facienda erant, ignarus. Illa Clerici cum populo permixtio certum erat tunc Clerici depoſiti argumentum. Deinde iſta de urbe in urbem migratio hominis ſoluti non Clerici teſtimonium eſt. Denique Sanct. Auguſtini Laici metus ille demonſtrat canonem in Africa nondum ſtabilitum prohibentem ne Laici ad Epiſcopatum præteritis inferioribus ordinibus conſecrarentur.

X. Sanct. Cæſarius Monachus Epiſcopo Monaſterii incognitus, cum primum virorum illuſtrium relatione illi innotuiſſet, ab eo accerſitur, & interrogatur, ut ſcribit ipſius Cæſarii diſcipulus apud Surium die 27. Auguſt. *Ab Abbate Porcario illum expetit, & licet ab invito etiam impetravit. Illico primum Diaconus, deinde Presbyter ordinatur, &c.*

XI. In Sanct. Auſtregeſili Bituricenſis Archiepiſcopi ordinatione, Diaconatus quoque omiſſus eſt; ſed alia via proceſſum. Prætermiſſis enim omnibus minoribus, ſi Lectoratum excipias, qui per Clericatum intelligitur, Subdiaconus factus eſt: Deinde omiſſo Diaconatu Presbyter, ut refert autor antiquus apud Surium 20. Maji, *Abiit Auſtregeſilus Antiſiodorum, & à beato Aunario Epiſcopo deciſa cæſarie Clericus effectus eſt, & ordinatus Subdiaconus. Deinde ad memoratum Aethereum profectus eſt, qui jam Lugduni factus Epiſcopus, eum cum ingenti gaudio humaniſſimè accepit, Presbyterumque & Abbatem B. Nicetii Epiſcopi & Confeſſoris ordinavit.*

XII. Sanct. Marcellus, ut refert Fortunatus apud Surium primo die Novembris, cum ſe Eccleſiæ conſecraret, primum Lector ordinatus eſt, deinde Subdiaconus. Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. 25. de Joannis cujuſdam electione in Epiſcopum loquens *Lector hic primum, ſic Miniſter altaris, idque ab infantia. Poſt Laborum, temporumque proceſſu Archidiaconus.* Ordinationibus Græcorum hoc ad amuſſim quadrat, ut & Sanct. Innocentii decretum Epiſt. 4 c. 4. & 5. *Laici qui habentes uxores baptizati ſunt, &c. non prohibentur ad Clericatus ſortem aſſumi, ita ſanè ut in eos tempora à Majoribus conſtituta ſerventur. Nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat, &c.* Difficultatem non faceſſat quod Acolythum pro Subdiacono ponit; quia tum Subdiaconatus non erat ordo ſacer, eodemque munere apud Latinos fungebatur quo Subdiaconus apud Græcos. Quidquid ſit, omittuntur ordines duo minores, & Subdiaconatus, nec ullomodo judicata eſt illa ſubordinatio neceſſaria. Hoc decernit Concil. Bracar. I. c. 38. *Placuit ut ex Laico ad gradum Sacerdotii nemo veniat, niſi prius anno integro in officio Lectorum vel Diaconatus* (alia lectio Subdiaconatus) *diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, &c.* Conjunctio *vel* pro & ſumitur, ut illo ſeculo frequens erat.

XIII. Sanct. Bernardus Epiſcopus Hildeſmenſis primum Exorciſta ab Oſdago Epiſcopo ordinatus eſt: deinde Subdiaconus ab Wil-

legiſo Archiepiſcopo, *Et cum propter morum honeſtatem, ac vitæ probitatem, religionis in illo profectum ſentiret; Archiepiſcopus Diaconum illum ordinavit, interjectoque non longo ſpatio, Presbyterii eum honore ſublimavit.* Ut in illius vita à præceptore conſcripta apud Surium 20. Novemb.

XIV. Similia decernit Sanct. Siricius Papa ep. 1. c. 9. & 10. *Quicunque ſe Eccleſiæ vovit, obſequiis a ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari.* En Lectoratus ordo fere ſemper eſt cui primitus etiam pueri & infantes initiari ſolebant. Pergit Siricius, *Qui ab exceſſu adoleſcentiæ uſque ad triceſimum ætatis annum ſi probabiliter vixerit, una tantùm, & ea quàm Virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit: poſt quæ ad Diaconi gradum, ſi ſeipſe primitus continentiæ præeunte dignum probarit, accedat. Ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtraverit, congruè Presbyterium conſequatur.* Omnes ordines enumerat per quos, ut plurimum tranſeundum erat, antequam ad Epiſcopatum perveniretur: Verum de Exorciſtatu, & Oſtiariatu nihil. Capite ſequenti verba facit de iis qui jam ætate provecti ad ſacram militiam aſpirabant. Sic autem de hujuſmodi decernit, *Deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo qui baptizatur tempore ſtatim Lectorum aut Exorciſtarum numero ſocietur.* Utrumque igitur ordinem ſuſcipere non erat neceſſarium. Pueri qui Lectorum ordine inſigniebantur, Exorciſtatui non initiabantur, eo quod hic ordo à pueris exerceri non poterat: ſed iis qui natu grandes Clericatui ſe vovebant, alterutrius eligendi optio dabatur. Idem pari ratione de Oſtiariatu dicendum eſt. Ideo quotquot à pueritia Eccleſiæ conſecrabantur, gradum iſtum potiſſimum, atque Exorciſtatum omittebant. Pergit Siricius, *Qui dum initiatus fuerit*, Exorciſta ſcilicet aut Lector, *expleto biennio per quinquennium aliud, Acolythus & Subdiaconus fiat; & ſic ad Diaconatum, ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur.*

XV. Idem omnino, & eadem diſtinctione præpoſita conſtituit Zoſimus Papa ep. 1. cap. 3. ideo nihil repetendum. Utrique Oſtiariatum prætereunt. Verum cap. 1. ejuſdem Epiſtolæ habet nonnulla notatu digna, *Adſueſcat Domini caſtris in Lectorum primitus gradu divini induimenta ſervitii. Nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri: nec hoc ſaltim, ſed ſtatutis Majorum ordinatione temporibus:* Lectoratum primum eſſe gradum teſtatur: Deinde illud, *vile non ſit*, docet non neceſſariò præcipi ordines illos eſſe gradatim omnes ſuſcipiendos. Denique ſaltum intelligit alio modo quàm nunc, & à multis ſeculis intelligatur à Canoniſtis, non ordine inferiore omiſſo, ſuperioris ſuſceptionem; ſed inferiore ſuſcepto ſuperiorem non ſervatis temporum interſtitiis inter utrumque à jure conſtitutis ſuſcipere. Ante tamen octingentos annos Concilium Sueſſionenſe in cauſa Hincmari act. 7. ſaltum pro gradus omiſſione poſuit, *Qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſiluit, in degradationem debitam reſilire debet.*

XVI. Gelaſius I. Epiſt. 6. ad Epiſcopos Lucaniæ, ſic rigorem canonum quoad interſtitium ordinum remittit propter Clericorum graſſantibus bellis penuriam. Si quis, inquit, è Monaſteriis ad Clericale munus accedat, nec ſecundam mulierem habuerit, nec fuerit Curiæ obnoxius, &c. *Si aſſecutus eſt Literas ſine quibus vix fortaſſis poſſit Oſtiarii implere miniſterium, ut ſi his omnibus quæ ſunt prædicta, fulciatur continuò Lector, vel Notarius, aut certe defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus: Maximè ſi huic ætas etiam ſuffragatur. Sexto menſe Subdiaconi nomen accipiat, ac ſi modeſtiæ, converſationis, honeſtaque voluntatis exiſtit, nono menſe Diaconus, completoque anno ſit Presbyter.* Ex his verbis colligitur, primò Lectoratum initio non requiri, ſed illum Notarii aut Defenſoris officium ſupplere. Deinde omiſſo Exorciſtatu rectà ad Acolythatum tranſitum fieri, à quo ad Subdiaconatum, &c.

XVII. Denique ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Confeſſoris Chriſti dignitas, licet nullus eſſet ordo, ſufficiens erat Diaconatui ſuſcipiendo præparatio, ut tradit Sanct. Clemens Conſtit. l. 8. c. 23. *Confeſſor non fit ordinatione: hoc enim voluntatis eſt, & tolerantiæ; magno autem honore dignus eſt, &c. Si autem opus coſuerit, Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinetur.* Supplebat ea dignitas quatuor minorum & Subdiaconatus atque etiam Diaconatus ordinationem. Idem c. 26. negat Exorciſtam Ordinatione fieri; ſed Dei gratia extraordinaria. *Si verò neceſſitas poſtulet, ut fiat Epiſcopus aut Presbyter, tunc ordinatur.* Legitimam in iis perſonis cenſet eſſe ad Presbyteratum diſpoſitionem.

CAPUT III.

Idem demonſtratur ex ſcopo Eccleſiæ in iis ordinibus inſtituendis, & hodierna, multorumque ſeculorum praxi. Ordines illi inſtituti, ne Tyrones, Neophyti, & imperiti Presbyterio fungerentur. A multis ſeculis officia iſtorum Ordinum cum non ordinatis ordinaria praxi communicata ſunt. Officia quorumdam Ordinum ab ordinatis nunquam exercentur. Quid olim fuerit manipulus, & quare inſtitutus. Ridiculè quæritur an Græci ſint ad quatuor minores cogendi. Objectionibus reſpondetur. Principis qui poteſt impedire, tolerantia actus validitatem inducit.

I. QUarta & poſtrema teſtimoniorum claſſis, ſive quartum argumentum quo demonſtramus Subdiaconatum & quatuor minores non eſſe Sacramenta, ſed inſtitutionis purè eccleſiaſticæ, partim ab iis teſtimoniis petitur quæ Eccleſiæ ſcopum in iis inſtituendis & conferendis explicant; partim ab hodier-

hodierna Ecclesiæ praxi quæ ab aliquot seculis invaluit. Prior pars à summis Pontificibus, Zosimo, & Nicolao primo multis exaggeratur. Zosimus c. 1. Epist. 1. *Si enim officia secularia principem locum non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis temporibus deferunt, quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in cœlestis militiæ quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus explorandæ, statim dux esse desideret, cum Tyro ante non fuerit? Prius velit docere quam discere? Adsuescat in Dominicastris, in Lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii, &c.*

II. Nicolaus I. sæpius hoc argumentum tractat in Epistol. adversus Photium è Laico electum & consecratum Patriarcham Constantinopolitanum. Ita scribit Epist. 1. *Verum iste Photius, videlicet antea Doctor prorupit, quam Doctus extiterit: Prius Magister videri cupit, quam discipulus audiri. Pridie auditor esse debuit, ac deinde institutor. Sed hic è contrario cathedram eligens, docere prius elegit, ac deinde cœpit doceri: Prius sanctificare curavit, ac demum sanctificari: Prius illuminare voluit, & postmodum illuminari.* Sirycius Epist. III. Innocentius I. epist. 4 jam citata, ejusdem sensus rationes afferunt, ut & Concilium Sardic. c. 10 & Bracar. I. c. 38. Ratio illa autoritate Sanct. Pauli nititur, qui prohibet Episcopum aut Presbyterum Neophytos consecrare, citoque manus alicui imponere. Pauli sententiam referunt can. Apostol 80. Concilia Nicæn. I. c. 2. Octavum generale cap. 5. & qui à Græcis vocatur primum & secundum c. 17. pluresque alii autores, quos nihil attinet hic inferere.

III. Potissima igitur ratio quam reddunt canones istius graduum institutionis, & subordinationis hæc est, ne Neophyti sacrorum rudes & Tyrones statim Presbyterio inaugurarentur, antequam fidei dogmata, & Sacramentorum ceremonias didicissent. Discebant autem in gradibus illis subsistendo, cum quotidiè pro gradus & ordinis sui ratione Ecclesiæ sacrificis, precibus & officiis ministrarent. Cum igitur vel necessitas Ecclesiastica id exposcebat; vel personæ sanctitas, doctrina, vel aliqua similis causa extraordinaria, Episcopi hac in re dispensabant, aut interstitia constitutà minuendo; aut etiam ordines illos, aut eorum partem transiliendo. Hujus dispensationis facultatem Episcopis diserte concedunt canones omnes proximè citati Syricius Papa epist. 3. c. 2. Zosimus epist 1. c. 1. Et de hujus dispensationis causis differit multis Nicolaus I. cum Photio de hac re disputans. Idem præterea videre est in multis exemplis supra relatis Verum cum in hac causa duo sint: Prius, Ordines ipsi sibi invicem subordinati: Posterius, temporis spatium inter ordines suscipiendos constitutum. Hoc posterius urgent potissimum Patres ut caveatur. Prius vero posterioris gratia fere introductum est. Ideo vix est ullus è Patribus qui omnes omnino ordines urgeat; sed unus hos omittit, alius istos; hic plures, iste pauciores. Hinc factum est ut nusquam Orientales Ostiariatus, Exorcistatus, & Acolythatus mentionem faciant, licet ordinandos ad omnes ordines suscipiendos sese constringere significent: quia istorum ordinum apud eos usus nunquam viguit. Hoc de personarum multitudine intelligendum. Nam ministeria eadem habent, & semper habuerunt quæ Latini, sed ea cum paucioribus personis communicant.

IV. Si hodiernam praxim quæ ab aliquot seculis usualis est, & argumenti nostri secundam partem facit, attentè consideremus, vel sola convincere mihi videtur Ecclesiæ mentem nunquam fuisse ordines istos, præsertim quatuor minores, in Sacramentorum numerum referre. Ab omnibus quidem suscipiuntur illi ordines, sed nunquam ab iis qui eos susceperunt, exercentur. Quis unquam Ostiarius creatus, eo munere functus est? Hoc præstant mercede conductæ viles aliquæ personæ Ecclesiis habitatione vicinæ. Lector antea omnis Episcopus & Presbyter consecratur. At nihil est in sacrificio Missæ, prout res nunc & à multis seculis transigitur, quod Lector legere possit. Nam in sacrificio Missæ legitur tantum Epistola & Euangelium, cætera preces aut Dei laudes quæ ex officio recitat Sacerdos. At Epistolæ Lectio pertinet ad Subdiaconum, Euangelii vero ad Diaconum. Nunc igitur nulla prorsus est Lectoris functio. Axioma tamen est Scholasticorum vulgatum, omnes ordines ad Eucharistiæ Sacramentum & sacrificium referendos esse. Quis ita Metaphysicâ valet, ut pro hodierna Ecclesiæ disciplina relationem istam deprehendere possit. Objici potest unicum Sabbati sancti officium in quo duodecim Lectiones seu Prophetiæ leguntur & Paraseeve Paschatis, in qua una & altera. Sed ex usu Ecclesiæ Lectiones istæ ad omnes pertinent, Presbyteros, Diaconos, &c. atque etiam ad eos qui nullis sunt ordinibus initiati. Deinde illo die multa sunt Ecclesiastica officia præter sacrificium, nec ad sacrificium pertinent illæ Prophetiæ. Sanè si velimus ex eorum axiomate argumentari, Cantoratus esset ordinibus abscribendus, non Lectoratus. In Missis enim solemnibus multæ sunt Cantorum partes: At neque in privatis neque in solemnibus Lectores usquam comparent. Lectoribus præterea tribuitur jus panem & novos fructus benedicendi. Quis Lectorum hoc munere functus est unquam, aut de eo præstando cogitavit?

V. Exorcista ordinatur, ut manus imponat super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos. At nunc usus Ecclesiæ mutatus est, & Energumenos exorcizant soli Presbyteri, non Diaconi, aut Subdiaconi, nedum pueri; quales sunt ut plurimum qui minoribus initiantur. De Acolythatu paulò diversa est ratio. Functio ejus semper manet; sed illam exercent Laici, aut simplices Clerici, aut Subdiaconi; atque etiam in Missis solemnibus Diaconi & Presbyteri Episcopo, aut primario Presbytero ministrantes. Si Acolythus hoc officio fungatur, id fit per accidens; ad officium illud præstandum non attenditur an sit Acolythus, an simplex Clericus, an Laicus. Idem illis quatuor ordinibus accidit, quod plerisque antiquis Ecclesiæ ritibus & ceremoniis, partim

partim abrogati sunt, partim in alium usum degenerarunt, eorumque functiones longo Ecclesiæ usu, vel abrogatæ sunt, vel omnibus Laicis permissæ Quid aliud clamat universæ Ecclesiæ consuetudo quàm ridiculum esse Sacramenta vocare eas ceremonias quæ tot mutationibus obnoxiæ sunt, characterem imprimere ut nihil exerceas, ut à nemine distinguaris, ut illud agas quod omnes, quod tu ipse sine illo charactere agere potes?

VI. Præterea sequitur inde quod est maximè absurdum, Ecclesias quo ditiores & opulentiores sunt, eo pluribus abundare Sacramentis. Nam vel cum Ordinum istorum observantia maximè fuit apud Latinos celebris, Ecclesiasticorumque vigebant seminaria, in quibus pueri & adolescentes ad Presbyteratum, & dignitates Ecclesiasticas capessendas, educabantur, & formabantur, qui gradatim & interstitiis à jure politis, eos ordines non modo suscipiebant, & ab aliis sodalibus & condiscipulis velut quibusdam honoris insigniis distinguebantur, verumetiam ex officio singulas uniuscujusque ordinis suscepti functiones in omnibus Missis publicis exercebant; paucæ tantum Ecclesiæ quæ opulentæ erant, tantam Ministrorum multitudinem alere & sustentare potuerunt. Cæteræ omnes paucissimis utebantur, & pleræque, ut rusticarum magna pars, uno Diacono qui Presbytero Missam celebranti ministraret. Pauperes igitur Ecclesiæ quorum maximus semper fuit numerus multis Ecclesiæ Sacramentis orbatæ fuerunt; & quo ditiores, eo minus. Quasi vero Sacramenta quæ divinam gratiam animis hominum inspirant & ingenerant, divitum causa tantum instituta sint! Si ardente ob Christi nomen persecutione, aut aliquo infortunio pauper evadas, iis statim priveris?

VII. Subdiaconorum causa paulò videtur favorabilior. Nam in Missis solemnibus soli ministrant Presbytero, & Epistolam legunt. Quanquam nec hoc sit perpetuum. In Paroeciis enim rusticis id faciunt, Subdiaconorum defectu, adolescentes, virique legere gnari, licet nullis prorsus ordinibus initiati. Nonnulli bellè sibi videntur excipere, dicentes hoc quidem in Missa solemni ab iis fieri posse, modo brachium sinistrum manipulo non induant; hoc si fecerint, irregulares fore. Quasi vero manipulus fuerit olim vestis sacra, & Subdiaconorum propria. Manipulus erat Sudarium sive Mappula brachio sinistro alligata, qua faciei sudor & narium pituita abstergebatur, ut nos docent officiorum divinorum autores, in quem usum adhuc cum aliqui eorum scribebant, usurpabatur. Alcuinus, *Mappula quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur.* Idem Amalarius lib. 2. c. 24. quod multis verbis mysticè explicat. Rabanus Maurus Mappulam illam scribit lib. 1. c. 18. vulgo Phanonem vocari, & olim tergendis manibus inserviisse. Autor Gemmæ animæ lib. 1. c. 208. de antiquo ritu Missæ, *Sacerdos phanonem in sinistrum brachium ponit, qui & Mappula, & Sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur.* De istâ Mappula; sive Manipula loquitur Hugo à Sanct. Victore, velut si abstersionis prædictæ usus adhuc viguisset, de Sacrament. fidei lib. 2. p. 4. c. 12 Nihil igitur olim Manipulus ad Ordinationem Subdiaconi pertinebat; ideo in nullis antiquis ritualibus commemoratur. Deinde nullum est, nec esse potest in Manipulis hodiernis antiqui usus vestigium. Si aliquid proprium & perpetuum in Subdiaconis notari debet, Alba est, quam tamen induunt ex more pueri Epistolam solemniter lecturi.

VIII. Consideranti ea quæ hactenus dicta sunt, facilè est iis respondere qui quærunt an Græci cogendi sint ad minorum ordinum susceptionem. Manifestum est enim quæstionem esse hoc potissimum tempore inutilem, imo ridiculam; Sic quærere, nodum esse in scirpo quærere, & litium semina jacere. Quærendum potius esset quamobrem Latini solemniter ad ordines eos inaugurant qui nunquam istorum ordinum muneribus functuri sunt? Quamobrem cessante illa functionum attributione, non cessaverit ad eas agendas ordinatio? Græci illas ordinum functiones habent, sed quod Latini cum quibusvis Laicis communicant, illi Lectori & Subdiacono solemniter ordinatis tribuunt. Isti enim apud eos præstant omnia, quæ Latini, Subdiaconis, & minorum ordinum compotibus tribuunt. Deinde hæc trium ordinum minorum omissio apud Græcos omnes est antiquissima, ut infra demonstrabimus. Quamobrem igitur ad deserendam antiquissimam consuetudinem suam adigerentur, ut eam amplectantur quæ apud Latinos nusquam ab aliquot sæculis usurpatur. Ponamus igitur illos antiquam suam traditionem mille & trecentorum annorum testimoniis testatissimam dereliquisse; quis derelictionis fructus? iis ordinationibus inaugurabuntur, quarum functiones Laici quique prima data occasione administrabunt. Sæpius Latini cum Græcis conciliati sunt, & in unum corpus coaluerunt. Sed Latinorum nullus de hac differentia litem movit, aut si ab aliquo mota est, statim communi consensu extincta fuit, ut videre est in Concilio Lateranensi quarto, Viennensi II. & Florentino. Quis unquam Latinorum in octavo Conc. Photium reprehendit eo quod minores illos ordines non suscepisset, aut maculam in Sanct. Ignatii ordinatione eadem de causa notavit? Tum tamen Latinorum & Græcorum dissidia vehementer inflammata sunt, & magna utrimque animorum contentione agitata. Quid plura? Græci Romæ ab Episcopo Græco publicè sic ordinantur. Suscepto Lectoratu, transilitis ordinibus cæteris, Subdiaconatus iis confertur. Quis ergo jure velit contra tot, tantasque autoritates, tamquam evidentes rationes obniti; tam inveteratum Græcorum, & aliorum Orientalium morem, à tot, tantisque Confessoribus & Martyribus observatum abrogare?

IX. Cum aliquo vigoris colore objici potest id quod scribit Innocentius IV. ad Episcopum Tusculanum in regno Cypri Pontificium Legatum, *Ad hæc volumus & expressè præcipimus quod Episcopi Græci septem ordines secundum mo-*

rem Ecclesia Romana de cætero conferant; cum hucusque tres de minoribus neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis ordinibus tolerentur. Respondeo primum ex verbis Pontificis constare ordines istos non esse Sacramenta divinitus instituta, sed sacras ceremonias ab Ecclesia introductas, cum nolit eos suppleri; sed sic ministrare qui susceperant. Secundò, præceptum illud Pontificis cum nunquam acceptum fuerit, nullius nunc esse autoritatis. Lex enim decem annorum contraria consuetudine solvitur; quanto magis contraria quadringentorum annorum observatione? Si Lex publicata post decennium hoc modo irrita est, quanto magis præceptum istud privata Epistola contentum, post tot annorum centenarios vigoris omnis jacturam fecit. Tertiò, post hanc Papæ epistolam insignia duo Concilia generalia habita sunt, in quibus Græci Latinis conciliati sunt, Viennense II. & Florentinum, in quibus istius controversiæ nulla mentio est. Si obligatio igitur aliqua virtute istius Epistolæ contracta est, istorum Conciliorum autoritate penitus dissolvitur. Quartò, quid non hac in causa dicemus de tam constante & diuturno hodiernorum Pontificum in his saltem tolerandis consensu? Sanè notum est Principis tolerantiam qui actionem prohibere & impedire potest, actus validitatem inducere, & expressiæ approbationi æquiparari. Vide Leges permultas & autores citatos à Salgado in libro de protectione regia vi oppressorum, præludio 3. num. 148. & sequentibus. Quintò, nescimus quid Papæ exposuerit Episcopus Tusculanus. Subticuit forsan sic ab antiquissimis temporibus Græcos ordinare solitos. Forsan non expressit quod verissimum est, Græcos Ordin. minorum functiones exercere solitos; litem fuisse in Insula Cypro inter Græcos & Latinos non de reipsa, seu de ministeriis ordinum illorum; sed an per alias Ministrorum species quam per Lectorem & Subdiaconum exerceri deberent. Existente autem errore facti, licet ratione Judicis inculpabili, rescinditur sententia, & Reus in integrum restituitur. Denique alia ratio est illius temporis & hodierni. Tunc enim Ordinum minorum exercitium in Laicorum sortem non omnino reciderat, ut nunc contigit. Quapropter potior erat tunc ratio quàm nunc illorum restitutionis postulandæ. Nunc sanè postulatio ejusmodi planè intempestiva est, ne quid acerbiùs dicam.

CAPUT IV.

Cum Scholastici affirmant, vel negant Subdiaconatum vel quatuor Minores esse Sacramenta, quæstionem esse potius de verbis quàm de rebus, multisque modis dici posse istos ordines juris esse divini. Unius sive totius triplicis explicatio. Antiqui Scholastici dixerunt ordinem esse totum potestativum, & inferiores Ordines esse analogice Sacramenta. Qui ajunt totum esse universale necessariò tredecim Sacramenta facere. Quidam dicunt Sacramentalia characterem imprimere. Minores Ordines triplici ratione dicuntur juris divini, etsi non sint Sacramenta. Qua ratione jus gentium dicatur naturale.

I. SI penitus antiquorum Scholasticorum mentem aperiamus, non abs re videbitur ista disputatio, quantum ad eos attinet, magis de verbis quàm de rebus intendi. Cum enim traditione accepissent septem esse Ecclesiæ Sacramenta è quibus Ordo unum esset; ferretque eadem traditio Ordinem in septem varios Ordines esse distinctum, septemque variis vicibus conferri solere, quærere cœperunt qua ratione Ordo unum esset Sacramentum, & non septem distincta Sacramenta. Posterius dicere prohibebat Ecclesiæ traditio: Prius verò qua ratione verum esset, difficile erat explicare. Hanc difficultatem ita conciliarunt Scholasticorum principes, ut licet videantur asserere sept. Ordines, sept. esse Sacramenta, & unumquemque characterem imprimere, attamen cum ad conciliationem ventum est, ita eam conficiunt, ut à negantibus esse Sacramenta verbo potius quàm reipsa dissentiant. Tria unius sive totius genera enarrant. Primum vocant totum integrale quod ex partibus integrantibus constituitur, de quibus totum non prædicatur; ut homo respectu membrorum, capitis, brachiorum, pedum, &c. est ejusmodi totum. Ordo respectu sept. Ordin. non potest esse unum tale. Nam de singulis Ordinibus prædicatur Ostiariatus est Ordo, Lectoratus est Ordo, &c. Hoc equidem verum est de uno sive toto integrali quod in partes heterogeneas dividitur, sive totum illud sit naturale, sive artificiale. Sed cum totum dividitur in partes homogeneas, tum totum de singulis partibus prædicatur, ut pars aquæ est aqua, pars ligni lignum, pars butyri butyrum, &c. Nec etiam Ordo potest esse ejusmodi totum: Nam partes ipsius sunt ejusdem prorsus naturæ cum toto, & inter se. Sed Ordines à se invicem tota substantia, materia scilicet & forma, differunt. Secundum totius genus vocant universale, quod in partes subjectivas distribuitur, hoc est, in species dispares de quibus totum illud ex æquo prædicatur. Hoc totum nihil aliud est quàm generis in varias species

diviſio. Ordo dici non poteſt ejuſmodi totum reſpectu inferiorum Ordinum. Hac enim ratione tredecim eſſent Sacramenta non ſeptem, à ſe invicem diſtinctiſſima. Hæc tantum eſſet differentia quod Sacramentum reſpectu Baptiſmi, Confirmationis, &c. eſſet genus proximum, reſpectu verò Ordinum genus remotum. Sed hoc dato, Ordines à reliquis Sacramentis magis differrent, quàm reliqua Sacramenta inter ſe. Nam ſpecies ſub genere proximo contentæ minus inter ſe differunt, quàm à ſpeciebus ſub eodem genere remoto poſitis. Verbi gratia, equus minus differt à bove qui cum equo ſub eodem genere proximo continetur, quàm à lapide qui ſub eodem genere eſt, ſed remoto. Dato igitur Sacramentum genus eſſe remotum reſpectu Ordinum, proximum verò reſpectu baptiſmi, & cæterorum Sacramentorum, conſequetur neceſſariò baptiſmum, &c ab ordinibus magis differre quàm à cæteris Sacramentis, & quàm Ordines inter ſe differant. Ac proinde Sacramentorum ſpecies non erunt ſeptem numero, ut vult Eccleſiæ traditio, ſed tredecim, eumque numerum fortius & diſtinctius augebunt ordines, quàm ſex reliqua Sacramenta. Perpetua eſt conſuetudo, ut ſpecies ſub genere propriè dicto contentæ numerum faciant, & augeant. Quamobrem quæſo ſex aliæ ſpecies numerum facient, & ſeptem quæ ſuperſunt non minus quam iſtæ inter ſeſe differentes non conſtituent?

II. Antiqui Scholaſtici his rationibus permoti ſemper negarunt Ordinem eſſe unum univerſale diviſum in partes ſubjectivas. Ideo ad aliud totius genus confugerunt, quod neceſſariò convincit rationem Sacramenti imperfectè & incompletè quatuor minoribus & Subdiaconatui convenire. Tertium totius genus poteſtativum vocant, quod dividitur in partes analogas, quæ proportione quadam & incompletè partem totius participant. Totius ejuſmodi ratio perfectè & completè in una parte exiſtit, ſed in cæteris imperfectè & incompletè. De omnibus equidem partibus prædicatur: Verùm de una per ſe & propriè, de cæteris per magis & minus. Ordinem eſſe ejuſmodi totum, & nullo modo ſecundum, tradunt Scholaſticorum Principes, & plurimi eorum diſcipuli, licet poſtea ordines illos Sacramenta vocent, & characterem imprimere aſſerant. Quod ſanè effatum poſterius cum priore quod conſtantiſſimè tradunt Scholaſtici illi celebres, conſtare minimè poteſt, niſi dixerimus Ordines illos Sacramenta eſſe, incompleta, imperfecta, analogicè ſic dicta, quod vix aliquis eorum qui ea negant eſſe Sacramenta, & characterem imprimere, inficiabitur. Ideo omnibus hiſce conſideratis verborum erit potius quàm rerum hæc diſputatio. Sed ipſorum Scholaſticorum verba attendamus.

III. Sanct. Thomas in 4. diſt. 24. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. reſp. ad ſecundum, & in Suppleм. q. 37. art. 1. reſponſ. ad 2. *Dicendum quod diſtinctio ordinum non eſt totius integralis in partes, neque totius univerſalis, ſed totius poteſtativi, cujus hæc eſt natura, quod totum ſecundum completam rationem eſt in uno: in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius; & ita eſt hîc. Tota enim plenitudo hujus Sacramenti, eſt in uno Ordine, ſcilicet Sacerdotio; ſed in aliis eſt quædam participatio Ordinis, &c. Et ideo omnes ordines eſt unum Sacramentum.* Et ibidem reſponſ. ad tertium. *Dicendum quod in regno quamvis tota poteſtatis plenitudo reſideat penes regem, non tamen excluduntur Miniſtrorum poteſtates, & ſimiliter eſt in Ordine*, &c

III. Conſimiliter Sanct. Bonaventura in eandem diſt. part. 1. art. 2. q. 4. in Concluſione. *Dicendum quod Sacramentum Ordinis unum eſt, multas tamen habet partes, qua Sacramentum non purificant, pro eo quod non ſunt omnino partes ſubjectivæ; & tamen recipiunt prædicationem totius, quia naturam habent quodammodo partium ſubjectivarum, & tales ſunt partes poteſtativæ, quæ maximè competunt ordini, tum quia Ordo dicitur, ordinata poteſtas, quæ ex ordinatione multorum ad unum redditur perfecta; & quodlibet illorum participat rationem poteſtatis licet non perfectè*, &c. Eodem ſenſu reſpondet ad quartum. Eodem modo philoſophantur ut eandem difficultatem concilient, Argentina q. unica, art. 2. ad 1. & 2. poſt primam Concluſionem, Capreolus. q. 1. artic. 1. concluſ. 2. Paludanus q. 1. art 3. initio, & ad 3. Sylveſter in Summo, Verbo, Ordo, l. 2. q. 2.

IV. Ante illos omnes idem multis docuerat Albertus magnus in 4. diſt. 24. art. 3. *Unde dico quod hoc totum medium eſt inter integrale, & univerſale: Quia in modo conſtitutionis ſive perfectionis ex partibus ſimile eſt integrali: hoc eſt, per reſpectum partium ad totum: Sed per reſpectum totius ad partes habet ſimilitudinem cum toto univerſali; quia prædicatur de qualibet parte. Sed deficit ab utroque in aliquo. Ab univerſali quidem quia licet prædicetur de omnibus, ſecundum perfectam tamen rationem ſuæ poteſtatis non prædicatur niſi de ultimo: Et de omnibus aliis prædicatur non ſecundum perfectam rationem, ſed prout participatur aliquid de poteſtate ultimæ partis. Quia in toto poteſtativo ſemper pars poteſtatis antecedentis, eſt in ſubſequente*; Et artic. 4. in ſolutione, *Dicendum quod ordo ſimpliciter eſt unum Sacramentum, ſed ſecundum aliquid, plura. Secundum enim poteſtates imperfectas eſt plura: ſed ſecundum perfectionem poteſtatis eſt unum ſolum.* Ideo hanc ſententiam communem eſſe Scholaſticorum ſui temporis teſtatur Durandus, in 4. eadem diſt. q. 2. art. 1. *Confirmatur hoc per commune dictum Doctorum. Dicunt enim communiter quod diſtinctio Ordinum non eſt totius integralis in ſuas partes; nec totius univerſalis in partes ſubjectivas; ſed totius poteſtativi; cujus hæc eſt natura, quod totum ſecundum completam naturam eſt in uno, in aliis autem eſt quædam participatio ipſius: & ita eſt hic.*

V. Richardus à Mediavilla in eandem diſt. art. 4. q. 2. reſponſ. ad primum, idem quod alii docet. Concedit enim ut certiſſimum quod objiciebatur, *Ex differentibus ſpecie unum per eſſentiam conſtitui non poſſe.* Unde ſequitur quod ſi Ordo in ſeptem Ordines dividitur ut totum univerſale in partes ſubjectivas, ſive ut genus in ſpecies, quod ex iis unum Sacramentum confici non poſſit. Sed ait, *poteſt tamen ex illis integrari unum unitate qua hoc Sacramentum dictum eſt ſuperius unum eſſe.* Quæ vero illa unitas? Explicaverat art. 3. q. 3. Unitatem illam

illam esse qua nos unimur cum Deo potissimum per Eucharistiam. Sunt igitur omnes ordines unum Sacramentum, quatenus ad Eucharistiam referuntur; quod sanè Sacerdotium solum facit completè, & perfectè.

VI. Gabrielis Biel supplementum q. 1. art. 2. concluf. 3. eadem via conciliationem init; Septem Ordines unum esse Sacramentum ob finis unitatem, quia sex inferiores ad Sacerdotium tendunt, & hoc ad Eucharistiæ consecrationem. Similiter Petrus à Soto de institut. Sacerdotum lect. 4. de Ordine. Ideo dicit septem Ordines attributione quadam ad Sacerdotium esse unum Sacramentum, in se verò respectivè consideratos specie differre. Petri sententiam laudat & sequitur Gregorius de Valentia q. 1. de Sacram. Ordinis, puncto 4. respons. ad ultimum, *Singulos Ordines, quatenus unusquisque est Sacramentum non simpliciter, & absolutè, sed propter respectum & ordinem quem omnes habent ad celebrationem ejusdem Eucharistiæ, vel etiam ad Sacramentum ipsum præcipuum nempe ad Sacerdotium, numerari tanquam unum Sacramentum.* Inter se ait specie differre, probabilius tamen individualiter tantum: quod ultimum quomodo verum esse possit, non capio. Ordines enim secundum omnes materia & forma differunt, ac consequenter specie, nec tantum numero.

VII. Henriquez de Ordinis Sacram. c. 4. ab eodem principio istius unitatis rationem petit, sed clariùs & fusiùs lib. 8. de Eucharistia, c. 8. *Suprema pars ordinis qua constituit Sacerdotem & Episcopum, est reliquis partibus & ordinibus perfectior, &c. Quare ordinis nomen & ratio non diceretur de Acolytho, aut Diacono, qui habet propriam speciem, nisi secundum analogiam ordinentur ad Sacerdotem, ut finem, &c.* Nec minus evidenter c. 3. de Ordine in Adnotation. Marginalibus, *Ordo dicitur analogicè primum de Sacerdote, &c. Secundario & diminutè de aliis in ordine ad Sacerdotem*, &c.

VIII. Dominicus Soto in eandem dist. q. 1. art. 4. §. *ad autoritatem* eandem rationem videtur amplecti, cum scribit *gratiam & characteres aliorum Ordinum* (juxta ipsum Diaconatus & Subdiaconatus) *esse participationes eorumdem effectuum qui sunt in Sacerdotio. Non quod eadem gratia dividatur, & una pars sit in Sacerdote, & alia in Diacono, sed quod gratiæ inferiorum referuntur ad ministerium Superioris, juxta illud Num. 11. ubi Dominus dixit Moysi, ut 70. viros congregaret, &c.* Franciscus Hallerius celebris Sorbonæ Doctor in libro de Sacris Ordin. part. 2. art. 1. n. 30. utrumque modum amplectitur, singulos Ordines esse participationes majores vel minores Sacerdotii; Sacerdotium verò Ordinem perfectum, omniumque Ordinum unum esse finem, Sacerdotium scilicet & Eucharistiam.

IX. Ex ista doctrina quæ communis est fere omnibus antiquis Scholasticis & recentioribus, sed potissimum antiquioribus qui minores Ordines censent esse Sacramenta, mihi videtur colligi inter eos, & illos qui hoc negant, disputationem esse potius vocum quàm rei. Quum enim admittunt, & veluti doctrinæ suæ fundamentum substernunt, Sacramenti Ordinis perfectionem & complementum esse A in Sacerdotio; in aliis verò Ordinibus Sacramenti rationem esse imperfectam, incompletam, inchoatam, manifestum est minores Ordines juxta illorum mentem non esse propriè Sacramenta, sed tantùm analogicè per quandam similitudinem, & diminutam participationem. Non est enim verum Sacramentum in quo non est tota ratio, & perfectio Sacramento substantialis. Ii autem autores qui negant minores ordines, aut etiam Subdiaconatum esse Sacramenta, intelligunt vera & perfecta Sacramenta. Non enim negaturi essent imperfecta esse Sacramenta, inchoata, incompleta; quæ per quandam participationem & analogiam sive relationem ad Sacerdotium & Eucharistiam tantùm sint Sacramenta. Hoc expressè admittit Durandus in 4. dist. 24. q. 1. respons. ad 2. & q. 2. art. 1. illudque probat ex illo effato Scholasticorum vulgato quod enarratum est.

X. Hanc consequentiæ necessitatem viderunt, Scotus, Major, Almainus, Vasquez, Estius, Koning. Ideo dixerunt Sacramentum Ordinis esse totum universale unitate generali, & Ordinem univocè prædicari de tribus aut septem aliis, ac proinde Sacramentum esse genus remotum ad Sacerdotium & alios ordines; genus verò proximum esse Ordinem; sicque esse septem Sacramenta, quorum unum C scilicet Ordo in septem, vel secundum alios qui negant quatuor Minores esse Sacramenta, in tres species dividitur. Rectè equidem hoc modo explicant veram & perfectam Sacramenti rationem esse in unoquoque Ordine; sed admittunt quod alii Scholastici tanto numero & tam constanter negant, divisionem Ordinis Sacramenti esse totius Universalis in partes subjectivas, & consequenter incidunt in incommodum supra ex hac sententia deductum; non esse tantum septem Sacramenta, sed tredecim. Imo plus à cæteris differre septem Ordinum Sacramenta quam cætera inter se. Quia quæ conveniunt tantum genere remoto, plus differunt iis quæ conveniunt genere proximo, ut magis differt ab homine lapis quàm equus. Sed hoc prorsus evertit antiquam de septem Ecclesiæ Sacramentis traditionem. Quapropter antiqui Scholastici propè omnes, qui minores Ordines Sacramenta esse volunt, & Neoterici plures iis in hac sententia adhærentes hanc conciliandi rationem disertissimè, & merito repudiarunt, aliamque de uno potestativo amplexi sunt, qua tandem in sententiam quam videbantur impugnasse, revertuntur.

XI. Duo possunt objici: Prius, Autores qui asserunt minores Ordines esse Sacramenta, non solum verbo tenus hoc dicere, sed etiam verorum Sacramentorum prærogativas illis tribuere, videlicet characteris impressionem, & gratiæ ex opere operato productionem. Respondeo quod objicitur pro autorum maxima parte verum esse: Cum enim contendant vera esse Sacramenta, illis necessariò tribuunt quæ sunt verorum Sacramentorum propria: nec aliquid diximus quod huic assertioni contradiceret. Hoc tantum ex præcedenti sermone colligi voluimus, illos autores quum explicant qua ratione multa illa Sacramenta sint unum Sacramentum, ita difficultate opprimi, ut

in Adverſariorum ſententiam concedere tandem cogantur, quemadmodum ex antedictis planum feciſſe nobis videmur. Præterea licet quatuor minores Ordines à multis non cenſeantur vera Sacramenta, nonnulli tamen eorum qui ita cenſent, characteris impreſſionem illis arrogant, ut Durandus in eandem diſtinctionem qu. 3. art. 1. non omnibus enim Scholaſticis ante Concilium Tridentinum una & eadem erat characteris Sacramentalis definitio. Ideo nonnulli Doctores characterem characteriſque virtutem quibuſdam Sacramentalibus tribuere non verebantur. Hac ratione etiam ſolvebant id quod objiciebatur de Minorum Ordinum iteratione non permiſſa, non ſecus ac ſi de Majoribus actum fuiſſet. Quanquam iterationis illicitæ cauſa adæquata, ἡ καθ' ὅλου πρῶτον, ut loquitur Ariſtoteles, non ſit characteris impreſſio: Nam actiones quibus Deo aliquid conſecratur, ſive ſint rei animatæ, ſive inanimatæ, repeti non ſolent, ut conſecratio Eccleſiæ, altaris, calicis non repetitur, ſic nec conſecratio Abbatis, & Abbatiſſæ; eadem de cauſa nec Tonſura. Conſentiunt enim Theologi omnes Tonſuram nec characterem imprimere, nec eſſe repetendam.

XII. Poſterior objectio Diaconatum reſpicit: Ex dictis enim ſequi videtur contra id quod aſſeruimus, nec Diaconatum eſſe veris Sacramentis annumerandum. Fateor id ex interpretatione totius poteſtativi conſequi quàm ex SS. Thoma, Bonaventura, & aliis multis retulimus. Sed ea interpretatio noſtra non eſt; quare quid ex ea conſequatur, noſtra non refert. Eam enarravimus, ut quod ſcopo noſtro conferret, ex ea deduceremus, non ut quidquid inde elici poteſt, approbaremus. Si nobis eſſet eo argumenti genere utendum, alio modo complexionem necteremus. Diaconatum loco Sacerdotii ut centrum argumentationis collocaremus, cui primò perfectè & completè Sacramenti ratio convenit, cæteriſque inferioribus miniſteriis diminutè & analogicè, quatenus ad Diaconatum referuntur, eique inſerviunt. Licet enim Diaconus ad Sacerdotem neceſſariò referatur, & ſubjiciatur, ſunt tamen in ratione Sacramenti diſparati, & collaterales. Objicienti autem, inde ſequi octo eſſe Sacramenta non ſeptem, reſponderem Diaconum eſſe Sacerdotis Miniſtrum neceſſarium, unum ad alium neceſſariò referri, una & mutua relatione unum cum alio conjungi, ac ideo unum dici Sacramentum non plura. Deinde unitas illa ab eodem fine, Euchariſtia ſcilicet, peti poteſt. Uterque enim & Sacerdos & Diaconus propter Euchariſtiam conficiendam inſtituti ſunt. Sacerdos ut conſecraret, Diaconus ut miniſtraret. Reliqui autem Miniſtri ab Eccleſia poſtea inſtituti ut Diacono in miniſtrando adeſſent; & eatenus de Sacramenti ratione participant

XIII. Quanquam cum multis aliis Theologis antiquis & recentioribus dixerimus Subdiaconatum & minores Ordines inſtitutionis eſſe Eccleſiaſticæ, non vera Sacramenta, hoc tamen non impedit quin multis rationibus dici poſſint juris eſſe Apoſtolici, imò & divini, licet de iis inſtituendis nullum habeamus expreſſum Chriſti aut Apoſtolorum præceptum. Primam hujus rei rationem explicat Sanct. Bonaventura in 4. diſt 24. art. 2. q. 1. reſp. ad tertium, *Dicendum quod falſum eſt* (ſolos Ordines ſacros fuiſſe in primitiva Eccleſia) *imò & alii fuerunt, ſed implicitè dabantur in impoſitione manuum, quoniam manus eſt organon organorum. Ratio autem quare non diſtinguebantur, erat propter paucitatem miniſtrantium, & propter paucitatem fidelium; ideo oportebat quod omnia officia darentur uni, &c.* Idem repetierat in reſp. ad quartum, & dixerat articulo præcedente q. 4. S. Thom. in eandem diſt. q. 2. art. 1. reſp. ad ſecundum. *Dicendum quod in primitiva Eccleſia propter paucitatem Miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ut patet per Dionyſium, &c. Nihilominus erant omnes prædicta poteſtates, ſed implicitè, in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus divinus; Et Eccleſia quod implicitè habebat in uno Ordine explicitè tradidit diverſis.* Secundum igitur illos Doctores inſtitutionis ſunt Eccleſiaſticæ, ſed in radice ſua, in fonte & principio ſuo, Apoſtolicæ & divinæ, Diaconatu videlicet quem Apoſtoli inſtituerunt. Diaconatus enim non modo eminenter ſed etiam formaliter continet omnes inferiores Ordines, quos Eccleſia poſtmodum creſcente fidelium numero de Diaconatu deduxit & explicuit. Sed Diaconus omnia illa miniſteria initio præſtabat.

XIV. Secunda ratione dici poſſunt Ordines illi juris eſſe divini. Certum eſt ex uſu Doctorum omnium, non modo jus naturale dici communiſſima principia, quæ omnium hominum mentibus inſident; ſed etiam concluſiones ex illis primis principiis primò deductæ, quæ tamen per ſe ad jus gentium pertinent. Jus enim gentium dici ſolet etiam naturale ſecundo modo; quoniam eſt naturale homini ratione utenti hanc concluſionem ex antecedente naturali principio deducere. Vide S. Thomam. 2. 2. q. 57. art. 3 & Lect. 12. in l. 5. Ethic. Cum igitur pari Concluſ. ex præcepto divino eliciantur variorum Miniſtrorum Ordines, non ſecus ac jus gentium naturale dicitur, iſtorum Ordinum inſtitutio juris eſſe divini meritò cenſebitur, & prædicabitur. Quapropter veluti jus gentium partim eſt naturale, partim poſitivum, hoc eſt, ab hominibus conſtitutum: Num illud eſt, *quod naturalis ratio apud omnes homines conſtituit.* l. 9. ff. de juſtitia & jure, & l. 1 inſt. tit. 2 Sic & Ordinum minorum & Subdiaconatus inſtitutio partim divina eſt, partim humana, cum naturale rationis dictamen ex divino de Diaconatu præcepto eam eruerit, & explicaverit.

XV. Denique juris divini dici poſſunt, quod ex teſtimoniis & exemplis tam Vet. quàm N. Teſtamenti per ſimilitudinem & analogiam deducantur. Quo ſenſu Doctores multi aſſeruerunt exemptionem Clericorum quoad perſonas & bona, juris eſſe divini: non quod exiſtimarint expreſſum eſſe in Scriptura S. de hac immunitate præceptum; ſed quod ſit teſtimoniis & exemplis Scripturæ conſentanea. Terram enim Sacerdotum Ægyptiorum à vectigalibus immunem eſſe voluit Joſephus, Gen. 47. & Artaxerxes Perſarum Rex ab omni tributo Sacerdotes & Levitas Iſraeliticos exemit. Eſdræ 7. Atqui, ut recte infert Alexander III. cum Concilio Lateranenſi, *Non minus decet Eccleſiam Dei liberam eſſe tempore Principum Chri-*

Chriſtianorum, quàm fuerit tempore Pharaonis. c. 4. de immunitate in prima Collectione. Eodem ſenſu Bonifac. VIII. c. quanquam de Cenſibus in ſexto ſcripſit, *Eccleſiam, Eccleſiaſticaſque perſonas, ac res earum non ſolùm jure humano, quàmvis & divino à ſecularium perſonarum exactionibus eſſe immunes.* Quod Doctores intelligendum ajunt juxta Gloſſæ interpretationem, quæ ut jus illud explicet & probet, loca Scripturæ allegata tantum refert. Pari ſimilitudine & exemplo ex veteri Teſtamento in quo Nathinæi Levitarum miniſterio traditi dicuntur, Subdiaconorum & Acolythorum inſtitutio juris divini ab antiquis divinorum Officiorum autoribus, & Scholaſticis pleriſque colligitur; atque ex Cantorum & Janitorum varietate à Davide & Salomone in claſſes tributa, Lectorum & Oſtiariorum Ordines: Et univerſalius, ex variis Levitarum ſub Sacerdotibus circa tabernaculum fœderis functionibus & miniſteriis, omnes Miniſtrorum ſub Presbyteris Ordines. Eoſdem ex novo Teſtamento colligunt omnes divinorum officiorum autores, Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Hugo à S. Victore, Stephanus Æduenſis, Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, Lombardus in 4. diſt. 24. & poſt ipſum omnes prope Theologi, cum docent Chriſtum uniuſcujuſque ordinis miniſterio functum eſſe. Non igitur humano tantum jure, ſed etiam Apoſtolico & divino dicendum eſt Subdiaconatum & Ordines minores eſſe inſtitutos, atque inter Doctores Catholicos hac in cauſa, aut nullam aut pauculam eſſe differentiam.

CAP. V.

Explicatur occaſio varietatis antiquiſſimæ inter Græcos & Latinos in collatione Subdiaconatus & minorum Ordinum. Apoſtoli qui majores Ordines inſtituerunt imitati ſunt Judæos. In Minoribus Occidens imitatus Magiſtratuum Romanorum creationem. Qua ratione creabantur Magiſtratus Romani tam præſentes, quam abſentes, tempore Cæſarum. Codicillis adjungebantur inſignia Magiſtratui præferri ſolita. Conformitas creationis Magiſtratuum & collationis minorum Ordinum enarratur. Nonnullæ Eccleſiæ Occidentis minores Ordines & Subdiacon. ſine inſtrumentorum porrectione conferebant.

I. QUemadmodum in Ordinibus majoribus conferendis Occidens cum Oriente ab antiquiſſimis temporibus in hunc uſque diem conſenſit; ita in minoribus ab eodem tempore diſſenſit. Ab antiquo enim in Occidente prope univerſo minores Ordines, hoc eſt, Subdiaconatus & eo inferiores per inſtrumentorum traditionem, & verba quædam imperativa collati ſunt: In Oriente autem per manus impoſitionem & orationem. De Occidente hoc teſtantur Concilium Carthagin. IV. ante annos mille ducentos & quinquaginta celebratum, & omnes antiquiſſimi Latinorum rituales. De Oriente verò Sanct. Clemens, Dionyſius, ipſius Interpretes, & quotquot ſunt Græcorum antiqua & hodierna Euchologia. Unde igitur, tanta & tam conſtans in minoribus Ordinibus varietas, inter Occidentales & Orientales, cum in Majoribus inter utroſque tantus ſit conſenſus, non abs re quæretur. Veras diſcriminis cauſas in tantis tenebris difficile eſt oculis penetrare, & aſſequi. Quod conjicio in medium proferam. Antiqua Judæorum conſuetudo fuit quam ſupra explicavimus, & de qua pluribus infra erit nobis agendum, adprecantes alicui manus imponere, quod multa veteris & novi Teſtamenti exempla teſtantur. Judæi quoque cum poſt captivitatem Babylonicam multas haberent Synagogas non modo in exteris nationibus, ſed etiam in Judæa, in iis conſtituebant Rabinos ſeu Doctores quos per manuum impoſitionem ſolemniter inaugurabant. Hunc morem quem à Gentilibus ſuis obſervari videbant, imitati ſunt Apoſtoli, conſiderantes a Prophetis antiquitus uſurpatum fuiſſe, & à Chriſto ipſo in novo Teſtamento ſæpe conſecratum. Ideo quos ſacræ literæ, & antiqua monumenta nobis tradunt ab Apoſtolis ordinatos, Epiſcopos videlicet, Presbyteros, & Diaconos, nihil aliud nobis perhibent in eorum ordinatione uſurpatum quàm manuum impoſitionem & orationem. De Subdiaconorum ordinatione ab Apoſtolis facta, aut aliò inferiori ordine nulla mentio. Poſteriùs hoc in variis locis tandem factum eſt à viris Apoſtolicis. Sed actio in illis initiis non fuit uniformis: Nam qui in Oriente crearunt Subdiaconos, formulam quam viderant ab Apoſtolis in Presbyterorum & Diaconorum ordinatione obſervatam ſecuti ſunt. Qui verò in Occidente, Romæ præſertim, maluerunt formulam creandorum Magiſtratuum Romanorum quam quotidie præ oculis habebant imitari, quam Judaicam: aut certè formulam mittendi Magiſtratus in poſſeſſionem dignitatis qua inſigniti fuerant; quam formulam poſtea Eccleſia Latina in majoribus ordinibus antiquæ ſuperaddidit.

II. Romani Magiſtratus ab Imperatore creabantur traditione ſub certa verborum formula inſigniorum quibus fulgebant. Trajanus, ut autor eſt Dion, Præfectum Prætorio creans, ei nudum gladium porrexit, dicens, *Accipe hunc enſem, quo ſi recte imperavero, pro me uteris; ſin minus contra me vertes.* Præfecti Prætorio ex equeſtri tantùm ordine eligebantur. Quare, ut ſcribit Capitolinus, cum Commodus Paternum officio Præfecti movere vellet, Laticlavium, quod eſt veſtimenti genus Senatorum proprium, illi dedit, quo eum Senatoria dignitate decorabat, & Præfecti Prætorio dignitate abdicabat. Omnes Magiſtratus apud Romanos ſuæ autoritatis inſignia partim ſupra ſe in veſtibus gerebant, partim ante ſe à Lictoribus præferebantur. De his Ulpianus l. 1. ff. de officio Proconſulis, *Proconſul ubique proconſularia inſignia habet, ſtatim atque urbem egreſſus eſt.* Et l. 1. §. Caſum, de poſtulan. *Luminibus orbatum à poſtulando Prætor repellit, quod inſignia Magiſtratus videre, & revereri*

non posit. Virgilius 11. Æneidos, *Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.* Præferebantur fasces securibus alligatæ, quarum numerus pro Magistratuum dignitate quibus præferebantur, minuebatur, & augebatur.

III. Cum absentibus Magistratus deferebant Imperatores, Codicillos ad eos mittebant, quibus præter verba institutionem & admonitionem continentia, adpicta erant insignia Magistratibus illis præferri solita. Hujus Codicillorum missionis exempla permulta in Justiniani Novellis leguntur, quibus novos Magistratus instituit, aut duos in unum conjungit. Antiquos enim Imperatores imitatus, & Codicillis eos instituit, & insignibus donat quorum imagines Codicillis adpingebantur. Sic Novella 24. §. penultimo. *Ut autem qui vel hoc Praetoris, vel alia à nobis inventa & invenienda officia suscipiunt, cognoscant quo tandem modo Provincias eos gubernare conveniat, visum nobis est, non tantum signa eis praebere administrationis in Codicillis, ut vocant, sed etiam modum praescribere secundum quem Provincias administrent. Quae quidem qui nos antecesserunt Legislatores, consulta quaedam praesidialia appellabant, ut ad haec intentis oculis propriam dirigant administrationem, perque hanc omni ex parte Subditis nostris prosint. Unde & id genus sacra mandata jussimus in sacro latercolo reponi, ut una cum Codicillis praberentur Praesidibus.* Idem Imperator Novella 25. *Siquidem studio habet potentia nostra non tantum ut administrationis signa eis ex codicillis quos vocant, praebeamus, qualia spectabilibus Magistratibus attribui solent, sed etiam ex mandatis principalibus qua veteres olim Principes & Legislatores, responsa Praesidibus edita vocabant. Quae cum nos descripsissemus, jussimus in sacro nostro latercolo reponi, ut inde semper una cum codicillis praebeantur Magistratibus; ac hi quidem ipsum conferant officium; illa verò dirigant administrandi officii rationem.* Novella quoque 26. *Haec etiam in sacris admonebimus mandatis, qua una cum signis Magistratus trademus, ut memores juramentorum qua praestant, & monitorum qua illis dabimus, prout nos, nostrumque de illis meretur judicium, & propriam exornent vitam, & traditum gubernent officium; dantes illis, ut dictum est, omnem potestatem, ut tam in pecuniariis, quàm criminalibus, & omnibus denique causis judicent.* Ex sequentibus Novellis 27. 28. 29. 30. similia non obscurè colliguntur.

IV. Nonnunquam Codicillos sine imaginum inscriptione Decurionibus concedebant Imperatores. Sed hoc casu Praefectura erat tantum honoraria; nec à nexu & servitute Curiæ ideo liberabantur, nisi aliâ Imperatoris gratiâ Praefecturam illam exercere liceret, ut legere est Novell. 70. Patricii constituebantur quoque per codicillos, quibus acceptis statim & honore & autoritate potiebantur. Sic Justinianus sancit. l. Sancimus, C. de Consulibus, *Sancimus viros excelsos Patricios; quos in hujusmodi dignitatis apicem augusta Majestas retulerit; illicò ab imperialibus codicillis praestitis Patres familias efficit, ac potestate liberari paterna.* Istius dignitatis formula sive Codicillus legitur apud Cassiodorum lib. 5. Variarum c. 2.

Cujusmodi autem essent signa quibus Magistratus unus ab altero distinguebatur, nos docet Notitia utriusque imperii Orientalis & Occidentalis in qua depicta videntur, ad quam nos Lectorem remittimus, cum haec specialius describere ad propositum nostrum nihil conferat. Verum cum Notitia illa scripta sit paulò post Theodosii majoris tempora, aut etiam ipso regnante, manifestè ex ea colligitur hanc codicillorum & signorum Magistratus pingendorum formam integro seculo, & aliquot annis esse Justiniano antiquiorem. Cùm verò ista exhibeat Notitia non ut recentia, & nuper inventa, sed ut usitata & ordinaria Romanorum dignitatum insignia, iterum manifestum est, vel ex sola ista Notitia hanc Magistratus & Officiales creandi formam esse antiquissimam. Idem ex legibus Gratiani & Theodosii majoris ante Notitiam datis comprobatur. L. judices, C. de dignit. *Judices qui se furtis & sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis Codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quosque & plebejos habeantur.* Et ante hos Valentinianus & Valens l. 5. de officio Rector. Provinc.

V. Cum ipsis Codicillis aliquando ad Magistratus creationem mittebatur cingulum ipsum, aliisque modis eodem conspirantibus id aliquando fiebat. L. 2. C. Ut dignit. ordo servetur, *Secundo veniant vacantes, qui praesentes in comitatu illustris dignitatis cingulum meruerint. Tertium vero ordinem eorum prospicimus, quibus absentibus cingulum illustris mittitur dignitatis;* &c. Eadem Lex in Codice Theodosiano refertur. Codicillorum qui vacantibus dantur, formulas refert Cassiodorus, lib. 6. c. 10. Eorum qui vacantes Proceres fiunt. c. 11. Illustratus vacantis; & c. 12. Comitivæ primi Ordinis vacantis. Plures aliæ formulæ apud ipsum legi possunt. Omnes autem tria haec continent. Explicatur circa quæ versatur administratio dignitati seu officio concessa; Vel si tantum honoraria sit, aut vacans, quibus privilegiis & prærogativis fruatur. Deinde defertur illa dignitas fere semper per multa verba exhortatoria, phrasesque varias ad illam bene & prudenter administrandam. Ideo sæpius repetuntur Imperativi loquendi modi, indicativos sequentes, aut iis permisti. Imperator enim est qui Subditos & Magistratus à se creatos alloquitur. Denique dignitatis illius sive officii præstantia laudibus effertur, doceturque multis virtutibus ad eam rectè administrandam opus esse. Hoc tertium per universam formulam sive codicillum dispersum est. Longiores sunt istæ formulæ, quam huc commodè transferri possint.

VI. Quicunque haec animo diligenter perpenderit, & cum ritu Latino quo quatuor minores Ordines, & Subdiaconatus conferuntur, comparaverit, eandem prorsus agendi formam, easdem ceremonias, eundem prorsus loquendi modum deprehendet. Id solùm varietatis animadvertet, quod Episcopus ordinans paucissimis verbis ea complectitur, quæ multis Cassiodori formulæ. Sed nihil unquam prohibuit Episcopum longè plura præfari, quàm quæ adnotata sunt. Adnotantur enim ut doceatur

Epis-

Epiſcopus qua de re ordinandos in unoquoque ordine conferendo monere debeat. Præterea formulis illis utebantur Imperatores cum abſentibus per Codicillos dignitatem deferebant. At cum præſentes inſtituebant, nullum dubium eſt quin Imperator tradendo præcipua dignitatis inſignia, pauciſſimis verbis uteretur, ea tamen complectentia quæ Juſtinianus ex antiquo more refert, & quæ pluribus verbis oratorio ſtylo deſcribit Caſſiodorus.

VII. Antiqui & hodierni Libri rituales de Oſtiariis præcipiunt: Oſtiarii ordinandi, ab Archidiacono primum inſtruantur, *qualiter in domo Dei debeant converſari.* Deinde Epiſcopus dat eis claves Eccleſiæ ſermone breviſſimo, ſed exhortatorio eos alloquens, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his quæ iſtis clavibus recluduntur.* Idem omnino, ſed pluribus verbis de Lectore, cui datur liber ab Epiſcopo dicente, *Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus ſi fideliter, & utiliter impleveris officium tuum, partem cum his qui verbum Dei bene adminiſtraverunt.* Preſſior eſt ea exhortatio quæ Exorciſtæ fit, cum ipſi Liber Exorciſmorum traditur. Acolythis admonitio fit ab Epiſcopo ut & Lectoribus; deinde ſequitur formula in modum monitionis, quæ eos officii admonet, & cujus cauſa eis Ceroferarius traditur. Hoc clariſſimè patet in Subdiaconatu. Poſtquam enim inſtrumenta, ſive materia iis tradita eſt, ſubjungit Epiſcopus. *Videte cujus miniſterium vobis traditur. Et ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, à modo, debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, à modo vigiles. Si uſque nunc ebrioſi, à modo ſobrii: Si uſque nunc inceſti, à modo caſti. Ideo vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* In quibuſdam manuſcriptis longior occurrit exhortatio.

VIII. Ex tanta igitur ſimilitudine manifeſtum videtur antiquiſſimos Patres, Eccleſia jam per Romanum orbem diffuſa, in minorum Ordinum collatione creationem Officialium Romanorum eſſe imitatos, ut ante Eccleſiæ diffuſionem cum adhuc intra Judææ terminos contineretur, Apoſtoli in ordinatione Presbyterorum & Diaconorum ceremonias & ritus Judæorum cum quibus vivebant in ordinatione Rabbinorum ſuorum imitati fuerant. Unicuique ordini poſt inſtrumentorum traditionem adjungitur oratio, qua Ordinatus benedicitur, rogaturque Deus ut in Ordine ad quem electus eſt, ſanctè miniſtret. Conſentaneum autem erat ut electi & ordinati Eccleſiæ Officiales Deo per Epiſcopi orationem offerrentur, & benedicerentur; non autem ſimpliciter per inſtrumentorum traditionem cum præſcripta verborum formula prophano more inſtituerentur. Nullum enim Sacramentum aut Sacramentale ſine oratione, & divini nominis invocatione peragitur.

IX. Quæ diximus initio capitis de antiquitate traditionis inſtrumentorum per Occidentem, non eſt ita univerſaliter verum, ut multæ provinciæ non ſint excipiendæ. Conſtat enim ex Concilio Toletano VIII. c. 6. hunc Ordinationis morem in multis Hiſpaniæ locis nondum fuiſſe uſitatum an. Chriſti 650. quo celebratum eſt. Clara ſunt Concilii verba, *Relatum eſt nobis quoſdam Subdiaconos, poſtquam ad ſacrum hujus Ordinis pervenerunt gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari, cum ſcriptum ſit, Mundamini qui fertis vaſa Domini; ſed etiam quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari, aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem à Pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum diſciſſo velamine id præcipimus obſervari, ut cum iidem Subdiacones ordinantur, cum vaſis Miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare prolata.*

IX. Ex iſto canone multa evidentiſſimè colliguntur. 1. Plurimas Hiſpaniæ Eccleſias inſtrumentorum traditione in Minorum collatione uſas non fuiſſe, licet in nonnullis aliis iſtorum inſtrumentorum uſus eſſet antiquus. 2. Sola oratione, & myſticè ſive ſecreto pronuntiata, ut apud Græcos moris eſt, Subdiaconatum, & ordines inferiores datos fuiſſe. Quomodo enim aliter potuiſſent objicere verosimiliter quod benedictionem à Pontifice ſe neſcirent accepiſſe? 3. Traditionem inſtrumentorum, quam nunc poſt ordinationem præſtant Græci, nondum apud illos Europæos viſitatam fuiſſe, ſed prorſus omiſſam. Denique ſanctos illos Patres qui Concilio aderant frequentiſſimi (ſubſcribunt enim Epiſcopi 52. inter quos nonnulli ſunt Galliæ Gothicæ, Abbates, 12. Vicarii abſentium Epiſcoporum decem, & Magnates plurimi) utrumque conferendi ordines modum, unum quo orationi junguntur inſtrumenta, alterum quo oratione ſola ſine inſtrumentis, quoad rei ſubſtantiam attinet, & validitatem, approbaſſe. Non enim jubent Subdiaconos ſic ordinatos iterum ordinari, ſed inſtrumenta in poſterum cum benedictione jungi, ut eorum excuſationibus hoc additamento prætextus tollatur.

CAP. VI.

Antiquitus Subdiaconatum, & Minores Ordines apud Latinos non ſecus ac etiam nunc apud Græcos extra altare & Sanctuarium collatos fuiſſe. Ordines dividunt Græci in eos qui in Sanctuario, & extra Sanctuarium conferuntur. Quid Græcis Diaconicum, & porta ſpecioſa. Eccleſiæ Græcæ brevis deſcriptio. Accuſatus Chryſoſtomus quod extra altare ordinaret Presbyteros & Diaconos. Cum Diaconi & Presbyteri ordinantur, proſternuntur: Proſterni non debent Subdiacon. Quando majores ordines, & quando minores ordines conferri debent. Quando Subdiaconatus cum Majoribus Ordinibus conferri cæpit.

I. ALiud eſt non leviter prætereundum, ſed attente conſiderandum, in quo Sub-

Subdiaconatus & minores ordines conveniunt. Omnes extra Sanctuarium conferuntur, ſed Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus in Sanctuario, ordinandis cum Pontifice ad altare ipſum conſiſtentibus. Antiquus iſte ritus diligenter hactenus à Græcis obſervatus eſt; à Latinis magna ex parte adhuc obſervatur. Licet enim quatuor minores ordines extra Miſſarum ſolemnia conferre, ſed diebus Dominicis, & feſtis quæ duplici ritu coluntur. Subdiaconatus autem nunquam niſi in celebratione Miſſæ. Hinc Græci vulgato apud eos loquendi modo diſtinguunt Ordines in eos qui traduntur in Sanctuario, & qui extra Sanctuarium. Symeon Theſſalonicenſis ita tractatum ſuum de ſacris ordinationibus exorditur. *Duæ ſunt extra Sanctuarium manuum impoſitiones, Lectoris & Hypodiaconi, &c. Ordinationes autem eximiæ & propriè dictæ, quæ intra Sanctuarium fiunt, & in ipſa ſanctiſſima menſa, tres ſunt in Trinitatis ſimilitudinem, de quibus loquitur Sanctus Dionyſius, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi.* Idem diſertè notant Græcorum Euchologia antiqua & recentia, hac tamen cum differentia. Duo antiquiſſima Lectorem monent, Subdiaconum ordinandum in Diaconico, id eſt, in Secretario. Hoc dupliciter intelligi poteſt, quoque modo intelligas parum refert: vel pro Conclavi ſeu Paſtophorio, quod ad Sanctuarium à latere pertinet, & ei conjungitur, in quo eſt menſa quam vocant Græci propoſitionis, in qua hoſtia conſecranda præparatur, cuique inhæret porta Borealis dicta: Vel pro Conclavi aliquo, ſeu Secretario ad Sanctuarii latus ſed remotius collocato, ut apud Latinos moris eſt. Cætera Euchologia hoc disjunctivè enuntiant, ſcilicet Ordinationem illam fieri, *ſtante Epiſcopo in Diaconico ante ſanctam menſam, vel ante magnas templi portas.* Euchologium editum illas portas vocat ὡραίας, ſpecioſas: Simeon Theſſalonic. Archieraticon, & Typicum Sanct. Sabæ nonnunquam eaſdem vocant Baſilicas, ſeu Regias.

X. Ut animo Lector concipiat quo Eccleſiæ loco ſint apud Græcos illæ portæ, & conſequenter quo loco fieri ſoleant ambæ illæ ordinationes, Græcæ Eccleſiæ breviter nobis ſunt deſcribendæ. Eccleſiæ iſtæ, præſertim Epiſcopales & Monachales, in tres partes dividuntur, ἱερατεῖον, ναὸν, καὶ νάρθηκα, Sanctuarium, Templum & Narthecem. In medio Sanctuarii eſt altare in quo Miſſa & ſacræ Ordinationes, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi celebrantur. In Sanctuario tres ſunt portæ, media & duæ laterales, quarum una dicitur Borealis, altera Auſtralis: Duo quoque à latere conclavia, ſed Paſtophoria. Porta media κατ' ἐξοχὴν vocatur ſemper porta Sancta, vel pluraliter portæ ſanctæ propter duas annexas, ſemper tamen licet pluraliter enuntietur, media intelligitur. Auſtrale Paſtophorium cum porta ſua aliquando negligitur, ſed Boreale cum porta ſua ab Eccleſiis Græcorum nunquam abeſt; eo quod ſit ad Miſſæ Græcæ celebrationem prorſus neceſſarium. Secunda pars Eccleſiæ ναὸς templum communiter ab annis mille & ultra in typicis dicitur, quandoque etiam

A iis dicitur χορὸς, Chorus, & ad amuſſim reſpondet Choro Latinorum, cum Chorus ſumitur tantùm pro loco Cantorum ſive Canonicorum, in quo ex utraque parte proſtant ſedilia; non ut vulgo, à plebeiis præſertim, ſumi ſolet, pro illo ſpatio, & eo quod altare continet, & quæ ſunt circa ipſum. Hoc enim modo Templum ſive Chorus, Sanctuarium ἱερατεῖον quoque complectitur, & Eccleſia in duas tantum partes diſtinguitur, in Chorum, & Atrium, ſive Eccleſiæ navim, quam hodierni Græci νάρθηκα vocant. Inter Templum & Sanctuarium relinquitur ſpatium aliquod longum ſed anguſtum & ſtrictum cujus pavimentum editius eſt, quod vocare ſolent σωλέαν. Templum iſtud, ſive Chorus cum Narthece tribus portis communicat, quarum media maxima eſt, laterales parvulæ.

XI. Nunc ad rem noſtram redeamus. Porta magna, ſpecioſa, & Baſilica, ea eſt qua Chorus ſive Templum cum Narthece communicat. Latino more diceretur Porta chori inferior qua in atrium Eccleſiæ de choro vel de atrio in Chorum quis ingreditur. Per illam portam ſpecioſam Monachi nonnunquam in Narthecem ingrediuntur aliquid in eo cantaturi, aut thure adſtantes perfuſuri, ut ſæpe in Euchologiis & Typicis adnotatur. Idem apud nos in Eccleſiis Cathedralibus aliiſque majoribus à Canonicis aut Monachis fieri ſæpe videmus. Hæc eſt illa porta, juxta quam pro loci commoditate, thronus Epiſcopi ordinaturi collocatur, & minorum apud Græcos Ordinum celebrantur ordinationes. Volunt igitur omnia Euchologia, & qui de his rebus diſſerunt, Ordinationes Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum in Sanctuario ad ſanctum altare, & intra Miſſarum ſolemnia peragi; Subdiaconi verò & Lectoris Ordinationes, antequam Miſſa inchoetur, vel in Diaconico fieri, vel longè ab altari, ad portam templi ſpecioſam quam nos deſcripſimus. Inter cæteras calumnias Sanct. Chryſoſtomo impoſitas hæc recenſetur in Concilio adverſus ipſum coacto, cujus præcipua capita recenſentur in fine lib. 9. Juris Orientalis. Decima enim tertia accuſatio eſt: *Quod ſine altari ordinationes fecerit Presbyterorum & Diaconorum.* Ejuſmodi igitur Ordinationes fieri debent in Sanctuario, vel quod idem eſt, ad ipſum altare. Et conſequenter Ordinationes graduum Diaconis inferiorum extra Sanctuarium; cum de hoc non conquerantur ipſius Adverſarii.

XII. Antiquitus idem planè in Eccleſia Latina obſervabatur. Iſtius ritus teſtis eſt S. Ambroſius in Epiſtolam ad Timotheum ab Amalario relatus lib. 2. de div. offic. c. 6. ubi rationem reddit omiſſæ ab Apoſtolo Lectorum & Subdiaconorum mentionis. Teſtimonium illud magna ex parte ſupra exſcriptum eſt. Poſtmodum inquit Sanct. Ambroſius, & cum eo Amalarius, ordines iſti adjecti ſunt, *Unde nec Ordinationem ante altare aſſequuntur, eo quod nec Myſteriis miniſtrare ſtatuuntur: Sed alii quidem eorum, Lectionum officium implent, alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent miniſteria, necnon ſolicitudinem*

implent luminariorum. Nam myſterii miniſterium Presbyteri ſoli implent, & Diaconi; alii quidem eorum Sacerdotale opus implentes, alii verò ſacris miniſtrantes. Antiquum & hodiernum Græcorum ritum graphicè magis depingere non poterat S. Ambroſius. Sed audiamus Amalarium Ambroſii verba reſumentem: *Juxta verba Ambroſii intelligimus ſubjectos Ordines Diacono & Presbytero non debere Ordinationem accipere circa altaria; nec quando Epiſcopus proſternitur ante altare, debere ſecum proſternere alios, niſi eos qui provehendi ſunt ad Sacerdotale miniſterium, vel ad Diaconatus officium.*

XIII. Alludit Amalarius ad morem Eccleſiaſticum qui nunc etiam viget, ut ſacrorum Ordinum ritus à Litaniis incipiat, & ordinandi omnes cum Epiſcopo ſeſe proſternant dum cantantur. Verùm nunc, & ab aliquot ſeculis, illa cantatio & proſtratio fit poſt Acolythorum Ordinationem, ita ut Subdiaconi ordinandorum numero adſcribantur, & cum cæteris proſternantur. Amalarius verò juxta Sanct. Ambroſii verba, & ſui temporis conſuetudinem diſſerens, dicit Subdiaconos & inferiores ordines coram altari proſterni non debere, ſed ſolos Diaconos & Presbyteros. Hunc proſtrationis & Litaniæ ordinem ſigillatim deſcribit juxta Amalarii monitum Ratoldus. Poſtquam enim ritum Ordinationis Minorum Ordinum & Subdiaconatus deſcripſit, tunc publicam & ſolemnem Diaconorum & Presbyterorum Ordinationem enarrat, eos dicit magna cum pompa ab Archidiacono Pontifici præſentari, poſtmodum cum Pontifice coram altari procumbere, & Litanias cantari, cæteraque ad conſecrationem neceſſaria compleri. Eundem ordinem obſervat antiquum Abbatis Conſtantini Sacramentarium, quod ſimiliter ſolemnitates illas & proſtrationem cum Litaniarum cantatione deſcribit poſt Ordinationis Minorum & Subdiaconatus ritum, tumque primùm Archidiaconum in his omnibus publicè miniſtrantem inducit. Idem ordo, & eadem ſolemnitas poſt Subdiaconorum ordinationem legitur in Senonenſi Sacramentario, & in eo quod edidit Hugo Mainardus. Similis ritus ex Gelaſiano codice colligitur; cum ſeparatim & iiſdem ceremoniis exponuntur ritus Ordinationis majorum Ordinum, & alio in loco ritus Ordinationis Subdiaconi & minorum Ordinum, ut & Rodradum feciſſe adnotavimus. Idem non ita evidenter colligi poteſt ex antiquiſſimo noſtro codice: Innuitur tamen cum primum allocutio fiat ad populum, & petatur electionis à Clero factæ approbatio, quando Diaconi ordinandi ſunt, poſt Subdiaconorum Ordinationem.

XIV. In Vaticano codice inter opera S. Gregorii edito idem obſervatur poſt deſcriptum ritum ordinationis minorum & Subdiaconatus: Tum ſeparato titulo, ut in pleriſque aliis codicibus, exhibetur, Ordinatio Diaconorum & Presbyterorum Archidiacono illos, miſſa publicè inchoata, ſolemniter Pontifici præſentante. Notandum autem omnes illos codices adnotare id quod ſingulariter præcipiunt de Diaconis & Presbyteris ex ritu Romano A eſſe deſumptum. Codex autem ille cum antiquiſſimo Corbeienſi habet aliquid ſpeciale ex quo id quod contendimus neceſſario colligitur. Initio enim ponitur hic titulus, vel potius admonitio, *Majores gradus ante Euangelium, Minores verò poſt communionem dantur, & minores quidem Dominicis diebus, ſi neceſſe eſt: Majores autem in Sabbatis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodo.* Atqui ex illis codicibus, ut ex aliis jam citatis, ſoli Diaconi & Presbyteri initio Miſſæ ſolemnis ab Archidiacono præſentantur Ordinandi. Diaconatus igitur & Presbyteratus ſoli tum erant Ordines majores, nec inter eos recenſebatur Subdiaconatus Ideo videre eſt in illis antiquis codicibus Subdiaconorum Ordinationem una ſerie & uno tenore tradi cum Minorum Ordinationibus; ſed cum Diaconorum Ordinatio tradenda eſt, tum adnotari in Sabbatis quatuor temporum tantùm celebrari poſſe poſt Miſſam illius diei inchoatam. Deinde Archidiaconum illos Epiſcopo præſentare: Epiſcopum cum Diaconis & Presbyteris ordinandis coram altari ſe proſternere, Litaniam cantari, & ſimilia in quorum actione non miſcentur Subdiaconi.

XV. Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus breviculum exhibet antiquæ ordinationis Romanæ quod collectioni ſuæ inſervit, ſub hoc titulo, *Ordo qualiter in Romana Eccleſia ſacri Ordines fiunt.* Antiquus ille ritus id quod dictum eſt, & S. Ambroſius, atque Amalarius obſervandum monent, manifeſtè præcipit, ut unicuique legenti patebit. Quæ tamen poſt illud Breviculum ſequuntur, demonſtrant hodiernam conſuetudinem, cum codex ille ſcriptus eſt, jam invaluiſſe. Aliud eſt collectaneum initio iſtius ritus, quod præ cæteris docet Subdiaconatum antiquitus minoribus ordinibus adnumeratum, & ſimiliter cum iis habitum. Præcipitur ut quicunque pueri reperientur in Schola cantui apti, ex ea Schola transferantur ad Scholam Cantorum, *Deinde ſicut Sacramentorum codex continet, quando & ubi fuerit, uſque in Subdiaconatus officium ordinentur; Diaconi verò atque Presbyteri nunquam niſi in publica ordinatione.* Privatim igitur Adoleſcentes illi ſecundum antiquum morem Ordines ſuſcipiebant incluſivè ad Subdiaconatum uſque. Sed Diaconi & Presbyteri tantùm in publica Ordinatione conſecrabantur. Eadem verba cum pericope antecedente refert Onuphrius ex alio Romano codice in lib. de vocibus Eccleſiaſticis obſcuris, in voce *Primicerius*, &c.

XVI. Incidi in manuſcriptum Andegavenſem circa finem ſeculi undecimi ſcriptum qui neminẽ citato ad ea quæ ex Ambroſio & Amalario exſcripſimus verbis plerumque iiſdem alludebat. *Quare Paulus Apoſtolus in Epiſtola ſua nominat ſolummodo Sacerdotes & Diaconos, & non cæteros ordines? Ideo quia tantummodo eos nominavit ibi qui potiſſimum ſunt in Eccleſia neceſſarii, & ſine quibus immolatio in altari non poteſt ritè celebrari. Ceteri ordines poſtea adjecti ſunt propter utilitatem miniſterii: quia propter multitudinem credentium per alteros adimpleri debere neceſſitas poſtulavit, licet unuſquiſque Sacerdos*

habeat in ſe ſubjecta miniſteria, attamen pro magnitudine hominum hoc adimplere non valet. Quare Subdiaconi, & cæteri inferiores Ordines non aſſequuntur Ordinationem ante altare; ſed alii quidem Lectionis officium adimplent, alii vero propter Diaconos illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent miniſteria. Ex quibus verbis manifeſtum videtur hanc conſuetudinem ordinandorum Subdiaconorum extra altare, Miſſarumque ſolemnia, eorumque minoribus ordinibus exæquandorum circa finem ſeculi undecimi nondum ubique defuevisſe. Ubique dico: Nam non tantum ex verbis Amalarii ſubobſcurè colligitur, nonnullas Eccleſias iſtius conſuetudinis parum ſollicitas fuiſſe, eumque ideò tacitè illas ſugillare, verumetiam ex nonnullis antiquis codicibus ætate Amalario æqualibus, aut Superioribus, quæ ſupra huic operi inſeruimus, demonſtratur, hanc conſuetudinem in aliquot locis deſiiſſe, & Subdiaconatum cæteris majoribus ordinibus æquiparatum & conjunctum fuiſſe.

CAP. VII.

Explicatur triplex differentia porrectionis inſtrumentorum quæ fit à Græcis in quorundam Ordinum collatione, & ejus quæ fit à Latinis. Illa porrectio non ſemper à Græcis facta eſt. Imitati ſunt miſſionem in poſſeſſionem rei venditæ aut donatæ jure Romano inſtitutam.

I. DIximus antiquiſſimam eſſe in Subdiaconatus & minorum Ordinum collatione differentiam Græcos inter & Latinos, quod Latini ab antiquiſſimis ſeculis eos conferant per inſtrumentorum traditionem, & verba quædam præſcripta, exhortatoria & imperativa; Græci verò per manus impoſitionem & orationem. Hoc non eſt ita intelligendum, ut inde colligi poſſit Græcos nulla unquam in Ordinum collatione tradere inſtrumenta. Tradunt enim nonnulla, ut videre eſt in Ordinationum ritibus. Verbi gratia in Lectoratu datur Lectori Liber Apoſtolicus, & legit de Apoſtolo ſectionem aliquam. In Cantoratu datur Cantori Pſalterium de quo Pericopen aliquam legit: In Subdiaconatu datur Subdiacono mantile & malluvium, quibus Epiſcopo ſacra celebranti aquam manibus lavandis infundit, & lotas manus abſtergit: In Diaconatu datur Diacono ſanctum flabellum, quo poſtea more Græco ſancta dona ventilat. Hæc autem inſtrumenta ipſis ab Epiſcopo ordinante traduntur, & in iis ritibus celebrandis conſentiunt omnia ipſorum Euchologia, antiqua & recentia.

II. Inter Græcos tamen & Latinos triplex eſt hac in cauſa & maximi momenti diſcrimen. Primum, quod apud Latinos inſtrumenta dentur initio ritus Ordinationis, apud Græcos poſt peractam Ordinationem. Secundum ex A primo conſequitur. Dantur apud Latinos inſtrumenta, ut per ea ordinandus conſecretur: apud Græcos, ut per ea ordinatus eſſe probetur, & demonſtretur, ut nonnulla Euchologia ſpecialiter & ſigillatim adnotant. E regia Bibliotheca excerptum, *Poſtea Epiſcopus mantile accipiens imponit τῷ δ χειροτονηθέντι ὠμῷ humero Ordinati, &c. τοῦτο δ ποιῶν ὁ χειροτονηθεὶς dum hoc facit Ordinatus*, &c. Et in Ordinatione Diaconi, *Dicto Amen circumponit Orarium τῷ χειροτονηθέντι Ordinato, eumque deoſculatus tradit ei ſanctum flabellum, & collocat eum ex obliquo ſanctæ menſæ ut ventilet.* Ita quoque è Bibliotheca S. Andreæ, è Vaticana, atque ex Allatiano excerpta. Hoc diſertiſſimè Simeon Theſſalon. c. 2. ubi enarrata Subdiaconi ordinatione ait, *Mantile imponit Epiſcopus ejus humero, manibus autem malluvium tradit, ipſe vero Epiſcopi manus deoſculatus accipit: Hunc-que honorem ei exhibet Epiſcopus ὅ τι τοιούτων τεύχειν ἐστί, eo quod hujuſmodi rerum contigit ipſi Miniſtrum eſſe*; & cætera quæ ſequuntur in ejuſdem rei argumentum. Idem legere eſt apud eum, & in omnibus Euchologiis in Ordinatione Lectoris & Cantoris. Notabit Lector antiquiſſima duo Euchologia inſtrumentorum Subdiacono traditorum mentionem non facere, ſed tantùm officii poſt Ordinationem peractam obiti. Barberinum, *Dicto Amen, qui factus eſt Subdiaconus, ὁ γενόμενος διάκονος, ter dicit, Quicunque fideles, datque lavare Epiſcopo Ordinatori ſuo.* In Veneta Euchologii editione anni 1638. in fine ritus Ordinationis in media Liturgia, cum ſecundò lavat Epiſcopus, longè poſt ordinationem, male legitur πάλιν νίπτει ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ λεκανίδιον, ὅπερ φέρει ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι. Legendum ὁ χειροτονηθείς. Prior enim Lectio abſurda eſt, & ſeriei textus, & rerum actarum contraria. Petrus Arcudius & ipſius exemplaria legunt, ut nos reſtituimus.

III. Quanquam autem Euchologia diſtinctè, ne ceſpitaremus, iſta non adnotaſſent, facile tamen unicuique fuiſſet idem colligere ex ritus ordine, & contextu. Apparet enim iſta inſtrumenta poſt ritum peractum dari, ut poteſtatis & dignitatis jam acceptæ munera exerceant, & officii jam collati & ab ipſis accepti quaſi poſſeſſionem adeant. Idcò Lectori non ſolum datur Liber Apoſtolicus, & Cantori Pſalterium, ſed reapſe de Apoſtolo & Pſalterio aliquid legunt. Similiter Subdiacono non tantum datur malluvium & mantile, ſed etiam reapſe Epiſcopi manibus aquam infundit. Nec hoc tantum, ſed quod Subdiaconorum eſt, exclamat Ordinatus, *Quicumque Catechumeni, diſcedite, &c.* cum Miſſa fidelium incipit. Idem multò magis in Diaconi ordinatione conſpicitur. Hæc autem referunt eodem modo omnia Euchologia.

IV. Tertium inter Latinos & Græcos diſcrimen, quo idem non minus neceſſariò & evidenter colligitur, eſt, quod Græci cum dant ordinatis inſtrumenta ſua nullis utuntur verborum formulis, ut Latini, quibus aſſignari poſſit aliqua formæ imago; ſed nihil prorſus dicentes ea tradunt, ut officium quod ipſis recens collatum eſt, jam exercere incipiant. Qui-

Quibus omnibus inter ſe comparatis manifeſtum fit Græcos & Latinos inſtrumenta porrigere, ſed longè diverſo ſcopo, & utriuſque traditionis effectum ut & ſcopus, eſſe longè diverſum.

V. Cum res iſtas ab origine conſidero, & in fontes ipſos digitum intendere laboro, Video hunc ritum ab initio religionis Chriſtianæ apud Orientales non fuiſſe uſurpatum, ſed progreſſu temporis antiquis ceremoniis additum. Sanctus enim Clemens & Dionyſius Ordinationes uniuſcujuſque ritus ſigillatim enarrant, nec ullam iſtius traditionis inſtrumentorum mentionem faciunt. Clarum eſt eorum ſeculo nullum fuiſſe in Ordinatione traditionis iſtius uſum. In Ordinatione dico: Nam ex iiſdem autoribus, atque etiam ex reipſa conſtat, Græcos, & ſtabella habuiſſe, quibus ſacra dona ventilabant Diaconi, & Malluvium & mantile, Subdiaconoſque Epiſcopis & Presbyteris aquam infudiſſe, & Lectores ſcripturas Apoſtolicas & Propheticas legiſſe. Sed labente tempore viſum eſt Eccleſiæ Procerибus recens Ordinatos ſtatim ab Ordinatione ſuſcepta in muneris ſuſcepti exercitium & poſſeſſionem mittere, ut ipſo exercitio functi antequam ab Eccleſia diſcederent, admonerentur ſe officiis Eccleſiaſticis eſſe adſcriptos & mancipatos, ne unquam de hac re dubitare poſſent, aut aliquis litem movere.

VI Occaſionem hujus ad ritum antiquum additionis mihi ſumpſiſſe videntur Eccleſiarum Rectores à Romanorum conſuetudine, qui in rei venditæ vel donatæ, aut in dignitatis recens collatæ poſſeſſionem inſtrumentorum traditione, vel contactu, aut officii exercitio mittebant. L. 74. ff. de contrahenda emptione, *Clavibus traditis ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claves apud horrea traditæ ſint: Quo facto confeſtim emptor dominium, & poſſeſſionem adipiſcitur.* Aut per ingreſſum rei quam aliquo titulo comparavimus, ut l. 3. §. 1. ff. de acquirenda poſſeſſione, *Quod autem diximus & corpore & animo nos acquirere debere poſſeſſionem; non utique ita accipiendum eſt, ut qui fundum poſſidere velit, omnes glebas circumambulet, ſed ſufficit quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hæc ſit, uti totum fundum uſque ad terminum velit poſſidere.*

VII. In donationibus directis, ſi res erat mobilis, ſequi debebat mancipatio, & corporalis traditio. Si immobilis, abſceſſus Donatoris, ut Donatorio res patefieret. Omiſſa hac corporalis traditionis & inductionis ſolemnitate nulla erit firma donatio l. 1. 2. & 7. C. Theodoſ. de donation & l. 1. C. Theod. de legit. hæred. Arrepto rerum quolibet corpore aditur hæreditas. Aliter in donationibus cauſa mortis. Tum enim uſusfructus reſervatio pro traditione habebatur. Ibidem de donation. l. ultima. In Decretalibus C. ex literis de Conſuet. fit mentio traditionis quæ approbatur rei donatæ per apprehenſionem glebæ alicujus, aut per illius ſuper altare collocationem. Ita Darius Hydaſpes à Scythis, teſte Herodoto in ſignum ſubjectionis glebulam ſibi offerri poſtulabat. Aliis modis capitur, aut traditur alicujus rei poſſeſſio; ſed præſertim in dignitatibus quarum veluti poſſeſſio, aditur per dignitatis exercitium & adminiſtrationem. Remota enim adminiſtratione dignitas eſt tantùm honoraria aut vacans, quæ practicæ longè poſtponitur, L. 2. C. Ut dignit. ordo ſervetur, *primo loco ponuntur ii qui dignitatem collatam exercent: Omnes privilegia dignitatum hoc ordine ſervanda cognoſcant: Primo loco habeantur hi qui in actu poſiti illuſtres peregerint adminiſtrationes.* Sic videmus in dignitatibus Eccleſiaſticis quæ per codicillos conferuntur, per proviſiones, Bullas, diplomata, & cætera ejuſmodi, ea dignitate donatum in poſſeſſionem actualem & corporalem mitti per actum aliquem ſuæ dignitati convenientem, per Campanarum pulſationem, altaris contactum, ſeſſionem cum collegis in Choro, in Tribunali, per Miſſarum aut alterius officii celebrationem. Notum eſt enim dignitatis aut officii collationem, donationis quoque & rei emptæ inſtrumenta, à poſſeſſione & traditione corporali plurimùm differre. Illa præcedere, Miſſionem verò in iſtarum rerum poſſeſſionem ſubſequi.

VIII. Sic faciunt Græci in Ordinationibus ſuis; Poſtquam aliquem in Lectorem aut Subdiaconum ordinaverunt, Lectorem in novæ dignitatis adeptæ poſſeſſionem mittunt, non modo librum tradendo, ſed etiam legendo; Subdiaconum, non modo mantile, & malluvium tradendo, ſed etiam jubendo ut reapſe aquam infundat ſuper ordinatoris manus, cæteraque miniſtret quæ ſunt Subdiaconorum propria. Idem etiam de Diacono obſervatur, ut videre eſt in omnibus Euchologiis; atque etiam de Presbytero. Statim enim poſt ordinationem cum aliis Presbyteris jubente Epiſcopo ſedet, datur illi hoſtia quam conſecret, & cæteros Presbyteros communione donat. In Epiſcopi Ordinatione hæc omnia longè ſunt evidentiora, ſi quis ea quæ ſunt in poſtremo iſtius Ordinationis ritu, & quæ Symeon Theſſalonicenſis enarrat, oculis luſtraverit. Aliquid etiam ſimile nunc apud Latinos conſpicitur: Poſtquam enim ordinatus eſt quis Subdiaconus Epiſtolam ſolemniter legit; & Diaconus Euangelium; Presbyteri verò ſi plures ſint, omnes conſecrant. Itaque Officii recens collati poſſeſſionem illud exercendo adeunt. Idem legenti ritum ordinationis Epiſcopalis pluribus rationibus erit dicendum. Forſan etiam cum primùm inſtrumentorum uſus apud Latinos inolevit, in hunc finem tantùm adhibebantur. Id conjici poteſt ex Conc. Toletano 8. c. 6. ſupra relato. Primum igitur probabile eſt Subdiaconos & inferiores Ordines ſola Epiſcopi benedictione apud Latinos collatos fuiſſe: Deinde propter rationes prædictas inſtrumenta benedictioni conjuncta fuiſſe. Denique cum Latini plerique non ſolerent per manus impoſitionem illos conferre, Viſum communi conſenſu inſtrumenta unicuique ordini propria tradi debere, ut manus impoſitio aliquomodo ſuppleretur.

EXERCITATIO XII.

DE SUBDIACONATUS MATERIA, forma, officiis, & ei adnexis caſtitate, & vaſorum ſacrorum contactu, tam ſecundum Græcos quàm Latinos.

CAPUT I.

De materia & forma Subdiaconatus ſecundum Græcos & Latinos. Multi materiam iſtam, & conſequenter formam plurimum extendunt. Eorum quæ in Pontificali præcipiuntur, nihil omittendum. Quidam falſo principio freti multa neceſſaria ab ea præſcindunt. Traditio Libri in Ordinatione Subdiaconi recens eſt Eccleſiæ inſtitutio. Vix antecedit quadringentos annos. Verba formæ Subdiaconatus exhortatoria. Apud Græcos nihil aliud præter manuum impoſitionem & orationem aſſignari poteſt.

I. NUnc eſt nobis de Subdiaconatu & minoribus Ordinibus particulatim agendum. Primum de Subdiaconatu: Deinde quæ cæteros ordines ſpectant, breviter perſtringemus. De Subdiaconatu tria quæremus. Primum de ejus materia & forma. Hæc duo ſimul conjungemus; cum enim Subdiaconatus ab Eccleſia in auxilium Diaconorum, ut & Minores ordines, ſit inſtitutus, non eſt nobis ea de re operoſè contendendum. Secundum de ejus officiis & muneribus. Tertium, quando inter majores ordines eſt relatus, & ei cœlibatus conjunctus. Hæc autem omnia tam ſecundum Græcos quàm ſecundum Latinos ediſſeremus.

II. Doctorum Scholaſticorum maxima pars Subdiaconatus materiam aſſignat, calicis vacui, patenæque vacuæ traditionem ab Epiſcopo factam. Quod iſta traditio Subdiaconatus materia ſit, negari non poteſt; quum & Pontificale Romanum, & antiqui libri rituales omnes Latini, & Concilium Carthaginenſe quartum id evidentiſſimè teſtentur, ratioque ipſa ab eodem Concilio & Libris ritualibus adnotata convincat. Ideò enim adjunt, hæc inſtrumenta illi traduntur, quia manus impoſitionem non accipit. Eſt igitur Subdiacono hæc traditio χειροθεσίας loco. An verò calicis vacui & patenæ vacuæ traditio, ſit Subdiaconatus materia integra non immeritò dubitari poteſt.

III. Medina lib. 1. de continentia c. 44. cenſet non modo traditionem calicis & patenæ Subdiaconatus eſſe materiam; verumetiam, A tunicam, manipulum, librumque Epiſtolarum ab Epiſcopo in illa Ordinatione tradita. Eadem eſt Sichardi Epiſcopi Cremonenſis, ſi tunicam excipias, ſententia in libro manuſcripto de inſtitutione Eccleſiæ, quem dum viveret conſervabat in Bibliotheca ſua, Græcis, Latiniſque codicibus optimis divite, eruditiſſimus, & de literis egregiè meritus Dominus de Montchal, Archiepiſcopus Toloſanus, qui ante ſeſquiannum maximo cum literarum Eccleſiaſticarum diſpendio hanc vitam meliore commutavit. Hunc Librum citavit Guilelmus Durandus in Rationali libro primo c. 1. n. 4. & c. 8. n. 10. Sichardus igitur L. 2. c. 2. ubi de ordinibus agit, hæc ſcribit, *Subdiaconus cum ordinatur accipiat ab Epiſcopo calicem vacuum, & patenam; ab Archidiacono Urceolum cum aquamanili, & mantergio, dicente ſibi Epiſcopo: Vide cujus miniſterium tibi traditur. Merito ab Archidiacono illa ſuſcipiuntur, quoniam ad ejus adjutorium conſecratur. Poſtea tradit ei manipulum dicens, accipe manipulum tuum, & imple miniſterium tuum: potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Hæc ergo utenſilia, & hæc verba ſunt hujus Sacramenti ſubſtantia. Dat & Epiſcopus illi tunicam dicens, Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus. Hæc veſtis & hæc verba pertinent ad ſolemnitatem, non ad ſubſtantiam, quoniam ſine iſta perficiunt Subdiaconi miniſterium ſuum.*

IV. Non mihi videtur improbabilis iſta ſententia, etiamſi juxta Medinæ pronuntiatum materiæ tanquam pars integrans addatur amictus & manipuli traditio. Quidquid enim

rc-

requirere ſolent Theologi Scholaſtici ad materiam formamque Sacramenti conſtituendam, id in Pontificali Romano legitur clarè enuntiatum, ubi de amictu, manipulo, & libro verba facit: ſed præſertim de libro Epiſtolarum id videtur aſſerendum; eo quod nullum prorſus diſcrimen inter modum quo Euangelium Diacono traditur, & quo liber Epiſtolarum Subdiacono aſſignari poteſt. At omnes Theologi fere contendunt Euangelium eſſe Diaconatus materiam, & verba quibus traditur, formam. Ergo pari prorſus ratione idem de Libro Epiſtolarum reſpectu Subdiaconi affirmandum. Quare nonnihil miror quod tam multi de Euangelio id aſſerant, de Libro autem Epiſtolarum tam pauci. Non eſt, inquam, improbabilis hæc Sichardi & Medinæ ſententia. Quum enim iſta ex Eccleſiæ inſtituto pendeant, quid impedit diverſas ceremonias diverſis temporibus & occaſionibus à ſummo Pontifice, aut Conciliis eſſe inſtitutas? Nec etiam de hac re ſummopere eſt contendendum, modo apud omnes ratum ſit Epiſcopum conferentem Subdiaconatum debere diligenter attendere ad omnes ceremonias in Pontificali præceptas, ut eas omnes exequatur, nec ullam prorſus omittat, credatque nullam ſine gravi crimine negligenter omitti poſſe. Præſtat enim omnia in Pontificali præcepta exiſtimare ordinationi neceſſaria, quàm aliqua hoc præjudicio leviora, prætermittere, aut negligentius obſervare. Videtur mihi audax nimis & inſolens autoritate propria definire in Eccleſiaſticis præceptis quid ſit actioni ſubſtantiale, quid accidentale, niſi præmonuerit Eccleſia, aut evidenter admodum innuerit.

V. Quidam eodem privatæ opinionis amore præcipites reſecare audent & amputare à materia Subdiaconatus non modo Librum Epiſtolarum, tunicam, manipulum, ſed etiam antiquiſſimæ materiæ mediam partem. Volunt enim Urceoli cum aqua, & mantilis & manutergii porrectionem, quia & nunc & ſecundum antiquum Canonem Carthaginenſem, & rituales omnes ab Archidiacono traduntur, non eſſe hujus ordinis materiam. Tota enim materia, ajunt, à ſolo Epiſcopo tradi debet. Si quis negaverit hoc principium qua ratione probabitur? Idem Concilium vult, & confirmant omnes rituales, Archidiaconum Acolytho Ceroferarium & Urceolum vacuum tradere. Nulla igitur fuit in Ordinatione Acolythi materia, donec ab annis forte quadringentis hoc officium ab Archidiacono in Epiſcopum tranſlatum eſt. Hic eſt canon Carthaginenſis quem referunt omnes antiqui Libri rituales, *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi Urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Quam perſpicaces & Lynceos eſſe oportet eos qui in iſto canone unius verbi ſubauditione, & unica periodo continuata, materiam ab accidentibus diſtinguunt! Illi ſanè poſſunt, Ῥᾴδιόν γ' ἐστὶ κατὰ χθονὸς ἀνιχνεύειν. Marte noſtro leges nobis figimus, & quæ iis non ſunt conſentanea, refigimus.

VI. Sed improbabilis omnino mihi videtur Viguierii in Summa inſtit. Theologicæ c. 16. §. 6. verſic. 1. & paucorum aliorum ſententia, qui hujus ordinis materiam in ſola Libri Apoſtolici traditione ſitam eſſe volunt. Traditio enim iſtius Libri in Ordinatione Subdiaconi recens eſt Eccleſiæ inſtitutio, cujus mentionem non faciunt, nec Concilium Carthaginenſe, nec antiqua Ritualia, nec Iſidorus de officiis Eccleſiaſticis, nec Rabanus Maurus in inſtitutione Clericorum, licet ceremonias Ordinum, & eorum munia ſigillatim explicent. Tam altum ſilentium eſt argumentum evidens Subdiaconos antiquitus Epiſtolam in Synaxi, ſive publico Eccleſiæ cœtu ex officio non legiſſe. Id diſertè teſtatus eſt ante annos octingentos Amalarius lib. 1. de officiis, cap. 11. *Miror quâ de re ſumpſerit uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſimè legat lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex Miniſterio ſibi dato in Conſecratione commiſſum; neque ex literis canonicis, neque ex nomine ſuo. Subdiaconus, ut monſtratum eſt, dicitur, quia ſub Diacono eſt poſitus. In quibus rebus illi ſubditus eſt, conſecratio ejus, & canonica inſtitutio monſtrant, id eſt, ut in his miniſtret Diacono quæ aguntur circa altaris officia. Nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Euangelium quod non erat ſcriptum. Sed poſtquam ſtatutum eſt à Patribus noſtris ut Diaconus legeret Euangelium, ſtatuerunt ut & Subdiaconus legeret Epiſtolam, ſive Lectionem.* Itaque ex Amalarii verbis manifeſtum eſt eo tempore datum non fuiſſe Subdiacono ordinando Librum Epiſtolarum. Licet tum Subdiaconi in quibuſdam Eccleſiis Epiſtolam publicè legerent.

VII. Ducentis & quinquaginta poſt Amalarium annis nondum in Subdiaconorum Ordinatione mos invaluerat traditionis Libri, ut hujus rei teſtes ſunt rituales quidam codices circa illa tempora deſcripti, qui traditionem illam prorſus omittunt, non ſecus ac rituales Libri, ante, circa, & paulò poſt Amalarii tempora exarati. Idem diſertè teſtatur Micrologus c. 8. qui ante quingentos & aliquot annos ſcribebat Eccleſiaſticas ſuas obſervationes: *Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana autoritas concedit, ut ſacris veſtibus induti Epiſtolam legant ad Miſſam. Quod tamen non ex eorum conſecratione, ſed potius ex Eccleſiaſtica conceſſione meruerunt obtinere.* Micrologo conſentiunt qui circa illa tempora vixerunt Officiorum Eccleſiaſticorum autores, Stephanus Æduenſis de Sacramento Altaris c. 5. Gemma animæ lib. 1. c. 179. Hugo de S. Victore in ſpeculo de myſter. Eccleſiæ c. 5. Lombardus l. 4. diſt. 24. Referunt enim ea inſtrumenta quibus unuſquiſque ordo confertur; ſed eorum nullus in Subdiaconatus collatione Libri Epiſtolarum meminit, licet tum temporis propè apud omnes Eccleſias vulgatum eſſet Epiſtolæ lectionem Subdiaconorum eſſe propriam. Quum igitur tantum videamus conſenſum, & Ritualium antiquorum, & autorum ejuſdem ævi de his rebus minutè tractantium qui omnes hanc ceremoniam prætereunt, Amalariuſque diſertè negaverit in Ordinatione Subdiaconi adhiberi, nullus mihi videtur ſupereſſe de

hac re dubitandi locus. Uſus tamen invaluit vix ante quadringentos annos, ut Libri iſta traditio cum ſua formula in Libros Pontificales transferretur.

VIII. Nunc quænam ſit forma Subdiaconatus inquirendum. Hanc quæſtionem Scholaſticorum magna pars prætermiſit, quia forſan in ea eruenda nihil eſſe difficultatis exiſtimarunt. Declarata enim materia, ſtatim quæ ſit forma dignoſcitur, cum ex Theologorum prope omnium dictatis vicem formæ fungantur ea verba quæ Epiſcopus materiam applicando pronuntiat. Quapropter qui Materiæ partes conſtituunt, Librum Epiſtolarum, Manipulum, Tunicam, Amictum, formam etiam conſtituent verba quæ ex præcepto Pontificalis pronuntiat Epiſcopus, cum hæc inſtrumenta porrigit. Videtur aliqua difficultas ineſſe verbis quæ pronuntiat Epiſcopus cum Subdiacono dat calicem & patenam: non ſunt enim imperativa, ut poſtulare ſolent plerique. *Videte*, inquit Epiſcopus, *cujuſmodi miniſterium vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis quod Deo placere poſſitis.* Quidam recentiores putant hæc verba eſſe amputanda, *Ideo vos admoneo*, &c. & formam contineri verbis quæ antecedunt. Sed Epiſcopus iſta continuò, & eodem tenore pronuntiat. Sanè tenuis eſt admodum, & μικρολόγος diſtinctio: Nec video quid interſit inter prioris pericopes ſenſum, & poſterioris. Nihil eſt in priore magis imperativum quàm in poſteriore. Verba imperativi modi non ſolum imperium ſonant, ſed etiam exhortationem, & deprecationem. Cum exhortari & admonere aliquem volumus, id ex uſu omnium gentium per modum imperativum commodiſſimè facimus. Vide ſi fert animus quæ de modis verborum, & præſertim de Imperativo diſputavimus lib. 8. de Sacramento Pœnitentiæ, c. 19. Illa autem admonitio quæ in Pontificali hodierno refertur cum vaſa Subdiacono traduntur, quamque exſcripſimus, paucula pars eſt admonitionis quæ olim in illa traditione fieri ſolebat. Olim admonitio illa à priore pericope incipiebat, & cum poſteriore deſinebat. Intermedia Pontifices ſuſtulerunt, & in admonitione traditionem præcedente cum aliis multis repoſuerunt, ut in Pontificali videre eſt: & admonitionis antiquæ extrema conjunxerunt, ut quiſque in antiquis Ritualibus conſpicere poteſt. Notare autem debet Lector antiquitus admonitionem illam præceſſiſſe deinde inſtrumenta Subdiacono fuiſſe tradita. Si axiomati ſuo volunt facere ſatis, formam venentur neceſſe eſt in traditione Amictus, Manipuli, Tunicæ, & Libri Apoſtolici. Hæc enim omnia imperativè traduntur. At in antiquitatem incurrent, quæ iſta omnia ignorat.

IX. Facile eſt de Subdiaconatus materia & forma ſecundum Græcos ſententiam ferre. Nihil enim in toto ritu ſive antiquo, ſive recentiore extat præter manuum impoſitionem quod materiæ vicem ſubire poſſit, aut formæ præter orationem. Mantile quidem & pollubrum manibus lavandis ab Epiſcopo eis traduntur, multaque alia miniſteria exercere jubentur. Sed hæc omnia fiunt poſt ordinationem completam ut munere quod recens acceperunt, fungantur, veluti capite præcedente multis enarratum eſt.

CAP. II.

De Subdiaconorum officiis & muneribus ſecundum Latinos. Subdiaconi Sanctuarium ingrediuntur ut præbeant Diaconis quæ neceſſaria ſunt altari. Nulla Lectio ad eos pertinet ex ordinatione ſua. Rectè Nathinæis comparantur. Doctoris cujuſdam Hallucinatio. Quid propriè ὑποδιάκονοι. è Levitis multi Cantores erant & Janitores. Nathinæi non erant Gabaonitæ. Unde Nathinæi ſic dicti. Vaſorum ſacrorum vacuorum contactus. Subdiaconis ſemper conceſſus; ſed apud Græcos in magno Miſſæ introitu non licebat illis ea deferre. Quibuſdam in locis idem contactus Acolythis conceſſus.

I. DE Subdiaconorum officiis & muneribus hoc capite agemus. Tractatio hæc curioſa magis eſt quàm neceſſaria. Nunc & ab aliquot ſeculis, ut jam adnotatum eſt, officium Subdiaconi, ut & quatuor minorum Ordinum, implent Laici, aut ſupplent Presbyteri cum ſacrificant, ſi quid eſt quod nefas ſit Laicos facere, ut vaſa ſacra tangere, & ſi quid aliud. In Miſſis ſolennibus magis elucent officia Subdiaconorum. Attamen quia ſæpiſſimè qui in earum celebratione funguntur officio Diaconi & Subdiaconi Sacerdotes ſunt, parum attentè quæ ſunt Diaconi quæve Subdiaconi conſiderant, ſed facilè alteruter alterutrius miniſteria quum ſe dat aliqua occaſio, ſine alterutrius contentione uſurpat. Officium enim quo funguntur, tranſitorium eſt, & permutatorium: Cras enim Subdiaconum ager, qui hodie Diaconum egit. Quapropter eſt illis parum curæ quæ ordinum ſunt propria ſcrupulosè ſibi attribuere. Reverà pro hodierno diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatu parvi refert hæc ab iis diligenter fieri. In Eccleſiis quibuſdam Metropolitanis in quibus bis vel ter quotannis Miſſæ ſolemniſſimæ dicuntur, iis miniſtrant ſimul plures Diaconi & Subdiaconi, iſta officia diſtinctiùs & ſcrupuloſius tum obſervantur. Niſi & Subdiaconatus ipſe, & munera illi tributa inſtitutionis eſſent Eccleſiaſticæ; qua ratione cum Laicis aut inferioris ordinis Clericis promiſcuè communicarentur, aut à majoribus ordinibus ſine ulla neceſſitate, aut neceſſitatis prætextu uſurparentur? Itaque ſolius antiquitatis illuſtrandæ curioſi de his officiis in præſentiarum agimus.

II. Pontificale hodiernum omnia fere enumerat, Aquam ad miniſterium altaris præparare, Diacono miniſtrare, pallas altaris, & corporalis abluere, Calicem & patenam eidem in uſum ſacrificii offerre, oblationes quæ veniunt

niunt ad altare ſuſcipere, ut ex iis quantum ſatis eſt in altari ponatur. Eadem referunt fere iiſdem verbis antiquiſſima ritualia, & etiam recentiora quæ edidimus. Addit Sanct. Iſidorus in epiſtola ad Leudfridum Cordubenſem Epiſcopum, Urceolum, & aquamanile, & manutergium tenere, & Epiſcopo, & Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere. Notandum ex eodem Iſidoro & Rabano Mauro de inſtitut. Clericorum l. 1. c. 8. Subdiaconos ipſos nec calicem, nec patenam, nec oblationes in altari ponere, ſed iſta Diaconis ante altare tradere ſolitos, ut ipſi hoc præſtarent. Alcuinus de divinis officiis, *Ministret Diacono, id eſt, deferat ei linteum ſuper quod conſecrandum eſt corpus & ſanguis Domini. Deferat ei patenam cum oblatis, & calicem in quo vinum & aqua habeantur*, &c. Poſtea de Diaconatu verba faciens, *Ponit linteum in altari, ponit calicem*, &c. Amalarius lib. 2. c. 11. *Subdiaconus vaſa altaris ad ea mundi defert; ipſe verò ad altare ut in eo diſponat quæ diſponenda ſunt*, &c. Unde colligere licet Subdiaconos tum temporis, quanquam Sanctuarium Diaconis miniſtrandi cauſa ingrederentur, & in eo dum Miſſarum ſolemnia celebrarentur, conſiſterent, ad ipſum tamen altare, ut in eo per ſeipſos juxta morem hodiernum inſervirent, non acceſſiſſe.

III. Pſalmodia tempore Sanct. Gregorii Papæ unum erat ex præcipuis Subdiaconorum officiis, ut conſtat ex lib. 4. ep. 44. & Synodo Rom. c. 88. refertur diſt. 92. c. 2. Diaconis pſalmodiam prohibet, *Pſalmos verò ac reliquas Lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Deinde anathema pronuntiat adverſus eos qui contravenerint. Antea tamen & aliis in locis omnes Lectiones in Eccleſia excepto Euangelio à Lectoribus legebantur, ut videre eſt Conſtitut. l 8. c. 57. Apud Græcos Epiſtolam Lector non Subdiaconus legit, in cujus rei teſtimonium in ipſius Ordinatione Liber Apoſtolicus illi traditur, cujus ſtatim ea de cauſa ſectionem legit. Eadem ratio Lectoris apud Latinos: ordinatur per traditionem codicis de quo lecturus eſt, atque ut hoc ſtudioſè faciat etiam nunc ab Ordinatore Epiſcopo monetur. Sanct. Iſidorus eum de diſtincta & expreſſa pronuntiatione facienda ſedulò monet l. 2. de Eccleſ. officiis c. 11. Officio iſto fungebantur adhuc cum ſcribebat Amalarius, ut videre eſt l. 3. c. 11. quod inſcribitur de officio Lectoris. Cum ſcribebat autor libri, *Gemma animæ*, Lectores converſi erant in Cantores, nihilque illis attribuit quàm cantationem, ut videre eſt lib. 1. c. 167. Cum ſcriptus eſt ordo Romanus, Lectores in Miſſis ſolemnibus multa legebant, ut videtur in jejunio Pentecoſtes, in Officio Sabbati ſancti, in Scrutiniis quæ de baptizandis, & aliis locis. Imo antiquitùs, ut ſuprà probatum eſt, Lectio Euangelii ad eos pertinebat. Nihil autem eſt in antiqua Ordinatione Subdiaconi quod ad lectionem referri poſſit.

IV. Hujus miniſterii intuitu omnes antiqui autores, quos recentiores ſecuti ſunt, rectè Subdiaconos Nathinæis, qui Levitis miniſtrabant, comparârunt, eorumque vices in Eccleſia Chriſtiana gerere docuerunt. Ut enim Nathinæi Levitis miniſtrabant, 1. Eſdræ c. 8. v. 20. & 3. Eſdræ c. 8. v. 50. ita Subdiaconi Diaconis. Quibuſdam recentioribus non placet iſta comparatio Sed diſplicentiæ ſuæ fundamentum hallucinatio eſt in Scripturæ textu. Primum Librum Eſdræ in Bibliis Græcis Sixtinis ſumunt pro primo Libro in vulgata, cum primus in Bibliis Sixti ſit tertius Vulgatæ, & conſequenter apocryphus. Primus autem Vulgatæ ſit in Sixtinis ſecundus, & ſecundus Vulgatæ ſit in Sixtinis tertius Itaque Librum Apocryphum cum Canonico æqua lance comparant. Quod ad rem ipſam attinet Nathinæos putant ſervos exterioribus templi miniſteriis mancipatos, eo quod ἱερόδουλοι dicantur. Verùm ἱερόδουλος is dicitur qui univerſi interioris templi curam habet. Itaque timendum potius eſſet ne quid Subdiacono majus & ſacris adytis propinquius ſignificaret. δοῦλος quoque non ſemper ſervum ἀιχμάλωτον ſignificat, ſed famulum, miniſtrum. Quod Nathinæi Levitis ab Iſidoro & aliis in humilitate ſervire dicuntur, id non vilitatis, ſed virtutis cauſa ab iis dicitur. Quo ſenſu dixit Sanct. Auguſtinus, humilitatem eſſe virtutem ſolis Chriſtianis communem.

V. Reprehendunt quoque Medinam dicentem Nathinæos ſemper jungi Levitis, eo quod 1. Eſdræ c. 2. & 2. Eſd. c. 7. & c. 10. interſerantur Cantores & Janitores. Sed Cantores illi & Janitores erant Levitæ. Varia enim erant Levitarum munera; Sacerdotibus in ſacrificando inſervire, ſacra vaſa aptare, portare, vela expandere, contrahere, pſallere, januas templi cuſtodire. Levitarum autem Sacerdotibus in tabernaculo & ſacrificiis miniſtrantium maximus erat numerus. 1. Paralipom. c. 23. initio: *Numerati ſunt Levitæ a triginta annis & ſupra, & inventa ſunt triginta octo millia virorum. Ex his electiſſimi, & diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quatuor millia: Præpoſitorum autem & judicum ſex millia. Porro quatuor millia Janitores, & totidem Pſaltæ canentes in organis.* Idem colligitur ex toto capite 25. & 26. Sed præſertim v. 19. & 1. Paralip. c. 6. v. 33. &c. & c. 9 v. 14. &c. Ex quibus evidenter demonſtratur Cantores illos & Janitores fuiſſe Levitas. Sed res iſta tanti non eſt, ut fuſiùs explicari mereatur.

VI. Nicolaus de Lyra in 1. Paralip. c. 9. Nathinæos exiſtimat fuiſſe Gabaonitas. Forſan hoc à Judæorum traditionibus acceperat. Nam ea eſt Eliæ Levitæ ſententia in Methurgeman ad vocem נתן Et Philippi Aquinatis Judæo-Chriſtiani in Libro מערך, ſive Dictionar. Hebr. & Chaldaico-Rabbinico, cujus ſententiæ autores refert Thalmudic. in Tract Jebamoth. cap. הגרל, quod eſt octavum. Chriſtiani nonnulli hanc ſententiam amplectuntur. Hæc tamen ſententia parum convenit cum iis quæ de Nathinæis & Gabaonitis in Scriptura dicuntur I. Eſdræ c. 8. & III. Eſdr. c. 8. v. 50. David & Principes dicuntur Nathinæos dediſſe in miniſterium Levitarum: Sed Joſue & populus Gabaonitas dederant miniſteriis externis templi, ut videre

videre eſt Joſuæ 9. Et verſu ultimo dicuntur eſſe in miniſterio cuncti populi & altaris Domini: Sed Nathinæi Levitis tantum dati ſunt. Denique nulla convenientia miniſterii Gabaonitarum cum miniſterio Subdiaconorum. Miniſteria Gabaonitarum erant prorſus externa: Sed Subdiaconorum in Eccleſia fiunt, & pleraque in ipſo Sanctuario. Miniſteria Gabaonitis data ſunt in pœnam & maledictionem, Joſuæ 9. v. 23. Quis hoc de Subdiaconis dicat? Commodiſſima Nathinæorum explicatio ab etymo videtur mihi petenda. Nathinæi dicuntur, velut dati, oblati, à verbo נתן dedit. Unde Rabbinis, נתינה Nethinah, datio, traditio. Sic dicti ſunt à Davide, eo quod ab ipſo potiſſimum dati fuerunt Levitis, ut iis in miniſterio altaris & tabernaculi miniſtrarent. Hoc etymon expreſſit translatio 70. Interpretum I. Paralipom. c. 9. vertens δεδομένους, deditos, oblatos, R. Salomon Jarki in c. 8. Eſdræ nullam aliam tradit, aut etymi, aut miniſterii rationem. Multa alia de his quæri poſſunt, ſed fruſtra, quum de illis nihil aliud in Scripturis habeatur.

VII. His omnibus Subdiaconorum officiis ſive privilegiis unum inſuper & honorificum addendum eſt, Sacrorum ſcilicet vaſorum contactus, qui ſemper illis attributus eſt, ut ſecundum Carthagin. Concilium quartum, & antiquos omnes Rituales ex eorum ordinatione conſtat. Id tamen negant quidam Theologi exiſtimantes olim hunc contactum illis prohibitum fuiſſe antequam ſcilicet Subdiaconatus ordinibus ſacris adnumeraretur: poſtea conceſſum, atque inde ſacrorum ordinum numero accreviſſe. In ſententiæ ſuæ confirmationem allegant canon 21. Concilii Laodiceni, *Quod non oporteat Miniſtros locum habere in Diaconiis, & ſacra vaſa tangere.* Sed rectè Balſamon, aliique huic objectioni occurrunt, hoc canone Subdiaconis prohiberi vaſa ſacra contingere cum corpus & ſanguinem Chriſti continent: hoc enim eſt Diaconorum proprium, non autem cum ſunt Chriſti corpore & ſanguine vacua.

VIII. Aliter occurrit Zonaras, ita ut Græci moris imperitis Balſamoni videri poſſit contrarius. Reſpondet igitur Zonaras, *Quod ita intelligendum eſt, ut Diaconorum munera obire, ac panem & vinum quæ in Sacrificium offeruntur, contingere non liceat. Non enim permittitur ipſis ea deferre.* Alludit ad Græcorum morem, qui magna cum pompa deferre ſolent ſacra ſymbola à ſacra propoſitionis menſa ad divinum altare, ut ſacrificentur. Diaconus enim præcedentibus lampadibus, & ſubſequentibus Clericis ſuper humeros ſanctum panem defert, Sacerdos verò calicem manibus; Et hoc apparatu gyro per Eccleſiam facto, omnibuſque interim ante ſancta ſymbola procumbentibus, ad altare accedunt Sacerdos & Diaconus, eaque ſuper altare reponunt. Hanc pompam vocare ſolent Græci μεγάλην εἴσοδον magnum introitum, ut à parvo diſtinguant, qui fit cum ſancta Euangelia legenda deferuntur. Hic ritus apud eos antiquiſſimus eſt, fitque quoties Miſſa celebratur. Prohibent igitur Laodiceni Patres ſecundum Zonaræ ſententiam, Subdiaconum ingredi Diaconium in quo eſt menſa propoſitionis, & ſancta antitypa ad ſacrificium præparantur, & in illo magno introitu ea cum Sacerdote deferre: quem ritum in hunc uſque diem diligentiſſimè obſervant. Hanc interpretationem confirmat Ariſtænus in breviſſima ſua canonum interpretatione. *Non tangunt*, inquit, *vaſa Dominica Eccleſiæ Miniſtri, ἀλλὰ παρ' ἱερέων, ἢ διακόνων τῇ ἱερᾷ λειτουργίᾳ ταῦτα προσάγουσι, ſed a Sacerdotibus & Diaconis ad ſacram menſam deferuntur.* Non igitur contradicit Zonaras Balſamoni, ſed aliquid inſuper addit. Nec etiam contradicit perpetuæ Subdiaconorum in vaſa ſacra prærogativæ. Quamvis enim patenam antitypis onuſtam illis non liceat in iſta ſolemnitate deferre, non inde conſequitur eos ſacra vaſa tangendi licentiam non habere. Græcos videmus in hunc uſque diem utrumque præſtare: Solus Diaconus ſacra vaſa in ea ſolemnitate defert; & Subdiaconi ſacra vaſa tangunt, & contrectant.

IX. Antiquitus non modo licebat Subdiaconis ſacra vaſa tangere, ſed etiam Acolythis. Id licebat in Eccleſia Bracarenſi, ut ex Collectione Martini Bracarenſis deducitur can. 41. *Non liceat quemlibet miniſteria tangere, niſi Subdiacono aut Acolytho in Secretario tangere vaſa ſacra.* Eadem erat Romanæ Eccleſiæ & aliarum conſuetudo, antiquis Rituali bus hoc teſtantibus. Id potiſſimum de patena demonſtratur. In antiquo ordine Romano de officio Miſſæ col. 6. editionis Pariſienſis an. 1624. *Calicem autem Subdiaconus accipit ſequens, & dat Acolytho, & ille revocat in paratorium.* Idem repetitur col. 14. & 21. Calix autem ille eſt vino plenus miſto cum ſanguine Chriſti. Col. 75. in fine ordinis Officii Paraſceves, *Subdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini.* De patena verò ſæpius ab Acolytho contrectata, col. 10. *Cumque Epiſcopus Pater noſter finierit, Accipiens Archiſubdiaconus patenam ab Acolytho, offerat eam Archidiacono.* Et col 15. *Venit Acolythus ſub humero habens Sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus ſuum in parte dextera uſque ad medium cubitum,* &c. Item col. 20. & alibi non ſemel. Itaque ea quæ de vaſis ſacris, atque etiam de aliis inſtrumentis edicuntur, non ſunt ita ſtrictè intelligenda, ut ex uſu celebrium Eccleſiarum aliis etiam ordinibus convenire non poſſint, ſed ut principaliter & ex officio huic ordini conveniant; nonnunquam tamen & ex cauſa per alium ordinem exerceantur.

CAP.

CAP. III.

Christianos omnes ex antiqua & vulgata consuetudine corpus Christi tangere, secum portare, domum & peregrè ferre, & quando libebat, comedere solitos. Qua ratione hoc conciliari potest cum ea consuetudine quæ solis Subdiaconis vasa sacra tangere permisit. Id hoc tempore sibi tribuunt Monachi Græci. Qua ratione in Oriente manus componebant ad corpus Christi suscipiendum. Presbyteri & Diaconi nunc eodem modo sancta dona suscipiunt. Inferioribus Clericis & Laicis genuflexis corpus Christi sanguine mixtum cochleari in os infunditur. In Occidente mulieres illud linteo quem Dominicalem vocabant olim susceperunt. Consuetudo illa corporis Dominici privatim reservandi quomodo, & quando in Occidente prohibita est.

I. IIs quæ capite præcedente dicta sunt de sacrorum vasorum contactu solis Subdiaconis ex inferioribus Clericis attributo, vehementer opponi videtur alia & certa Ecclesiæ antiquissima consuetudo, quæ omnibus Laicis permittebat sacram Eucharistiam tangere, contrectare, & secum deferre, domique conservare. Si hæc Laicis licent, quanto magis vasa quibus Christi corpus & sanguis continentur. Licentiam autem illam tangendi, contrectandi, & deferendi corporis Dominici antiquitus vulgatissimam fuisse, de qua multi dubitare possunt, nunc nobis probare incumbit; postea qua ratione tanta licentia cum permissione sacra vasa tangendi solis Subdiaconis facta conciliari possit, explicare.

II. Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium l. 6. historiæ c. 35. de Novato Schismatis autore hæc habet, *Cum fecisset oblationes, & singulis partem distribuisset, dedisseque, miseros homines & infelices pro benedictione & gratiarum actione jurjurandum dare cogebat, atque suis utrisque manibus manus accipientis prehendens non prius dimisit*, &c. Cogebat eos per Christi corpus jurare quod in manibus tenebant antequam illud comederent, se nunquam illum deserturos, & ad Cornelium accessuros. Idem constat ex historia cap. sequenti relata de quodam Serapione Pœnitente moribundo, & Eucharistiam à Presbytero qui tum forte ægrotabat, per puerum nepotem suum requirente: *Puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet, quam puer secum adferens rediit*, &c. *Particulam igitur puer quam apportarat, madefactam in os senis infudit.*

III. Cyprianus in Tractatu de Lapsis

Propterea quod longa consuetudo id reipsa confirmavit. Omnes enim qui in Eremis solitariam vitam agunt, ubi Sacerdos nullus est, communionem domi servantes per seipsos participant. In Alexandria vero & Ægypto unusquisque etiam ex Laicis, ut plurimùm, habet domi suæ communionem, & cum vult per seipsum communicat.

IX. Celebre est etiam quod à Sozomeno refertur lib. 8. c. 5. & Nicephoro lib. 13. c. 7. de Muliere Macedoniana hæresi infecta, quæ cum se marito placitura Orthodoxam simularet, Eucharistiam Sanct. Chrysostomo sacris operante accepit: Deinde velut oratura paulum procumbens eam tradidit Ancillæ suæ, B à qua vicissim panem prophanum accepit, quem cum comedere vellet, in lapidem conversum sensit, qui postea Constantinopoli in perpetuam tanti miraculi memoriam conservatus est. Sanct. Chrysostomus homil. 21. ad populum Antioch. *Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni avaritia & rapina libera conserva. Reputa quod non tantùm manu capias, verum & ori admoveas, & linguam custodi à contumeliosis verbis*, &c.

X. Gregorius Nazianzenus orat. 11. de laudibus sororis Gorgoniæ circa finem testatur hanc sanctam mulierem corpus Christi domi C suæ velut pretiosum thesaurum recondidisse. Et in carmine adversus mulieres quæ ambitiosam suæ formæ curam gerunt

Οὐδὲ χέρες φέρουσιν ἐπὶ ἰς μύστιν ἰδωδὴν
Τένες, αἷς σὺ γεφύρις πίνθιμον ἀγλαΐαν

Neque manus horrent quas ad mysticum cibum extendis, cum iisdem luctuosam pulchritudinem effinxeris. Concilium in Trullo c. 58. Eucharistiam Laicis accipere permittit, sed non sibi, aut aliis distribuere, præsentibus Episcopis, Presbyteris, vel Diaconis, *Nemo eorum qui sunt in Ordine Laicorum divina sibi mysteria impertiat, præsente Episcopo vel Presbytero, vel Diacono.* Videtur igitur hoc illis absentibus facere posse.

XI Denique antiquis Christianis peregrinantibus consuetudo erat Eucharistiam secum gestare, ut ea uti possent in extremis, non secus ac Viatico: aut etiam citra hanc necessitatem, quoties insigne aliquod festum occurreret, atque etiam aliis de causis; hæc enim non definiuntur. Hujus moris exempla jam data sunt in Satyro S. Ambrosii fratre, & in antiquis illis Anachoretis ex Sanct. Basilio. Præterea narrat Beda in Martyrologio 18. Kal. Octobris Tharsicium Acoluthum à Paganis in itinere interfectum, eo quod Eucharistiam quam gestabat, illis ostendere noluisset. Et in vita Sanct. Laurentii Episcopi Dublinensis apud Surium 14. Nov. c. 8. quatuor Laurentii tum E Abbatis Monachos peregrè proficiscentes secum Eucharistiam detulisse, & in latrones incidisse, qui iis spoliatis, sanctaque Eucharistia irreverenter habita, divinitus puniti sunt. Joannes Diaconus lib. 1. c. 33. de vita Sanct. Gregorii refert Monachos Constantinopolim ad Sanct. Gregorium navigantes Eucharistiam secum portasse, atque in periculo maximo versantes, *omnes sibimetipsis pacem dedisse, & sanguinem redemptoris accepisse.* Eadem refert ipse Gregorius l. 3. Dialogorum c. 36. de Maximiano Syracusano Episcopo, & Monachis cum eo in mari gravissimè periclitantibus, *Sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes*, &c. Viget adhuc consuetudo ista inter Monachos Græcos, ut testis Petrus Arcudius lib. 3. initio cap. 59. Refert Balsamon in can. 58. Concilii in Trullo, morem istum fuisse apud Latinos suo tempore vulgatum, Laicosque Eucharistiam non modo in sinu gestasse, sed etiam aliis distribuisse. Sed hoc unde acceperit, nescio.

XII. Modum autem & formam qua manus disponebant sacrum Christi corpus accepturi describit Sanct. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 5. versus finem. *Accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram velut sedem quandam subjicias dexteræ quæ tantum regem suscepturæ est; & concava manu suscipe corpus Christi dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis tam sancti corporis contactu, communica*, &c. Sanct. Damascenus eundem recipiendi manibus corporis Christi ritum docet, sed paulò obscurius Orthodoxæ fidei lib. 4. c. 14. ad finem. *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibus in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis, & labiis, & frontibus impositis divini carbonis participes efficiamur, ut ignis desiderii nobis insiti, assumpta ea quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata nostra exuat*, Concilium sextum generale in Trullo ejusdem consuetudinis testis est, eamque observari jubet can. 101. *Si quis immaculati corporis in synaxis tempore particeps esse voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans accedat.*

XIII. Cum Græci communicaturi supponere dicuntur manum sinistram dexteræ, id faciunt in modum crucis: Sed quoniam utramque manum incurvant, crucem concavam manibus effigiabant, ut duorum circulorum qui se per medium vicissim secant. Cum autem Christi D corpus in medio volæ manus curvatæ quiescens consumunt, caput ita inclinant, ut non modo os volæ manus admoveant, sed etiam comedentis oculi & frons volam ipsam & corpus Christi contingant. Hic communicandi modus etiam nunc usurpatur apud Græcos cum Diaconus Missæ ministrans à celebrante communicatur, aut cum plures Presbyteri concelebrant: Qui primus est dat cæteris Presbyteris concelebrantibus, & Diaconis ministrantibus corpus Christi, quod, modo descripto & altari innixi, accipiunt, & comedunt. Sed mos ille communicandi apud eos in sola communione Ordinum majorum viget. Nam Hypodiaconis, cæterisque Clericis, & universæ plebi, E extra sanctuarium ad portam sanctam, genuflexis corpus Christi sanguine imbutum, cum aureo, aut argenteo cochleari, in os infunditur.

XIV. Nescio an modus ille corporis Christi accipiendi aliquando in Occidentali Ecclesia fuerit in usu. Videtur potius vulgari modo sumptus, manuum scilicet digitis, quod etiam Græci fecisse videntur, cum illud ut reservarent sumpserunt. Iste enim sumendi modus à Patribus Græcis descriptus, videtur

tur tantum ab iis qui illud tum comedunt, obſervari poſſe. Leguntur mulieres communicaturæ alio modo in Occidente corpus Chriſti accepiſſe, manu ſcilicet linteo, quem Dominicale vocare ſolebant, involuta, ne nuda corpus Chriſti tangeret. Concilium Antiſiodorenſe ſub Gregorii I. Pontificatu celebratum, omnibus mulieribus univerſim prohibet can. 36. ne nuda manu Euchariſtiam accipiant; & c. 42. mulieribus præcipit, *ut unaquæque quando communicat, Dominicalem ſuum habeat. Quod ſi qua non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Hæc conſuetudo ſaltem per Africam, ducentis ante hoc Concilium annis invaluerat, ut hujus rei locuples eſt teſtis S. Auguſtinus ſerm. 252. de tempore, *Mulieres*, inquit, *quomodo nitidum exhibent linteolum ubi corpus Chriſti accipiant; ſic corpus caſtum, ac cor mundum exhibeant, ut cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant.* Concilium tamen in Trullo can. 101. manum nudam cenſet eſſe corpore Chriſti recipiendo quacunque re animata digniorem: *Eos qui auro vel ex alia materia quadam loco manus receptacula efficiunt ad divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam, ſubjectamque materiam Dei imagini præferunt.*

XV. Sed paulatim mos iſte antiquus, tam Euchariſtiam apud ſe reſervandi, quàm manibus apprehendendi & contrectandi, antiquatus eſt, & graviſſimis pœnis ne id amplius fieret, prohibitum eſt. Toletan. 1. c. 4. cum ſeveræ pœnæ interminatione interdicit ne quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam reſervet. *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Sic Cæſarauguſtanum primum c. 3. *Euchariſtia gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum.* Abuſus multis in locis, & admodum inſolens irrepſerat, ut quidam Presbyteri Laicis, atque etiam mulieribus, Euchariſtiam traderent infirmis deferendam. Concil. Rhem. c. 2. cujus meminit Gratianus de Conſecrat. diſt. 2. C. Pervenit, hoc ne amplius fiat, prohibet. *Interdicit per omnia Synodus ne talis temeraria preſumptio ulterius fiat; ſed omnimodis Presbyter per ſemetipſum, infirmum communicet.* Abuſum iſtum deſcribit, execratur, & caſtigat Concilium Pariſienſe ſub Gregorio IV. lib. 1. c. 45. Dicunt Patres ſe audiviſſe, & nonnulli ſe vidiſſe *in quibuſdam Provinciis contra legem divinam, canonicamque inſtitutionem, fœminas ſanctis altaribus ſe ultro ingerere, ſacrataque vaſa impudenter contingere, & indumenta Sacerdotalia Presbyteris adminiſtrare: Et quod his majus, indecentius, ineptiuſque eſt corpus, & ſanguinem Domini populis porrigere; & alia quæ ipſo dictu turpia ſunt, exercere. Mirandæ ſanè res eſt, unde is illicitus in Chriſtiana religione irrepſerit uſus, ut quod viris ſecularibus illicitum eſt, fœmina aliquando contra fas ſibi licitum facere potuerint, &c. Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto à religione Chriſtiana abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum eſt.* Gelaſius I. Epiſt. 1. ſive 9. fine, acerrimè invehitur in eos Sacerdotes qui permittunt mulieres ſacris altaribus miniſtrare. Sed diſerte non exprimit vitium quod nunc potiſſimum inſequimur.

XVI. Tandem uſus invaluit, ut à contactu corporis Chriſti Laici omnes, viri & fœminæ, inferioreſque Clerici prorſus arcerentur. Antiquus Ordo Romanus exhibet nobis Subdiaconos, ne quidem dum communicant, corpus Chriſti non attingentes, ut videre eſt in Ordine proceſſionis ab antiquis Patribus Occidentalibus inſtituto col. 10. *Preſbyteri ergo & Diaconi oſculando Epiſcopum corpus Chriſti ab eo manibus accipiant in ſiniſtra parte Altaris communicaturi. Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi ore accipiant corpus Chriſti.* Alter antiquus ordo manuſcriptus qui fuit Conſtantini Abbatis ante annos ſeptingentos ſcriptus eandem ſententiam ſub iiſdem verbis, & ſub eodem titulo exhibet.

XVII. Quum igitur illa conſuetudo tangendi corporis Chriſti tam antiqua, vulgata, & conſtans fuerit, quidni & vaſa ſacra, calicem & patenam Reſpondeo longè diſparem eſſe utriuſque rationem. Nam corpus Chriſti res eſt ſacrificata, & actio per quam panis fit corpus Chriſti eſt ſacrificium. Sed de ratione ſacrificiorum eſt, ſi demas holocauſtum, ut ſacrificio adſidentes illius fiant participes, ut docetur Deuter. 12. & c. 18. initio. Et Numer. 18. v. 9. & 19 atque alibi. Ergo Chriſti corpus quod eſt omnium antiquorum ſacrificiorum veritas & perfectio ab omnibus participari debet, & ideo contingi. Deinde Chriſti corpus, ſive Euchariſtiæ Sacramentum, eſt veritas cujus figura erat apud Judæos agnus Paſchalis quem unaquæque familia comedere tenebatur. Denique jubet Chriſtus in inſtitutione Miſſæ omnes accipere, conſequenter & contingere. Corpus igitur Chriſti à fidelibus contingi abſolutæ eſt neceſſitatis. Imò ideò fit panis corpus Chriſti maximo cum miraculo, ut contingatur à nobis, & contactu ſuo nos ſanctificet, atque ad immortalitatem nos diſponat. Eadem erit conſequentiæ vis, ſi Chriſti corpus in Sacramento conſideretur, quatenus ſcilicet animarum noſtrarum medela & ἀλεξιφάρμακον Prorſus etiam hoc modo contactus eſt neceſſarius, & ejus participatio. Sed vaſorum longè diſpar ratio: Nulla eſt Laicis impoſita neceſſitas ea contrectandi. Nihil eſt illis cum vaſis commune: Nulla cum iis participationis, & unionis realis utilitas. Nulla figurarum cum veritate relatio. Quapropter jure potuit illis ejuſmodi contactus prohiberi. Populus carnibus ſacrificiorum participabat, vaſa tamen ſacra tangere prohibebatur. Vaſorum miniſteriis deputati erant Levitæ; populi miniſterio nihil erat opus. Sunt igitur rationes evidentes propter quas vaſorum ſacrorum, non autem corporis Chriſti contactus fuit prohibitus.

XVIII. Verum conceſſo parem eſſe utrobique rationem, quod eſſe non poteſt; in iis quæ ſunt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, alterum colligi non poteſt eſſe prohibitum ex alterius prohibitione. Potiſſima enim ratio ejuſmodi prohibitionum eſt penes voluntatem & arbitrium inſtituentis. Sufficere debet legem de uno latam eſſe, de altero nullam eſſe.

CAPUT IV.

De Subdiaconorum officiis secundum Græcos. Subdiaconi nomen Græcis & Latinis fere Homonymum. Græcus Subdiaconus maximè convenit cum Acolytho Latinorum. Subdiaconi portas Ecclesiæ observant; ex antiquissima consuetudine Diaconi. Quomodo hoc Subdiaconi officium ab Ostiariorum officio, ubi sunt Ostiarii distinguatur. Antiquissima Ecclesiarum divisio, & portarum situs enarratur. Edictum illud, Quicunque fideles, &c. *qua ratione Diaconis & Subdiaconis tribuatur. Nunc soli Subdiaconi hoc enuntiant.*

I. DE Subdiaconorum officiis secundum Græcos separatim dicere mihi videtur necessarium. Nam si Subdiaconorum Græcorum officia cum hodierna præsertim Latinorum disciplina comparemus: Utrisque nomen Subdiaconi tantum fere ἐμονυμῶς convenire deprehendemus; tanta est unius ab altero differentia! Subdiaconi Græcorum Acolythis Latinorum longè similiores sunt quàm Subdiaconis. Id quod etiam nunc præcipuum Subdiaconorum apud Latinos officium censetur, nempe Epistolæ solemnis Lectio, hoc Græci tribuunt Lectori. In duobus tantum Græci Subdiaconi cum Latinis Subdiaconis convenire videntur: In utroque tamen convenientia illa magno discrimini connexa est. Prius est vasorum sacrorum contactus & contrectatio. Sed in eo differunt Subdiaconi Græci quod vasa sacra in Missarum solemniis non contrectant; ad altare enim non accedunt. Subdiaconi verò Latini ubique. Posterius, Utriusque gentis Subdiaconis conjugium ex æquo cum Diaconis & Presbyteris prohibetur. Sed in eo differunt, quod Græci ad Subdiaconatum, cæterosque ordines Superiores excepto Episcopatu admittunt conjugio ligatos, modo cum una muliere, eaque Virgine, Latini verò nusquam, nisi post uxoris Virginis mortem; aut si vixerit, post promissam & voto consecratam castitatem, uniusque ab altero separationem.

II. Jam demonstratum est Subdiaconos Græcorum, Ordinationem non consequi in Sanctuario, vasa sacra contingere, abstergere, polire: cætera paucis ex Simeone Thessalonicensi potissimum colligi possunt, quæ cum officiis Latinorum Subdiaconorum Lector comparare poterit. Infundit aquam manibus Episcopi, malluviumque ei subjicit aquæ dum lavat recipiendæ; manutergium deinde offert iis abstergendis. Vasa sacra disponit & ornat in Diaconico, sive mensa propositionis, ut sacrificio offerendo aptata sint: In magno introitu vasa quæ non deferuntur in processione, sed in mensa propositionis supersunt, conservat. Catechumenos & prophanos jubente Diacono cum scilicet dicit, Catechumeni procedite, ab Ecclesia pellit. In Litaniis & rogationibus publicis crucem gestat, cæteros præcedens. Subdiaconi insuper cereostata in Sanctuario, & Tricerium, & Luminaria præparant, & adornant Sacras portas, id est, Sanctuarii portas custodiunt, tum ne quis prophanorum Sanctuarium ingrediatur, tum ut Diaconorum jussis ad ea capessenda, attentiores sint. Hæc omnia ex Græcorum Euchologiis, Simeone Thessalonicensi, & nonnullis antiquis autoribus quæ statim referentur.

III. Quoniam autem præter Subdiaconos, leguntur apud Græcos, & antiquos, & recentiores Ostiarii fuisse, licet Ordinum numero eos non adscripserint, & per χειροτονίαν sive manus impositionem eos non promoverint, ut infra demonstrabimus, non abs re quæretur qua ratione Portarum custodia Subdiaconis commissa differebat ab ea quæ erat penes Ostiarios. Portarum enim custodia, præcipuum est, & antiquissimum Subdiaconorum munus. In oratione qua ordinatur Subdiaconus, Deum deprecatur Episcopus, ut hoc munus ritè exerceant. *Inde illi amorem honestatis & decoris domus tuæ, ut adstet portis sanctis templi tui.* Concilium Laodic. c. 22. *Quod non oportet Ministrum ferre Orarium, & fores relinquere.* Manifestum est ex priore parte canonis, Ministros de quibus verba faciunt Patres, esse Subdiaconos non Diaconos. Idem Subdiaconorum officium necessario colligitur ex canonibus præcedentibus 20. 21. Item canone 43. *Quod non oportet Ministros vel brevi tempore fores relinquere, & orationi vacare.* Ministros quoque interpretantur Subdiaconos, Zonar. Balsamon, & Harmenopolus sect. 2. tit. 5. Sed Zonaras notat ibidem hunc morem desuevisse: *Quod si hoc tempore nequaquam ad fores Ecclesiæ assident* Subdiaconi, *non est cur miremur. Multi enim alii Ecclesiæ mores, nunc quidem omnino immutati sunt.* Constat tamen aliunde hunc morem non ubique in Græcia extinctum fuisse. Sanct. Maximus qui ante annos mille & aliquot Sanct. Dionysii opera commentabatur, sic ait in c. 5. Ecclesiast. Hierarchiæ, *Nota*, inquit, *quod Diaconi fores tum custodierint, Nunc verò Subdiaconi.* Pachymeres eodem modo in hunc locum, διὰ ἀλλαγὴν τῶν ἀνέρων τοῦ ἱεροῦ, τὰς πύλας ἐφύλαττον οἱ διάκονοι διὰ τὸ τὰς πύλας ἔχειν, νῦν δὲ τῶν ὑποδιάκονοι. *Discernit & separat sacros a prophanis, observat portas. Diaconi enim tunc portas obtinebant; nunc verò Hypodiaconi.* Idem quod S. Dionysius de portarum Ecclesiæ custodia Diaconis credita refert Clemens lib. 8. Constitut. c. 11. Sed paulò aliter *Diaconi stent ad januas quibus viri in templum ingredinntur; & hypodiaconi ad januas quibus mulieres.* Antiquissimis illis temporibus necesse erat Diaconos multa facere quæ postea in varios Ministros distributa sunt. Sed ut difficultatem propositam dissolvamus, & ostendamus quid Ostiariis quid Subdiaconis circa portas Ecclesiæ propriè & singulariter conveniebat, Ecclesiarum antiquissimarum brevis descriptio prætermittenda est.

IV. An.

IV. Antiquiſſima Eccleſiarum Chriſtianarum diviſio bipertita fuit. Sanctuarium erat, deinde navis Eccleſiæ ſeu atrium. In Sanctuarii medio erat altare, & in eo conſidebant Epiſcopi & Presbyteri, ſtabant Diaconi. Alii Clerici illud non ingrediebantur dum officia Eccleſiaſtica celebrabantur, niſi in tranſitu, propter aliquod miniſterium præſtandum. A duobus Sanctuarii lateribus duo erant Conclavia, S. Clemens ea vocat Paſtophoria, S. Paulinus Conchas, nos ea vocaremus Capellas. Utrumque Conclave erat quaſi pars Sanctuarii; & in utroque Porta erat qua, de navi Eccleſiæ ingreſſus erat in Conclave, & de Conclavi egreſſus in navim. Ideo una porta dicebatur B ſitu Borealis, altera Auſtralis. Iſta conſpiciuntur adhuc Romæ in omnibus antiquis Eccleſiis, quæ non ſunt ab annis ducentis à fundamentis refectæ. Græcarum Eccleſiarum Sanctuaria hanc figuram non obſcurè exprimunt; omniaque ſaltem habent & neceſſariò aliquid Conclavis Borealis Vicarium. Pars illa Sanctuarii primaria, in qua erectum erat altare, Cancellis erat ab Atrio Laicorum diviſa, & inſuper magno velo quo quæcunque in Sanctuario peragebantur, ab oculis Laicorum occulebantur, donec contracto velo poſt expulſos prophanos oculis fidelium paterent. In iſtis cancellis Sanctuarii erat por- C ta lateralibus longè major, quæ velo prædicto extenſo occludebatur, & contracto aperiebatur. Hæc major porta vocabatur, atque etiam nunc vocatur porta Sancta. Ut Sanctuarii erant portæ, ſic & Eccleſiæ, quibus univerſi ſive Laici ſive Clerici in Eccleſiam orandi gratia intrabant. Per illas ab area & porticu erat ingreſſus in Eccleſiam: Deinde perambulato Eccleſiæ atrio in Sanctuarium. Poſtquam ab atrio Eccleſiæ demptus eſt Chorus, & Cantorum locus, additæ ſunt choro portæ, de quibus ſupra abundè pro ſcopo ſatis.

V. Cum igitur jubentur Subdiaconi portas D Eccleſiæ diligenter cuſtodire, Portæ Sanctuarii intelligendæ ſunt, non priores & exteriores Eccleſiæ portæ: Illarum enim cura Oſtiariis demandata erat, ut docet S. Clemens l. 2. Conſtit. c. 57. *Ianitores ſtent ad introitus virorum cuſtodiendi cauſa, Diaconiſſæ verò ad Mulierum*, Cum de Oſtiariis agemus pluribus hoc demonſtrabimus. Itaque Subdiaconi invigilabant ſanctis Portis, caventes ſedulo ne quis prophanus Sanctuarium ingrederetur. Id diſertè docet Simeon Theſſalonicenſis in Theoria Subdiaconi, *Cuſtodit portas ſacras ne quis prophanorum intra Sanctuarium ingrediatur*, Hoc reſtringendum eſt ubi Oſtiarii fuere. E Nam munus illud humile in Eccleſiis Græcorum rarum fuit; atque ubi fuit, κληρικῶν numero non accenſebatur. Cum igitur nulli erant Oſtiarii, quod ubique & ſemper fere contingebat, ad Subdiaconos utrumque officium ſpectabat.

VI. Negotium forſan alicui faceſſere poterit, quod omnes Liturgiæ Orientalium, SS. Chryſoſtomi, Baſilii, Jacobi, Marci, S. quoque Clemens lib. Conſt. 8. c. 6. 7. 8. 9. & S. Dionyſius c. 5. Hierarch. Eccleſ. tribuunt Diacono proclamationem illam, *Quicunque fideles etiam atque etiam Dominum deprecemur*, A quæ fit ejectis Catechumenis, ut & præcedentem qua ejiciuntur: Omnes verò Rituales antiqui & recentes, atque autores citati, Subdiaconis. Facilè tamen hæc conciliantur, ſi dixerimus, Proclamationem fuiſſe penes Diaconos, executionem penes Subdiaconos. Illam enim exequi non poteſt Diaconus; præſertim apud Græcos eò quod in Miſſa nihil agat Sacerdos niſi monente Diacono; multas verò preces orat Diaconus, & myſticè & publicè dum peragitur ſacrificium, quibus Sacerdotis opera non intereſt. Quapropter Subdiaconum hoc exequi neceſſe eſt, aut alterum à miniſtrante in Sanctuario Diaconum. Hoc nos docet Simeon Theſſalonicenſis in fine Theoriæ de Subdiacono, *Catechumenos quoque expellit tempore conſtituto, cum ſcilicet dicit Diaconus, Catechumeni procedite.* Euchologia tamen aliquid expreſſius dicunt. Diſerte enim affirmant Subdiaconum ipſum ſtatim poſt ordinationem ſuam ter clamare, *Quicunque fideles.* Et Zonaras in c. 22. Laodic. de Subdiaconis, *Propterea nunc quoque illud, Quicunque eſtis Catechumeni procedite, ipſi pronuntiant.* Idem de ſuo tempore teſtatur Balſamon in eundem canonem. Itaque videtur dicendum hoc olim Diaconum præſtitiſſe, nunc autem Sub- diaconum cum Miſſæ adſunt Subdiaconi. In Liturgiis autem hoc Diaconi mandatum remanſiſſe, eo quod ſæpe Liturgiæ celebrandæ non interſunt Subdiaconi: Deinde notum eſt multa ſæpe in libris Liturgicis relinqui quorum nullus eſt ampliùs uſus, ut in antiquitatis argumentum ſuperſint; velut eo ipſo in loco, jubentur exire Catechumeni. Atqui diu eſt cum apud Græcos, non ſecus quàm apud Latinos, nulli ſunt Catechumeni. Multa quoquo ejuſmodi in Latinorum ritualibus occurrunt. Fieri etiam poteſt ut propter recentem Ordinationem hæc prærogativa Subdiacono D concedatur, quæ aliàs ad Diaconos ſpectat.

CAPUT V.

Subdiaconatum longo tempore poſt cælibatum illi adnexum, majoribus ordinibus fuiſſe adſcriptum. Demonſtratur quo tempore prohibitum fuit Subdiaconis uxores ducere, aut ductis uti. Senſim conſuetudine invaleſcente Subdiaconatus minoribus Ordinibus exemptus eſt, & majoribus adſcriptus; ſed apud Græcos locum retinet.

I. DEmonſtratum eſt Subdiaconatum antiquitus apud Latinos minoribus ordinibus adnumeratum, & ſicut minores Ordines, ut apud Græcos fieri ſolet, extra Sanctuarium, & Sabbata duodecim Lectionum, ſive aliis diebus quàm in Sabbatis jejunii quatuor temporum, conferri ſolitum. Deinde de-

monſtratum Subdiaconis ſemper licitum fuiſſe, quaſi jure inſtitutionis ſuæ, ſacra vaſa tangere; Prærogativam iſtam cum Acolythis in Occidente aliquando communicatum. Ideo hac de cauſa Subdiaconatum ſacris & majoribus Ordinibus adſcribi non poſſe, cum ſemper Subdiaconis ſacra vaſa tangere licuerit, recenſque ſit eorum in numerum Ordinum ſacrorum & majorum adſcriptio. Dicet forſan aliquis Subdiaconatum Majoribus ordinibus inſertum fuiſſe, cum ei cœlibatus eſt adnexus. Neque etiam hoc jure dici poteſt: Certum eſt enim diu poſt legem de cœlibatu Subdiaconatui conjungendo latam minoribus ordinibus fuiſſe adnumeratum, & extra Sanctuarium collatum. Nam cum vivebat Sanct. Gregorius Lex de promovendis ad Subdiaconatum iis tantùm qui caſtitatem voverent, jam univerſum Occidentem pervaſerat; & Orientem eo modo quo ibi in Diaconis & Presbyteris obſervari ſolet. Hoc nobis demonſtrandum poſtremo loco elegimus, unde conſequetur evidenter Subdiaconatum propter cœlibem vitam non fuiſſe majoribus ordinibus adnumeratum.

II. Quod ad Diaconos attinet & Presbyteros, nunquam non cœlibes fuere, ut à Theologis paſſim hoc demonſtratur. Canones quoque omnes qui de his rebus aliquid decernunt, cœlibatum aut ab uxoribus continentiam in iis ſupponunt; vel relaxatam hanc diſciplinam inſtaurant, & confirmant. De Subdiaconis aliter affirmandum. Primis enim ſeculis ad hanc dignitatem & conjuges eligebantur, & Virginibus electis uxores ducere fas erat. Deinde paulatim mos invaluit, ut iis ſicut Diaconis conjugia prohiberentur, nec conjuges eligerentur, niſi ab uxoribus continentiam pollicerentur. Varia fuit Provinciarum praxis, hæ citius, illæ tardius hanc conſuetudinem amplexæ. Primus canon qui ſuperſit ea de re eſt Eliberitanus 33. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus poſitis in miniſterio abſtinere ſe à conjugibus ſuis, & non generare filios.* Ita obſervatum in Bætica Hiſpaniæ Provincia, aut ſaltem Patres illi hanc conſuetudinem in Provinciam ſuam introducere tentarunt. Nam annis centum integris, aut potius ducentis poſt hoc Concilium, Siricius Pontifex Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Metropolitam ultra Diaconos regulam illam non profert, quem ſequitur ipſius Succeſſor Innocentius primus Epiſt. 2. c. 9. & Ep. 3. c. 1.

III. Concilium Toletanum I. eodem tempore celebratum c. 1. ita decernit, *Diaconi, ſi vel integri, vel caſti ſint, & continentiæ vitæ, etiamſi uxores habeant, in miniſterio conſtituantur; ita tamen ut ſi qui etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Epiſcopos conſtitutum eſt; incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur.* Nihil de Subdiaconis; Pœna autem Diaconis cum uxoribus incontinenter viventibus inflicta demonſtrare videtur prohibitionem illam ad Subdiaconos nihil pertinuiſſe. Concilium Carthaginenſe V. c. 3. *Placuit Epiſcopos & Presbyteros, & Diaconos, ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus continere; quod niſi fecerint ab Eccleſiaſtico removeantur officio: Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* Refertur diſt. 84. c. 4 Nec in Gallia Narbonenſi, nec in pleriſque Hiſpaniæ partibus, centum poſt Innocentium annis hæc conſuetudo in Subdiaconis vigebat. Tantùm enim c. 9. Concilii Agathenſis Decretum Siricii Papæ renovatur, quod in Diaconis ſubſiſtit. Ita quoque decernitur c. 22. & 23. Concilii Arauſicani. Uniuſcujuſque Eccleſiæ, ut vult Concilium Carthag. V. conſuetudo ſervabatur.

IV. S. Leo primus Pontificum hoc decrevit, vel potius conſuetudinem illam jam in Eccleſia Romana, & plurimis aliis inolitam confirmavit epiſt. 82. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonic. *Cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ conſcientiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur*, &c. *Quod ſi in hoc ordine, qui quartus à capite eſt, dignum ſit cuſtodiri, quanto magis in ſecundo, aut tertio ſervandum eſt? Ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyterali honori, aut Epiſcopali excellentiæ quiſquam idoneus exiſtimetur, qui ſe à voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur.* Videtur potius Sanctus Leo conſuetudinem approbare, quam decreto aliquo inſtituere, eaque uti velut argumento quo probet in ſuperioribus Subdiaconatu ordinibus omnino ſervandum eſſe.

V. Nihilominus poſt illud Leonis Decretum, antiquæ conſuetudini inhærebat Concilium Turonenſe primum ex variis Galliæ Provinciis congregatum; imò eam aliqua ex parte erga Diaconos relaxat. Sic decernit c. 2. *Licet à Patribus noſtris è commiſſa auctoritate id fuerit conſtitutum, ut quicunque Sacerdos vel Levita, filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineret, nos tamen huic diſtinctioni moderamen adhibentes, & iſta conſtitutione mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens, ad altiorem gradum non aſcendat, neque ſacrificia Deo offerre, vel plebi Miniſtrare præſumat.* Concilium quoque Agathenſe è Gallia Narbonenſi, & nonnullis Hiſpaniæ Provinciis conflatum c. 9. jam citato ultra Diaconos cœlibatum non urget.

VI. Verùm Concilium Turonenſe II. quod priore octoginta annis fere poſterius eſt, diſertè Subdiaconum cum Diacono in neceſſaria cœlibatus obſervatione conjungit, c. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, aut Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depoſitus ab omni officio Clericali, inter Laicos ſe obſervare cognoſcat, eo tamen permiſſo, ut inter Lectores in Pſallentium choro colligatur.* Concilium Aurelianenſe idem prohibet ferè ſub eadem pœna: Præceſſit autem Turonenſe ſecundum annis 20. & ultra, & refert id ſe decernere juxta priorum canonum ſtatuta. Itaque ante Concilia iſta jam cœlibatus in Gallia Subdiaconis imperabatur, & à Conciliis nationalibus conſuetudo illa confirmabatur. Eadem decernit Concilium Antiſiodor.

siodor. c. 21. *Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec Diacono, nec Subdiacono.* Matiscon. 1. c. 11. ad similem prohibitionem referri potest.

VI. Eodem tempore cum Pontificem ageret S. Gregorius, hac lege in Sicilia non tenebantur Subdiaconi; eos tamen ad eam observandam cum quadam *Parixia* adstrinxit, & consuetudinem Romanam nondum in Sicilia vigentem introduxit. Quid hoc fuerit, commodius ex ipsius verbis referetur. Sic scribit ad Petrum Siciliæ Subdiaconum lib. 1. Ep. 42. *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur; ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua uxore separari; atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit, &c. Eos autem qui post prohibitionem factam se à suis uxoribus continere nolucrint, nolumus promoveri ad sacrum ordinem. Quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* Post illud seculum vix deprehendetur fieri mentio Subdiaconorum conjugum: Aut si conjuges commemorati fuerint, conjugio utentium. Quod si hoc reperiatur, non amplius toleratur; sed ut canonibus contrarium severè vindicatur, novoque canone eadem cœlibatus Lex hac occasione innovatur. Itaque post sexcentos à nativitate Christi annos, cœlibatus per universum Occidentem Subdiaconatui erat Lege perpetua conjunctus.

VII. Atqui Subdiaconatus aliquot seculis post sanctum Gregorium inter minores Ordines à Latinis recensitus est, & cum minoribus collatus & æquiparatus, ut demonstratum est supra. Cœlibatus igitur Subdiaconatui autoritate Ecclesiæ connexus, causa non fuit illius ad Majores Ordines evehendi. Quid igitur inquies? Respondeo id paulatim obtinuisse, Episcoporum quorundam consuetudine hunc Ordinem ad altare, & intra Missarum solemnia conferentium per vicinas Diœceses sensim invalescente. Cumque mos ille pleraſque Provincias occupasset, tandem in necessitatem, & velut in rem judicatam transit, & regulæ in Pontificalibus inseri solitæ, quæ ordinationum faciendarum rationem explicant, & antea Diaconos & Presbyteros tantùm spectabant, cum Subdiaconis communicatæ sunt. Hoc autem fieri cœptum est ante annos octingentos, ut videtur Amalarius innuere non inevidenter, & nonnulli antiqui rituales circa illa tempora, & seculis posterioribus descripti disertè docent, cum Subdiaconorum ordinationes majoribus Ordinibus, Diaconis & Presbyteris conjungunt, & à minoribus dividunt. Ab eo tempore paulatim desinere cœpit mos Subdiaconatum cum Minoribus ordinibus conjungendi; Vix tamen ante sexcentos annos extinctus est. Hæc omnia evidenter demonstrantur ex iis quæ dicta sunt in explicatione ultimæ convenientiæ Subdiaconatus cum minoribus ordinibus. Quapropter ab eorum demonstratione supersedeo.

VIII. Quod ad Græcos attinet, Subdiaconatus in antiquo ordine suo permansit, & extra Sanctuarium cum minoribus in hunc usque diem confertur, licet eorum Subdiaconi, non secus ac Latini, vasa sacra contrectent & custodiant, iisque more Græco castitas, ut Diaconis & Presbyteris imperata sit. Concilium in Trullo can. 6. *Decernimus ut deinceps nullis penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem conjugium contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus, deponatur.* Idem statuit Justinianus Imperator ante hoc Concilium 160. annis l. 45. C. de Episcopis & Clericis, sacros canones ut ait, secutus, *Sacris canonibus, neque Deo amantissimis Presbyteris, neque reverendissimis Diaconis aut Subdiaconis, nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus; sed solis reverendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus: animadvertimus quosdam despicientes quidem sacros canones*, &c. Eos lege illa graviter punit Imperator. Idem sancit Novell. 123. c. 14. Et longè ante hos omnes Apostolicus canon 26. *Ex iis qui non ducta uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus si velint, uxorem ducere solos Lectores & Cantores.* Itaque id secundum Apostolicos canones Subdiaconis non licuit.

EXER-

EXERCITATIO XIII.

DE MINORIBUS ORDINIBUS secundum Latinos.

CAPUT UNICUM.

Lapſu temporis materiæ & formæ Ordinum ab Eccleſia ampliatæ. Materiæ acceſſio facta non formæ. Contra regulas in Rituali præſcriptas non valet ratio. Acolythatus materiæ & formæ, & applicantium varietas multiplex enarratur. Quorundam iſtorum ordinum officia ab ordinatis non amplius exercentur; aliorum officia cum Laicis communicantur. Antiqua diſciplina deſcribitur, in qua iſtorum ordinum vigebat neceſſitas. Octavo & nono ſeculo inſtaurata illa diſciplina, & illius neceſſitas. Collapſa illa diſciplina qua ratione cum fœnore compenſata eſt.

I. POſtulat nunc doctrinæ ratio ut de Ordinibus qui vulgo minores dicuntur, ſingulatim agamus. Quatuor ex omnium Latinorum conſenſu feruntur, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus. Antiquiſſimos eſſe, & partim ab Apoſtolorum immediatis Succeſſoribus inſtitutos eſſe Theologi plurimi data opera demonſtrarunt: Ideo huic opellæ immorari non eſt animus. Qui hanc rem edoceri deſideraverit, legat Arcudium de Sacramentis lib. 6. c. 19. Hallerium ſecunda parte de ſacris electionibus c. 1. art. 1. Coccium in Theſauro Catholico lib. 8. art. 4. qui omnia fere quæ in hanc cauſam afferri ſolent, in unum coegit. Similia occurrunt apud obvios quoſque Theologos, qui de Sacramentis ſcripſerunt; pleraque etiam ejuſmodi teſtimonia jam aliud agentes retulimus, aut etiam referemus. Quapropter ea citatione ſuperſedemus. Quæ de minoribus Ordinibus à Theologis maximè diſputari ſolent, an ſcilicet Sacramenta ſint, cum de iis communiter ageremus, a nobis pro captu noſtro deciſa ſunt, demonſtratumque præterea antiquitus apud quaſdam Gentes plures fuiſſe, qui jam obſoleti ſunt; apud alias, quoſdam non obſervatos. Itaque ſupereſt tantùm ut de uniuſcujuſque materia & forma paucis agamus, neque de his ſcrupulosè. Cum enim ſint inſtitutionis Eccleſiaſticæ, illa inſtrumenta materiæ rationem induunt quæ Pontificale Romanum jubet in ipſorum collatione tradi; formæ verò, ea verba quæ dum traduntur jubet idem Pontificale pronuntiari. Si quid aliud aliàs aut alibi traditum aut pronuntiatum demonſtratur, colligendum ſine ſcrupulo materias aut formas iſtorum ordinum eſſe immutatas. Difficilior & ſpinoſior de minoribus A Græcorum ordinibus & eorum numero nos manet diſſertatio. Sed quæ ad Latinos ſpectant, quia pauca ſunt & facilia, expediamus.

II. Oſtiariatus materia duplex eſt. Prior, clavium Eccleſiæ traditio, quas Pontifex ordinando Oſtiario tradit: Poſterior, funis Campanarum quem Oſtiario tradit Archidiaconus. Actio illa qua Archidiaconus Oſtiarium poſt clavis acceptionem ad portam Eccleſiæ ducit, eamque aperire & claudere jubet, poteſtatis jam collatæ executio eſt, & veluti miſſio in poſſeſſionem ejus. Forma, ſeu verba inſtitutionis quibus Oſtiariatus confertur hæc ſunt, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur.* Poſteriorem illam materiam adjunxit Eccleſia: Antiquitus enim ſola prior erat in uſu, ut conſtat ex can. 9. Concilii Carthaginenſis IV. ex ordine Romano, & ex antiquiſſimo Gelaſiano. In aliis tamen, etiam plurimum antiquis, ut Rotomagenſi, Remenſi, Hugonis, Mainardi, & Conſtantini Abbatis, & aliis quos edidimus, jubetur Archidiaconus illos ad oſtium ducere, & illis tradere. Sed funis traditio, & campanarum pulſatio ab antiquis exemplaribus non commemorantur. Sicut tamen Eccleſia priorem materiam inſtituit, ſic potuit & ſecundam. Secundam primum non inſtituit, eo quod primis illis ſeculis conſuetum non erat fideles ad Eccleſiam per Campanarum pulſationem convocare; ſed invaleſcente illa conſuetudine, adjunctum eſt antiquæ materiæ iſtud pulſationis genus. Notandum inſuper admonitionem quæ Oſtiariis ordinandis nunc fit ab Epiſcopo, antiquitus ab Archidiacono factam fuiſſe, ut can. 9. Concilii Carthag.

thag. IV. & in antiquis pleriſque Ritualibus edicitur.

III. Forma quam retulimus, ad utramque materiam extendenda eſt, quanquam propriè & juxta verborum expreſſionem ad priorem tantùm pertineat. Materiæ acceſſio facta eſt, formæ non item. Senſus tamen formæ generalis eſt, ex æquo Campanis & oſtio conveniens, licet quod ad ſpecialem applicationem ſecundæ materiæ nihil fuerit antiquæ formæ ſuperadditum. Objicies forſan formam illam; *Sic agite*, &c. pronuntiari aliquo tempore, antequam funis tradatur: ſed in cauſis moralibus phyſica illa virtutis præſentia & ὁμόχρονον non requiritur. Objicietur cum majori ſecundum Scholaſticos probabilitate, poſteriorem materiam præbere Archidiaconum, non Epiſcopum: Materiam autem dare & applicare ſolius eſſe Epiſcopi. Reſpondeo ad eum pertinere materiæ applicationem cui eam attribuit Eccleſia. Vana eſſe quæcumque contra hoc axioma finguntur argumenta; æquo jure negari poſſe quo aſſumuntur. Quia in ejuſmodi rebus præcipua ratio inſtitutionis, poteſtas eſt & voluntas Eccleſiæ inſtituentis: Nec valida eſt conſequentia ab uno ordine ad alium, ab una actione ad aliam propter rationis ſimilitudinem aut paritatem, cum Eccleſiæ praxis ſimilitudini aut paritati adverſatur.

IV. Ideo nihil colligi poteſt ex can. 5. Concil. Hiſpal. II. quo refertur Epiſcopus quidam Presbyterum & duos Diaconos ordinaſſe qui poſtmodum depoſiti ſunt, eo quod manus tantùm illis Epiſcopus oculorum morbo laborans impoſuiſſet, Presbytero benedictionem pronuntiante. Rituales & Eccleſiæ praxis volunt ut Epiſcopus non tantum manus imponat, ſed etiam benedictionem fundat. Quare irritum meritò pronuntiatur, quod contra mandati formam actum eſt. Deinde Scholaſticorum maxima pars ab hoc teſtimonio quod ſolum cum aliqua probabilitatis ſpecie opponi poteſt, deſiſtit, & deſiſtere cogitur; quoniam Diaconatus materiam non agnoſcit manus impoſitionem, ſed Libri Euangeliorum traditionem; eorum verò magna pars negat ad Presbyteratus materiam pertinere dictam manus impoſitionem: Denique prope omnes conſtanter negant orationem, quæ per benedictionem, neceſſariò intelligenda eſt, eſſe ordinationis alicujus formam. Itaque ſecundum omnes hoc teſtimonium hypotheſi non quadrat. Neque nobis neceſſe eſt ad hypotheſim quam magna contentione verſant, confugere, qua tres homines in deſerto ſolos fingunt, quorum unus eſt Catechumenus & in periculo mortis, alii duo Chriſtiani, ſed Chriſtianorum unus eſt mutus, alter brachiis mutilus. Sanè in hac ſpecie neceſſarium videtur ut mutus materiam præſtet, abluat videlicet; alter verò formam proferat. Sed hic Eccleſia litem diremit, materiam inrer Epiſcopum & Archidiaconum diviſit. Denique hoc conceſſo, afficere tantùm poteſt ordines qui Sacramenta ſunt, non eos quibus non ineſt illa ratio. De proprio facto liberius Eccleſia definit, velaque nonnunquam urgente occaſione dat retrorſum.

V. Si cui tamen viſum traditionem funis ad materiam Oſtiariatus non pertinere, eo quod illi pronuntiatio formæ non ſit ὁμόχρονον, vel etiam quod ab Archidiacono non ab Epiſcopo tradatur, vel alia quàpiam de cauſa, in ſuo ſenſu abundet: Manifeſtum tamen mihi videtur, eadem mente & intentione poſtericrem iſtam partem qua prior ab Eccleſia inſtitutam eſſe. Præterea ſi ſigni rationem, in qua Sacramentum potiſſimum conſiſtit, conſideremus, pulſatio Campanarum ad convocandum fideles, ad ſacrificii celebrationem, & horas diſtinguendas, æquè repræſentat & cauſatur quid ſpirituale, ac oſtii apertio & clauſura. Ideo in præfatione quæ ad orationem pro Oſtiariis ordinandis fideles exhortatur, dicit Epiſcopus, *Quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus es, ut ſit eis fideliſſima cura diebus ac noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum, ad invocandum nomen Dei mei*, &c.

VI. Lectoratus materia eſt codex de quo Lecturi ſunt: Forma, Verba exhortatoria, *Accipite & eſtote verbi Dei relatores*, &c. Omnes antiqui codices, & Concilium Carthagin. IV. in materia & forma cum hodierno Pontificali planè conſentiunt. Omnes præterea notant ad Epiſcopum pertinere admonitionem ad Lectores ordinandos habere: nec ullus his de rebus negotium faceſſit.

VII. Exorciſtatus materia eſt traditio Libri Exorciſmorum, ut docent Concilium Carthaginenſe IV. c. 7. ordo Romanus editus, & manuſcripti rituales omnes, quos in hoc volumine excudi curavimus. Iſidor. lib. 2. de divinis officiis c. 13. Rabanus de Inſtit. Clericorum l. 1. c. 10. Amalarius l. 2. 9. Ivo Carnutenſis in ſermone de excellentia Ordinum, & parte 6. Decreti c. 16. Hugo a S. Victore, eruditionis Theolog. l. 1. c. 5. Hanc tamen materiam dilatat Pontificale: Permittit enim loco libri Exorciſmorum, Pontificalis aut Miſſalis traditionem. De formis enim iſtis & materiis diſponit Eccleſia, ut æquum eſſe judicat Forma Exorciſtatus in Conc. Carthagin. IV. in Ritualibus & autoribus antiquis, ut in Pontificali, *Accipite & commendate memoriæ*, &c. plerumque in ſingulari numero enuntiatur.

VIII. Acolythatus materia eſt duplex, & utraque, quantum ex antiquis Eccleſiæ monumentis conſtare poteſt, ex æquo antiqua. Una eſt Ceroferarii cum Cereo traditio; altera Urceoli vacui; Atque in hoc conveniunt omnes antiqui Rituales & recentiores cum Concilio Carthaginenſi IV. antiquiſque Officiorum autoribus. Sed materiam illam Concilium Carthaginenſe, omneſque antiqui Rituales volunt ab Archidiacono tradi. Ordo Romanus vult Archidiaconum tradere illam materiam, ſed Epiſcopum formam pronuntiare. Bellovacenſes codices utrumque Archidiacono tribuunt. In Corbejenſi antiquiſſimo utraque materia, ut in aliis antiquis, traditur ab Archidiacono. Sed in prioris partis traditione tantùm pronuntiatur forma, & ab Archidiacono, non ab Epiſcopo. Benedictio tamen ſive oratio ſuper Acolythum à ſolo funditur Epiſcopo; atque in eo omnes rituales conveniunt. Conſtan-

tini Abbatis codex ſolus ex antiquis nobis exhibet ab Epiſcopo ſolo materiam traditam, & formam pronuntiatam.

IX. Non minor varietas in conjunctione formæ cum materia colligitur. Pontificale Romanum vult Epiſcopum dicere cum dat ordinandis Ceroferarium, *Accipite Ceroferarium, cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Amen.* Cum verò Urceolum, *Accipite Urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini. Amen.* Eadem verba referunt, antiquus Conſtantini Abbatis codex, Ordo Romanus editus, omiſſis tamen his verbis, *In nomine Domini, Amen.* Sed Concilium Carthagin. IV. Antiquiſſimi omnes Rituales, Petaviani duo, Rotomagenſis, Rhemenſis, Senonenſis, Vaticanus, Rodradi, & Thuani, illam formam prorſus omittunt, cum tamen utramque materiæ partem commemorent. Antiquus autem Corbeienſis codex, Ratoldi quoque, & Bellovacenſes duo, hanc formam exhibent ab Archidiacono pronuntiatam cum datur Ceroferarius, *Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis Adverſationum tenebras effugare, & veriſimum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, fideliter invenire.* Cum verò datur Urceolus, nihil prorſus dicunt, præter Ratoldi codicem qui refert eandem quæ ſupra exhibita eſt formam. Sed quis eam pronuntiet, Epiſcopus an Archidiaconus, dubium relinquit. Alius codex qui pertinet ad Eccleſiam Rotomagenſem annorum circiter 450. nihil ſimiliter, licet junior, in traditione iſtorum inſtrumentorum pro forma repræſentat. Verum recentiore manu additum erat interlineariter ad dictiones *agere ſe debeant, Epiſcopo dicente, Accipite Ceroferarium cum Cereo*, &c. Deinde in margine è regione dictionis *mancipari*, ſcriptum erat charactere minutiore, ſed antiquo & textui coævo, *Accipite hoc geſtatorium luminis*, ut ſupra. Denique recenti ſcriptura ſuper dictiones, *Accipiant & urceolum* ſcriptum erat, *Accipite urceolum ad infundendum vinum & aquam.* Quibus evidenter demonſtratur olim ubique nihil fuiſſe dictum ab Epiſcopo in iſtius Ordinis collatione; ſed ſolum ab eo officii ſui admonitos fuiſſe, ut notat Concilium Carthag. IV. *Acolythus cum ordinatur ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat*, & poſt Concilium Carthaginenſe Rituales omnes. Poſtea viſum eſſe utilius & decentius eſſe aliquid in ea inſtrumentorum traditione pronuntiare. Quod poſterius apud omnes tandem obtinuit, ſed tardè; pronuntiatione tamen formæ diverſimodè facta, tum ratione verborum, tum ratione perſonæ: In aliis Provinciis Epiſcopo ſolo hoc faciente, in aliis etiam Archidiacono. Nunc tamen, & ab aliquot ſeculis, exiſtimo ubique hæc fieri uniformiter.

X. Hæc de Ordinibus vulgo dictis apud Latinos minoribus ſufficiant. Inutiliter de iis curioſius diſputaretur, cum ut jam adnotatum eſt, eorum officia & miniſteria à quolibet occurrente & non initiato, occupentur, & vix aliquando ab initiatis adminiſtrentur. Quis enim Oſtiarius conſecratus oſtia & campanas Eccleſiæ curat? Hæc præſtant viles perſonæ mercede conductæ. Quid præſtat Lectoratui initiatus? Nihil nunc eſt in toto Eccleſiæ officio quod ſingulariter ipſi conveniat. Imò ſi aliquis Epiſcopus vellet Lectorem aliquem ratione gradus ſui miniſtrare, difficillimum eſſet ipſi proprium munus aſſignare, quod ex praxi hodierna vel ad Subdiaconum vel ad Acolythum non pertineat. Exorciſtarum officia ad Presbyteros devoluta ſunt, nec iis ſe immiſcent ampliùs Exorciſtæ; & eo modo illa exercent Presbyteri, ut Exorciſtæ ſimplices de quibus verba facimus, ea non poſſint amplius exercere. Habent ſua munera Acolythi, ſed obvii quique Laici, non ſecus ac ipſi Acolythi, iis funguntur. Quamobrem igitur, inquies, iſtos ordines retinuit Eccleſia, & non abolevit, aut ſaltem tribus abolitis, ut Græci, unum ſolum non conſervavit? Id multis dè cauſis fecit: Primùm, ut antiquæ diſciplinæ perpetua extarent monumenta, quod ſæpe aliis multis in cauſis fecit Eccleſia. Deinde ut admonerentur Presbyteri & Epiſcopi magna opus eſſe probatione, ad dignitatem quam ſuſcepturi ſunt, aut jam ſuſceperunt, laudabiliter adminiſtrandam, cum viderint ſe Eccleſiæ clementia varios probationis gradus, quaſi momento, percurrere, per quos olim longo temporis ſpatio, & magnis laboribus toleratis ad Presbyteratus eminentiam erat aſcendendum. Denique, ut agnoſcant nullum eſſe vile & contemnendum Eccleſiæ miniſterium, cum omnibus quacunque dignitate nunc fulgeant, fuerint initiati.

XI. Sanè poſita, ut nunc inſtituta eſt, Eccleſiæ diſciplina, nullo modo neceſſarium eſt in his gradibus diu ſubſiſtere, eorumque officia per ſe gerere. Contrà verò antiquâ redintegratâ, ſtadii hujus Eccleſiaſtici curriculum neceſſariò videtur redintegrandum. Antiquitus Clerici omnes Eccleſiæ eleemoſynis & reditibus pro uniuſcujuſque gradu & neceſſitatè ſecundùm leges diſtributis alebantur Vix ullus erat vagus, aut abſolutè ordinatus, hoc eſt, ſine titulo Eccleſiaſtico. Omnis Clericus erat aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Acolythus, aut Exorciſta, aut Lector, aut Oſtiarius hujus aut hujus Eccleſiæ, nec ulli Clerico licebat ſine literis dimiſſoriis Epiſcopi ſui ad aliam Eccleſiam ſeſe conferre, quæ urgente de cauſa, & ad tempus concedebantur. Si quis Clericus ad alienam Parœciam ſive diœceſim his ſpretis ſeſe conferebat, vel ultra tempus conceſſum ſine legitima excuſatione commorabatur: jus eum repetendi habebat Epiſcopus: nec alienus Epiſcopus qui eum invito Epiſcopo proprio retinuiſſet, impunè ferebat. Presbyteri ſine neceſſitate ſingularis alicujus Eccleſiæ non creabantur, idque fiebat poſt electionem alicujus Diaconi in Presbyterum à Clero factam. Omnes Presbyteri communiter Miſſam ſolemnem celebrabant, omneſque Miniſtri Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c. Miſſæ miniſtrabant, niſi aliquem Presbyterum & Miniſtrum ob neceſſitatem populi

Miſſæ

Missæ privatim dicendæ reservasset Ecclesiæ Præfectus.

XII. His sic primitus constitutis, & per multa secula continuatis, cum Parentum devotio filios pueros, & adolescentes Ecclesiæ consecrabat, eosque Clerus in sui consortium, velut in Collegium & Seminarium admittebat, tum veste & tonsura Clericali insigniebantur, & literas, cantum, officia Ecclesiastica, & ceremonias edocebantur. In quibus cum jam profeciissent, Ostiarii creabantur, deinde Lectores, postea Exorcistæ & Acolythi, & ita ad Presbyteratum ascendebant. Sed duo notabit Lector: Prius creationem illam & promotionem factam fuisse, præsertim in gradibus altioribus, sic postulante Ecclesia cui erant adscripti, non autem pro uniuscujusque Ordinati arbitrio. Posterius, unumquemque singulis Dominicis, & festis Missæ solemni adstitisse, & officia ordinis sui exercuisse. Non enim tunc in Ecclesiis majoribus unus Diaconus, & unus Subdiaconus Missæ ministrabant: sed multi Diaconi, multi Subdiaconi, multi Acolythi, multi Lectores. Interim Ostiarii portis Ecclesiæ invigilabant, neve in populo murmur excitaretur, aut perturbatio aliqua oriretur, procurabant. Quotidiana illa Exercitatione multis annis continuata ritus Ecclesiasticos & ceremonias universas consummatissimè callebant, rarissimèque, & urgentibus rebus tyrones ad superiorem gradum evehebantur, quod tantopere canones aversantur. Dum his Officiis Ecclesiasticis imbuebantur, linguam Latinam, scientiasque Ecclesiasticas paulatim edocebantur, ut earum cognitione Presbyteratu & Episcopatu digni redderentur.

XIII. Hac disciplina collabente in Occidente, eam instaurarunt Episcopi pii & celebres faventibus Francorum Regibus, Pipino, Carolo magno, & Ludovico: Idque tanto cum profectu & applausu omnium Clericorum, ut brevi majores Ecclesiæ prope omnes disciplinam amplexæ fuerint, præcedente rigidiorem & Ecclesiasticæ vitæ convenientiorem, ut facilè colligitur ex omnibus illorum temporum Conciliis. Hinc Canonicorum ortum est nomen, hinc Canonicorum claustra, Clericorum scilicet Cœnobiticam vitam sub certis regulis colentium. Sed bellis civilibus Francicum imperium, hoc est, omnem prope Latini nominis gentem, vastantibus, vastata est quoque Cœnobitica illa vita, tandemque pro maxima parte cum Caroli magni progenie extincta est. Canonici brevi postea vitam Cœnobiticam tanta cum pietate institutam dimiserunt, & privatam duxerunt, licetque communi consilio administrarentur eorum bona, collecta tamen æquis ut plurimum portionibus viritim distribuebantur, quæ consuetudo in hunc usque diem observatur. Idem factum est per singulas diœceses. Unaquæque Parœcia in titulum privato alicui Presbytero affectata est: Collatio verò moriente illo Presbytero propter autoritatis eminentiam Episcopo reservata est; præsentatio verò sive electio inter Capitulum & Episcopum divisa. Præsentationum & beneficiorum alia genera postmodum orta sunt, de quibus hic non est dicendi locus. Quandiu igitur viguit ista disciplina, facile fuit quæ de quatuor minoribus ordinibus canones edicunt, observare. Imo planè insolens erat hoc non observare, videre aliquem derepente Diaconum aut Presbyterum fieri, qui aliquandiu sub duobus saltem aut tribus ordinibus in Clericorum seminariis non militasset.

XIV. Ab eo tempore, & hac data occasione, paulatim disciplina Ecclesiastica quæ Clericos spectat, tota est immutata, & in eam quam ab annis quingentis stabilitam & statam videmus, degeneravit. Nonnihil postea passa est Ecclesia quod antiquæ disciplinæ redintegrationem vix ferre potest, ita medullitus sese in universum Ecclesiæ corpus insinuavit: Hoc paucis enarrari non potest, præstatque silere quàm pauca dicere. Verum degener illa disciplina secundam procreavit, quæ priorem cum fœnore restituit, & necessitatem in variis illis Ordinum gradibus commorandi sustulit. Docent Patres, ut jam diximus, & res per se manifesta videtur, gradus illos institutos esse, ut in iis scientiæ Ecclesiasticæ tyrocinium facerent Ordinum candidati. Sed postquam beneficia Ecclesiastica, ut dictum est, privatis personis affectata sunt, atque inde unusquisque Clericus propriis commodis studere cœpit, & variis beneficiis, aut saltem pinguioribus, inhiare, Academiæ institutæ sunt, ad quas velut ad studiorum & scientiarum emporia undique concursum est, in quibus doctrina Christiana perfectius, diligentius, & splendidius quàm in Collegiis & Seminariis Clericorum tradita est. Itaque quod prioris disciplinæ alteratione de doctrina deperdiderat Ecclesia, frequenti Academiarum institutione cum usura recuperavit: utinam in regimine Pastorum & morum Censura tam felix fuisset: Hac ratione Ecclesiasticæ vitæ candidati pauciissimis annis perficiunt, quæ plurimis per gradus Ordinum vix attingere poterant. Fœcundissimo hoc scientiarum rore perfusi & allecti Clerici, de stadio minorum Ordinum decurrendo parum soliciti fuerunt. Quapropter tyrocinio illo canonico primùm sublato, & beneficiorum proprietate unicuique affecta; deinde doctrinæ Ecclesiasticæ commodo Academiarum institutione recuperato, & cum fœnore compensato, graduum Ecclesiasticorum antea decurrendorum & Episcopi & Clerici facilè fuerunt immemores. Hæc de minoribus Ordinibus, eorum origine, officiis, & causis cessationis secundum Latinos dicta sunto.

EXERCITATIO XIV.

DE MINORIBUS ORDINIBUS
ſecundum Græcos, eorum materia, forma, collatione, & officiis.

CAPUT I.

Demonſtratur ab annis mille ſupra centum, nullam fuiſſe apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam. Imo hoc ſilentium extendi poſſe ad tempora Apoſtolis vicina.

I. DE minoribus Ordinibus ſecundum Græcos acturi, primum adnotabimus hanc diſtinctionem Ordinum in majores & minores, non eſſe apud eos uſitatam; ideo nec epithetum *minorum* inferioribus ordinibus ab iis tribui ſolere. Res tamen epitheto ſignificata, uſitatiſſima eſt apud eos, non ſecus quàm apud Latinos, ſed non eodem modo. Ex 4. enim ordinibus unum retinuerunt, tres autem reliquos non agnoſcunt, videlicet Oſtiarium, Exorciſtam, & Acolythum. Una eſt illis Ordinatio, nempe Lectoris; Latinis verò quatuor. Si quis curioſius agere velit, duas illis tribuet; ſed ſecunda eſt Latinis inuſitata, Cantoris ſcilicet: Solent enim iiſdem verbis Græci Cantores ordinare, quibus Lectores. De iis inferius agetur. Miniſteria tamen quatuor minoribus Ordinibus à Latinis tributa in Liturgiis & officiis ſuis Eccleſiaſticis non omiſerunt Græci, ſed ea partim Lectori diviſerunt, partim Subdiacono, ut enarravimus ſuprà cum de Subdiaconatu ſecundum Græcos ageremus. Itaque his omiſſis, hoc capite nobis diſpiciendum proponimus, an antiqua ſit minorum iſtorum ordinum præteritio. Sanè antiquiſſimam eſſe teſtantur omnia Græcorum monumenta; & ab annis ſaltem mille ſupra centum iſtorum ordinum memoriam apud eos eſſe ſepultam: Imò ſi quis altius verſus Chriſtianæ religionis fontes aſcendat, ab ipſis Apoſtolorum ſucceſſoribus prætermiſſos contemplabitur.

II. Antiquitatem iſtius omiſſionis primùm teſtantur omnia eorum Euchologia, antiqua & recentia, quæ communi conſenſu velut à majoribus accepto, iſtorum trium ordinum nullam prorſus mentionem faciunt. Quare ſi petas, quot ſunt apud Græcos Ordinationes, nihil aliud reſpondere poſſis ſecundum eorum Euchologia ab annis octingentis ſcripta in hunc uſque diem, quàm adjungendo Epiſcopatum, quinque eſſe, Lectoratum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum.

III. Octava Synodus Græcè edita act. 10. c. 5. Latinè verò action. 9. eodem canone ſic decernit, *Quod ſi quis nulla ſuſpicione dictæ ambitionis vel honoris ſpe tactus, ſed recta honeſtaque Chriſti diſciplina inductus, in Clericum & Monachum attonſus eſt, perque omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiſſe reperiatur, ita ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, Sacerdotii quatuor annos expleverit, ad Epiſcopatus honorem evehatur.* ὥστε ἐν τῷ βαθμῷ ἕ ἀναγνώστου ἐνιαυτὸν πληρῶσαι. Latinè tranſlata hæc Synodus ab Anaſtaſio ſanctæ Sedis Apoſtol. Bibliothecario, qui Synodo octavæ juſſu Ludovici pii Imperatoris & Francorum Regis, aderat, quique tranſlationem ſuam Adriano II. nuncupavit, ſic iſtam canonis pericopen effert. *Si vero quis per nullam ſuſpicionem prædictæ concupiſcentiæ expectationis, ſed propter ipſum bonum humilitatis, quæ eſt circa Chriſtum Jeſum, abrenuntians mundo, fiat Clericus aut Monachus, & omnem gradum Eccleſiaſticum tranſigens per definita nunc tempora, irreprehenſibilis inventus extiterit & probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi verò duos, ſitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis, bene placuit huic ſanctæ & univerſali Synodo eligi hunc, & admitti,* in Epiſcopum ſcilicet de quo canon fertur. Breviarium iſtorum canonum apud Baronium, quod refertur etiam in notis ad iſtud Concilium, ſic canonem illum effert, *Ne quis Laicus in Epiſcopalem provehatur dignitatem, niſi in ordine Lectoratus annum unum, duos in Subdiaconatu, in Diaconatu tres, in Presbyteratu autem quatuor annos exegerit.*

IV. Nihil poteſt deſiderari clarius; eligendus Epiſcopus qui per omnes Eccleſiaſticos gradus aſcenderit. Quinam ſunt omnes illi gradus? tres minores gradus omittit, nullosque alios

alios quàm Lectoratum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum commemorat. Sed velim Lectorem conſiderare quod eſt in hac cauſa maximi momenti. Octava illa generalis Synodus contra Photium præſertim congregata eſt, eumque è Patriarchatu depoſuit, eo quod ſex diebus omnes illos gradus contra canones præteriiſſet. Si conſuetum fuiſſet in Oriente plures Ordines obſervare, Pontifices Romani qui ejus depoſitionem, & Ignatii reſtitutionem maximo conatu proſecuti ſunt, proculdubio ipſi exprobraſſent ordinem illum contra fas tranſiliiſſe, ut ipſi exprobrarunt tempus conſuetum in unoquoque ordine, ut Eccleſiaſticæ doctrinæ tyrocinium fieret, non eſſe commoratum, ſed raptim & uno momento omnes eſſe prætergreſſum, ut ad eminentiam Epiſcopalem rueret. At nihil unquam tale viginti annorum ſpatio quibus hæc cauſa agitata eſt, neque ab Orientalibus, neque ab Occidentalibus illi exprobratum fuit. Nicetas in vita S. Ignatii hæc de Photii ordinatione ſcribit, *Eratque verè cernere, ut fertur adagio, extemporalem, fictitiumque ſeu perſonatum ſanctum. Nam primo die Monachus ex Laico, altero Lector, tum Hypodiaconus, ac Diaconus, deinde Presbyter. Sexto denique qui fuit Chriſti natalis, Sacerdotalem conſcendens thronum, pacem populo nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit.* Conſentit Nicetas Photium per omnes gradus ad Epiſcopatum aſcendiſſe, ſed ut fictitius & perſonatus ſanctus, qui ſimulaſſet omnia, nihil veri feciſſet.

V. Quid hæc de Photio dico? S. Ignatius per plures gradus ad Epiſcopatum non aſcendit, ut teſtatur Nicetas in ejus vita, autor ipſi coætaneus. *Primum quidem Lector, ſacrarum Literarum præco ſanctus: Deinde Hypodiaconus, tum Diaconus, ac deinceps Sacerdos, ordine ac Lege Eccleſiaſticorum graduum conſecratur.* Quæ poſtrema verba manifeſtè probant, non modo Græcorum hanc tum fuiſſe conſuetudinem, ſed etiam legitimam ab omnibus exiſtimatam fuiſſe. Conſideretur præterea quis ſic ordinatur; quis ſic ordinet. Ordinatur vir ſanctiſſimus, qui cum eſſet è ſtirpe Imperatoria oriundus, vitam monaſticam ab adoleſcente amplexus fuerat; qui propter vitæ ſanctitatem Patriarcha creatus eſt: Cujus tuendi cauſa Pontifices Nicolaus I. Adrianus II. adverſus Imperatorem Michaelem Bardum, & Photium, Photianoſque, ſuſceperunt ingentes labores; qui tandem poſt innumeras perſecutiones à Photianis & Iconomachis toleratas in pace quievit, & in Sanctorum numerum eſt relatus. Ordinavit autem Sanct. Baſilius vir ſanctiſſimus aliorum Pontificum conſenſu, qui omnes certaminibus pro Catholica fide ſuſceptis erant inſignes, ut teſtatur Nicetas. Quis vero Nicetas rerum iſtarum Hiſtoricus? Vir erat religioſiſſimus, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ amantiſſimus, Photio ut alienæ ſedis invaſori infenſiſſimus, qui paſſim Photium ut contra canones ad ordines promotum inſectatur. Num S. Ignatius contra inveteratam Eccleſiæ Orientalis conſuetudinem, per ſaltum ad ſacros ordines ſe promoveri paſſus fuiſſet? Num Baſilius aliique viri religioſiſſimi id facere voluiſſent? Num Photius, ipſiuſque fautores, id vitii in Adverſario reticuiſſent?

VI. Quid de ſummis Pontificibus Nicolao I. & Adriano II. qui toties Photio præpoſteræ ordinationis crimen exprobrant, nunquam tamen trium minorum ordinum omiſſorum à Photio aut aliis Græcis mentionem faciunt? Cujus omiſſionis, ſi nova tum fuiſſet, aut illegitima, proculdubio graviſſimè tum conqueſti fuiſſent; procuraſſetque Hadrianus II. per Legatos, ut in Synodo octava decerneretur Epiſcopum ſeptem ordinibus Latinorum more initiandum, non tantum quatuor; quum tamen contrarium, ut dictum eſt, factum fuerit. Joannes VIII. præcedentium Succeſſor, ſedata tandem controverſia, paceque cum Photio inita ad Græcorum Imperatorem reſcribens, ad plures ordines ſuſcipiendos Græcos non adſtringit, & teſtatur ſe id ſecundum canones præcipere, *Volumus autem ut talis promoveatur per ſingulos gradus Eccleſiaſticos probatus, ut ſit primum Lector, deinde Acoluthus, poſtea Diaconus, tum Presbyter, poſt hæc Epiſcopus, &c. Hoc modo decet veſtros Patriarchas promoveri, non repente percipere ſingulos gradus, ut in domo Dei nihil inveniatur incompoſitum, aut inordinatum.* Acoluthus pro Subdiacono poſitus eſt. Nam propriè Subdiaconus Græcorum eſt Acoluthus Latinorum. Tribuunt enim Græci Subdiaconis ſuis ea prope omnia officia quæ Acolythis ſuis Latini, ut jam adnotatum eſt.

VII. Aliud ejuſdem rei evidentiſſimum argumentum ex actuum ejuſdem Concilii comparatione colligi poteſt. Can. 4. tam Græci quam Latini textus edicitur, ne ullus à Photio ordinatorum, in eo gradu ad quem promotus eſt permaneat. Canone vero 25. Latino dicitur Nicolaus Pontifex, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos à Methodio, aut S. Ignatio conſecratos, pervicaciter tamen Photio adhærentes, ſine ſpe reſtitutionis depoſuiſſe. Hinc dubium de Lectoribus illis & iis etiam quos Photius creaverat, emerſit; quid ſcilicet de iis eſſet agendum. Cum enim Nicolaus & poſt ipſum Synodus, de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis tantum definiiſſent, de Lectoribus ambigebatur. De hac re ſcribit ad Adrianum II. Ignatius Patriarcha, ab eoque petit hujus difficultatis ſolutionem, *Ut cognoſcamus*, inquit, *etiam, & ſuper hac re, veſtram voluntatem, atque decretum certiſſimè & manifeſtiſſimè, utrum ſint digni promoveri ad majores Sacerdotii gradus, an non ſint.* Legitur Epiſtola in fine Synodi VIII. ab Anaſtaſio tranſlatæ. Quamobrem Ignatius ſimilem quæſtionem de Oſtiariis, Exorciſtis, & Acolythis non proponit? Lectores forſan creaverant illi Patriarchæ, nullos vero Oſtiarios, nullos Exorciſtas, nullos Acolythos. Quamobrem vero, ſi iſtorum Ordinum apud eos uſus aliquis erat? Poſt tam certum, evidens, & auguſtum teſtimonium nihil ſupereſt Lectori quod ad fidem faciendam deſiderare poſſit. Innumera tamen hujus rei occurrunt teſtimonia.

VIII. Elias Cretenſis ante Synodum octavam, Gregorium Nazianzen. commentabatur. Ita ſcribit Commentario in orat. 19. verſus finem.

finem. *Porrò per Sacerdotum vocabulum reliquos etiam ſacros ordines complecti mihi videtur, nimirum, Lectorum, Subdiaconorum & Diaconorum: Ex quibus etſi Lectorum ordo altaris non eſt, ut qui nihil in eo ex his omnibus quæ Subdiaconi efficiunt, operari queant, tamen ſacer eſt, ut qui conſecrationis ſymbolum ſuſceperit, &c.* Nullos alios ordines præter enumeratos cognoſcebat.

IX. Ante Etiam Sanct. Joannes Damaſcenus initio Dialogi adverſus Manichæos, non minus evidenter id profitetur. Demonſtrat variis exemplis dictionem, *Principium*, eſſe æquivocam, atque inter cætera hoc utitur, *Principium inſuper de ordine quoque dicitur, ut prima dignitas Lector eſt, deinde Subdiaconus, poſt Diaconus, poſt Presbyter, atque ita demum Epiſcopus dicitur.* An ita loquerentur, ſi quatuor minorum Ordinum uſus apud eos, ut apud Latinos, celebris fuiſſet?

X. Iiſdem gradibus refert Metaphraſtes apud Surium 26. Septemb. Sanct. Cyprianum Antiochenum ad Epiſcopatum aſcendiſſe, *Anthimius Epiſcopus accerſit quàm primum Cyprianum, & cum catechiſmo inſtituiſſet, divino quoque expiat baptiſmo, & octavo quidem die ſacrum facit eum præconem & expoſitorem Chriſti myſteriorum: Viceſimo autem Subdiaconum; triceſimo verò refert in numerum Diaconorum, &c. Cum autem totus annus eſſet tranſactus, dignus judicatur cathedra Presbyterorum, &c.*

XI. Ita Sanct. Theodorus, ut refert Georgius Presbyter, ipſius diſcipulus apud Surium 22. Aprilis. Vivebat ſanctus ille Archimandrita regnantibus Tiberio & Mauritio. Puer ſeſe in ſpeluncam abdidit in qua jejuniis, & corporis macerationibus ita ſeſe exercebat, ut omnibus maximæ eſſet admirationi Theodoſius Anaſtaſiopolis Epiſcopus hujus rei accepta fama, *ſtatim ad eum in Oratorium acceſſit, & conſpecto capitis ejus ulcere, contremuit, & cum illum ſalutaſſet, Lectorem declaravit. Magno autem labore ſordes ejus abluerunt, & pannis lineis ulcera ejus abſtergentes, capitis comam totonderunt: Poſtridie verò Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum inſtituit; Ecce inquiens Dei munere omnes Cleri ordines conſecutus es, ut divina poſſis myſteria peragere. Dominus Deus benignus munerum ſuorum elargitor, dignum te faciat qui & Epiſcopi munere fungaris, & gregem ipſius rectè gubernes, & regas. Hæc enim quatuor gratiarum munera adeptus, & habitum etiam monaſticum accepturus, hujus tantum unius expers eſſe videris.* Qua ratione potuit evidentius id quod contendimus, exprimere & definire?

XII. Juſtinianus Imperator ante mille & centum annos Clericorum numerum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ definiens, ſic ſancit Novella 13. *Quapropter ſancimus nos ultra ſexaginta quidem Presbyteros in ſanctiſſima majore Eccleſia eſſe; Diaconos autem maſculos centum, & quadraginta fœminas; Subdiaconos verò nonaginta; Lectores autem centum & decem; Cantores viginti quinque; ita ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum Clericorum ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ quadringentis viginti quinque, & inſuper centum exiſtentibus his qui vocantur Oſtiarii.* Oſtiarios non ſemel in eadem Novella cæteris adjicit: Hic verò diſertè Clericorum numero & nomini eximit, eoſque ſolos Clericos agnoſcit de quibus nobis eſt quæſtio. Nam præterquam quod verbis clariſſimis hoc expreſſit, Summa quam colligit, hoc expoſcit, omnis inquit numerus Clericorum eſt 425. At ſexagintà Presbyteri, 140 Diaconi & Diaconiſſæ 90. Subdiaconi, Lectores 110. & Cantores 25. collecti Summa quadrante conficiunt 425. Itaque centum Oſtiarii Clericorum numero ſunt ſuperadditi. Oſtiarii igitur tempore Juſtiniani viles quidam erant, ſed neceſſarii Eccleſiæ CP. Officiales ſeu Miniſtri, qui Clericorum ordinatione, & munere carebant. Ita Novell. 123. c. 10. 13. 14. 19. Clericos omnes recenſet, multa de unoquoque ordine decernit, nunquam tamen ullum è tribus illis ordinibus commemorat. Sic c. 19. *Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub ſua poteſtate præcipimus.* Hæc verba Novellæ citat Sanct. Gregorius lib. 11. Indict. 6. epiſt. 56. quæ continet Commonitorium Joanni Defenſori datum eunti in Hiſpaniam, ut de cauſa Januarii Epiſcopi depoſiti judicaret, quibus ſub Clerici nomine probat Gregorius Presbyterum contineri. Manifeſtum eſt eo tempore Græcos, nullos Exorciſtas & Acolythos ab his quatuor ordinibus diſtinctos habuiſſe: Oſtiariis quidem uſos, ſed cum quibus nec Clericorum ordinationem, nec nomen communicabant.

XIII. Nec minus eſt evidens Lex. 45. Codicis de Clericis & Epiſcopis, *Sacris canonibus, neque Deo amantiſſimis Presbyteris, neque reverendiſſimis Diaconis, aut Subdiaconis, nuptias contrahere poſt hujuſmodi ordinationem permittentibus, ſed ſolis reverendiſſimis Pſaltis & Lectoribus id concedentibus, &c.* Nullos igitur Clericos præter enumeratos agnoſcit Imperator: alias præter Epiſcopos, Presbyteros, Diacocos, & Subdiaconos, neceſſe eſſet alios Clericos nuptiis abſtinere, quod eſt abſurdiſſimum. Idem argumentum colligitur ex Novell. 6. c. 5. atque ex can. Apoſt. 26. & ex Commentario Zonaræ in eum canonem.

XIV. Ex illa Juſtiniani Imperatoris limitatione quæ Oſtiarios omnes ſpectat, quod dicendum ſit de canone IV. Concilii in Trullo quod quatuor Ordinibus addit Oſtiariatum, facilè colligitur. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Cantor, vel Lector, vel Oſtiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur.* Proculdubio non contradiciunt Patres Juſtiniano qui annis 150. eos præceſſit, cum Imperatoris iſtius edicta maximæ ſemper fuerint apud Græcos autoritatis. Sed ut Juſtinianus Oſtiarios cæteris junxit, non ut Clericos, verùm ut Eccleſiæ Officiales, ſic & illi. Præterea hujus rei argumentum evidens eſt canon ejuſdem Concilii ſextus: *Quoniam in Apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, ſolos Lectores & Cantores uxorem poſſe ducere; & nos hoc ſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel*

vel Presbytero poſt ſui ordinationem, conjugium contrahere liceat. Ex mente igitur Concilii Oſtiarii non ſunt Clero adſcribendi. Nam Oſtiarii poſſunt uxores ducere: Sed ſoli Lectores & Cantores ex Clericis poſſunt uxores ducere. Oſtiarii igitur qui idem poſſunt, ex mente Patrum ad Clerum non pertinent. Ex Libro de jure qui eſt Baſilii, Conſtantini, & Leonis tit. 5 c. 1. *Epiſcopus eſt obſervator & Curator omnium ad Eccleſiam pertinentium animarum, quæ in ejus Provincia ſunt; habens poteſtatem initiandi Presbyterum, Diaconum, Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, & Monachum.* Refertur in fine lib. 5. Juris Orientalis. Si plures ordinare ſoliti eſſent Epiſcopi hoc non omiſiſſent tot Imperatores. Denique quid evidentius deſiderari, aut etiam cogitari poteſt, quàm hoc argumentum, ſaltem contra duos ex tribus illis ordinibus. Juſtinianus Imperator & Heraclius non modo ſæpius ex profeſſo omnes ordines enumerant, ſed etiam varias dignitates, & miniſteria ſuperaddita: ſtatuunt quot perſonæ in unoquoque ordine & dignitate eſſe debent. Exorciſtas tamen & Acolythos perpetua oblivione obruunt; Janitores autem ita commemorant, ut à Clericis manifeſtè diſtinguant. Illi igitur Ordines illis temporibus apud eos non erant uſitati.

XV. Eſt igitur evidentiſſimum Græcis & Orientalibus populis abhinc mille & centum annis trium minorum Ordinum nullum fuiſſe uſum, tam longa oblivione obrutos jacuiſſe. Si verò in tempora antiquiora inquiſitionem tantiſper egerimus, vix unquam in Oriente frequentatos deprehendemus. S. Ephrem qui floruit, filiis Conſtantini magni imperantibus, in ſermone paræneticò de ſecundo adventu Domini iſtos Cleri ordines videtur omnino ignoraſſe, *Tunc*, ait, *fratres ſeparabuntur à fratribus, & amici ab amicis, conſanguineique à familiaribus. Tunc Clerici ab aliis dividentur Clericis; Epiſcopi ab Epiſcopis, Diaconi ab aliis Diaconis; & Subdiaconi, Cantores, atque Lectores à ſe invicem, &c.* nuſquam aliorum ordinum apud eum mentio.

XVI. Liturgia antiqua S. Marco attributa, quater pro univerſo Clero orationem fundit, nunquam tres illos ordines commemorat, ſemper alios. Quarta vice Monachos & viduas ſuperaddit, de Oſtiariis verò Exorciſtis, & Acolythis altum ſilentium, *Memento etiam ubique degentium, Orthodoxorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, Viduarum, Laicorum.*

XVII. Idem dicendum de canonibus Apoſtolorum: Nullos alios referunt præter eos quos nunc habent Græci, quoſque ſolos habuerunt ab annis mille & centum c. 69. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor, ſanctam Quadrageſimam non jejunavit, vel quartam, vel Paraſceven, deponitor.* Si objiciatur canones Apoſtolorum ſupra qninquageſimum à Latinis non recipi, reſpondebo primùm hoc ad rem de qua diſputamus, nihil attinere; ſatis eſt antiquiſſimos eſſe. Hinc enim demonſtratur, ſive recipiantur à Latinis, ſive non. Eccleſiam Orientalem tres illos Ordines ab antiquo vel ignoraſſe; vel ut minimè neceſſarios præteriiſſe. Deinde dicam idem contineri in quinquaginta illis quos Eccleſia Latina ſemper approbavit; & Latini canonum Collectores ante annos mille & centum in ſuas Summas & compilationes retuleruut. Sic enim ſeſe habent canones 42. & 43. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ vacans aut ebrietatibus, vel deſiſtat, vel gradu ſuo dejiciatur. Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens vel deſinat, vel ſegregetur; Similiter & Laicus.* Nec alibi canones iſti aliorum ordinum mentionem faciunt.

XVIII. Idem quàm evidentiſſimè docent Apoſtolorum Conſtitutiones à S. Clemente digeſtæ. Lib. 8. c. 16. & ſequentibus ampliſſimè tractat de Ordinationum ritibus; Quomodo, quibuſve ceremoniis conſecrandi ſint, Presbyteri, Diaconi, Diaconiſſæ, Hypodiaconi, & Lectores. Monet ſeparatim Confeſſores, Virgines, Viduas, & Exorciſtas per Ordinationem & manuum impoſitionem non fieri. At de Oſtiariis & Acolythis altum ſilentium. De Exorciſtis quidem verba facit, ſed tantum ut doceat eos non eſſe ordinibus adnumerandos. Capite tandem 28. ſingulorum officia recolligit: Quæ poſſit Epiſcopus, quæ Presbyter, quæ poſſit Diaconus, propter quid Diaconiſſa: tandemque ſubjungit, *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem, & Diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit abſente Presbytero. Hypodiacono non licet excommunicare,* οὔτε μὴν ἀναγνώσην, οὔτε ψάλλειν, οὔτε διακόνισσαν· ἢ κληρικὸν, ἢ λαϊκὸν· ἀλλήλοις γὰρ εἰσι διακόνων. Quæ ſic transferenda ſunt, *Neque Lectorem, neque Cantorem, neque Diaconiſſam; non Clericum, non Laicum Miniſtri enim ſunt Diaconorum*, ſcilicet Hypodiaconi: Non autem hoc modo, *Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconiſſam, aut Clericum, aut Laicum*, &c. Illa enim nomina, ἢ κληρικὸν, ἢ λαϊκὸν, addita ſunt ἀπαλλαχῶς, ut res ipſa monet. Non enim Clericus eſt membrum ſeparatum ab iis quæ enumerata ſunt. Poſtquam igitur docuit diſtributione facta Hypodiaconum excommunicare non poſſe Lectorem, Cantorem, aut Diaconiſſam, colligit exaggerationis cauſâ; non Clericum, non Laicum, hoc eſt, neminem prorſus. Imperitè igitur concluderetur ex iis verbis Clementem alios Clericos præter enumeratos ſubindicaſſe.

XIX. Idem evidentiſſimè iterum colligitur ex cap. 31. ejuſdem Libri: *Benedictiones quæ in myſticis ſuperant, de ſententia Epiſcopi, aut Presbyterorum, Diaconi diſtribuant Clero; Epiſcopo partes quatuor, Presbytero tres, Diacono duas; Reliquis verò Hypodiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, aut Diaconiſſis, partem unam. Pulchrum enim & gratum Deo eſt, ut quiſque convenienter dignitati ſuæ & gradui honoretur.* Si Clericorum numero alii tum adſcripti erant, quo loco quave occaſione æquius erat & convenientius eos recenſere quàm iſta, in qua de eorum mercede & alimentis agitur? In qua diſtributio quotidiani victus juxta uniuſcujuſque ordinem & dignitatem diſpenſatur? Epiſcopo dantur quatuor partes, Presbyteris tres, Dia-

Diaconis duæ; Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus & Diaconiſſis una. Quid Oſtiariis, Exorciſtis, Acolythis?

CAPUT II.

Objectiones ex antiquorum Patrum teſtimoniis allatæ, diſſolvuntur. Tria genera Clericorum, alii ſunt in gradu, alii in miniſterio, & dupliciter, vel cum manus impoſitione, vel ſine ea. Quid eſſe in canone, vel ex canone. Quid Græcis ἀχολύθια, *Quid* διακονίαι. *Præcipua* ἀχολύθια, *ſive dignitates Diaconis delatæ, nonnullæ Presbyteris.* ἀχολύθια μεγάλα, καὶ μικρά. *Pura miniſteria quæ, & quomodo collata. Dignitates quomodo collatæ. Dignitates apud Græcos in immenſum creverunt. A primordiis Eccleſiæ cœpit illud incrementum. Janitoribus quibuſdam dignitas tributa. Quid monampulum, & dibampulum. Patriarchæ CP. ignis prælatus.*

I. TAm denſæ teſtium nubi, qui unanimi conſenſu fidem faciunt apud Græcos, Orientiſque Chriſtianos, plures Ordines nunquam viguiſſe, opponi poſſunt tria antiquiſſimorum Patrum teſtimonia. Primum eſt Sanct. Ignatii tertii à Sanct. Petro Antiocheni Epiſcopi, qui in fine Epiſtolæ ad Antiochenos, omnes iſtos ordines ſigillatim enumerat; *Salute Hypodiacanos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores: Salute cuſtodes ſacrorum veſtibulorum in Chriſto, Diaconiſſas; Salute Chriſto afflatas Virgines, quibus fruar in Domino Jeſu. Salute populum Domini à parvo uſque ad magnum, &c.* Secundum, eſt Laodiceni Concilii canon 24. *Quod non oportet ſacratum à Presbytero uſque ad Diaconum, & deinceps, quemlibet Eccleſiaſtici ordinis, uſque ad Miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel Exercitatorum ordinis in cauponam ingredi.* Tertium eſt Sanct. Epiphanii in expoſitione fidei quam inſeruit operi ſuo, poſt omnium hæreſeon confutationem. Enarratis ordinibus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, & explicatis iis perſonis è quibus eligi debent, Lectoribus quoque & Diaconiſſis, ſubjicit: *Poſt illos omnes deinceps Exorciſta ſequuntur, & linguarum Interpretes, tam in Lectionibus quàm in Concionibus. Sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tum Janitores, ac reliqui diſciplina cauſa ordines inſtituti.* His conjungi poteſt can. 10. Concilii Antiocheni, qui Hypodiaconis & Lectoribus Exorciſtas conjungit; Quorum trium ordinum creationem vult Chorepiſcopis licere.

II. Ipſe Clemens quem in contrariam ſententiam capite præcedente retulimus, videtur aliquando eam docere & amplecti lib. 3. c. 11. & Janitores Clericis adjungere. *Imò neque reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Miniſtris.* Et paulò poſt, *Neque Presbyteris poteſtatem damus ordinandi Diaconos, aut Diaconiſſam, aut Lectores, aut Miniſtros, aut Cantores, aut Ianitores, ſed Epiſcopis tantum.* Miniſtros vocat Subdiaconos; quia Diaconis miniſtrant. His teſtimoniis addi poteſt aliud ejuſdem autoris ex lib. 6. c. 17. in quo Janitores Subdiaconis & Lectoribus adnumerat. Et quod in hac cauſa eſt magni momenti, monogamos, ſicut cæteros majores Clericos eſſe jubet. Lib. 2. c. 57. *Ianitores ſtent ad introitus virorum cuſtodiendi cauſa.* De Janitoribus ibi & eorum officio ſolitariè loquitur.

III. Primum hæc omnia concedo, ut verba ſonant, imò pluſquam verba ſonant. Nihil inde ſequitur niſi id quod non inviti fatemur, ordines iſtos ante mille & centum annos apud Orientales populos in uſu fuiſſe. Ab eo enim tempore uſque in hunc diem nullo probabili teſtimonio demonſtrari poteſt trium iſtorum ordinum aliquem Græcos uſurpaſſe, cum è contrario tota Eccleſia Latina ſcateat ejuſmodi exemplis. Attamen ſi rem ipſam medullitus conſideremus, & nos ipſos anticipata opinione ſpoliemus, allata argumenta non videntur neceſſariò demonſtrare ordines illos χειροτονιῶν ſeu Ordinationum numero eſſe adſcribendos: Sed tantùm Clericorum nomen latiùs à ſanctis Patribus ſumi, aliquando ſtrictius; ideo antiquiores Patres numero Clericorum adſcripſiſſe quos poſteriores diſtinctius iſta definientes, ab ea claſſe exemerunt. Diſtinctionem illam non marte noſtro cudemus, ſed ex diſertis verbis antiquorum illius ætatis Patrum eruemus.

IV. Sanct. Baſilius can. 51. Epiſtolæ ad Amphilochium, ſtatuit tria genera Clericorum. Primum eorum qui ſunt in gradu; deinde duo eorum qui ſunt in miniſterio, eo quod ſit miniſterium duplex; Prius quod datur per manus impoſitionem; poſterius quod datur ſine manus impoſitione. Talis eſt canon, *Quod adverſus Clericos ſtatutum eſt, canones indefinitè ediderunt, unum in iis qui lapſi ſunt, ſupplicium decerni jubentes, à miniſterio ſcilicet motionem, ſive ſint in gradu, ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur, perſeverent:* ἢ ἐν βαθμῷ τυγχάνοντα, ἢ τὴν ἀχειροτονήτῳ ὑπηρεσίαν πεπιστευμένον. Idem & quid amplius colligitur ex can. 2. Concilii Chalcedonenſis, *Si quis Epiſcopus, &c. propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur; vel propter pecunias promoverit œconomum, vel Defenſorem, vel Paramonarium, vel omnino aliquem ex canone turpis quæſtus gratia, qui hoc tentaſſe convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui eſt ordinatus ex ordinatione vel promotione quæ inſtar Mercatorum venundatur, nihil juvetur; ſed ſit à dignitate vel curatione* ἢ ἐκ φροντίσματος (*vel cura, officio*) *alienus quam pecuniis adeptus eſt.* Vides iterum duo ex uſu illius temporis diſtincta, ordinare, χειροτονῆσαι, Ordinatio χειροτονία, & promovere, προβάλλεσθαι, promotio,

motio, προβολὴ. Episcopum, Presbyterum, & alios χειροτονεῖσθαι ordinari: Defensorem verò & Oeconomum, προκάλλεσθαι promoveri; Priores Clero propriè adnumerari. Ab iis verò qui ordinantur, & Clero annumerantur, Defensorem, Oeconomum, & Paramonarium distingui. Iterum eodem canone utrosque distingui, licet utrique χειροτονούμενοι ordinati dicantur, ordinati scilicet ἐκ τῆς χειροτονίας, ἢ προβολῆς, ex ordinatione, vel promotione. Denique utrosque esse canoni sive matriculæ Ecclesiæ inscriptos: hoc enim est esse in Clero, aut ex Clero, ut videre est can. Nic. 17. *Multi qui in canone recensentur*, &c. hoc est, qui in Clero: & paulò post, *è Clero deponatur, & sit alienus à canone*, quod de Clericis tantùm dici potest. Quum igitur Concilium Chalcedonense dicit, Defensorem, Oeconomum, &c. esse in canone, eo ipso Clericis eos adscribit, sed iis qui sicut dicit S. Basilius, ministerium nanciscuntur, quod sine manuum impositione datur.

V. Illustre ejusdem interpretationis argumentum petitur è Gennadio Patriarcha CP. & Concilio ipsius autoritate convocato in Epistola Encyclica ad omnes Metropolitanos, quæ legitur lib. 3. Juris Orientalis, citaturque à Zonara, commentario in 29. can. Apostolic. Vivebat Gennadius sub Leone, Marciani, sub quo celebratum fuerat Concil. Chalcedon. successore. Citatur can. Chalcedonen. integer in ea Epistola, sed pro iis verbis, *vel omnino aliquem ex canone*, ponit ut ἰσοδυναμοῦντα *vel omnino aliquem ex Clero*. In canone igitur esse & in Clero, sanctis illis Patribus erat unum & idem.

VI. Antiquissima etiam est Græcorum consuetudo, conjungere, & unire dignitates illas sive ministeria antiquis ordinibus per manuum impositionem traditis. Vulgatam fuisse consuetudinem ante mille & aliquot annos testatur Heraclius in Constitutione de Clericis Majoris Ecclesiæ CP. quæ refertur lib. 2. Juris Orientalis. Dignitates illæ communi voce vocabantur ἐπιτάγματα καὶ ὀφφίκια mandata, subsidia, officia. Referuntur ibidem in una Ecclesia, Syncelli duo, Cancellarii duodecim, &c. Recentiores Græci hæc disertius distinxerunt. Sacris enim Ordinationibus duo officiorum genera, ut plurimum, addiderunt, quorum unum est ordinationi sacræ superadditum, & insitum; alterum est simpliciter additum, non insitum. Ista fusè enarrantur lib. 5. Juris Orientalis à Joanne Episcopo Citri, ex quo breviter ista. Prius vocant ἀρχοντίκιον, Magistratum, dignitatem, officium: Posterius διακονίαν ministerium. Horum ἀρχοντικίων & principalium officiorum nonnulla vocant magna, eorum scilicet qui Patriarchæ in rebus præcipuis agendis, & judiciis ferendis assident. Alia parva quæ in ministerium Patriarchæ instituta sunt. Rursus ea ratione personarum distinguunt. Quædam enim ad Diaconos pertinent, & ea fere præcipua sunt, & autoritatis maximæ: Quales sunt magnus Oeconomus, magnus Sacellarius, magnus vasorum Custos, Chartophylax, & ejusmodi plures quos refert Codinus in Libello de officiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Erant autem officia ista in multas classes divisa cum Græcorum imperium floreret. Alia pertinebant ad Presbyteros, hoc est Presbyteris non Diaconis conferri solebant, ut Catechistæ, Orphanotrophi, quatuor Defensorum, Luminariorum, Præsidis, Eleemosynarii, &c. Alia pertinent ad Lectores, velut esse Domesticum dextri chori, Domesticum sinistri, Populi collectorem, Præfectum Contaciorum, Protocanonarchum, &c. Nonnulla etiam pertinent ad Presbyteros & Diaconos: Ut Constantinopoli in duabus Ecclesiis vasorum Custodes quatuor erant Presbyteri, sex autem Diaconi, ex Constitutione Heraclii Imperatoris, quæ refertur Juris Orientalis lib. 2.

VII. Διακονίαι, sive pura ministeria tria erant, Theororum, Deputatorum, & Camisatorum. Eorum ministerium circa altare versabatur. Theoris custodia sacrorum vasorum & velaminum committitur. Deputati verò pallia induti, præeunt cum lampadibus sanctum Euangelium, cum ad ambonem legendum defertur, & sacra dona cum ad sanctum altare deferuntur, & cum ad mensam propositionis referuntur. Quædam manuscripta Euchologia addunt, Deputatum ante Pontificem incedere, removentem & expellentem è via plebem, ne ab ea Pontifex incedens comprimatur. Camisati denique in carbonibus ignis ad altare comportandis occupantur, & lebetibus sacris calfaciendis, ut illinc more solito aqua fervens sacris poculis infundatur, aliisque similibus ministeriis incumbunt. Personæ his ministeriis deputatæ per χειροτονίαν, id est, manuum impositionem non inaugurabantur, sed per solam electionem & designationem. De qua capite sequenti. Id etiam præstare solebant per orationem, sed manuum impositioni non conjunctam, ut in Deputatus collatione visum est supra tam in Allatiano Euchologio, quàm in antiquissimo Ferratensi. Designabatur autem Deputatus, ut testatur Simeon Thessalonicensis ante Lectoratum, qui omnium Ordinationum primus gradus est. Deinde post ductam secundam uxorem Pœnitentia acta officio fungi potest, ut legitur Juris Orientalis pag. 347. in responsis ad Nicetam Chartophylacem; quod ei si inter Clericos recensitus fuisset, non licuisset, ut constat ex can. 17. Apostol. & Balsamone in hunc locum. Non erat tamen parvipendendum ministerium, cum referente Codino c. 17. de officiis aulæ Constantinopol. Imperator Constantinopolitanus in coronatione sua, dum sancta processio sacrorum donorum fiebat, Deputati locum occuparet, & vice ejus fungeretur.

VIII. His explicatis & demonstratis, facile est præcedentibus testimoniis quæ in speciem positioni nostræ contradicere videntur, respondere, eaque cum recentioribus testimoniis conciliare. SS. Epiphanius, Ignatius, & Laodiceni Patres quosvis Clericos complectuntur, quotquot videlicet canoni Ecclesiastico inscripti erant, qui aliquod ministerium in Ecclesia præstabant, aut dignitate aliqua fulgebant, ut ex ipsa enumeratione demonstratur. Præter enim Exorcistas & Janitores catalogo suos inserunt

quos nec Latini quidem in ſacrarum Ordinationum numerum admittunt, Laborantes, Confeſſores, Linguarum Interpretes, Diaconiſſas, Virgines, Exercitatores: Addit inſuper Epiphanius, quaſi non omnes recenſuiſſet, *ac reliqui diſciplinæ cauſa inſtituti.* Quinam autem eſſe poterant reliqui illi tam longa enumeratione non comprehenſi? Hoc nos docuit Concilium Chalcedonenſe, Oeconomi, Defenſores, Paramonarii, & alii fortaſſe. Manifeſtè igitur docent Sanct. Epiphanii verba eum de quibuſlibet Eccleſiæ Miniſtris verba facere ſive in miniſterio fuerint χειροτονήτῳ, ſive ἀχειροτονήτῳ. At quum Græci poſteriores ab annis mille ſupra centum commemorant tantùm quinque ordines, junctо Epiſcopatu, ordines intelligunt qui cùm manuum impoſitione conferuntur, non ſola deſignatione καθέδρᾳ. Ita can. Laodic. 26. interpretandus. Οὐ δεῖ ἐξορκίζειν σὺν μὴ προαχθέντας ὑπ' ἐπισκόπων. *Non oportet Exorciſmos facere eos qui ad hoc officium ab Epiſcopis promoti, & evecti non ſunt.* Non dixit χειροτονηθέντας, eo quod Exorciſtæ illi χειροθεσίᾳ non inſtituebantur, ſed tantùm ad hoc munus ab Epiſcopis deputabantur, ideo dixit, ὑπ' ἐπισκόπων προαχθέντας, de quibus non loquimur. Oppoſitio igitur ambiguitate laborat, qua diſcuſſa res plana eſt. Quinque ſunt tantùm ordines apud Græcos manuum impoſitione collati, ut tot autores & omnia ipſorum Euchologia continua traditione teſtantur: Sed præter iſtos ordines multæ ſunt, partim dignitates, partim miniſteria, quæ ſola Clericorum electione, aut Epiſcopi deſignatione conferuntur. Hoc poſterius nemo negat, ut prius nemo negare debet. Dignitates autem illæ & officia creverunt in immenſum apud Græcos, ut apud Codinum videre eſt, & variis iſtarum dignitatum notitiis quas Jacobus Goartius in Euchologio ſuo Græco-Latino edidit; atque ex ea quam ſupra Ritualibus noſtris ſubjunximus. Si quis iſtiuſmodi occaſione Græcarum Ordinationum numerum multiplicare velit, pari jure Ordinationes Latinas non ſeptem, ſed innumeras affirmare poterit: Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Decanatum, Subdecanatum Præpoſitum, Theſaurarium, Sacriſtam, Præcentorem, &c. Ædituum, Foſſorem, Campanarum Pulſatorem, Maſſiferos, & alios quos enumerare longum eſſet. Quæ igitur differentia inter ſeptem Ordinationes Latinas, & has dignitates ſeu miniſteria, eadem inter Græcas χειροτονίας & ἀχειροτονήτους illa καθ' διακονίας.

IX. Hæc ſacris Ordinationibus ſuperadditio non modo Sanctorum Epiphanii & Baſilii ſeculo cœpit; ab ipſis prope Eccleſiæ incunabulis initium ſumpſit. Creſcente Eccleſia facta ſunt additionis illius primordia, ut colligi poteſt ex Sanct. Clemente. Conſtitutionum capite ultimo recenſens Ordinationum initium, nullas præter quinque junctо Epiſcopatu refert, *A Moyſe namque qui fuit Deo chariſſimus, conſtituti ſunt Pontifices, Sacerdotes, & Levitæ; à Chriſto autem Salvatore noſtro nos tredecim Apoſtoli, Ab Apoſtolis vero ego Jacobus, & ego Clemens, & alii nobiſcum, ne omnes recenſeamus: Communiter vero à nobis omnibus Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, & Lectores.* Initio quoque libri octavi ubi multis ſingulas Ordinationum per manus impoſitionem χειροτονίας ceremonias ſigillatim enarrat, nullius alterius quàm iſtarum ritum refert. Nec hoc feciſſe contentus, nonnullos quos Ordinibus alii adſcripſerunt, verbo tenus commemorat, ſed ut Lectores ſuos admoneat eos non eſſe ſacris ordinibus adnumerandos, tantùm abeſt ut Ordinationis ritum illis præſcribat. *Exorciſta*, inquit, *non fit Ordinatione*, &c. ὁ χειροθεσίᾳ). Similia de Confeſſore tradit, ὁμολογητὴς ὁ χειροθεσίᾳ). *Si autem opus eo fuerit, Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinetur. Si quis vero Confeſſor non ordinatus, aliquam hujuſmodi dignitatem ſibi propter Confeſſionem vendicaverit, deponatur iſte, & ejiciatur.* Janitores poſtea conſtituti ſunt, teſte eodem Clemente locis jam oppoſitis; ſed qui portarum exteriorum non ſanctarum curam haberent. Quodcunque autem fuerit illorum officium, nunquam dicuntur χειροτονίας, aut χειροτονιῶν numero abſcribuntur. Quo ſanè manifeſtum fit Eccleſiam primis illis ſæculis habuiſſe Miniſtros impoſitione manuum non conſtitutos.

X. Oſtiarii illi ſive Janitores, aut ſaltem ex eorum numero aliqui ad dignitates Eccleſiaſticas labente tempore evecti ſunt. Unde Joannes Citri Epiſcopus in 13. officio, poſt Exocatacelos numerat tres Oſtiarios, *Duodecimus, Secundarius Diaconorum. Poſt eos Oſtiarii tres; deinde tres Magiſtratus Eccleſiarum*, οἱ ἱερεῖς ἄρχοντες τῶν ἐκκλησιῶν. Codinus cap. 1. Libelli de Officiis Eccleſiæ CP. Primum Oſtiarium collocat primo loco, & ſecundum ſecundo ſexti quinarii officiorum Eccleſiaſticorum, aitque officium primi eſſe fores cuſtodire, dum ordinationes peraguntur. Secundi autem Monampulum tenere. In nono verò & ultimo quinario collocat primo loco Domeſticum Oſtiorum, hoc eſt, Portis Præfectum. Alius Officiorum catalogus è Bibliotheca regia manuſcriptus, primo loco quinti Quinarii ſic habet, *Oſtiarius facem Patriarchæ tenet, & portas in Electionibus.* Videtur is codex interpretari id quod Codinus vocaverat Monampulum. Conſtat ex meditato Balſamonis de Patriarchis lib. 7. Juris Orientalis, Patriarchis ignem præferri ſolitum, Imperatori quoque & Imperatrici. Sed Imperatoria fax, inquit, geminis circumcingitur corollis aureis; Imperatricis verò & Patriarchæ una ſola. Itaque Imperatrici & Patriarchæ præfertur μονάμπυλον, Imperatori verò διβάμπυλον. Multa philoſophatur Balſamon de cauſis ignis iſtius præferendi, quæ harum rerum curioſus Lector apud eum leget: Velim tantum eum notare Acolythi nomen apud Græcos tam antiquos quàm recentiores nunquam extare, cujus tamen nomen & officium apud Latinos permanſit. Reperiri autem Exorciſtarum & Janitorum nomina, ſed alio ſenſu; quorum ſola nomina apud Latinos permanſerunt, officia exoleverunt.

CAP.

CAP. III.

Explicatur ex Symeone Theſſalonicenſi diſcrimen perfectæ & Sacramentalis Ordinationis ab imperfecta, & non Sacramentali, qua Eccleſiæ dignitates inſtituti ſolent. Tres differentiæ inter utramque enarrantur. Reduci poſſunt ad differentiam Scholaſticam inter Sacramentum & Sacramentalia. Antiquorum Patrum inter hæc diſtinctiones cum Symeone conſentiunt. Objectionis ſolutio. Varietas in imperfecta ordinatione explicatur.

I. DIfficultatem iſtam alio modo explicat Symeon Theſſalonicenſis capite ultimo Libri de ordinatione: Eam enim ſibi enodandam data opera eo loco proponit. Quærit quid interſit inter Ordinationem Oeconomi, Sacellarii, Cartophylacis, &c. & inter Ordinationem Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi. Utriſque enim non dedignatur χειροτονίαν, ſeu ordinationis nomen tribuere: Sed fundamentum diſtinctionis ſuæ longè profundius jacit. Illud enim accerſit à diſtinctione ordinationum quæ fiunt extra altare, & Eccleſiæ Sanctuarium, ab iis Ordinationibus quæ intra Sanctuarium, & in altari: Affirmat autem convenientem officiis illis ordinationem, extra Sanctuarium celebrari. Unde conſequitur eum Ordinationes Subdiaconi & Lectoris conjungere cum officiis illis & miniſteriis. Deinde hoc jacto fundamento tres differentias inter utramque ordinationem recenſet. Primam, Ordinationem officiis illis tributam eſſe imperfectam, cum ea quæ celebratur in Sanctuario ſit perfecta. Secunda differentia majoris vel minoris perfectionis eſt argumentum. In ordinationibus, inquit, quæ fiunt intra Sanctuarium, ſcilicet Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi, pronuntiatur illud decretum, *Divina gratia*, propter doni quod in illa ordinatione confertur, perfectionem. At in illis quæ fiunt extra Sanctuarium dicit Epiſcopus, *Gratia ſanctiſſimi Spiritus promovet te, vel Oeconomum, vel aliquod officiorum quæ in ſanctiſſima Eccleſia noſtra frequentantur. Et ſtatim crucem illum ſignat.*

II. Tertiam differentiam petit ab effectu utriuſque ordinationis, qui longè diſpar eſt. Gratia, inquit, per ordinationes propriè dictas conceſſa, univerſalis eſt: *Omnes enim Diaconi unam gratiam, ſed perfectam, ſecundum miniſterium poſident; unam quoque Presbyteri virtutem ad myſteriorum operationem. Unam denique vim & energiam omnes Epiſcopi ad munera Epiſcopalia exercenda, licet in eis varii ſint thronorum & principatuum ordines.* Gratia autem per alias ordinationes tradita, partialis eſt. Supponit enim in iis quibus confertur, ordinem perfectum præcedentem, Diaconatum, Presbyteratum, vel alium inferiorem, A cui novus huic ſuperadditur ad bonum ordinem in Eccleſia conſervandum. Deinde hoc donum partiale eſt, eo quod ſit ad unum aliquod officium determinatum, præter quod aliud exercere non poteſt, niſi nova ordinatione gratiæ alicujus communicativa inſtituatur: Sed hoc, vel illud exercere poteſt perſeverans Diaconus vel Presbyter, & uno ſe abdicans, altero donari. *Iſtud igitur dicere, Gratia ſanctiſſimi Spiritus, &c. univerſale aliquod & perfectum donum non ſignificat, nec ex Subdiacono Diaconum, vel ex Diacono Presbyterum conſecrare, ſed aliquem perſeverantem in Diaconatu vel Presbyteratu, unum aliquod miniſterium ſacrum ad bonum Eccleſiæ ordinem conſervandum inſuper operari. Illud verò à gratia ſpiritus accipit, videlicet à differentibus gratiæ donis quæ unicuique ordini, ut inde augeatur & perficiatur, conferuntur. Partiale igitur eſt, & uni gradui inhærens. Alius enim ejuſdem gradus & ordinis, rerum aliud poſidet.*

III. Hac ordinationis diſtinctione, & omnibus iſtis circumſcriptionibus, nihil aliud intelligit Symeon, aut ſignificare vult, quàm quod paucis verbis efferunt Scholaſtici diſtinctione Sacramenti à re Sacramentali. Itaque ſecundum ipſum quinque tantum ſunt veræ & perfectæ ordinationes, quæ dici poſſunt vera Sacramenta ſpecifica, unum Sacramentum genericum, Ordinem, conſtituentia; quæ gratiam perfectam & permanentem conferunt: Sacramentalia verò permulta, Eccleſiæ autoritate conſtituta, & Epiſcoporum benedictione collata, quibus gratia aliqua ſpiritualis Dei beneficio Eccleſiam ſuam foventis, eique per Spiritum ſanctum ſemper incubantis, conjuncta eſt. Probabile tamen eſt Symeonem tres tantùm perfectas Ordinationes agnoſcere, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi, & Subdiaconatum, Lectoratumve ab ea claſſe excludere, & Sacramentalium claſſi adjudicare, cum extra Sanctuarium conferantur, & in eorum collatione illud ſolemne, *Divina gratia*, &c. non proclametur. Verùm quidquid ſit de hac ſententia, manifeſtum eſt Græcos à Scholaſticorum dictatis hac in cauſa nihil prorſus differre.

IV. Diſtinctiones ex antiquiſſimis Patribus cap. 2. hujus Exercitationis allatæ, licet verbis à Symeone varient, reipſa tamen conſentiunt, ut quæ eo capite dicta ſunt, diligenter examinanti manifeſtum erit. Quid enim aliud Sanctus Baſilius intelligere potuit per Clericos cum manus impoſitione & ſine manus impoſitione ordinatos? Quid aliud per eos qui ſunt in gradu, & qui in miniſterio? Longè clarius Concilium Chalcedonenſe. Nam non modo χειροτονίαν ἀπὸ τῆς προβολῆς, diſtinguit; ſed etiam iis qui ordinantur χειροτονεῖ, adnumerat Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, Iis vero qui promoventur, προβάλλει, Oeconomum, Defenſorem, Paramonarium. Itaque ordinationes Presbyteri, Diaconi, &c. ad primarias illas ordinationes pertinent, ad ſecundarias autem, Oeconomi, Defenſoris, & cæterorum Officialium ordinationes, ſeu promotiones. Longè ante iſtos Patres idem erat S. Clementis ſenſus, cum tam diligenter notat

officia quædam tum usurpari cœpta, cum Dei gratia accedente dari & suscipi; χειροτονίαν tamen nullam habere, neque cum ea conferri debere. Idem quoque ab antiquissima & continua traditione in hunc usque diem acceptum habent Græci, cum à veris & propriè sic dictis ordinationibus, distinguunt ἀρχιερωσύνας, καὶ διακονίας, sive διακονήματα, dignitates, & ministeria; eaque in Clericos veris & perfectis ordinationibus imbutos distribuunt.

V. Symeonis dictis validissimè opponi posse videtur Allatiani Euchologii de ordinationibus excerptum, quod Protopresbyteri, Oeconomi, & Archidiaconi ordinationes nobis exhibet cum ea solemni proclamatione *Divina gratia*, &c. contra Symeonis disertis verbis affirmationem. Unde corruere necesse est distinctionem Ordinationum quam suæ affirmationi superstruit Symeon. Attamen omni dubio procul certum est vera dicere Symeonem, & in officialium ordinationibus Constantinopoli, Thessalonicæ finitimisque regionibus istam proclamationem, *Divina gratia*, &c. non fuisse pronuntiatam. Quis enim melius & certius scire potuit quàm Symeon vir doctus & Archiepiscopus de his rebus tanto conatu scribens? Quod ad argumentum autem ex Euchologio Allatiano depromptum, attinet, ex eo tantùm colligitur, in illa Provincia, in qua usurpabatur istud Euchologium, in Officialium institutione pronuntiatum fuisse istud Orientalium solemne, *Divina gratia*, &c. Unde iterum conjici potest Euchologium istud Græcorum fuisse Patriarchatui Antiocheno subditorum: Maronitæ enim idem faciunt cum primarios Officiales suos instituunt.

VI. Regeres, ita fit: Inde tamen consequitur Symeonis observationem, & argumentationem nullius esse momenti, cum distinctio à Constantinopoli, & in suis Provinciis observata, alibi non observetur, &, *Divina gratia*, ex æquo in perfectis & imperfectis ordinationibus alibi pronuntietur. Respondeo, ejusmodi ritus vim habere ex Ecclesiæ instituto. Ideo fieri posse, ut unus & idem ritus à diversis Ecclesiis institutus, diversa, imò contraria significet, & contrariorum sensuum sit argumentum Sæpe enim una & eadem actio, aut tantillùm variata, una in regione habetur honesta, in alia inhonesta: In una regione sit unius rei argumentum, in alia alterius rei. Imò in eadem regione diversis temporibus diversa significet. Itaque ista significatio metienda est ex usu regionis, & intentione Ecclesiæ, quæ ceremoniam instituit, quæ diversis locis potuit esse diversa. Deinde Symeon potuit hallucinari, & in explicatione mentis Ecclesiæ decipi. Ipsum autem retulimus, ut quid de his rebus sentiret, aperiremus; non ut argumenta quibus sensum suum demonstrat, omnia probaremus.

VII. Istos Officiales duorum generum facit, & unicuique generi peculiarem ordinationem tribuit. Vel enim sunt è majoribus Judicibus, vel è minoribus. Si prius, ipsis Euangelium in ordinatione datur; & antequam ad Episcopi osculum admittantur, eos sic Episcopus adhortatur, *dicit Dominus, in quo judicio judicaveris, judicabimini. Tremendus sermo, ut enim quis judicabit, judicabitur. Oportet insuper ut secundum Euangelium judices; atque, ut ipse ait, non secundum speciem, sed rectum judicium judicare.* In ordinatione tamen istorum Officialium secundum Euchologium Allatianum, Euangelii dati, & istius exhortationis nulla mentio. Si autem sint è minoribus Judicibus, nihil horum observatur in eorum inauguratione. Sunt & aliæ apud Græcos utriusque ordinationis perfectæ & imperfectæ distinctiones, quas capitibus sequentibus enarramus.

CAP. IV.

Quænam est tertia promotionis species à Zonara & Balsamone memorata, quæ fit per σφραγῖδα sigillum. Quamobrem Lectorum & Cantorum propria. Multis testimoniis probatur σφραγῖδα & σφραγίζεσθαι absolutè sumi, pro signo crucis, & cruce se signare. Tonsura Lectoris, vel Cantoris dicitur absolutè σφραγὶς, & σφραγὶς διακονικὴ, dicitur etiam σφραγὶς σταυροειδὴς, sigillum cruciforme. Explicantur tria sigilla solemnia in Ordinatione Episcopi fieri solita. Explicantur quoque duo μνήματα, μικρὸν καὶ μέγα, duæ renuntiationes Electionis Episcopi, parva & magna. Codinus σφραγῖδα sumit ἀπὸ μνήματος. Quid μνήματα Jurisconsultis.

I. CApite secundo demonstratum est antiquissimos Græcos, non tantum recentiores; præter ordines manus impositione collatos, habuisse quoque alios qui προβολῇ promotione, designatione, & electione sola conferebantur, quique communi vocabulo à Latinis mutuato dicebantur ὀφφίκια, officia: Eosque duorum fuisse generum; Priores dictos esse primùm ἐπιτάγματα, mandata: Explicari etiam possunt subsidia, eo quod in antiquorum & primigeniorum subsidium creati primùm fuissent; deinde, ἀρχοντίκια, Magistratus, Principatus, dignitates. Posteriores verò διακονίας, Ministeria. Priores, ut plurimùm, exercuisse Presbyteros, Diaconos, & Lectores: Posteriores verò aliquando Diaconos & Lectores. Verùm duæ difficultates occurrunt quarum solutio à proposito nostro non videtur aliena. Prior difficultas oritur ex verbis Zonaræ & Balsamonis, qui commentantes canonem 51. Sancti Basilii, & secundum Chalcedonensem, tres species Clericorum constituunt, quarum una ab illis canonibus non commemoratur, cujusque capite præcedente non meminimus. Illi σφραγίζεσθαι dicuntur, & creari διὰ τῆς σφραγῖδος per characterem, per sigillum ordinari. Ita dicunt ordinari Lectores, & Cantores. Hinc non abs re hæc quæruntur: Quid est illud sigillum? Quid per sigillum ordina-

dinari? Quare Lectores & Cantores præ cæteris per ſigillum ordinari dicantur? Poſterior difficultas reſpicit varios modos & varias rationes in Eccleſia Græca uſitatas τῆ προβολῆς, promotionis, & deſignationis ad dignitates, & miniſteria Eccleſiaſtica.

II. Priorem difficultatem his verbis enarrat Zonaras in can. 2. Concil. Chalcedon. *In eo canone*, inquit, *ſigillatim enumerantur, & qui per manuum impoſitionem ordinantur, & qui promoventur: Nam alii ordinantur, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi, alii* σφραγίζονται *μόνον, ſignantur tantum; quod ipſum ad manus impoſitionem ſpectat, veluti Lectores, Cantores, & his ſimiles. Alii promoventur* προβάλλονται, *ut Oeconomi, Defenſores*, &c. Balſamon verò in eundem canonem ſic commentatur, *Epiſcopi, Chorepiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi ordinantur*, χειροτονοῦνται: *Cantores, Lectores. Præſides*, (ἄρχοντες dignitate prædi*ti*) *& alii* σφραγίζονται, *ſignantur*, (vel ut alii vertunt, charactere deſignantur) *Oeconomi autem, Chartularii, Paramonarii, & alii* προβάλλονται, *promoventur. Et hoc ex præſenti canone oſtenditur, qui dicit: Ex Ordinatione vel promotione quæ inſtar Mercatorum venundatur, nihil juvetur. Ordinationis enim nomine etiam characteris impreſſio comprehenditur, cum manu fiat, ſed non promotio. Ipſa enim ſine ſigillo perficitur*, &c. Idem Balſamon in can. S. Baſilii 51. diſcrimen illud evidenter aperit, *Sanctus definiit propter omne peccatum Clericos per ſolam depoſitionem puniri. Sed quia nonnulli dixerunt illos reputari Clericos qui ordinati ſunt; non autem eos qui per ſolum characterem conſtituti ſunt in gradibus Eccleſiaſticis: Illos enim magis puniri volebant, definiit Sanctus per præſentem canonem, omnes ſimiliter Clericos per ſolam depoſitionem ſeu prolapſionem à conveniente ſacro miniſterio puniri; ſive ſint ordinati ut Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ſive per ſolum characterem, operationem Sacerdotalem habeant, ut Lectores, Cantores, Ianitores, & ſimiles.* In Græco textu legitur θεωροί, Inſpectores, & Curatores vaſorum ſacrorum, & ſupellectilis ſacræ, de quibus ſupra ex Joanne Epiſcopo Citri; non θυρωροί, Janitores, ſive πυλωροί.

III. Ut rectè intelligatur quæ ſit illa Sacerdotalis operatio per characterem qua ſpeciali modo creantur Lectores & Cantores, cujus mentionem faciunt Zonaras & Balſamon, videndum quid ſit illis σφραγὶς & σφραγίζεσθαι. Notum eſt σφραγῖδα apud autores prophanos ſignum ſignificare, & ſigillum, ſeu notam alicui rei impreſſam, aut etiam inſtrumentum quo nota illa imprimitur. Apud autores Chriſtianos per quandam antonomaſiam, ſed uſu vulgatiſſimam, σφραγὶς ſignum crucis ſignificat, & σφραγίζεσθαι ſigno crucis ſignare. In hujus ſignificationis demonſtrationem tantiſper digredi juvat, ut obiter conſideret Lector quænam fuerit antiquiſſimorum Chriſtianorum in Oriente, & quænam hodie ſit hac in cauſa conſuetudo & praxis.

IV. Juſtinus Martyr quæſtione 118. τῇ δεξιᾷ χειρὶ ἐν ὀνόματι Χριστοῦ κατασφραγίζομεν τὰς τῆς σφραγῖδος ταύτης δεομένους. *Dextera manu in nomine Chriſti conſignamus qui ſigillo tali indigent.*

V. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus Cathecheſi 4. Chriſtianos ſic exhortatur, μὴ πάνυ ἐπαισχυνθῶμεν τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ· ἀλλὰ κἂν ἄλλος ἀποκρύπτῃ, σὺ φανερῶς ἐπὶ μετώπου σφραγίζου. *Ne erubeſcamus crucem Chriſti. Quod ſi quis illam occultet, tu palam ſignate in fronte.* Hoc eſt, tu palam facito ſignum crucis in fronte. Et Catecheſi 13. ὅταν γὰρ ἴδωσι τὸν σταυρὸν οἱ συμπαραστάται τῷ ἐσταυρωμένου, φοβοῦνται τὸν συντρίψαντα τὰς κεφαλὰς τοῦ δράκοντος· μὴ διὰ τὸ δωρεᾶς καταφρονῇ τὸ σφραγῖδος· ἀλλὰ διὰ τοῦτο μᾶλλον ὑμᾶς τιμᾶσι τὸ διεργάτου. *Cum enim viderint crucem, recordantur crucifixi, reformidant eum qui contrivit caput Draconis. Ne contemnas* σφραγῖδα, *ſignum crucis propter liberalitatem, & doni facilitatem, verùm propter benefactorem magis honora.*

VI. S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. in Julianum, refert id quod Juliano Apoſtatæ Dæmones conſulenti contigit. *Phaſmatis*, inquit, *inſolentibus perterritus, ad crucem, veluſque remedium confugit, hocque adverſus terrores ſeſe conſignat; & eum quem perſequebatur, opitulatorem adſciſcit. At quæ ſequuntur magis tremenda.* ἰσχυσεν ἡ σφραγὶς, ἠτίμωνται οἱ δαίμονες, λύονται οἱ φόβοι· ἔπαλαι; ἀναπνεῖ τὸ κακὸν· θερσύνεται πάλιν, αὖθις ὁρμᾷ· καὶ οἱ αὐτοὶ φόβοι, καὶ ἡ σφραγὶς πάλιν, καὶ ἡρεμοῦντες οἱ δαίμονες, &c. *valuit* σφραγὶς *ſignum crucis factum, vincuntur dæmones, ſolvuntur terrores. Quid deinde? reſpirat malum. Rurſus audaciam concipit, rurſus aggreditur: rurſus iidem terrores urgent. Rurſus ἡ* σφραγὶς *ſignum crucis facit, & dæmones conquieſcunt.* Vides hic graphicè deſcriptam eandem quam in hunc uſque diem ſæpiſſimè Catholici frequentant conſuetudinem.

VII. S. Gregorius Nyſſenus S. Baſilii frater circa finem vitæ S. Gregorii Thaumaturgi, refert hiſtoriam cujuſdam Diaconi qui balneum à Diabolis obſeſſum lavandi cauſa ingreſſus eſt, fruſtra diſſuadente Diaconum hoſpite, multoſque mortales Dæmonis violentia peſſimè exceptos proponente. Quibus vero armis adverſus Dæmonem Balneo præſidentem ſeſe Diaconus tutatus eſt? Cum inquit Sanctus, varia ſpectra conſpiceret, aliaque audiret circum ſe frementia, τῷ σφραγῖδα ἑαυτῷ προβαλλόμενος, καὶ τὸ τῆς Χριστοῦ ὄνομα ἐπικαλῶν, ἁπαξ τὸν πρῶτον διεξῆλθε τῶν οἴκων, *Signum crucis* σφραγῖδα *ante ſeſe objiciens, Chriſtique nomen invocans, primum Conclave illeſus tranſiit*, &c. Ad interiores ædes progreſſus terribiliora conſpicit, quibus à Nyſſeno deſcriptis, Quid tum Diaconus? Καὶ πάλιν αὐτῷ τὸ ἴσον ὅπλον, ἡ σφραγὶς, καὶ τὸ τῆς Χριστοῦ ὄνομα, καὶ ἡ διὰ τῶν ὅλων τοῦ διδασκάλου βοήθεια τὸ φοβερὸν τῶν φαινομένων τι καὶ γινομένων διέκρουεν. *Ac tum iiſdem armis, ſigno videlicet crucis* σφραγῖδι, *& nomine Chriſti, præſidioque precum Magiſtri, terrores earum rerum quæ tum apparebant, tum fiebant, diſcuſſit.* Lotus vero, addit Sanctus, cum è balneo diſcedere vellet, januam obſidet Dæmon ἀλλὰ καὶ τότε πάλιν τὸ κώλυμα διὰ τῆς ἴσης δυνάμεως αὐτομάτως ἐλύετο, τῇ σφραγῖδι τῆς θύρας ὑποχωρούσης. *Verùm etiam hoc rurſus impedimentum per eandem vim, ſponte ſua janua credente, ſigno crucis* σφραγῖδι *diſcutiebatur.* Vides nomen σφραγὶς abſolutè ſemper pro ſigno crucis uſurpari.

VIII. S. Chryſoſtomus orat. 6. in Judæos

ad finem πῶς δὲ ϗ εἰσελεύσῃ εἰς τ̀ συναγωγήν; αὖ μὴν σφεγίσῃς τὸ πρόσωπον, εὐθέως ἀπο-πήδησεν ἡ πονηρὰ δύναμις, ἡ τὴν συναγωγὴν οἰ-κοῦσα· ἂν δ' μὴ σφεγίσῃς, ἀπὸ τ̃ θυρῶν εὐθέως τὸ ὅπλον ἔῤῥιψας· εἶτα γυμνὸν ϗ ἄοπλόν σε λαβὼν, ὁ διάβολ@ μυρία διαθήσει δεινά· *Et quomodo ingredieris Synagogam? Si ſignaveris frontem tuam, illico fugiet prava poteſtas Synagogam inhabitans. Sin vero non ſignaveris, in ipſis foribus protinus arma abjeciſti; mox nudum & inermem abreptum te Diabolus malis innumeris afficiet.* Hom. 54. in Matth. paulò poſt medium. ὅταν τοίνυν σφεγίζῃ· ἐννοῶν πάσαν τὴν σωτη-ρίαν, ϗ τὰ λοιπὰ πάντα πάλιν· ὅταν σφεγίζῃ, πᾶλλαν ἱμάτιον τὸ μετὰ πολλ̃ παῤῥησίας, &c. *Cum igitur ſigno crucis te ſignas, cogita omnem crucis materiam & argumentum, & extingue iracundiam & cæteras omnes paſſiones. Cum te ſignat, multa confidentia frontem imple, & ſerena.* Ibi ſemper σφεγίζομαι abſolute, pro ſigno crucis ſe ſignare.

IX. Denique S. Epiphanius hæreſi 30. quæ eſt Ebionitarum, non longè ab initio, ubi refert celebrem illam Joſephi Judæorum Patriarchæ converſionem, ſcribit Joſephum illum mulierem Chriſtianam formoſiſſimam, ſed hujus amoris neſciam deperiiſſe, ſimulque cum ea, ut mos erat, in balneis Gadarenſibus ſeſe lavantem illius lateri latus ſuum affricuiſſe. Quid agit mulier Chriſtiana juvenis illecebras ſentiens? ἡ δ' ἑαυτὴν ἐσφεγίσατο εἰς ὄνομα χρισ̃, οἷα δ' χριστιανὴ οὖσα. *Illa verò ſeipſam ſignat in nomine Chriſti, ut pote Chriſtiana exiſtens.* Paulò poſt verba facit S Epiphanius de alia muliere quam idem Joſephus magicis artibus in ſui amorem pervertere tentabat, ὡς οὐδ' ἀ καθίσχυσαν οἱ γόητες· διὰ γὰρ τ̃ σφεγίδος τ̃ χρι-σ̃ ϗ πίστως ἐβοήθη ἡ γυνή. *Cum igitur non prævalerent Incantatores, Sigillo enim Chriſti & fidei adjuvabatur mulier.* Deinde ſubjicit Epiphanius hoc axioma velut vulgare Chriſtianorum dictum, ἔνθα ὄνομα χρισ̃, ϗ σφεγὶς σαυρ̃, *Ubi eſt nomen Chriſti, & crucis ſigillum* non valere incantationes. Manifeſtum eſt ab ipſis Eccleſiæ incunabulis non modo crucis ſignum Chriſtianis uſitatiſſimum fuiſſe; ſed etiam Græcos ab illis ipſis Eccleſiæ incunabulis in hunc uſque diem conſuetudine non interrupta voces τ̀ σφεγίδ@ ϗ τ̃ σφεγίζειν abſolutè pro ſigni crucis impreſſione & deſignatione uſurpare.

X. Hujus ſignificationis apud Græcos antiquæ & hodiernæ exempla proſtant plurima in Græcis Ritualibus quos edimus. Sæpiſſimè enim σφεγὶς, σφεγίζειν, & ab iis conjugata uſurpantur; ſed vix unquam alia ſignificatione quàm pro ſigno crucis, aut ſigni crucis factione. Eadem ratio Euchologiorum & Typicorum Græcorum quibus continentur omnes gentis iſtius ritus Eccleſiaſtici, & officiorum ordines. Quapropter ex iis teſtimonia congerere planè ſupervacaneum, quum nihil ſit apud Græcos, non ſecus quàm apud Latinos, uſitatius.

XI. Dictionum σφεγὶς & σφεγίζειν enarrata ſignificatione, quæritur quamobrem Zonaras & Balſamon dixerunt Lectores & Cantores per ſigillum ſive crucis ſignum ordinari, non autem Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, cum ſignum crucis non minus in horum quàm in iſtorum ordinatione adhiberetur? Nulla alia ratio mihi videtur dari poſſe quàm differentia impreſſionis ſigni crucis in Lectoribus & Cantoribus, ab impreſſione ejuſdem ſigni quæ fit aliis Clericis in eorum Ordinatione. In Lectorum enim & Cantorum conſecratione propriè imprimitur & inciditur ſigillum crucis ipſorum capiti. Tondentur enim ab Epiſcopo in formam crucis, ut diſertè adnotant omnia Euchologia: Super alios autem manu tantùm adumbratur. Itaque ut ſigillum impreſſum poſt impreſſionem manet, & extat, ſic in Lectorum & Cantorum ordinatione, ſignum crucis per cæſionem Capillorum, ut adnotant rituales, efformatum in iis permanet. Simeon Theſſalonicenſis in Ordinationis Lectorum ritu hæc ſigillatim explicat. Ad Epiſcopum adducitur ordinandus Lector, & primum *benedicitur, ſigno crucis ab eo ter manu peracto.* εἶτα ϗ σφεγίζει· χεὶρ γὰρ τὰς αὐτ̃ τρίχας τ̀ κεφαλ̃ σαυροειδῶς ὁ ἀρχιερεὺς τὸ θεῖον & φρικτὸν ὄνομα ἐπιλέγων αὐτῷ τ̀ τελεσθέντα. *Poſtea ſigillatur. Tondet enim Epiſcopus capillos capitis ipſius in formam crucis, divinum & tremendum Trinitatis nomen ſuper eum invocans.* Cæteras ſigillationis iſtius ceremonias in ipſius textu legito. Poſtea idem Simeon κατ' ἐξοχὴν ſigni iſtius impreſſionem vocat σφεγῖδα, *Deinde ſigno crucis ter ſignatur ſuper ſigillum tonſurâ impreſſum: Et Epiſcopo ponente manum ſuper hoc ſigillum,* &c. εἶτα ἐπάνω τ̀ σφεγῖδ@ σφεγίζει τρὶς, ϗ θεμένου τὸν χεῖρα ἐπὶ τ̃ σφεγῖδι τὸν ἱερέως. Eo loco σφεγὶς pro illa impreſſione ſigilli permanente ſumitur: σφεγίζειν autem pro ſimplici manus motione in figuram crucis. In ſolis autem Lectoribus & Cantoribus fit iſta Capillorum reſectio σαυροειδὴς, ideò à Zonara & Balſamone dicuntur ſoli διὰ σφεγῖδ@ χειροτονεῖσθαι. per ſigillum, ſive ſigillationem & characterem ordinari.

XII. Hoc ſenſu intelligendi ſunt Zonaras & Balſamon locis citatis, de quorum intelligentia quæſtio mota eſt. Iſta interpretatio ex eodem Balſamone confirmatur in can. 14. Concil. Nicæni II. *Nec quis Scripturas divinas aliter in ſuggeſtu legat, quam ſi Tonſura ſigillum, σφεγῖδα ἐπικεῖσθ@ acceperit per Epiſcopalem manus impoſitionem.* Zonaras in eundem canonem, *Et verò Lectorem manuum impoſitione creare in ſuo duntaxat monaſterio, ſi modo ab Epiſcopo ſigillum σφεγῖδα accepit, & Sacerdotio initiatus fuerit, ipſe Monaſterii Præfectus poteſt.* Interpretantur ambo canonem qui permittit Monaſteriorum Præfectis Lectores ordinare, hoc eſt, tondere, ipſiſque manum imponere, ſi modo ab Epiſcopo Tonſuram ipſi acceperint, & Sacerdotes fuerint. Quomodo hoc interpretatur Zonaras? Si modo ab Epiſcopo ſigillum σφεγῖδα acceperint. Balſamon, Si Tonſuræ ſigillum σφεγῖδα ab Epiſcopo acceperint. Ipſis igitur in cauſa Lectoratus nihil aliud eſt ſigillum, quàm ipſa Tonſura σαυροειδὴς cum manus impoſitione accepta. Poſtea qui ſic ordinati ſunt σφεγιδίτας ſigillatos vocant. Balſamon in can. 62. Apoſtol. οἱ σφεγῖδα ἐπικεῖσθ@ λαβόντες, *qui ſigillum Tonſuræ acce-*

cepe-

εἰρηνται, &c. Et in can. Trull. 33. *σημειωσαι* Ἢ ὅτι ἅμα τῷ δέξασθαί τινα σφραγῖδα ἐπιτυχὸν & διὰ χειρὸς ἀρχιερατικῆς, πλημμελὲν τοῦτον ἔχει ὁ κανών. *Nota quod simul ac aliquis sigillum Tonsuræ accepit ab Episcopali manu, eum à canone Clericum censeri.* Quod Balsamon dixit Tonsuræ sigillum, sive characterem, Concilii Patres Sacerdotalem Tonsuram vocant; edicentes ne quis eorum qui in Clericorum catalogum relati sunt, sacras Scripturas in Ambone populo legat, nisi prius Sacerdotali Tonsura insignitus fuerit.

XIII. Non videtur hic prætereundum tria sigilla sive *σφραγῖδας* in Ordinatione Episcopi apud Græcos solemnia haberi: hoc est, Episcopum cum ordinatur, ter ab Archiepiscopo solemniter cruce signari: Quo insuper demonstratur signi crucis factionem super aliquem à Græcis absolutè sigillum vocari. Hæc sigilla disertè adnotat & explicat Symeon Thessalonicensis, ubi cerimonias Ordinationis Episcopalis enarrat. Primum sigillum datur postquam ab Episcopis Archiepiscopo præsentatus est Episcopus ordinandus, & ter in modum Choreæ circumductus est circum altare, tum antequam genua flectat, ἡ πρώτη σφραγὶς ἀπαρχὴ τῆς χειροτονίας ἐπὶ τῷ πρώτῳ ἀρχιερέως τῇ κεφαλῇ τῷ χειροτονουμένου ἐπὶ ἑπτὰ καμπῆς ἀμφὶ τὸ γόνατα. *Primum sigillum, & ordinationis primitiæ à primo Episcopo fiunt capiti illius qui ordinatur. Postea flectit utrumque genu.* Paulò post fit secundum sigillum, scilicet statim post pronuntiatam illam proclamationem, *Divina gratia*, terque decantatum, *Kyrie eleison*, Καὶ τῷ Κύριε ἐλέησον τρὶς ἀδομένῳ, ἡ δευτέρα σφραγὶς ἐν τῇ κεφαλῇ τῷ πλησμένου σφραγίς. *Ter cantato Kyrie eleison, secundum sigillum fit super caput consecrandi.* Eo sigillo facto, statim Euangelium aperitur, & imponitur capiti illius qui consecratur. Tertium sigillum fit post Episcopi ordinationem, dum Euangelium est à capite Ordinati removendum, διὸ ἡ τὸν παλαιταίαν ποιεῖ σφραγῖδα ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ὡς δεῖγμα τῆς πληρώσεως· ἡ ὅτι τὸ μὲν ἱερὸν εὐαγγέλιον αἴρων ὑπὸ τῆς ἱερατείας, διὰ τὸν χάριν αὐτοῦ ὁ χειροτονηθεὶς λαβὼν ἔχει. *Propter quod sigillum post remum ipsius capiti imprimit in consecrationis consummatæ argumentum. Et sic sacrum Euangelium attoliens reponit in mensa, quia ordinatus ipsius gratiam habet.*

XIV. Codinus Curopalates c. 20. de officiis Ecclesiasticis Ecclesiæ CP. *σφραγῖδα* & *σφραγίζεσθαι* accipit pro electionis renuntiatione, illiusque per electi consecrationem confirmatione. Ideo *διττὴν σφραγῖδα* recenset, parvam & magnam. Supra totum caput Græcè & Latinè relatum est sub titulo, *De Electione & Consecratione Patriarchæ*, &c. Eo recurret Lector. Ait Codinus Imperatoris renuntiationem parvi sigilli vicem tenere in Ordinatione Patriarchæ, eo quod Electum Episcopum ipse magna cum pompa renuntiat, quam loco citato describit: Cæteros vero Episcopos duplici renuntiatione facta ordinari. Curopalatem falli nullus dubito, & *σφραγῖδα αὐτὰ τῷ μηνύματι* λαβὼν, & sigillum pro indicatione & renuntiatione sumere. Id nos satis evidenter docet Symeon Thessalon. in progressu ritus ordinationis Episcopalis. Ante tria sigilla de quibus diximus, duo fiunt *μηνύματα*, duæ renuntiationes: Id est, bis declaratur Electio Episcopi facta. Primò non omnino publicè: Secundò publicè & solemniter in media Ecclesia. Prior vocatur parva indicatio; Posterior magna indicatio. Res ita se habet. Convenientes Provinciales Episcopi, tres in Episcopos eligunt quos Archiepiscopo offerunt. E tribus unum eligit Archiepiscopus: Illique electionem significat. Hæc est prima indicatio, *πρῶτον μήνυμα*, cujus vicem tenet renuntiatio Imperatoris. E tribus enim electis & ipsi præsentatis unum, sed solemnissimè, renuntiat

XV. Hoc facto Archiepiscopus certum Ordinationi Electi diem dicit, quo in Ecclesiam conveniant, ipse, Episcopi, Clerus, & universa Ecclesia. Intra Ecclesiam comparet Electus, vestes sacras Sacerdotales indutus, cantatoque trisagio, absolutisque nonnullis aliis precibus, ante fores Sanctuarii se sistit. Tum in medium Templi, & in omnium conspectum ab Archiepiscopo mittunt qui in ipsum intuentes *τὸ τῶ ἱερῶ μηνύματος λέγουσιν*, *Sanctissimus Archiepiscopus, & quæ cum eo est Synodus, promovent Sanctitatem tuam in Episcopum sanctissimæ Ecclesiæ, N.* Hæc est secunda & magna indicatio, qua peracta, quæ ad Episcopi consecrationem pertinent, ait Symeon, præparantur. Hæc indicatio, post Patriarchæ ab Imperatore renuntiationem, in Ecclesia, ut in aliorum Episcoporum causis mos erat, solemniter habebatur. Hæc multis enarrat Symeon. In eo desiderari tantum possent Indicationis Epitheta, *parva*, *magna*. Sed loco *magna* legitur, *ἱερᾶ sacra*.

XVI. Confirmat hoc evidentissimè Malaxus Peloponnesius in historia Patriarcharum CP. post urbem à Turcis captam. Sæpè enim de Electione Patriarcharum verba faciens *τῶ μικρῶ καὶ μεγάλω μηνύματος* mentionem facit, & eodem loco quo Symeon. Scribit Georgium qui primus post Urbem à Turcis captam creatus est Patriarcha, facta Synodo unanimi Patrum consensu electum fuisse, Καὶ ὡς ἔδωκαν αὐτῷ τὸ μικρὸν μήνυμα, λέγ τὸν ἐπάμων πατριάρχων, πλέως δὲ ἤθελε τὰ ἀκούσῃ, οὐδὲ τὰ τὸ στρέψῃ διὰ τὰ γένῃ πατριάρχης. Οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ Κληρικοὶ, καὶ ὁ λαὸς ὅλος, καὶ σχεδὸν αὐτῷ, ἔκαμαν αὐτὸν πατριάρχην, δώσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ μέγα μήνυμα. Ἐχειροτόνησεν αὐτὸν ὁ Ἡρακλείας μετὰ καὶ ἄλλων πολλῶν ἀρχιερέων, &c. *Cum autem dederunt illi parvam indicationem, ut eum facerent Patriarcham, eam nullo modo voluit audire, neque acquiescere ut esset Patriarcha. Sed Episcopi & Clerici, atque universus populus etiam invitum fecerunt cum Patriarcham, dantes ei & magnam indicationem. Ordinavit eum Heracleæ Episcopus cum aliis multis Episcopis, &c.* Sic & in Joasapho, τοῦτον μετὰ τὸν θάνατον αὐτοῦ ὁ πατριάρχης Ἰσιδώρου, πατριάρχῃ τὸν ἐψήφισαν, καὶ δώσαντες αὐτῷ τὸ μικρὸν μήνυμα, καὶ τὸ μέγα, ἐχειροτόνησεν αὐτὸν ὁ Ἡρακλείας. *Hunc post mortem Isidori Patriarchæ suffragiis elegerunt, & datis ei parva & magna indicatione, ordinavit eum Heracleæ Episcopus, &c.* In Marco Xylocarbe, τοῦτον ψηφισθεὶς πατριάρχης, καὶ λαβὼν τὸ μηνύματος, τὸ μικρὸν καὶ τὸ μέγα, πατριάρχῃ τὸν ἐχειροτόνησεν, καὶ τῷ

τὴν ἐκκλησίαν ἅρχειν ἔλαβε τὸ πιμαίνειν αὐτῶ. *Hunc suffragiis lectum Patriarcham, acceptis indicationibus, minore & majore, Patriarcham ordinaverunt, & Ecclesiam Christi regendam accepit.* Ita in sequente Patriarcha. Καὶ μετὰ τοῦτ ψήφους ἔδωκαν τὰ δύο μηνύματα, τὸ μικρὸν, καὶ τὸ μέγα· καὶ τὴν χειροτονίαν ἔκαμαν. χειροτονηθεὶς δὲ ἀφῆκαν. *Post lata suffragia dederunt ei duas indicationes, parvam & magnam, ordinationemque fecerunt, ordinatus ab Episcopo Heracleensi, &c.*

XVII. Ubique semper in relatione institutionis Patriarchæ hunc ordinem observat: Primò Synodi convocationem commemorat, deinde suffragia lata: Postea utramque indicationem factam: Denique Electi ordinationem. Qua ratione, & quando indicationes illæ fiant, sigillatim enarrat Symeon Thessalonicensis hoc opere editus, & hoc capite ex ipso breviter retulimus. Itaque mihi videtur Curopalates hic cespitasse, & sigilla pro indicationibus usurpasse. μηνύματα quoque dicuntur Jurisconsultis citationes juridicæ, seu denuntiationes quibus quis in jus legitimè vocatur. Sic Balsamon in meditato de Defensore, scribit eum qui ob causam civilem vel criminalem ad Defensoris tribunal vocatur ὀφείλειν μιᾷ καλάνδῃ μιᾷ μηνυμάτων τριῶν, καὶ καλανδικάζειν μὴ ὀφείλοντας, *Tribus denuntiationibus citari debere, & non parentem condemnari.* Sed in causa Ordinationis Episcopalis μηνύματα sunt renuntiationes Electi in Episcopum, quales erant magistratuum Romanorum qui suffragio populi electi fuerant.

CAPUT V.

Explicantur tres modi quibus promotiones, & collationes dignitatum apud Græcos olim fieri solebant. Quid προβιβάζειν, & cui jus competebat & προβιβάζειν.

I. POsterior difficultas προβιβάζω, promotionem ad dignitates Ecclesiasticas, quas diximus Græcos recentiores passim ἀρχοντήματα vocare spectat. Enarrandum videlicet qua ratione ista promotio, designatio, atque etiam institutio fiat. Multa hic quæri possent, ad quæ respondere non possumus, ut pote his rebus ex Græcorum commentariis nondum satis instructi: Quæ tamen adnotavimus, licet imperfecta, expromemus. προβλησις designatio Patriarchæ ab Imperatore magno apparatu fieri solebat, quem ex Codino supra integrum retulimus. Aliorum designationem, electionem, præsentationem, & institutionem, tribus modis fieri ex Joannis Episcopi Citri responsis ad Constantinum Cabasilam, quæ Juris Orientalis lib. 5. extant, colligimus. Primus modus sive ordo erat earum dignitatum, quæ pro nutu & voluntate Episcoporum conferebantur. Dignitatum Ecclesiasticarum magna pars erat hujus generis. Hinc Joannes conqueritur confusionis in dignitates Ecclesiasticas introductæ, & antiqui ordinis immutati. Consentire videtur Balsamon in canon. Carthag. 89. *Clericorum unusquisque honoratur prout est prior tempore ordinationis propriæ. In gradu autem dignitatum Ecclesiasticarum hoc non servatur, sed ex voluntate Episcoporum qui eas instituunt, status eorum honoratur.* Quod Balsamon non probat, ut nec Joannes Citri Episcopus. *Cum eorum*, inquit, *institutio pendeat ex voluntate Antistitum, quorum sententia & voluntates differunt, propterea vetus ordo confusus est. Indeque nec dignitatum status in sua firmitate mansit, sed juxta Episcoporum placitum labefactatus fuit. Confusio autem ipsa in eorum multis vigorem legis tandem obtinuit.* Notabit Lector institutionum istam, designationem, seu προβλησιν ab Episcopo factam fuisse signi crucis impressione. Quod enim transtulimus, *Cum eorum institutio pendeat ex Antistitum voluntate*, Græcos textus habet ὅλη ἡ τούτων αἱ σφραγῖδες τοῦ βηλήματος τῆς ἀρχιερέων ἐξήρτηνται. Et apud Balsamonem, *Qui eos instituunt*, Græcè σφραγίζοντων. Itaque illi non simplici πιττακίῳ seu codicillo, sed signo crucis abhibito ab Episcopis instituebantur.

II. Quædam dignitates pro arbitrio Pontificum non conferebantur, sed pro personarum merito. Itaque in istarum collatione tenebantur Episcopi merita personarum inquirere, & attendere, & secundum ea judicare. Talis erat Archidiaconatus, qui non donabatur ἐκ φιλοτιμίας ἀρχιερατικῆς, *ex munificentia Episcopali*; sed erat περιφορᾶς πολλῶν ἡλίων συμπέρασμα, *circumvolutionis multorum solium conclusio & effectus. Ideoque ut temporis & proprii laboris donum, Archidiaconus habet inter omnes Diaconos Eminentiam, sive officiis quibusvis ornati sint, sive non, & tam in templo, & Sanctuario, quàm in divinorum Sacramentorum perceptione.* Miror qua ratione eo loco Joannes Citri neget Archidiaconatum esse ἀρχοντικὸν Magistratum, dignitatem, cum ex ipsius sententia dignitatibus præeat; nisi forsan existimet ἀρχοντικὰ omnia ab Episcopi nutu pendere. Ejusmodi dignitas erat, τῶ δευτερεύοντος τῶν διακόνων, Secundarii Diaconi, sive vices gerentis Archidiaconi. Promotio enim ad istud officium *non fit absolutè, sed per electionem. Hujusmodi namque officium requirit virum aptum & idoneum, qui convenientia ministeria inculpatè adimpleat.* Officiis autem multis fungi debet, quæ à Joanne eodem loco enarrantur. *Ob eam causam*, inquit, *dicitur, secundarius, non quod in ordine Diaconorum sit secundus.* Antiqua quædam notitia Officiorum sic habet, ὁ δευτερεύων τῶν διακόνων πρῶτος τῶν κοινῶν διακόνων, καὶ εἰσάγων τοὺς διακόνους. *Secundarius Diaconorum primus est inter communes Diaconos, & introducit Diaconos ad altare.*

III. Tertius modus ad dignitates provehendi, fieri solebat solis codicillis, & imperio, πιττακίῳ μόνῳ, καὶ προστάγματι: forsan ideo dignitates ejusmodi adepti, dicti sunt διατακτικοὶ ἄρχοντες Dominici Magistratus in Sententia Synodali Patriarchæ Nicolai, lib. 3. Juris Orientalis. Hoc usurpabatur duobus modis. Aliquando ejusmodi literis honorabant Episcopi Diaconos vel Presbyteros, nullo officio vel dignitate ordinationi superaddita qui his literis

freti antecedebant priores ordinatione Diaconos & Presbyteros. Aliquando codicillis ſuis dignitatem aliquam conferebant. Utrumque improbabat Joannes Citri. Audiamus ipſius verba, *Præponere autem aliquos per chartulas, etiamſi officia habeant, ſupra eos qui priore loco ingreſſi ſunt, nullo modo eſt receptum, ut & manifeſto iniquum. Ordo enim & conditio introitus Diaconorum cum tempore componitur, firmaturque, & eſt immobilis. Iis autem quibus honor præ aliis conceſſus eſt; ſufficit ſacrificante Antiſtite, in introitu & in communione, tunc tantùm præferri aliis qui priores ſunt ingreſſi, non ob aliud quàm quod officiis & dignitatibus decorati ſunt. Sine Antiſtite verò nullo uſquam modo hac prælatione fruentur. Cum ſi nec officii jura habeant, major ſit iniquitas. Cur enim ſimplex Diaconus alii præferetur ſimplici Diacono qui prior ordinatus eſt?* Cenſet igitur Presbyterum, vel Diaconum, dignitate per codicillum ipſi collata, præferri debere prius ordinatis in duobus ſanctiſſimæ Liturgiæ locis, cum videlicet in Liturgia celebratur magnus ad tremendum ſacrificium introitus, id eſt, in ſolemni comitatu ſanctorum donorum, cum è menſa propoſitionis ad altare deferuntur; Et cum in fine miſſæ celebratur communio. Si vero nulla dignitate fruantur, injuſtum eſſe ſola codicilli conſideratione recens ordinatum ſenioribus præferri. Nec etiam prius ab omni injuſtitia vindicat.

IV. προεισιέναι Interpres explicat, priore loco ingredi: explicari poteſt in introitu ſive in comitatu Euangelii, cum defertur ad legendum, vel in comitatu ſanctorum donorum, cum ad altare deferuntur, priorem incedere, ſeu alios præcedere. Inceſſus autem ille ordinationem ſequebatur, id eſt, præcedebat, qui prior ordinatus fuerat. Praxis hujus rei in Miſſa apud Latinos eſt inuſitata, ſed apud Græcos qui plures Presbyteri & Diaconi Miſſam ſimul celebrare ſolent, eſt uſitatiſſima. Quid ſimile in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cum officium Eccleſiaſticum communiter celebratur, quotidie videmus: Unuſquiſque enim Canonicus in ſtatu canonico prior poſteriorem, niſi aliqua dignitate fulgeat, in Eccleſiaſticis officiis quæ communiter celebrantur, ſemper præcedit. Ideo eodem redit, ſive interpreteris προεισιέναι, aut priorem ingredi, aut priorem in ſolemnitate introitus incedere. Notat Balſamon. in can. 17. Apoſtol. multos Lectores bigamos ſuo tempore in ſuis gradibus conſervatos, & per Epiſcopalia pittacia ad majores gradus promotos. Verum hanc licentiam non probat. Qui hæc attentè legerit, multa forte quæret, ſed cum quæſtionibus illis conjectura tantum reſpondere poſſim, Lectori locum conjiciendi cedam.

CAPUT VI.

De Lectore, & Cantore, eorumque officiis ſecundum Orientales. Utriuſque materia & forma juxta Græcos & Syros definitur. Eorum officia enarrantur. Cantorum officium alii facilè uſurpant, ipſi autem aliorum non ita facilè. Lectoratus & Cantoratus apud Græcos diſparatè ſe habent, non ſubordinatè, ut apud Syros. Lectores videntur Libros veteris Teſtamenti, non novi, apud Syros legere. Subdiaconi & Lectores apud Maronitas & Neſtorianos orarium deferunt, ut Diaconi, Subdiaconi: Lectores à Neſtorianis extra Sanctuarium ordinantur.

I. DEmonſtrato itaque antiquiſſimam eſſe apud Græcos & Orientales populos trium minorum ordinum præteritionem; vix apud eos comparere: Si quando compareant, alicubi in ſingulari quadam Provincia, & ad tempus id contigiſſe; aut non ordinum numero & majeſtate, ſed miniſteriorum quorundam cenſu & æſtimatione habitos: demumque Clericis & Laicis pro Epiſcoporum arbitrio ſine ulla manus impoſitione, ſed ſola deſignatione per codicillos, vel per quid ſimile ſignificata, collatos: Reſolutis quoque nonnullis perplexis quæ opponi poterant, ſupereſt ut de Lectoratu qui ſolus ex illis quatuor apud eos viget, ſigillatim verba faciamus. Quamuis enim nomen habeat cum Latino commune, & creationis ratio, & officia ſive miniſteria ſunt longè diverſa. De Lectoratu igitur Græcorum duo quæremus, Primum quæ ſit ejus ſubſtantia; deinde quæ officia. Ex omnibus Græcorum Euchologiis conſtat Lectoratus materiam nullam eſſe præter manuum Epiſcopalium impoſitionem; formam verò nullam aliam eſſe poſſe præter Orationem iſti manus impoſitioni adhibitam. Antiquiſſimam eſſe hanc ordinandi Lectoratus conſuetudinem teſtatur c. 14 Conc. VII. generalis, qui de Lectoris ordinatione verba faciens ſolam manus impoſitionem commemorat. *Lectoris autem manus impoſitionem licet in proprio Monaſterio, etiam ſoli unicuique Abbati facere, &c. ſimiliter & ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos Epiſcopi permiſſu oportet per manuum impoſitionem Lectores creare.* Lectoris creationem, ſive ordinationem, & manus impoſitionem, quam ſemper oratio comitatur, veluti ſynonyma Patres uſurpant, unumque alio velut ἐυδοκιμοῦντα permutant Quod autem capite præcedente diximus, Lectorum & Cantorum ordinationem ab ordinatione Diaconorum & Subdiaconorum diſtingui: eo quod illa per ſigillum λεγόμενον fiat; hæc vero per manuum impoſitionem, χειροθέτημα eſt Zonaræ & Balſamonis, qui in Lectoribus & Cantoribus præter manus impoſitionem ipſis & cæteris ordinibus ſuperioribus commu-

nem, notant ſignum crucis in eorum capillis cæſione impreſſum, non tantum manu adumbratum. Verum, ut ipſi adnotarunt in can 2. Chalcedon; Tonſura illa σαυροειδὴς manus impoſitionem habet conjunctam: idque demonſtrat quotidiana praxis.

II. Conſtitutiones Clementis Apoſtolicis temporibus vicinæ libro 8. nihil aliud referunt in Ordinatione Lectoris quàm orationem, & manus impoſitionem. Eadem ratio Syræ ordinationis: Non modo nihil aliud commemorant, verum etiam diſertè teſtatur eorum ritus Lectorem & Pſalten manus impoſitione conſecrari, *Scindat cœlum Spiritus Dei, & deſcendat ut elargiatur donum per manus Epiſcopi*, &c. Poſtea, *Donum tuum cœleſte immitte in nos, & in opus manuum noſtrarum*, &c. Paulò poſt ſic orant pro ordinando, *Pro auxilio & redemptione, & incolumitate ſervi tui N. qui acceptarus eſt per impoſitionem manus, inhabitationem Spiritus ſancti*, &c. *Per Sacerdotium miſericordiam conſequatur, & per impoſitionem manuum conſecretur*, &c. In ordinatione Lectoris multa ſunt ejuſmodi. Examinato ſigillatim Orientalium unoquoque ritu, nihil aliud occurret præter hæc, in quo cum aliqua rationis ſpecie Ordinationis ſubſtantia reſidere poſſit. Objiciet forſan aliquis, Lectori cum ordinatur, Librum Epiſtolarum tradi, Cantori verò Pſalterium. Sed jam ſimili argumento reſponſum eſt. Inſtrumenta illa rationem materiæ habere non poſſe, eo quod ipſis jam ordinatis & conſecratis tradantur, & nihil in illa traditione ab Epiſcopo aut quovis alio proferatur. Itaque traditio illa fit non ut ordinentur: res enim eſt peracta, ſed ut Lectione in poſſeſſionem ordinationis & dignitatis acceptæ mittantur, ut jam ſupra multis argumentis & teſtimoniis eſt demonſtratum.

III. Lectores apud Græcos longè pluribus officiis funguntur, quàm apud Latinos, licet ſecundum utroſque Liber Apoſtolicus tantùm in ordinatione ſua tradatur. Præcipuum Lectoris munus ut ipſum nomen ſonat, eſt Scripturarum ſacrarum publica in Eccleſia Lectio, non tantum Prophetarum aut veteris Teſtamenti, ſed etiam Actuum Apoſtolorum, & Epiſtolarum. Hoc munere eos in hunc uſque diem apud Græcos fungi, ex quotidiana praxi, & Sanctorum Baſilii & Chryſoſtomi Liturgiis evidenter colligitur: In iis enim Lector ſemper jubetur Epiſtolam legere, quam ſoli Subdiaconi apud Latinos legunt. Balſamon in c. 4. Concilii in Trullo videtur Lectionem illam reſtringere ad Lectiones quæ fiunt poſt matutinum: *Lectorum ordo non ut ipſi cantarent, inſtitutus eſt; ſed ut in Ambone divinas Scripturas legerent, poſt finitum matutinum.* Sed hoc intelligendum ἐπιτάλικῶς, non μεταλικῶς, ita ut ſit officii eorum ampliatio ad alias lectiones præter eas quæ in Miſſa fiunt. Aliàs enim Balſamon, & quotidianæ praxi, & Liturgiis ſuis, & ritualibus contradiceret. Conqueritur Zonaras in c. 22. Concil. Laodiceni Lectores ſuo tempore cantui potius operam dare quàm Lectioni, *Divinas Scripturas in conventu populi recitare*, &c. *proprium Lectorum officium fuit: quibus tamen plurima hoc tempore canendi cura, cum eos lectioni rarò admodum operam navare contingat.* Invaſerat hæc labes regionem in qua vivebat Zonaras. Sed non ſequitur idem ubique factitatum fuiſſe.

IV. Ex Simeone Theſſalonicenſi, & Liturgiis, alia Lectoris officia colliguntur. Cereos & lampades altaris accendit: Ignem ad Sacerdotem in Miſſarum ſolemniis affert, cum calici aqua calida infundenda eſt: Præit ſanctis Myſteriis luminaria ferens; in introitu ſcilicet quem magnum vocant. Oblationes, vinum & aquam, Sacerdoti celebranti defert: Singula quæque in Eccleſia præparat & ornat, Hymnos Cantoribus præcinit. Forſan ideo in Epiſtola ad Martyrium Antiochenum Epiſcopum quæ extat lib. 4. juris Orientalis; & in qua enumerantur omnes Clericorum ordines, poſtremus nec dicitur Cantor, nec Lector, ſed nomine ex utroque compoſito ψαλταναγνώστης. Denique omnia prope divina miniſteria in Eccleſia exercet.

V. De Cantoratus materia & forma idem quod de Lectoratu dicendum eſt. Eadem enim eſt utriuſque ordinatio. Nomen tantum Lectoris in Pſaltæ mutatur: Et ordinatione peracta Cantori non Liber Apoſtoli, ſed Pſalterium traditur. Officia tamen ſunt longè diverſa. Nec ita facilè Cantores Lectoris & Hypodiaconi officia uſurpare poſſunt, ut illi Cantorum. Nam Cantorum officium eſt fere continuum in Eccleſia: Deinde multitudo vocum harmoniam reddit gratiorem & numeroſiorem. Ideo pluralitas Cantores juvat, non perturbat. Verum alia eſt reliquorum officiorum ratio. Statis horis exercentur, & nimia multitudine Officialium perturbantur. Hinc fit quod Lectores, aliique ordines, quod Cantorum eſt facile uſurpent, & aliquando hoc neceſſitas exigit. Sed Cantores vix poſſunt aliorum officia exercere. Hinc eſt quod ſupra Zonaras conqueſtus eſt, Lectores prope omnes proprio munere derelicto Cantorum officium uſurpaſſe. Speciale quid narrat Balſamon in c. 4. in Trullo de ſui temporis Cantoribus. *Ante omnia nota ex hoc præſenti canone, quod olim Cantorum Ordo non ex Eunuchis ſolum, ut hodie fit, conſtituebatur, ſed ex iis qui non erant ejuſmodi.*

VI. Diſcrimen notandum eſt inter Cantoratum & cæteros Ordines, quod cæteri ordines ſubordinati ſunt, & ideo inferior ſuſcipiendus, ut Superior legitimè ſuſcipiatur. Verum Lectoratus & Cantoratus ſeſe diſparatè habent; ſunt collaterales, non inferiores. Unus alterius ſuſceptionem non poſtulat. Sed apud Syros Maronitas, res alio modo ſeſe habet, Cantoratus eſt gradus ad Lectoratum. Ideo diverſæ ſunt ordinationes; ut videre quis poteſt in eorum rituali à nobis Latinè & Syrè edito. Aliæ ſunt differentiæ Syri ritus à Græco. Apud Syros tam Cantor quam Lector ante altare conſecrantur, & poſt conſecrationem ipſi altari admoventur, quod Græci nunquam faciunt. Cantori ſeu Pſaltæ datur Liber Pſalmorum geſtandus: Non dicitur quod ex eo aliquid legat. Ratio videtur in promptu: Quoniam ipſius munus non eſt legere, ſed cantare. Initiatus igitur legere non debet; Pſallere vero cum cantu non eſt opus, videtur indecens.

cens. Ideo Pſalterium datur illi ad geſtandum, non ad cantandum. Quis autem illi det Pſalterium, non definitur, ſicut nec in ritu Lectoris. Non enim apud eos refert, an Epiſcopus, an alius, an ipſemet, cum apud Orientales non conſideretur inſtrumenti traditio, ſed illius uſus, & exercitium. Lectori apud Syros duæ in ritu tribuuntur Lectiones, una Ezechielis, altera Iſaiæ, nulla Apoſtoli. Unde colligi poſſe videtur apud eos officium Lectoris ultra lectiones veteris Teſtamenti ſeſe non diffundere. Præter lectiones iſtas, nullum colligitur aliud ex ritu Syro Lectoris officium; cætera miniſteria ad Subdiaconum pertinent. Lectores & Subdiaconi apud Syros Maronitas, ut etiam apud Neſtorianos, Orarium deferunt, non ſecus ac Diaconi; ſed Pſaltis apud neutros conceditur iſta prærogativa. Verùm quantum ex Neſtorianorum ritu colligi poteſt; Cantoratus non eſt illis ordo peculiaris; nec Lectoratus & Subdiaconatus conferuntur apud eos in Sanctuario, nec Libri Ordinatis aut ordinandis traduntur. Nihil denique apparet præter manus impoſitionem & orationem, quod in eorum ordinationibus materiæ & formæ rationem induere poſſit. Hæc de Ordinibus & Ordinationibus Latinorum, & Græcorum, aliorumque populorum Orientalium dicta & diſputata ſunto.

EXERCITATIO XV.

DE TONSURA CLERICALI SECUNDUM Latinos & Græcos.

CAPUT PRIMUM.

Tonſuræ Clericorum & Monachorum antiquitas, & cauſæ enarrantur. Plures aliæ cauſæ teſtimoniis Patrum demonſtrantur. Tonſura comæ Latinis & Græcis Ethnicis ignominioſa. Tonſuræ figura circularis, ideo dicta corona. Quanta fuerit.

I. DE Tonſura Clericali verba facturi, tractationem noſtram in octo potiſſimum capita dividemus. Primum inquiremus in iſtius Tonſuræ antiquitatem: Dein de illius inſtituendæ cauſis agemus: Tertio de figura Tonſuræ diſputabimus. Quarto Clericos duplicem coronam vulgo geſtaſſe demonſtrabimus. Quintò, an corona per raſuram facta antiquæ ſit obſervationis. Sextò Tonſuram olim ab omni ordinum gradu non fuiſſe ſeparatim ut nunc datam, ſed cum primo collatam. Septimò qua occaſione mos inolevit, ut ſeparatim conferretur. Denique quomodo hæc omnia ſeſe habeant apud Græcos, explicabimus.

II. Antiquiſſimum eſſe Clericos tondendi morem dubitari non poteſt. Cum enim faſtus ſecularis ex comæ ornatu, cincinnorumque fimbriis calamiſtratis gloriolam captare ſoleat, dubium non eſt quin iſtius vanæ oſtentationis anſam omnem Capillorum reſectione Clericis ademerint primi Eccleſiæ Chriſtianæ fundatores. Sic de hac re teſtatur Pontificale Damaſi in Aniceti Pontificis vita, *Conſtituit ut Clericus comam non nutriat, ſecundum præceptum Apoſtolicum.* Carthag. IV. c. 44. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Agath. c. 20. *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamſi noluerint, inviti detondeantur,* quod repetitur Capit. c. 234. lib. 7. Idem decernunt multa alia Concilia, Barcinon. c. 3. Toletan. 4. c. 40. Romanum ſub Gregorio II. c. 7. Autor vitæ S. Suiberti apud Surium 1. Martii, *Scientiam ſacrarum Scripturarum, & bonorum operum ſumens exemplum, Tonſura Eccleſiaſtica coronam devotè ſuſcepit,* Sæpe apud Greg. Tur. de Laicis qui ſeculari vitæ renuntiant, ut Eccleſiaſticæ ſeſe conſacrent, dicitur, Tonſuratus eſt, Tonſurari ſe fecit, veluti de primo gradu quem figebat vitæ Clericalis candidatus. Ut hiſtor. l. 6. c. 9. de Badegeſilo Majore domus regiæ, ſtatim ac à Rege in Epiſcopum deſignatus eſt, dicit. *Qui tonſuratus, gradus, quos Clerici ſortiuntur, aſcendens, poſt quadraginta diet migrante Sacerdote ſucceſſit.* Lib. 5. c. 5. *Mundericus a Rege indultus ac tonſuratus, Epiſcopus ordinatur.* Et paulò poſt eodem capite, *hic tonſo capite Presbyter ordinatur.* Ita cap. 29. lib. 10. Cap. 8. vitæ S. Audoeni, de eo ſcribitur *Clerici Tonſuram accepit; nno, eodemque tempore etiam ipſo Eligio viro Dei comam ponente.* Ideo cum S. Gregorius declaraſſet ſe velle per viros Eccleſiaſticos quælibet miniſteria & negotia Eccleſiaſtica tractare, magna Laicorum multi-

tudo Eccleſiaſticam vitam profiteri voluit. Quibus verbis hoc enuntiat Joan. Diaconus? *Ob hoc ſe nonnulli Procerum ſub obtentu Religionis primo tonſurare cœperunt.* Lib. 2. c. 15. vitæ S. Gregorii. Ad eam tamen eos admittere nolebat, niſi prius longo tempore in Laico habitu, aut Monaſtico, conſtitutos probaſſet, ut idem capite ſequente refert. Cyrillus in vita S. Euthymii ſcribit Otreium Melitenſem Epiſcopum, qui regnante Theodoſio ſeniore vivebat, Euthymium baptizatum totondiſſe, & in Lectorum numerum cooptaſſe. Euagrius lib. 2. c. 26. de quodam ſcribit, coma tonſa Presbyterum eſſe factum. S. quoque Gregorius Nazianzenus de nonnullis conqueritur qui nihil aliud contulerant ad Epiſcopatus dignitatem, quàm quod comam, cui alendæ & ornandæ turpiter ſtuduerant, raſerint, oratione in Maximum. Hæc evidenter demonſtrant Tonſuram Clericalem eſſe in utraque Eccleſia, Occidentali & Orientali antiquiſſimæ obſervationis, illiuſque originem ab aliis non eſſe quàm ab Apoſtolis derivatam.

Eadem erat Monachorum obſervantia, ut ex S. Dionyſio conſtat, qui Tonſuræ iſtius Monachalis rationes fusè perſequitur, atque etiam ex Socrate hiſtor. l. 3. c. 1. qui ſcribit Julianum abraſa cute vitam Monaſticam ſimulaſſe. Ideo S. Auguſtinus c. 33. de opere Monachorum, acriter Monachos reprehendit, qui relicta tonſura comam alebant. Epiphanius quoque hæreſi 80. eadem de cauſa in nonnullos Meſopotamiæ Monachos graviter invehitur, ut & S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, *Sed ne tantum videar diſputare de fœminis, viros quoque fuge quos videas catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, horum barba, pallium nigrum, & nudi in patientia frigoris pedes, &c. Sunt alii, de mei ordinis hominibus loquor, qui ideo Presbyterium & Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes laxa pelle non ſoleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur.* Imo iſta in ſecularibus non terebant primi Chriſtiani, ut videre eſt apud Clementem Conſtitut. lib. 1. c. 3. *Pulchritudinem à Deo tributam ne inſuper ornes, quin potius tempera eam modeſtè apud homines, non capillum nutriens, imo conſcindens, ac concerpens, ne pexus & comatus, aut unguentis delibutus, eas mulieres ad te pelliciat, &c.* Ita Tertullianus de cultu fœminarum c. 8. & Concilium in Trullo c. 96. & in hunc canonem Zonaras, qui in pravos ſui temporis mores invehitur. Idem de Chriſtianis autores Ethnici non obſcurè teſtantur. Lucianus in Dialogo qui Philopatris inſcribitur, Clericum Chriſtianum deſcribit è montibus ad Eccleſiam venientem, detonſa coma, nomenque & Prophetiam quandam literis hieroglyphicis deferentem. Ammianus quoque li. 12. teſtatur Theodorum quendam Eccleſiæ ædificandæ Præfectum Juliano imperante, morte affectum, quod *cirros puerorum licentius detonderet*: Pueros innuit à Theodoro Clericatui initiatos. Tonſuræ Clericalis antiquitatem iſta mihi videntur neceſſario demonſtrare.

IV. Illius uſurpandæ cauſa jam adnotata eſt, & comprobata, ut ſcilicet faſtus ſecularis variæ comæ compoſitione intumeſcere ſolens, A non modo deprimeretur, verum etiam illius occaſio penitus præſcinderetur. Duas alias iſtius moris cauſas reddunt autores Eccleſiaſtici. Illum enim ab imitatione Nazaræorum veteris Legis derivant, de quibus c. 6. Numerorum multa Moſes. Hanc ſententiam amplectitur Iſidorus de officiis Eccleſiaſticis lib. 2. c. 4. *Hujus ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui in divinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, id eſt, ſancti Dei, crine præciſo innoventur, &c. Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in actibus Apoſtolorum primos feciſſe legimus, Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam Diſcipulorum Chriſti, qui* B *in hujuſmodi cultu imitandi exiterunt.* Quem ſequuntur Patres Conc. Aquiſgranenſis c. 1. fusè repetitis Iſidori verbis. Eandem originem notant, Alcuinus de divinis officiis, cap. de Tonſura Clericorum, Rabanus Maurus lib. 1. cap. 3. Gemma Animæ c. 193. Hugo de S. Victore l. 2. de Sacramentis part. 3. c. 3. Lombardus lib. 4. diſt. 24. & eos ſecuti plerique Scholaſtici.

V. Nonnulli alii antiqui autores Tonſuræ Clericalis occaſionem à S. Petri Apoſtoli conſuetudine repetunt; in qua ſententia eſt Ceolfridus Abbas in Epiſt. ad Naitanum Pictorum regem, quam refert Beda hiſtoriæ Anglor. l. C 5. c. 22. & approbat Amalarius lib. 4. de Eccleſiaſt. officiis c. 39. licet de hac Epiſtola l. 2. c. 5. antequam eam apud Bedam legiſſet, dubitaverit. Ceolfr. verba hæc ſunt, *Neque verò ob id tamen in coronam attondemur, quia Petrus ita attonſus eſt; ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt: idcirco & nos qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus,* Deinde exaggerata illa ratione, quod Chriſtus nos per paſſionem à peccatorum tribulis & ſpinis liberavit, æquum eſſe ut illius inſignia in capite perpetuò geſtent Clerici, non ſecus ac Eccleſia univerſa crucem, qua admonemur carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere, conſimiles addit. rationes, *Ut ſe etiam irriſiones &* D *opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant. Ut coronam vitæ æternæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſemper expectare, proque hujus perceptione, & adverſa ſe mundi, & proſpera, contemnere deſignent.* Antiquus ordo Romanus oratione in ordinationem Clerici ad hanc rationem alludit, *Oremus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo N, qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore, & exemplo B. Petri Apoſtoli feſtinat, &c.* Eadem nonnulli alii rituales ſupra relati.

VI. Aliam rationem reddit S. Iſidorus loco E citato, *Eſt autem in Clericis tonſura ſignum quoddam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur: ſcilicet, ut hoc ſigno in religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innovatis ſenſibus, ut comis rudibus eniteſcamus, expoliantes nos, juxta Apoſtolum, veterem hominem cum actibus ſuis,* &c. Eandem rationem fusius proſequitur Amalarius lib. 2. c. 5.

VII. Alias rationes paucis verbis reddit Rabanus Maurus c. 3. lib. 1. tam ex ſua quàm aliorum

rum ſententia, *Sunt quoque quidam Doctorum, qui aſſerunt diverſas ob cauſas Petrum Apoſtolum hunc ritum primum ſumpſiſſe primitus, ut formam & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus, à nefanda Judæorum gente acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde ut Sacerdotes veteris & novi Teſtamenti in tonſura & habitu diſcernerentur. Poſtremò ut idem Apoſtolus, ſuique ſucceſſores, & ſeſquipedes, ridiculoſum naturæ ludibrium in populo Romano portarent; quia & horum Barones, hoſtes exercitus ſuperatos, ſub corona vendere ſolebant.* Hæc deſcripſit verbum è verbo Rabanus de Epiſtola Althelmi Britannorum Epiſcopi ad Gerontium Britonum Regem, Edita eſt Epiſtola illa 44. inter S. Bonifacii Epiſtolas. De Althelmo autem, & ejus ſanctitate & doctrina multa habet Beda l. 5. hiſtor c. 19.

VIII. Poſtremam hanc rationem confirmat autor Gemmæ animæ lib. 1. c. 195. *Petrus quoque Apoſtolus à gentibus captus, & ad ludibrium Chriſtianorum traditus, barba raſus, & capite decalvatus. Quod ipſe deinceps in miniſterio fieri juſſit, quod incredulos quamvis inſcios, tamen Deo permittente, in figuram operatos intellexit: Sicut & crux olim fuit ſubſannatio, nunc eſt Eccleſiæ gloriatio*, &c. Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in theoria rerum Eccleſiaſticarum idem myſterium Tonſuræ Clericalis enarrat, inſtitutam ſcilicet *ut imaginem referret venerandi Apoſtoli Petri, qui cum miſſus eſſet ad prædicationem Domini & Magiſtri, ei tonſa eſt coma ab eis qui ejus ſermoni non credebant, ut illuderetur ab ipſis, eique Chriſtus Magiſter benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam convertit*, &c. Ante omnes hanc rationem reddiderat Gregorius Turonenſis c. 8. lib. de gloria Martyrum, *Petrus Apoſtolus ad humilitatem docendam caput deſuper tondi inſtituit.*

IX. Hæc autores illi appoſitè ſatis ad morem Ethnicorum Latinorum & Græcorum, quibus tonderi & radi ignominioſum erat, ſervitutiſque inſigne. Unde Suetonius in Cajo c. 35. *Pulchros & comatos quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpabat*, & Philoſtratus in Apollonio Tyanæo lib. 7. ſcribit eum à Domitiano Imperatore in carcerem conjectum, & ejus juſſu, ignominiæ cauſa, capillo barbaque tonſum. Eâdem ignominia refert Prochorus c. 10. Joannem Euangeliſtam ab eodem Imperatore affectum. Idem narrat Sanct. Cyprianus Epiſtola 77. de multis Martyribus ad metalla damnatis. Græcis quoque ſervitutis indicium erat coma tonſa. Unde Ariſtophanes in Avibus, ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις. *Servus cum ſis comam geris*, quod apud eos in proverbium abierat, ſicut & περικείρειν τοὺς πλοκάμους, circumtondere comam pro, ludibrio aliquem habere. Hinc Lucianus in Miſanthropo, ſic Jovem irridet ἀλλ' ὁ γενναῖος, ἢ μεγαλόψυχος, ἢ ὑπατικώτατος, ἐπαίρεο τοὺς πλοκάμους περικειρόμενος τὰ αὐτά, *Sed egregius Gigantum exterminator, & Titanum domitor, ſedebas, cum tibi cæſaries ab illis circumtonderetur.* Quod igitur primis Eccleſiæ Inſtitutoribus ludibrio factum eſt, ipſi poſtea in trophæi argumentum, & inſigne converterunt.

X. De Tonſuræ iſtius figura nunc eſt nobis agendum. Antiquiſſima illius figura fuit, ut nunc, circularis. Anicetus Papa apud Ivonem Decreti p. 6. c. 46. Gratiano dict. 23. c. 21. *Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Ad quid aliud alludit Sanct. Auguſtinus epiſt. 47. ad Proculejanum Epiſcopum Donatiſtam, *Honorant nos veſtri: honorant vos noſtri: Per coronam noſtram nos adjurant veſtri; per coronam veſtram vos adjurant noſtri.* Eundem morem, ut ex iiſdem verbis apparet, conſervaverant Donatiſtæ ab Eccleſia diſcedentes. Ita quoque qui ad Sanct. Auguſtinum ſcribit Epiſt. 26. *Fratres tuos, Dominum meum Alypium, & Dominum meum Evodium, ut meo nomine ſalutes precor coronam tuam.* Sanct. Hieronymus, ſive quis alius 12. q. 1. c. Duo ſunt, de Clericis verba faciens, *Hoc deſignat corona in capite. Hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni quod expectatur.* Antiquus autor in vita Sanct. Gaugerici apud Surium 11. Auguſti, ſcribit Magnericum Trevirenſem Epiſcopum. *Gaugericum ſuis manibus ſuſa ſuper eum benedictione totondiſſe, regiaque ac Sacerdotali corona Domino perpetuò famulaturum inſigniviſſe.* Gregorius Turonenſis in vita SS. Patrum c. 17. de S. Nicetio verba faciens, *Ab ipſo ortus ſui tempore Clericus eſt deſignatus. Nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium Infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putaret ab eiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Sidonius Apollinaris lib. 4. Ep. 13. de Germanico Epiſcopo hoc habet, *Veſtis adſtricta, tonſus cothurnus, crinis in rotæ ſpeciem acciſus, barba intra rugarum latebras merſis ad cutem ſella forficibus.* Beda loco cit. & in fine ejuſdem capitis, aliiſque locis, ut lib. 4. c. 1. de Theodoro Romæ in Cantuarienſem Archiepiſcopum conſecrato, *Qui Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet.* Lib. 5. ejuſdem hiſtoriæ, ad finem cap. 13. Et in vita S. Cuthberti Epiſcopi, *Poſtquam ſervitutis Chriſti jugum, Tonſuraque Petri formam in modum coronæ ſpineæ caput Chriſti cingentis, Domino adjuvante, ſuſceperat*, &c. Idem aſſerunt S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha Bedæ æqualis, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus locis prænotatis; Ivo Carnutenſis in ſermone Ordinandorum, aliique poſt eos innumeri.

XI. Explicata Tonſuræ Clericalis figura, de ejus quantitate non immeritò quis percontabitur, An ſcilicet parvus fuerit circulus in ſummo capitis vertice, an verò circulus multò major maximam capitis partem complectens: ut nunc Monachorum eſſe ſolet corona, aut ſaltem qualem nunc Epiſcopi geſtare ſolent? Tonſuram illam longè ampliorem fuiſſe, quàm nunc eſſe ſoleat, omnino videtur aſſerendum. Qualis illa fuerit deſcribi non poteſt exactius quàm Concilii IV. Toletani verbis, c. 40. *Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut hucuſque in Gallicia partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut Laici comis, in ſolo capitis apice*

modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis huc uſque Hæreticorum fuit, &c. Eandem coronæ figuram & amplitudinem nobis repræſentant Iſidorus & Concilium Aquiſgranenſe locis citatis. *Quod verò detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tiara enim apud Veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum: Hæc ex byſſo confecta, rotunda erat quaſi ſphæra media; & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa. Corona autem latitudo eſt circuli aurei qua Regum capita cingit. Utrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine, quod ſcriptum eſt, Petro Apoſtolo perdocente. Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium*, &c. Comparatio illa Tonſuræ cum aureo circulo quo caput reges cingunt, nec non verba illa, *detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur*, quantæ fuerit olim amplitudinis corona illa manifeſtè docent. Nam præterquam quod verba iſta vix aliter poſſunt explicari, eadem ſunt quibus Concilium Toletanum allatum deſcribit figuram illam coronæ latam & amplam, qua Clericos omnes inſigniri jubet. Idem non obſcurè docent Beda, & alii plures ſupra citati, qui ſpineæ coronæ Chriſti formam referre dicunt, ut & antiquus ordo Romanus, & alii Rituales, in oratione poſt acceptam tonſuram, *Et ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ eum geſtare fecimus in capite, ſic tuam virtutem, & hæreditatem ſubſequi mereatur in corde.*

CAP. II.

Clericos duplicem geſtaſſe coronam, majorem & minorem. Majore tantum Monachi inſigniebantur. Monachi longos capillos geſtantes improbantur. Clerici antiquitus radi prohibebantur. Solvuntur quæ contra objici poſſunt. Tonſura coronæ minoris, erat altera depreſſior antequam raſura eſſet in uſu. Figura Tonſuræ varia. Triplex figura in Anglia olim commemorabatur, quarum una tantum probabatur. Quorundam Hæreticorum in Hiſpania peculiaris.

I. QUarto loco nobis propoſuimus rem explicandam quæ multis non modo nova, ſed etiam improbabilis videbitur, Clericos olim duplici corona inſignitos fuiſſe, majore, & minore; majore quæ circulus erat capitis longè majorem partem occupans, cujus ratione dicta eſt dimidio ſphæræ ſimilis; minore quæ extabat in vertice capitis, & in prioris umbilico, quæ majore longè depreſſior erat. Antiquorum tamen teſtimonia hoc mihi videntur non inevidenter innuere. Illa referam, ut de iis Lector quid ſentiendum ſit, judicet. Hanc duplicem coronam perſpicuè mihi videtur deſcribere autor Gemmæ animæ lib. 1. c. 193. *Chriſtus Rex & Sacerdos, fecit nos ſibi & Sacerdotes & reges. Pars capitis raſa eſt ſignum Sacerdotale, pars crinibus comata, ſignum regale. Sacerdotes quippe Legis tiaram, id eſt, pilleolum ex byſſo, in modum quippe ſphæra rotundum in capite portabant; Reges aureas coronas geſtabant. Ergo raſa pars capitis tiaram, circulus crinium refert coronam.* Et clarius c. 197. *Noſtra autem Tonſura in Lege exprimitur, dum coronula quatuor digitorum ſuper menſam coram altari, & deſuper minor coronula aurea fieri præcipitur. Per menſam in qua propoſitio panum ponebatur, noſtrum altare accipitur, cui quotidie panis Chriſti imponitur. Corona quatuor digitorum per circulum crinium noſtrorum exprimitur, ſuperior autem coronula per plattam figuratur.* Per *plattam* dictionem Gallicam, ſuperiorem coronam intelligit autor, qui erat Auguſtodunenſis Presbyter. Platta dicebatur vulgo propter raſuram. Gallis, Plat, eſt aliquid planum, lævigatum, extenſum.

II. Amalarius trecentis annis iſto autore antiquior idem videtur docere l. 2. c. 5. *Quapropter capilli in inferiore parte capitis manent. Circulus verò capillorum virtutem æqualitatis rationi undique conſentientem ſignificat*, &c. *Superiorem partem capitis raſorio ſæpe renovamus, cum forti ſolicitudine ſuperfluas, temporariaſque cogitationes de ſuperiori parte animi reſecamus. In inferiore parte coronam portamus, cum ea quæ ſecundum mundum neceſſariò gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus.* Eodem tempore Hulcbaldus Monachus ſcribens Sanct. Lebuini vitam, ſic nobis iſtius ſancti coronam figurat, *Præterea geſtans quaſi tiaram veri Sacerdotii in detonſæ ſuperioris capitis parte, necnon exprimens in inferiori dignitatem regalis coronæ, gaudebat munus expleri in hac typica ſimilitudine, quod B. Apoſtolus Petrus univerſali collatum gaudet Eccleſiæ. Vos*, inquit, *eſtis genus electum, regale Sacerdotium*, &c. Eandem Tonſuræ Clericalis figuram Iſidorus ſupra citatus, Concilium Aquiſgranenſe, aliique verba Iſidori repetentes non obſcurè exprimunt his verbis, *Quod verò detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*, &c. *Utrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum*, &c.

III. Althelmus de quo capite præcedente in Epiſt. ad Geruntium Britonum Regem, idem videtur non obſcurè ſignificare. *Cæterum in veteri Teſtamento Tonſuræ ſignum à Nazaræis, id eſt, Sanctis, ni fallor ſumpſit exordium. Eſt enim regale, & Sacerdotale ſtemmatis indicium. Nam tiara apud veteres in capite Sacerdotum conſtituebatur. Hæc ex byſſo retorta rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa; corona autem, latitudo aurea eſt circuli, qua Regum capita cingit. Utrumque ita ſignum exprimitur in capite Clericorum, Petro dicente, Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium. Hoc ritu tondendi & radendi, ut vitia reſecentur, ſignatur, ut crinibus carnis noſtræ quaſi criminibus exuamur.* Pleraque iſta ex Iſidoro tranſcripſit. Idem de Hugone à S. Victore dicendum l. 2. de Sacramentis,

tis, p. 3. c. 1. & de Magiſtro Sententiarum l. 4. diſt. 24. Petrus Pictavinus in gloſſis ad hunc Sententiarum locum, *Eſt corona Clericalis nudata & abraſa partis capitis circumductio. Nudatio eſt in vertice, Tonſura eſt ab inferiori parte, id eſt, circa aures & oculos.*

IV. Id confirmat Germanus CP. Patriarcha in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, *Raſura capitis Sacerdotis, & rotunda ipſius ſectio per medios crines, eſt vice coronæ ſpineæ quam Chriſtus geſtavit. Duplex illa corona ex capillis expreſſa, caput Sacerdotis cingens; repræſentat venerandum Apoſtoli Petri caput, qui miſſus ut Dominum & Magiſtrum prædicaret, ab incredulis ludibrii cauſa tonſus eſt, &c.* Stephanus Gerlachius Conſtantinopoli ad Cruſium de Græcorum ritibus ſcribens Hieremiæ Patriarchæ tonſuram ſic deſcribit: *In medio capitis raſura eſt, in ſynciput corolla, in occipitio & temporibus longi capilli, ſicut in omnibus illis Monachis.* Omnes Monachi Græci, omneſque Epiſcopi, qui ex iis fere ſemper eliguntur, tonſuram rotundam latiſſimam in medio capite geſtant, ſubtus verò capillos prælongos, & fere muliebres. A quo tempore hic mos cœperit, ignoro: Id in quibuſdam Meſopotamiæ Monachis plurimùm improbat Sanct. Epiphanius hæreſi 80. Itaque antiquitus Clerici duplicem coronam geſtaſſe videntur, amplam unam, quæ ad eam quam nunc Monachi deferunt, proximè accedebat. Sed hæc novacula, ſeu capillorum abraſione non figurabatur; ſolummodò capilli depreſſius ibi forfice tondebantur, quàm in parte inferiore, ita ut circulus exprimeretur, qui coronæ regalis vicem myſticè referebat, & hæc propriè erat tonſura Clericalis. Alteram longè minorem in ſummo capitis vertice novacula expreſſam, quæ tiaræ Sacerdotalis vicem myſticè gerebat. Hac poſteriore Monachi non inſigniebantur, ut nec Pœnitentes priore, ſed æqualiter per totum caput in luctus & mœroris ſignum tondebantur.

V. Quæri poteſt an coronula iſta per raſuram vertici capitis impreſſa, ima antiquitate nitatur. Obſtare videntur Sanct. Hieronymi verba in c. 44. Ezechielis, quæ diſertiſſimè teſtari videntur raſuram Chriſtianis Clericis fuiſſe inſolentem. *Quod autem ſequitur, ne caput ſuum radant, neque comam nutriant, ſed tondentes attendebunt capita ſua, perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus ſicut ſacerdotes, cuſtodeſque Ididis, atque Serapis nos eſſe debere; nec rurſum comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt, barbarorumque, & militantium; ſed ut honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur, &c. Juxta quod diſcimus, nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos eſſe demittendos, ut operta ſit cutis, &c. Caput viri Chriſtus eſt, quod peccator conculcat, & deſpicit, & ut ita loquar, radit novacula, & aufert ejus pulchritudinem.* Hunc morem fuiſſe non Occidentis tantùm, ſed etiam Orientis ex Sanct. Hieronymo manifeſtum eſt, qui generaliter loquitur, nec Orientem ab Occidente diſtinguit. Erat autem ſenex cum illos commentarios ſcriberet, totumque Orientem non modo ſæpius peragraverat, verum etiam in eo, ut omnes ſciunt, magnam vitæ partem tranſegerat. His fav et quod raſuræ antiquiores autores mentionem non faciunt, ſed crinium tonſuræ, ut ex antecedentibus patet. Imò plurimùm miratur Sanct. Epiphanius quoſdam Meſopotamiæ Monachos qui Barbam radere ſolebant. Epiphanio conſentiunt Concil. Chartagin. IV. c. 44. & Barcinon. c. 3. Licet Gregor. VII. lib. 8. Regiſtri, ep. 10. Occidentalem Eccleſiam dicat ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis Barbam radendi morem conſervaſſe. Sed Gregorius memoria falſus morem ab aliquot ſeculis inductum, credidit eſſe perpetuum.

VI. Multa tamen videntur objici poſſe Sanct. Hieronymo, tam ex coætaneis, quàm ex antiquioribus autoribus. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. Patris ſui mores deſcribens, ait illi non fuiſſe *promiſſam barbam, aut capitis ad cutem uſque raſi exornationem.* Videtur innuere cæteros Clericos ex more capitibus fuiſſe raſis, quos tamen ipſius Pater non imitabatur. Verum Nazianzenus raſuram novacula factam non intelligit, ſed veras & ſynceras humilitatis actiones fictis & veris opponit, alludens ad nonnullos Clericos & Monachos qui ſimulandæ humilitatis cauſa, barbam promiſſam geſtabant, & capillos ad cutem uſque tonſos, hoc eſt, tonſuram cæteris profundiorem. Elias Cretenſis in hunc locum, *per exornationem in cute, profundam tonſuram, atque ad pellem uſque accedentem intelligit.* Ab hac hypocriſi Patrem ſuum alieniſſimum fuiſſe ſcribit, & modeſtiam mediocritatemque, in qua virtus conſiſtit, ſemper coluiſſe. Deinde raſuræ nomen non expreſſit Nazianzenus, ſed dixit, ἡ κεφαλὴς ἐν τῷ χοῷ κόσμησιν, *vel capitis in cute ornatum.* Itaque hæc verba Monachorum aut Clericorum raſuram non arguunt, ſed tonſuram ſolito profundiorem quam Pater ipſius, ut & cætera extrema, ſemper vitavit. Minoris roboris eſt argumentum petitum ex orat. 28. ubi Maximum perſtringens ait, Nonnullos ad paſtoralis muneris adminiſtrationem nihil aliud contuliſſe, *quàm quod comam, cui ornandæ & alendæ turpiter ſtuduerant, raſerunt.* Græcè enim ſic habetur, οἱ δὲν εἰς ποιμαντικὴν εἰσπεφυκότας, ἢ τὸ κειρᾶσθαι κόμας ἀς κακῶς ἤσκησαν. *Qui ad paſtoralem munus nihil aliud contulerunt, quam quod comam totonderant, cui turpiter ornandæ ſtuduerant.*

VII. Eodem ſenſu intelligenda ſunt quæ de Juliano Apoſtata ait Socrat l. 3. c. 1. hiſtoriæ, *abraſa cute vitam Monaſticam ſimulaſſe,* ἐν χοῒ τὴν κειρόμενον τὸν τῶν μοναχῶν ἐπεδείκνυτο βίον. *in cute tonſus vitam Monaſticam ſimulabat,* id eſt, profundiore, & depreſſiore utens tonſura. Minus urget quod dicere videtur Eugrius lib. 3. c. 26. Martianum quendam rebellantem, victum & latitantem captum eſſe, & coma abraſa Presbyterum factum: Græcè enim ſcribitur, καὶ τὸν κόμην ἀποθέμενον καὶ χειροτονεῖται. *Et coma depoſita Presbyter ordinatur.* Sanct. Paulinus epiſt. 7. ad Sever. videbitur forſan evidentius raſuram à Clericis & Monachis uſurpatam demonſtrare, cum de iis ait, *nec improbe attenſi capitis fronte crinibus, ſed caſta informitate capillum ad cutem caſi, & inæqualiter ſemitenſi, & deſtincta fronte præraſi.* Sed contrarium potius mihi videtur colligendum. Notat enim Laicorum morem qui prælongos crines

circa

circa frontem in gyrum attondebant. Contrà ait Monachos facere, & capillos frontem attingentes præradere, ne eos calamiſtro inurendi, & criſpandi occaſio daretur. Sed hanc raſuram, ſi concedatur, de pauculis tantùm piſis qui ſuper frontem variis cum artificiis attrahi poſſunt, intelligere debemus; de cæteris capillis ait tantùm, partim ad cutem tonſos fuiſſe, partim ſemitonſos. Clericorum igitur capilli in univerſum tonſi erant modeſtè; partis ſcilicet ſuperioris tonſura longè erat inferiore depreſſior, ſed qui circa frontem capilli videbantur præraſi. Denique objici poteſt Aniceti Pontificis Epiſtola, qui Clericis prohibet *ne comam nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Sed hæc Epiſtola quam præfert antiquitatem non ſapit, nec eſt hic amplius in eam inquirendum.

VIII. Oritur ex præcedentibus nova quæſtio: Si capitis raſura antiquioribus illis temporibus à Clericis non uſurpabatur, Quomodo tum duplex illa corona diſtinguebatur, major ſcilicet quæ tonſurâ figurabatur, & minor quæ raſurâ? Conſtare enim videtur duplicem coronam in uſu fuiſſe antequam mos radendi capitis invaluiſſet. Reſpondeo iſta diſtincta fuiſſe eminentiori & depreſſiori tonſura, ita ut major fuerit eminentior, & longiore capillo; minor verò depreſſior, quæ lapſu temporis in raſuram degeneravit. Dici etiam poſſet ad raſuram, illam propter exiguam admodum ſui quantitatem, antiquos non attendiſſe.

IX. Percontaberis an una & eadem fuerit ubique Tonſuræ figura. Difficile eſt huic quæſtioni generaliter reſpondere. Dici poteſt quod Ceolfridus Abbas Naitano Pictorum regi ſcribebat apud Bedam, hiſtoriæ Anglorum lib. 5. c. 22. *Verùm ſi profiteris nobis liberum eſſe, quia tonſura diſcrimen non noceat quibus pura in Deum fides, & charitas in proximum ſincera eſt, maximè cum nunquam Patribus Catholicis, ſicut de Paſchæ vel fidei diverſitate conflictus, ita etiam de Tonſura differentia legatur aliqua fuiſſe controverſia. Inter omnes tamen quas vel in Eccleſia, vel in univerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam nobis amplectendamque jure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait, Tu es Petrus, &c.* Tonſuræ Clericalis erat in Anglia celebris triplex figura. Primam vocabant Angli Tonſuram S. Petri, quæ erat Romanorum & totius Occidentis propria. Secundam Sanct. Pauli, quam in Oriente Monachi gerebant. Hoc docet Beda cap. 1. libr. 4. hiſtoriæ Anglorum, ubi refert Theodorum Monachum Græcum à Vitaliano Papa poſt ordinationem ſuam in Angliam miſſum eſſe. *Subdiaconum*, inquit, *ordinatus quatuor expectavit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram more Orientalium Sancti Pauli Apoſtoli.* Quamobrem vocent Angli Tonſuram Orientalium, Tonſuram Sancti Pauli à nemine hactenus explicatum legi. Tertiam Tonſuræ Clericalis formam vocabant per ludibrium Angli. Simonis Magi coronam. Hanc Tonſuram geſtabant, Britones, Scoti, & Picti. Illius figuram deſcribit Ceolfredus apud Bedam l. 5. hiſtor. c. 22. *Quæ aſpectu in frontis quidem ſuperficie coronæ videtur ſpeciem præferre; ſed ubi ad cervicem conſiderando pervenerit, decurtatam eam quam te videre putabas, invenies coronam. Ut meritò talem Simoniacis, & non Chriſtianis habitum convenire cognoſcat.* Unde hanc Tonſuræ Clericalis figuram acceperint Angli à Simone Mago originem accepiſſe, nec ipſi explicant, nec ab aliis explicatum legi: Erat tamen apud eos eo tempore res vulgatiſſima. Forſan cum Romanæ Tonſuræ quam amplectebantur, S. Petrus autor prædicaretur; Tonſuræ gentium ſibi exoſarum à ſua diſſimilis originem, ad majorem diſſidii execrationem, in Simonem Magum S. Petri capitalem inimicum derivarunt.

IX. In Hiſpania alius mos invaluerat quem Toletani Patres decreto ſuo tollere conantur. Quidam Laicorum more comas promiſſas toto capite geſtabant, ſolummodo in ſummo capitis vertice circulum modicum tondebant, ut illis eſſet coronulæ loco. Prohibetur ejuſmodi corona Concil. Tolet. IV. c. 41 eo quod ſit Hæreticorum proprius, jubeturque ut omnes Clerici *detonſo ſuperius capite toto, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant.* Monachi nonnulli Meſopotamiæ nullam videntur habuiſſe coronam in capite, ſed more mulierum longos capillos, barbam verò raſam, quod plurimum improbat Sanct. Epiphanius. Alii mores mihi incogniti forſan apud alios viguerunt. Si quis comparaverit Tonſuræ hodiernum morem, & coronæ pro gradus eminentia dilationem cum iis quæ ex Antiquorum ſcriptis retulimus, colliget quoque Tonſuræ Clericalis figuram hodiernam ab antiqua nonnihil variaſſe.

CAPUT III.

Tonſura ſimul cum primo Ordinum gradu antiquitus conferri ſolebat, eratque pars illius ceremonialis. Quando & qua occaſione Tonſura & veſtis Clericalis, ſeparatim ab omnibus gradibus dari cœpit.

I. MOs ab aliquot ſeculis inolevit, ut Tonſura Clericalis ſeparatim ab omni gradu Ordinationum conferretur, quaſi gradus quidam eſſet, & ordo ab omnibus ſeparatus; illique paulatim plurima & eximia privilegia conceſſa ſunt, quibus frui quotidie videmus qui ea ſola inſigniti ſunt. Pinguiora enim Sacerdotia, quæque pauciſſimis, & leviſſimis oneribus ſunt obnoxia, ejuſmodi Clericis ut plurimum donantur, licet nullo gradu Eccleſiaſtico, ne oſtiariatu quidem, aut Lectoratu donati ſint. Hinc paſſim videre eſt, præſertim in Gallia, puellos reditibus Eccleſiaſticis quàm opimis undique circumfluentes, in ea Tonſura ſeneſcere, nulloque unquam gradu Eccleſiaſtico initiari. Ideo quæri jure poteſt an antiquitus res ſic ſe haberet, an verò Tonſura pars quædam ceremonialis eſſet gradus, ſive ordinis, qui primò conferebatur,

rebatur, Oſtiariatus, aut Lectoratus, aut alterius pro regionis conſuetudine primò collati. Separatim datam non fuiſſe, ſed ſimul cum primo ordine, velut ritus illius collationi annexus, multa ſuadere videntur. Hujus rei conjectura eſt, mea quidem ſententia, admodum probabilis, quod antiquiores canones & Decretales, Tonſuræ Clericalis nullam mentionem faciunt, ſed ſtatim à Laicatu tranſeunt ad Oſtiariatum. Conſtat tamen Clericos tonſos fuiſſe. Primus igitur ad Clericatum gradus erat Oſtiariatus, ſeu Lectoratus; atque in ejus collatione, tonſuræ Clericali inaugurabatur Laicus, eoque primo gradu ſuſcepto tum Clericus dicebatur. Siricius Epiſt. 1. c. 8. *Quicunque ſe Eccleſiæ voverit obſequiis, à ſua infantia ante pubertatis annos; baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad triceſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, una tantum, & ea quam Virginem communi per Sacerdotem benedictione percepit, uxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus eſſe debebit*, &c. Zoſimus Epiſt. 1. c. 1. *Quis ille tam arrogans, &c. qui prius velit dicere quam diſcere? aſſueſcat in Domini caſtris, in Lectorum primitus gradu, divini rudimentis ſervitii, nec illi vile ſit, Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri, nec hoc ſaltu, ſed ſtatutis majorum ordinatione temporibus.* Et capite 3. *Hæc autem in ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora, ſi ab infantia Eccleſiaſticis officiis nomen dederit inter Lectores, uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si major jam & grandævus acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur, exinde Acolythus, &c.*

Similiter Concilium Bracarenſe c. 38. *Ex Laico ad gradum Sacerdotii nemo veniat, niſi prius anno integro in officio Lectorum, vel Diaconatus, diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic per ſingulos gradus ad Sacerdotium veniat.* Pontificale Damaſi in Cajo, *Cujus conſtituit ut omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent: Si quis Epiſcopus fieri mereretur, ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, ſequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, exinde Epiſcopus ordinaretur.* Idem probant nonnulli canones Synodi Romanæ ſub S. Sylveſtro habitæ, nec non evidentiſſimè qui ſequuntur, Carthagin. III. c. 19. *Placuit ut Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Et Vaſenſe II. c. 1. *Cum ad ætatem perfectam Lectores pervenerint, ſi aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, poteſtas ducendi conjugem non negetur.* Pueri igitur cum Clericatui offerebantur, ſimul quoque Lectoratui initiabantur, nec tum conſueverant Epiſcopi ordinibus non initiatos tondere. Hujus rei exemplum nobis ſuppeditat S. Sulpitii vita apud Surium 17. Januar. *Auſtregeſilus Bituricenſis Antiſtes à Theodorico principe obtinuit, ut liceret ipſi S. Sulpitio docendi in Eccleſia munus deferre. Videbat enim doctrinæ gratia multitudinem confluere. Annuit ſine mora rex, ut tonſis capillis in Clerum ille tranſiret. Itaque per gradus ad altiora promotus, etiam Leviticum eſt adeptus miniſterium.* Tonſus eſt, & in Clerum cooptatus, ut populum docere inciperet. Quid aliud eſt quàm ſimul cum tonſura ad Lectoratum eſſe provectum? Alia ejuſdem moris apud Latinos exempla plurima capite primo iſtius Exercitationis relata ſunt, & capite ſequenti eundem morem apud Græcos hactenus vigere demonſtrabitur.

III. Tantùm abeſt ut aliqui ordinibus non initiati dicerentur Clerici, ut dubitatum aliquando fuerit an minorum ordinum Clerici, eo nomine vocari deberent. Reſponſum tamen eſt à Concilio Carthagin. III. c. 21. in eorum favorem, *Clericorum nomen, etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retineant.* S. Iſidorus initio l. 2. de officiis Eccleſ. ubi incipit de Clericis verba facere, ſic Clericum definit, *Itaque omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt, generaliter Clerici nominantur.* Deinde toto libro agens de Clericis, quibus adjungit Pſalmiſtas, Cuſtodes ſacrorum, Chorepiſcopos, ne verbum quidem facit de eo hominum genere quod ſola Tonſura ſine ullo ordine inſignitum eſt. In eo tamen Libro poſtquam de illis omnibus Clericis, & eorum ordinibus egit, ſeparatis Capitulis de Monachis, de Pœnitentibus, de Virginibus, de Viduis, Conjugatis, Catechumenis verba facit. Agit equidem de Tonſura, ſed non ut de ceremonia ſolitaria, ſed ut communi omnibus ordinibus, & omnibus Clericis, & omnium qui Dei cultui conſecrati ſunt, propria. Nec ullo verbo doceri poteſt eum agnoviſſe Tonſuram aliquam Clericalem extra omnes ordines collatam. Hactenus ejuſmodi eſt Græcorum & antiquiſſima & recentiſſima praxis. Tonſuram clericalem ſimul cum Lectoratu conferunt, ut capite ſequenti docebimus.

IV. Septimò quæritur, quando, & qua occaſione Tonſura Clericalis dari cœpit, & ab ordinibus ſeparari. Id mea ſententia factum eſt circa annum à Chriſto ſeptingenteſimum, hac data occaſione. Parentes filios ſuos impuberes, imò fere infantes Eccleſiaſticis officiis conſecrabant, & Epiſcopis inſtituendos offerebant. Eos Epiſcopi in eadem domo educandos & inſtruendos curabant, ut eſſent Cleri reparandi velut Seminarium. Eorum inſtitutioni ſenex aliquis è Clero præficiebatur, atque ut plurimum Archidiaconus. Cum autem propter ætatis infirmitatem Oſtiariorum aut Lectorum officiis in Eccleſia fungi non poſſent, Ordines iſtos illis non conferebant, ſed ſolam Tonſuram cum veſte Clericali: Tonſuram ideo ab ordine ſeparantes, ne pueri iſti Eccleſiæ miniſteriis parentum pietate devoti, ut prorſus ſeculares & prophani, hominum oculis compararent. Longo poſt tempore quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus uſurpatum eſt, Tonſuraque Clericalis, ut ordo quidam ab aliis ſeparatus, quibuſcunque ſeparatim collata eſt.

V. Hæc aſſertio, ſi varia illorum temporum teſtimonia ſimul comparentur, non inevidenter conſtare poterit. Concilium Toletan. II. c. 1. *De his quos voluntas Parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi,*

vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesia sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis sue compleverint annum coram totius Cleri plebisque consessu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur, &c. Et Tolet. IV. c. 24. *Si qui in Clero impuberes, aut adolescentes exsistunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubrice ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant deputati probatissimo Seniori, quem Magistrum Doctrine, & testem vitæ habeant, &c.* Concilium Aquisgran. c. 125. idem statuit, atque in statuti confirmationem refert canonem præcedentem.

VI. Ordo Romanus editus, qui continet ceremonias omnes in Ecclesia Romana observari solitas ante circiter septingentos annos, atque etiam multò antiquiores, ubi de ordinibus agit, ita præfatur, *In quacunque schola reperti pueri bene psallentes tollantur inde, & nutriantur in schola Cantorum, & postea fiant cubiculerii. Si autem Nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriantur, & hanc accipiant potestatem ab Archidiacono, ut liceat eis super linteum villosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi: Deinde sicut Sacramentorum codex continet, quando & ubi fuerit, usque in Subdiaconatus officium ordinentur: Diaconi verò atque Presbyteri nunquam nisi in publica ordinatione.* Sed ante omnia tonsura illis adhuc puellis conferebatur, ut constat ex oratione quæ ibi ad tonsurandum refertur, *Domine Jesu Christe qui es caput nostrum, & corona omnium Sanctorum, respice propitius super infantiam famuli tui N. &c.* atque etiam ex titulo orationis, *Oratio ad puerum tonsurandum.* Vestem quoque mutabant, & induebant Clericalem, ut patet ex prima & secunda præfatione ad Clericum faciendum, *Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum N. benedicere dignare cui in tuo sancto nomine habitum religionis sacra imponimus, &c.* Nonnulli alii Rituales antiqui supra editi eadem cum ordine Romano nobis exhibent. Tum temporis pueris illis adultis cæteri ordines ad Diaconatum usque nonnunquam illis privatim conferebantur, ut ex testimonio supra allato manifestum est: Aliàs Ostiarii, Lectores, &c. publicè à Clero eligebantur ad certum titulum, sive Ecclesiam, cui ut deservirent, consecrabantur, ut ex eodem ordine constat, paulò post in titulo, *Invitatio Ordinandorum.*

CAP. IV.

Tonsura Clericalis apud Græcos & Syros simul cum Lectoratu traditur, estque pars ritus dandi Lectoratus. Aliquando Tonsura pro Lectoratu sumitur. Quare concessum Abbatibus regularibus minores ordines conferre, idque sine petita ab Episcopis venia. Quatuor Tonsuræ genera apud Græcos enarrantur. Clericalem Tonsuram tria hominum genera conferre poterant, & quo jure Tonsuram Clericalem non esse Sacramentum, licet multæ rationes hoc videantur suadere.

I. MOrem illum qui apud Latinos ab aliquot seculis invaluit nec Græci nec Syri hactenus usurparunt. Hactenus enim Tonsuram Clericalem cum Lectoratu conjungunt. Primò invocata Sancta Trinitate, & sigillo crucis interim peracto, tondetur in formam crucis Lectoratui inaugurandus. Deinde manus illi ab Episcopo in Lectoratum imponitur, ut videre potes in variis Lectoris ordinationibus, quas supra ex antiquissimis Euchologiis excerptas exhibuimus, & insuper evidentissimè apud Simeonem Thessalonicensem qui singulas hujus ritus minutias persequitur. Quapropter nihil necesse est ista hic referre. Non inde debet Lector colligere Tonsuram Clericalem apud Græcos cum Lectoratu confundi; sunt enim res distinctissimæ, & variis actionibus collatæ: Sed Lectoratus ordo non datur, nisi præcedat Tonsura; nec Tonsura nisi statim subsequatur Lectoratus; ita ut Tonsura apud eos sit velut ceremonia ad Lectoratus collationem pertinens. Hunc Græcorum morem præter Euchologia recentia, & antiqua, multa alia confirmant.

II. Scribit Metaphrastes apud Surium sexto Aprilis in vita Sancti Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, qui sedebat regnante Justiniano I. cum celebraretur quintum Concilium generale, Eutychii capillos dum Constantinopoli in Ecclesia Dei genitricis Lector ordinaretur, invito Tonsore in baptisterium cecidisse, sicque Lectoratus gratia esse sanctificatum; atque inde innumerabilis hominum multitudinis quam erat conversurus, augurium sumptum. Individuo nexu conjunguntur Tonsura & Lectoratus. Hinc est quod pueri tam in Oriente quàm in Occidente antiquitus Lectoris munere in Ecclesia publicè fungerentur, ut de Viatore Sanct. Justi Lugdunensis Episcopi comite refert ipsius vita antiquitus scripta apud Surium 2. Septembris, *Nec quisquam Justo se adjunxit Comitem præter unum Viatorem cujus supra mentio facta est; egregiæ sanè indolis puerum, qui tum in Ecclesia Lectoris munere fungebatur.* Et Metaphrastes apud eundem 29. Sept. in vita S. Quiriaci

rinci Anachoretæ, *Tempus ejus ortus fuit finis imperii Theodoſii, junioris ſcilicet. Sanctus verò fuit avunculus Petrus Apoſtolus Corinthiorum, qui Petrus B. Quiriacum cooptat in gradum Lectoris ejuſdem Eccleſiæ adhuc in tenera ætate.* Teſtatur etiam Theodoretus in vita Zenonis, ſe puerum ſacros Libros in Eccleſia publicè legiſſe. Hujus rei nulla alia ratio eſt, niſi quod pueri à parentibus Eccleſiæ devoverentur; nec dum mos eſſet eos Clericali Tonſura ſine ordinis alicujus collatione inſignire. Ideo Juvenes admodùm ordinum alicui initiabantur. Prohibuit quidem Juſtinianus Imperator Novella 19. aliquem creari Lectorem ante annum ætatis 18. Sed hoc obſervatum non fuit, cum nec prohibitio illa, nec canones pœnam tranſgredienti legem illam imponant, ut notat Balſamon in can. 14. ſeptimæ Synodi.

III. Id præterea confirmatur evidenter ex can. 33. Conc. VI. in Trullo, ubi decernunt Patres *nulli eorum omnium qui ſunt juxta ordinem Clero allecti licere in ambone divinas ſcripturas recitare, niſi talis Sacerdotali tonſura præditus ſit, & benedictionem à proprio Paſtore ſuſceperit.* Ubi ſimul jungunt, velut unum cum altero connexum; tonſura inſignitum eſſe, & Lectorem eſſe. Hinc etiam colligitur multos tum temporis Clericorum catalogo inſcriptos fuiſſe, qui non eſſent Clerici, utpote nondum Lectoratum aſſecuti, ſed illius candidati, quibus Scripturas ſacras in Eccleſia legere non licebat. Balſamon hunc canonem commentans, *Similiter & in ſuggeſtu eos ſolos legere debere, qui ad hoc in Clericorum numerum relati ſunt, eos ſcilicet qui habent Epiſcopales Tonſuras*, id eſt, ab Epiſcopis collatas. Et aliquanto poſt, *Nota, quod ſimul ac acceperunt aliqui Tonſura characterem de manu Antiſtitis, eos pro Clericis habet canon.* Tonſuram de manu Epiſcopi collatam pro Lectoratu accipit, ob eorum individuam conjunctionem. Ideo reprehendit eos qui volunt ſola Tonſura ab alio quàm ab Epiſcopo data inſignitos, eſſe Clericos & Lectores. Eodem ſenſu commentario in Nomocan. Photii tit. 1. c. 31. Clericis ſolum adnumerat Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, & Cantores, nec alios Clericos ipſe Photius, nec Novella Juſtiniani 123. noverunt.

IV. Idem & can. 14. Concilii ſeptimi, *Quoniam ergo videmus nonnullos à pueris Cleri Tonſuram accipientes, nondum accepta Epiſcopi manuum impoſitione, & in Congregatione in ſuggeſtu legentes, & id non canonice facientes, hoc ne fiat abhinc in poſterum mandamus, hoc ipſum etiam in Monachis ſervari.* Adeo vulgatum erat Tonſuram Clericalem, & Lectoratum idem eſſe, ut tum nonnullis Sacerdotes permitterent puellos tonſura, nigriſque veſtibus à Parentibus indutos, publicè in Eccleſia ſacras Scripturas legere, quod Concilium prohibet, donec ab Epiſcopo Tonſuram Clericalem cum manuum impoſitione ſuſceperint. Quod apertè, & multis verbis docet Balſamon in hunc canonem. Pauca referam: *Apertè enim oſtenditur quod quando quis Tonſura manuum impoſitionem ſuſceperit ab Antiſtite, is eſt proinde Clericus; ut cui etiam in ſuggeſtu legere ſit permiſſum.* Ratio propter quam eſt Clericus, eſt quod ei legere in Ambone ſit conceſſum; ſtatimque à Lectoratu accepto fit Clericus, & Tonſura ab Epiſcopo accepta Lector. Tonſuræ enim collatio ceremoniæ in Lectoratu accipiendo habendæ pars eſt. Conſimiliter in can. 6. Chalcedon. *Dicimus etiam Lectores eſſe Clericos, & habere Antiſtitis manuum impoſitionem.* Nonnulli enim denegabant Lectoribus Clerici nomen, nedum ſola Tonſura inſignitis.

V. Verùm ſicut dubitatum fuerat an νηπίθεν μηλωτοφορήσαντες, ut loquitur Balſamon, qui à pueris veſtes nigras induti ſunt, Tonſuramque, ſed non per manum Epiſcopi ſuſceperant, verè Clerici eſſent & Lectores, reſponſumque à Patribus fuit, Lectores non eſſe, & teneri Tonſuram ab Epiſcopo ſuo petere? Sic dubitatum eſt, an Tonſura Monachalis eſſet etiam Clericalis; hoc eſt, an qui Tonſura Monachali ſola donatus erat, Lectoratus officio fungi poſſet? Reſpondetur à Patribus idem eſſe dicendum de Tonſura Monachali, quod de puerili per quam pueri Eccleſiæ conſecrantur; Clericalem ſcilicet non eſſe; & opus inſuper eſſe, ut Monachus ab Epiſcopo cum manuum impoſitione tondeatur. Hujus rei rationem reddit Balſamon in Photii Nomocan. tit. 1. c. 31. *Si datum fuerit ex ſola Tonſura Monachos eſſe Lectores, Monachi indiſtinctè Lectoris munia omnino exercebunt, etiamſi à Monachis Sacerdotibus tonſi fuerint, qui nec ſunt Antiſtites Monaſteriorum, nec ab Epiſcopis facultatem acceperunt, quod abſurdum eſt. Porro autem fœminis quoque Monachis hoc concederetur propter Tonſuram, quod eſt abſurdiſſimum.*

VI. Cum verò, ut rectè conjicit Balſamon in hunc canonem, Monachi ut plurimum deſerta habitent, difficileque ſit illis urbes adire, ut Epiſcopali manu Tonſuram accipiant, ideo Patres Præfectis eorum, modo Presbyteri ſint, tonſuram Clericalem ſeu Lectoratum illis conferendi dant poteſtatem, ut canonis textus qui ſequitur, evidenter docet. *Lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio Monaſterio etiam ſolo unicuique Abbati facere, ſi ipſe Abbati, ſcilicet ab Epiſcopo, manus eſt impoſita, qui fuit & ipſe Presbyter.* Eadem poteſtas ſit Chorepiſcopo in eodem canone, vel potius conſervatur. *Similiter & ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos, Epiſcopi permiſſu, oportet per manuum impoſitionem Lectores facere.* Lectorum tantùm meminit iſte canon, ſed ulterius progreditur Synodus Antioch. c. 10. Præter Lectoratum enim eis attribuit jus Subdiaconos, & exorciſtas creandi, quæ repetuntur Ep. 4. S. Damaſo attributa, in Concilio quoque Pariſienſi, ſub Ludovico & Lothario, lib. 1. c. 27. quæ pluribus cum de Epiſcopis ageremus, enarrata ſunt.

VII. Scribit Balſamon nonnullos quæſtionem movere, an id poſſit Monaſterii Præfectus ſine Epiſcopi proprii permiſſu, & quoſdam aſſerere id ei non eſſe licitum. Sed ipſe non ſolùm in hunc canonem, ſed etiam in can. VI. Concilii Carth. contrarium opinatur, & rectè. Hoc enim privilegium Abbatibus concedunt Patres nulla Epiſcopalis permiſſionis facta mentione. Ut quid igitur illud ad Epiſcopi arbitrium revocare? Chorepiſcoporum alia ratio: diſertè enim edicit canon, ut hoc faciant tantùm cum

Episcopi permissu. Præterea illa Chorepiscoporum actio plebem Christianam respicit; Abbatum verò solum suum Monasterium. Hinc obiter colligendum, Lectoratum eo tempore ordinum apud Græcos fuisse primum.

VIII. Ex iis quæ hoc capite & alibi dicta sunt, colligitur quatuor fuisse, atque etiam nunc esse apud Græcos Tonsuræ genera. Primum est Tonsura quæ sit infanti à Sacerdote, paulò post Baptismum, cujus ceremoniæ ab antiquis Euchologiis explicantur, easque in suum Euchologium retulit R. Pater Jacobus Goartius. Tonsuram illam de Infantibus esse intelligendam, multa verba demonstrant, ut cum in oratione Tonsuræ dicitur, *Εὐλόγησον τὸ παιδὸν νήπιον benedic hunc præsentem infantem*, νήπιον, Infantulus, loqui impotens. Ita titulus, *Εὐχὴ εἰς τὸ κουρεῦσαι παιδίον*, oratio *ad tondendum puellum*. Sæpius in eo officio dicitur παιδίον puellus. Et in oratione *benedic præsenti huic famulo tuo, una cum susceptore ejus.* Quod sanè de Infantulo tantùm dicitur. Sed Simeon Thessalonicensis rem definit: Quærit agens de baptismo Διὰ τί κουρὰ ἐν τοῖς βαπτιζομένοις πλέκται? *Propter quid Tonsura fit in Baptizatis?* Respondet, μετὰ δὲ τὸ χρίσμα, τὸ πανάγιον φῶμι μύρον, κείρεται τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ στεφανοειδῶς τρίχας. *Post Chrismationem autem, Unguenti sacri dico unctionem, tondet in cruris figuram capillos capitis ejus.* Certum est igitur paulùm à baptismo Infantulum apud Græcos tonderi, cum omnes chrismentur à Sacerdote incontinenter ab accepto baptismo. Deinde allatis variis rationibus subjungit, ἔτι δὲ καὶ ὡς ἀπαρχὴ ἡ θυσία τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος διὰ τοῦ βαπτίσματος αἱ τρίχες χριστῷ φέρονται· ἔστι γὰρ ὅλου σώματος ὡς ἀναθυμίασις εἰσὶν· διὸ ὁ ἱερεὺς λαβὼν ταύτας, οὐκ ὡς ἔτυχε ῥίπτει, ἀλλ' ἐν τόπῳ ἱερῷ θήσει. *Insuper capilli Christo offeruntur velut primitiæ & sacrificium humani corporis in baptismate. Sunt enim velut totius corporis exhalatio. Ideo Pontifex iis acceptis non ut fors tulit, negligenter projicit, sed in loco sacro reponit.* Ajunt Sacerdotem quibusdam in locis capillos detonsos in susceptoris manum tradere, qui postea reverenter eos habet, & ad imaginem Christi crucifixi appendit.

IX. Secundum Tonsuræ genus est quod pueris jam grandioribus, quos Parentes ordinibus Ecclesiasticis consecrant, confertur, de quibus loquitur Concilium VII. can. 14. quos prohibet Scripturas sacras in ambone legere, eo quod Tonsuram per Episcopalem manus impositionem non susceperunt: Quos etiam ait Balsamon in eundem canonem, vestibus nigris à pueritia indui, ut eorum consecratio cultui divino denotetur, de quibus egimus. Tertium Tonsuræ genus erat Monachale quo Monachi ad cutem usque tondebantur, longè scilicet maxima capitis parte, à vertice ad aures descendendo, prope quas circulus capillorum per totum caput inferius gyrabat. Orientales finebant capillos illos superstites in mulicbrem fere modum crescere, breviores gestabant. Occidentales Monachi, ut etiam nunc apud utrosque moris est. Tonsura Clericalis quartum erat genus de qua hactenus verba fecimus. Tria hominum genera eam conferre poterant: Primum, Episcopi jure suo & nativo; Secundum Chorepiscopi cum permissu & licentia Episcopi sui: Tertium, Monasteriis Præfecti ex Conciliorum privilegio, modo Presbyteri essent, & eam Monachis suis conferrent. Illa cum Lectoratu apud Græcos semper collata est. Hanc vulgo Græci nomine novo vocant παπαλήτρας, ut testatur Balsam. in can. 21. Concil. in Trullo, eoque nomine utitur qui edictum de Donatione Constantini Græcè transtulit, ut videre est apud eundem Balsam. commentario in Nomocanonem Photii tit. 8. c. 1. Tres posteriores Tonsuræ species apud Latinos usurpatæ sunt, ut ex jam enarratis constat. Primam verò nullum antiquum aut recentius monumentum mihi cognitum commemorat.

X. Quæstiones nonnullæ hic cieri possunt, quæ à Scholasticis & Canonistis disputari solent, An Tonsura Clericalis sit Sacramentum, an characterem imprimat; & his datis quæ sit ipsius materia, quæ forma. Multorum insignium Doctorum præsertim Canonistarum sententia est, Tonsuram esse Sacramentum, characteremque imprimere. Sic sentiunt Angelus in summa, Verbo, Ordo. 1. n. 1. Major in quartum dist. 24. Eckius homil. de Ordinationibus, Glossa, Innocentius III. Panormitanus, Ancharanus, & alii in cap. Contingit, de ætate & qualitate Ordinandorum. Huic sententiæ probabilitatem multa conciliant. Videmus enim ex usu Ecclesiæ Tonsuram semel susceptam, quidquid agat, vel patiatur Tonsuratus nunquam repeti, etiamsi propter crimina Clericatu degradatus fuerit. Tonsuratum beneficiorum esse capacem, Abbatem esse commendatarium, atque eo jure Monachorum priores, seu Præfectos eligere, ad Sacerdotia quibus sæpe animarum cura adnexa est, nominare. Videmus nonnunquam sola Tonsura donatos omnem jurisdictionem Episcopalem exercere, Presbyteris imperare, Jurisdictionem tam in foro interno quàm externo conferre, officio abutentes punire, suspendere, excommunicare. Quæ sunt Ostiarii officia? percutere cymbalum, aperire Ecclesiam, sacrarium, & Librum ei qui prædicat. Quam leves hæ sunt prærogativæ, si cum præcedentibus comparentur.

XI. Objicies, hæc Tonsurato, qua talis est, non convenire, sed ex Papæ delegatione. Verum equidem est, sed cogita quanti momenti sit hoc ipsum in rebus Ecclesiasticis, omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ capacem esse. Rem tantam extra omnem Papæ delegationem nativa Tonsuræ Clericalis virtute habet ea decoratus. Iterum, extra specialem Papæ delegationem eadem virtute potest Abbas esse commendatarius, & consequenter Prioratus conferre, quibus varia jurisdictio conceditur. Quidni igitur Tonsura Clericalis Sacramentum fuerit, cujus collatio tantas res spirituales Tonsurato causatur. Comparentur Tonsuræ illius effectus ex ea præcisè emanantes, cum effectibus ordinum qui minores dicuntur. Sanè concesso quod ordines

mino-

minores Sacramenta ſint, multò magis Tonſura Clericalis Sacramentum erit, cum Tonſuræ effectus res ſpirituales magis attingant, gratiamque longè ampliorem, & auguſtiorem ut exerceantur, poſtulent, Inſtabis. Tonſura Clericalis eſt diſpoſitio ad ordines. Ergo non eſt ordo. Negatur conſequentia: Ita enim ſibi invicem ſubjecti ſunt ordines, ut inferior ſit ad ſuperiorem diſpoſitio, ut per ſe clarum eſt, & ex evidenti canonum mente conſtat. Itaque ut Tonſura, quia prima eſt, diſponit ad omnes ſubſequentes ordines, ſuſcipiendos; ſic Oſtiariatus od omnes qui eum ſequuntur. Idem eſt de cæteris dicendum. Facile præterea eſt materiam & formam Tonſuræ Clericali aſſignare. Cum enim materiæ & formæ ejuſmodi ſint Metaphyſicæ, in omni re morali deprehenduntur.

XII. Sed in hac materia ulterius progredi ſementem eſſet in aquam jacere. Exiſtimamus enim Tonſuram, non ſecus ac quatuor minores ordines, Sacramentum non eſſe, & conceſſo quatuor minores ordines Sacramentum eſſe, potiore jure Tonſuram Clericalem Sacramentorum numero eſſe adſcribendam. Tonſuram autem non eſſe Sacramentum conſtare mihi videtur evidentiſſimè ex iis quæ demonſtrata ſunt. Antiquitus enim ab ordinum minorum primo non diſtinguebatur, ſed erat pura puta ceremonia ejus collationi connexa; qui mos, ut dictum eſt apud Græcos adhuc perſeverat. Deinde cum ab ordinum primo disjungi cœpit, in puerorum gratiam qui minorum ordinum capaces non erant, id factum eſt; poſtea omnibus ſacrorum ordinum candidatis ſeparatim, & ante quemvis ordinem collata eſt. Denique antiqua Eccleſiæ monumenta teſtantur primò inventam & datam propter rationes quæ cum Sacramentorum natura & inſtitutione quadrare non poſſunt. Quæ ſinè omnia jam explicata & demonſtrata mihi videntur evidenter probare Tonſuram Clericalem nec Sacramentum eſſe, nec eſſe poſſe.

EXERCITATIO XVI.

DE QUATUOR ANTIQUIS DIGNITATIBUS quibus juriſdictio ab Eccleſia tributa eſt, Archipresbyteris, Archidiaconis, Oeconomis, Defenſoribus ſecundum Græcos & Latinos; atque etiam de Græcorum Chartophylace.

CAPUT PRIMUM.

Præfatio qua dignitatum Eccleſiaſticarum creandarum occaſio enarratur; & ratio aperitur qua perſuaſus autor has dignitates, non alias, hic explicandas ſibi propoſuit.

I. QUandiu Eccleſia Chriſtiana perſecutionum procellis agitata fuit, pauciſſimis contenta eſt divinorum officiorum Miniſtris. In ipſo Euangelicæ prædicationis initio ſolis præter Apoſtolos contenta erat Epiſcopis & Presbyteris: Imò ſi S. Hieronymo credimus, plurimiſque antiquis autoribus ipſius ſententiam amplectentibus; utebatur ſolis Epiſcopis, nec dum ab iis diſtincti erant Presbyteri. Vinea Domini palmites ſuos latiùs diffundente, atque ideo negotiis variis emergentibus, Apoſtoloſque prementibus, ut in Actis docetur, Diaconi per orationem & manuum impoſitionem inſtituti ſunt. Horum ordinum tantùm meminerunt ſacræ literæ Creſcente tamen in dies fidelium multitudine, Diaconi ſoli non potuerunt ampliùs miniſteriis Eccleſiaſticis defungi. Paulatim etiam officii Eccleſiaſtici apparatus & pompa crevit, ſplendidiorque & auguſtior facta eſt, ſacrificiumque pluribus cum ceremoniis, cantibus, ſacris Lectionibus, luminaribus, celebrari cœpit; quæ omnia præſtare non poterant ſoli Diaconi. Quapropter Apoſtoli, quique ipſis ἐφίστατο ſucceſſerunt, varios ſub Diaconis Miniſtros inſtituerunt, Subdiaconos, Acolythos, Lectores, Cantores, Exorciſtas, Poſſores, Janitores, quorum, ut Eccleſiæ Miniſtrorum, mentionem

faciunt antiquiſſimi autores Eccleſiaſtici.

II. Idem in Officiorum apparatu feciſſe mihi videtur Eccleſia, quod facere ſolent, qui ex pauperibus divites fiunt. Quandiu enim in tenui fortuna victitant, ſibi ipſis ancillantur, neceſſaria quæque ipſiſſimi parant ſibi, miniſtrantque. Fortuna pinguiore facta ſervum comparant, atque eo ſolo contenti, per eum ſordida, vilia, honeſta adminiſtrant; ſecundiorem nacti, amplificant familiam, eoque magis quo proſperius res illis cedunt; adeo ut ſi ſpectabiles, illuſtreſque evaſerint, domi ſervorum in varios ordines diſtributorum, quorum alii aliis officiorum dignitate ſubſunt, multitudine abundent, foras verò famulitium ingens ſecum pompaliter trahant, incedantque comitatiſſimi: Ita quoque Eccleſia. Initio Presbyteris, aut Epiſcopis, ſeu Apoſtolis nulli erant miniſtri ſive Diaconi. Creſcente fidelium multitudine, & diteſcente Eccleſia, Diaconos primum ſibi aſciverunt Apoſtoli, quæque agere non poterant, illis commiſerunt, ita ut mos inde inoleverit; Sacerdotes in officiis publicis vix quidquam ſine Diaconis agere. Evadente poſtea Dei Eccleſia in numeroſam plebem, divitiiſque ejus fidilium oblationibus plurimum auctis, Subdiaconos Diaconis allegerunt, cæteroſque jam enumeratos. Verum poſtquam Eccleſia univerſum orbem domuit, Imperatoreſque Chriſti jugo caput ſubmiſerunt, his ſacrorum officiorum Miniſtris & Officialibus non contenta, Pontificum ſuorum majeſtatem plurimis aliis circumfulgere voluit; néve multitudo perturbationem & confuſionem in officio peragendo pareret, alios aliis præeſſe.

III. Ex his duobus principiis emanarunt omnes dignitates Eccleſiaſticæ, quæ ſacris Ordinationibus lapſu temporis ſuperadditæ ſunt, & inſertæ. Cum enim Eccleſia Chriſtiana non modo urbes, verum etiam oppida, pagos, vicos, villas, ad verum Dei cultum convertiſſet, oportuit ingentem eſſe in unaquaque Diœceſi Presbyterorum multitudinem, quæ ſanè ab uno Epiſcopo ſine adminiſtris commodè regi non potuit. Hinc Archipresbyteros, & Chorepiſcopos creari neceſſum fuit, quorum opera & miniſterio Epiſcopi Presbyterorum & inferiorum ordinum turbas per latam Diœceſin diffuſas in officio continerent. Naturæ enim humanæ infirmitas unicuique dictat neminem regendæ maximæ hominum multitudini per varia loca diſperſæ, per ſe ſolum ſufficere. Iethro, ut refertur Exodi 18. Moſen qui ſe ſolum quid ſimile facere ſperabat, rectè monuit, *Stulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium. Solus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea, & conſilia, &c. Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantum judicent, leviuſque ſit tibi partito in alios onere.* Hoc ſemper obſervarunt, obſervantque Reſpublicæ omnes, Reges, & Monarchæ, Chriſtiani, Ethnici, & Barbari.

IV. Huic Eccleſiæ incremento & diſſeminationi per univerſam circumquaque terram, acceſſerunt ſponte ſua, & velut ex natura rei maximæ divitiæ Eccleſiarum Rectoribus & Miniſtris pietate fidelium conceſſæ. Reges quoque & Imperatores Chriſtiani facti, Eccleſias munificentiſſimè fundarunt, eorumque Paſtores liberaliſſimè dotarunt, ut harum divitiarum magnam partem in cultum Dei, Miniſtrorumque ejus alimoniam expenderent. Eos præterea in Conſiliarios ſuos, Aſſeſſores, & Comites aſciverunt, & Purpuratis ſuis æquales, aut etiam Superiores conſtituerunt. His poſitis, rectæ rationi conſentaneum fuit cultum Dei ampliari, ritus, ceremoniaſque multiplicari, ejuſque Miniſtros conſequenter. Deinde æquum non erat, Epiſcopos, Sacrorum Principes, divitiis abundantes, parcè, jejunè, & ignobiliter, ut è vulgo Presbyteri, ſacra myſteria, officiaque divina celebrare. Oportuit ipſis plures Miniſtros ſeu Diaconos adeſſe, ipſiſque Diaconis inferiores Miniſtros inſervire. Hinc Archidiaconi, & Archiſubdiaconi temporis progreſſu nati ſunt. Cum autem bonis mobilibus & immobilibus abundarent Eccleſiæ, creari planè neceſſarium fuit Oeconomos & Defenſores: Oeconomos, qui bonorum omnium curam agerent, annuos redditus conſervarent, eoſque juxta canonum præſcripta diſpenſarent, & adminiſtrationis ſuæ rationem Epiſcopo, Senatuique Eccleſiaſtico exponerent: Defenſores, qui non modo bona Eccleſiaſtica ab hominibus litigioſis, fraudulentis, & rapacibus defenderent, verumetiam perſonas Eccleſiaſticas à potentum injuriis atque inſolentia, aliorumque calumniis & fraudibus.

V. Hinc primum ortæ ſunt quatuor illæ dignitates Eccleſiaſticæ, ipſa neceſſitate velut eas pariente & promovente; ideo omnium ſunt antiquiſſimæ. Ex eadem radice lapſu temporis plures ſuccreverunt. At iis vix aut nulla eſt attributa in Clericos & plebem juriſdictio, ſed inſtitutæ tantum ſunt, ut peculiari alicui muneri & officio præeſſent: Eorum aliquæ puræ putæ ſunt dignitates, quibus honor adnexus eſt, officium nullum. Dignitates nobis explicandas tanti fecerunt nonnullæ Eccleſiæ Orientales, ut cum eas alicui deferrent id facerent inſtar Ordinationum ſacrarum, cum ſolemni conſecratione, cujus ritus ex Euchologiis expreſſos exhibuimus. Quapropter licet potuiſſemus hic ſubſiſtere, & veris ordinationibus fine impoſito colophonem operi noſtro imponere, mihi tamen viſum eſt ſcopo noſtro admodum conſentaneum ſi antiquiſſimas iſtas dignitates quarum antiqua Eccleſiarum monumenta adeo ſæpe meminerunt, quas nonnullæ, ut ordinationes ſacras habent, præcedentibus adjungeremus, earumque more noſtro originem, progreſſum, officium, autoritatem, incrementa quoque & decrementa explicaremus. Illis Chartophylacis dignitatem addidimus, eo quod in Oriente, & antiqua ſit, & ejus miniſterio omnia prope in Patriarchatu ſuo agat Patriarcha Conſtantinopolitanus. Cæteras dignitates, ut novitias, & ad propoſitum noſtrum nullomodo ſpectantes; prætermittimus.

CAP.

CAP. II.

De Archipresbyteris.

Quando primùm instituti sunt, & qua occasione. Græci Archipresbyterum vocant tantùm πρωτοβρεσβύτερον. Archipresbyter apud Latinos multis paræciis præest. Qui antiquitus dicebantur Presbyteri Cardinales. Protopresbyter apud Græcos præsidet tantùm paræciæ suæ Presbyteris. In Sanctuario primas habet. Curia Imperatoris habebat suum Archipresbyterum seu Protopapam. Romæ tres tantùm Archipresbyteri, olim plures. Quæ fuerit olim, & quæ nunc, Archipresbyteris apud Latinos jurisdictio, Archipresbyter dictus parochialis omnium Sacerdos. Archipresbyteri ab antiquo in oppidis constituti, dictique Decani. Quæ fuerit illis tributa jurisdictio. Etiam nunc in quibusdam locis Archipresbyteri præcedunt Archidiaconos.

I. DE Archipresbyteris verba facturi sex capita potissimum explicabimus. Primum quando & qua potissimum occasione instituti sunt. Deinde Græcos, etsi verborum pompam ament, simpliciore tamen vocabulo eos significare quàm Latinos. Tertium, alio sensu Latinis dici Archipresbyteros, alio Græcis. Quartum, aperiemus quæ sint Græcorum Archipresbyterorum, hoc est, Protopaparum & Protopresbyterorum officia, quæ jurisdictio. Quintum, quæ Archipresbyterorum Latinorum antiquissima, quæ recentior. Denique duplices fuisse antiquitus Latinis Archipresbyteros, Urbicos & Vicanos, & qua ratione hi ab illis distinguerentur.

II. Archipresbyterorum mentio primum occurrit in Concilio Carthaginensi IV. ita tamen ut eorum institutio longè videatur antiquior. Sic Patres c. 17. *Episcopus gubernationem Viduarum, & Pupillorum, ac Peregrinorum, non per seipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat.* Longo post tempore ad instar aliarum Provinciarum videntur primum instituti in Emeritensi Provincia: Ita enim c. 10. *Sancimus, &c. ut singuli nostrum in Cathedralibus nostris Ecclesiis Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum habere debeamus.* Prima instituendi Archipresbyteri occasio hinc orta videtur. Nascente in aliqua urbe Ecclesia, Unus Presbyter cum uno Diacono regendæ Ecclesiæ sufficiebat: Verum multiplicata plebe, non uno tantum Presbytero, sed pluribus opus fuit, & tanto pluribus quanto magis plebis multitudo crevit. Cum igitur amplæ urbis maxima pars religionem Christianam amplexa fuisset, multos ibi creari Presbyteros necesse fuit, & consequenter eorum aliquem principem locum tenere. Primis illis temporibus principatus ille, ut mihi fit probabile, ab ordinationis antiquitate petebatur, primusque erat qui ordinatione Presbyterali cæteros antecedebat. Ideo apud antiquos autores non leguntur Archipresbyteri, ut nec Archiepiscopi. Imo prohibuerunt olim Africani Episcopi ne quis apud eos Princeps Episcoporum diceretur, sed tantùm Primas, & c. Apostolico 33. Metropolita seu Archiepiscopus dicitur tantùm primus Episcopus, *Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum qui in eis est primus, & existimare ut caput; & nihil facere quod sit arduum, aut magni momenti præter illius sententiam.* Simplicior erat antiquissimorum Patrum nostrorum autoritas.

III. Pullulante tamen Ecclesia, & radices, palmitesque per agros & vicos diffundente, Archipresbyteris opus fuit, qui non modo Presbyterorum urbicorum, sed etiam rusticorum curam gererent. Satis tum non fuit aliquem Presbyterum honore & consessu aliis præferri. Necesse fuit unum cæteris præfici, & solicitudinem Episcopalem cum autoritate sublevare. Multiplicatis enim per varias Diœcesis Paræcias Presbyteris difficile fuit Episcopis solis tot Presbyterorum & Paræciarum solicitudinem habere. Itaque unum cæteris præposuerunt, qui iis invigilaret, leviora quæque corrigeret, & de difficilioribus ad Episcopum referret. Quando & ubi Archipresbyteri primum instituti fuerint, difficile dictu, quum antiquiora monumenta Ecclesiastica quæ de iis mentionem faciunt, eos nobis perhibeant jam institutos, & in Ecclesia celebres.

IV. Græci qui linguæ suæ elegantia & molli flexu abutentes, verbis phaleratis & pomposis plurimum gaudent, hac tamen in causa simpliciore verbo quàm Latini usi sunt. Archipresbyteros enim suos tantum primos Presbyteros vocant, quos una voce elegantius quàm Latinè efferunt, πρωτοβρεσβυτέρους, πρωτεπιστάτας, ἢ πρωτοπαπάς. In Concilio adversus Sanctum Chrysostomum coacto Juris Orientalis l. 9. p. 557. Arsacius qui S. Chrysostomo successit, dicitur πρωτοβρεσβύτερος. Concilii Chalcedon. action. 10. Libanius quidem dicitur quoque πρωτοβρεσβύτερος. In Euchologiis dicuntur duo Presbyteri, ὁ πρῶτος, ἢ ὁ δεύτερος Presbyterum ordinandum assumere, & Episcopo præsentare. In Euchologio Allatiano exhibetur consecratio πρωτοβρεσβυτέρου, nunquam Archipresbyteri. Nunc apud Græcos vulgarius est, & populari sermone multò magis tritum, Protopapæ nomen quàm πρωτοβρεσβυτέρου, aut πρωτοπαπᾶ.

V. In primis autem Lectori animadvertendum est, quod nobis tertio loco enarrandum proposuimus, non omnes Presbyteros qui multis Presbyteris præsunt, Latinis Archipresbyteros vocari, sed eos tantum qui variis Presbyteris in variis Paræciis præponuntur. Qui multis Presbyteris in eadem Paræcia præsunt, Paræci sive Parochi, Pastores, Rectores, seu Curiones, dicuntur, Romæ & aliis locis dicebantur olim Presbyteri Cardinales. Ita quoque Diaconi Cardinales, qui in eadem

eadem Ecclesia cæteris Diaconis præerant. S. Gregorius multis locis hoc nomen in ea significatione usurpat. Epist. l. 3. Indict. 12. ep. 14. & lib. 2. Indict. 11. Ep. 13. 14. & Indict. 10. Ep. 6. 25. Joannes Diaconus in ejus vita l. 3. c. 8. 10. 15. 16. 19. 21. Eo sensu Cardinalis nomen sumit Zacharias Papa ep. 7. ad Pipinum Regem & Francorum Episcopos, cap. 1. & 4. *De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus*, atque item c. 15. Concilium Meldense c. 54. constituit, *ut titulos Cardinales in Urbibus vel Suburbiis constituti Episcopi canonicè, &c. ordinent & disponant.* Flodoard. l. 3. historiæ Remensis c. 21. versus med. & l. 4. c. 6. post medium; Denique Adrianus II. Epist. 2. tom. 3. Concil. Galliæ. Hinc etiam in locis citatis aliquando occurrit, *Ecclesiæ incardinare, Ecclesiæ incardinatus*, pro, Presbyterum in Ecclesiæ cardine instituere, in Ecclesiæ cardine institutus: atque etiam generalius, pro, instituere, præficere. S. Gregorius nonnunquam hæc nomina usurpat de Episcopis qui à sede sua expulsi sunt, & in vacantem forte fortuna sedem à Metropolita ad tempus ordinantur, ut in ea functiones omnes Episcopales, ut veri Pastores exerceant, quos dicit Ecclesiæ incardinari, & in ea Ecclesia Cardinales constitui Episcopos. In eadem significatione usus est hac dictione Adrianus II. loco citato. Sed hoc dimisso, ne materiæ à scopo alienæ diutius incumbamus, Archipresbyteri non dicuntur Parochi seu Paræciarum Rectores, Plebani, seu Presbyteri Cardinales, qui regunt Paræcias suas, & præsunt Presbyteris, si forte contingat plures in iis incardinari; sed ii qui ejusmodi Parochis, Rectoribus, & Cardinalibus præponuntur.

VI. Alia est apud Græcos consuetudo: Nam eorum Protopapæ & Protopresbyteri nihil aliud sunt quàm nostrates Parochi, & iis tantum præsunt Presbyteris qui degunt intra Paræciæ suæ limites. Ideo Codinus, & Notitiæ Officiorum Ecclesiasticorum, eos inter postremos Ecclesiæ Ministros recensent, & illis prærogativas tantum in Sanctuario, & sacris officiis deferunt. Antiqua Notitia *Protopapas celebrante Pontifice super sinistri chori officiis constituitur. Dat Episcopo sanctam communionem, & similiter Protopapa Episcopus, & in Ecclesia primas in omnibus obtinet.* Nonnulla alia ex Notitiis aliis in adnotationibus nostris ad ordinationes Græcas supra retulimus adnot. 22. quæ est in Protopapæ dictionem. Turcogræciæ p. 218. Theodosius quidam autor Græcus Protopapam atque ejus Vicarium sic breviter describit, *ὁ μὲν πρωτοπαπᾶς, πρῶτος τῶν ἱερέων, ὁ δὲ δεύτερος, μετὰ τὸν πρωτοπαπᾶν ὀφφίκιον, Protopapas quidem primus est Sacerdotum: Qui verò secundas obtinet, officium est post Protopapam.* Habebat quoque Imperator Græcus in Comitatu suo Protopapam Clero Comitatus Præfectum, ut testatur Codinus c. 17. Hoc sanè ab antiquo. Zonaras enim in Nicephoro II. qui imperabat circiter annum 964. mentionem facit cujusdam Styliani, Palatii Protopapæ. Cedrenus quoque in Constantino VIII. qui ante illud tempus regnavit, refert Protopapam palatii cum venerandis lignis ante exercitum procedere jussum. Cum ea ætate, & nomen & officium idem Protopapæ in Palatio usurpata fuerint, certum est argumentum idem longè antea in Ecclesia viguisse, cum nemini dubium esse possit hunc morem ab Ecclesia in palatium derivatum esse. In terris Reipublicæ Venetorum subjectis Protopaparum autoritas magis diffunditur, & ad antiquorum Archipresbyterorum Jurisdictionem propius accedit, favente huic jurisdictioni Republica, ut ad exteros minus frequens sit religionis causa recursus.

VII. Romæ tres sunt Archipresbyteratus tribus Ecclesiis Patriarchalibus Basilicæ scilicet Lateranensi, Basilicæ Sanct. Petri in Vaticano, & Basilicæ Sanct. Mariæ Majoris attributi, qui ab aliquot seculis, Cardinalibus tantum conferri solent. A Bonifacio VIII. qui regulares Canonicos S. Joannis Lateranensis in seculares commutavit, inquit Octavius Pancirola in libro Italico de thesauris absconditis almæ urbis Romæ, omnes Archipresbyteri Lateranenses fuere Cardinales. Ante Bonifacium VIII. Jacobus Columna Cardinalis erat Sanct. Mariæ Majoris Archipresbyter, ut idem refert Pancirola. Antiquitus præter istos alii erant. In Synodo prima Romana sub Symmacho subscribit Cœlius Laurentius Archipresbyter S. Praxedis. In Synodo Romana sub Leone IV. subscribit Romanus Archipresbyter tituli S. Pudentianæ: Et in Synodo Romana sub Adriano II. relata in VIII. Synodo generali act. 7. commemoratur Georgius Archipresbyter tituli Sanct. Laurentii in Lucina. In Synodo generali VII. Petrus Archipresbyter Sancti Petri Legatus est Pontificis.

VIII. Superest nunc ut quæ monumenta Ecclesiastica de antiqua & recentiore Archipresbyterorum Latinorum jurisdictione, muniis, & officiis nos docent, exponamus. Jurisdictionem pro locorum & temporum varietate variam esse, modo restringi, modo ampliari, aliquando prope extingui, præscriptione quoque augeri vel minui, nemini dubium est. Quæ fuerit antiquitus Archipresbyterorum jurisdictio ex antiquis canonibus qui supersunt, aliquomodo potest adumbrari. Concilium Aquisgran. II. c. 4. Archipresbyteros & Archidiaconos vocat Episcoporum Ministros. Capitulare verò 3. Ludovici Imperatoris, quod extat p. 463. tom. 2. Concil. Galliæ eosdem vocat c. 5. Adjutores ministerii Episcopalis. Ex quibus verbis colligitur eos magna per Diœcesim autoritate gaudere. Concilia quæ sequuntur *κατὰ μέρος* in qua consistat, explicat. Concil. Carthagin. jam citatum docet eos curam & administrationem gessisse Viduarum, Pupillorum, & Peregrinorum. Concil. Epaun. c. 8. visitandi Diœcesim dat illis autoritatem, & de Ecclesiæ bonis ipsius nomine disponendi, *Archipresbyter dum Diœcesim tenet, de his quæ emerit, aut Ecclesiæ nomine Scripturam faciat, aut ab ejus quam tenet, Ecclesiæ ordinatione discedat.* In Presbyteros, Diaconos, & inferiores Clericos jus dicebat, & eos poenis coercebat, Turon. Concil. II, c. 20.

Illi

Illi verò Archipresbyteri qui talem cautelam ſuper Juniores ſuos habere noluerint, & non eos habuerint ſtudio diſtringendi, ab Epiſcopo ſuo in civitate retrudantur in cellam, ibique menſe integro panem cum aqua manducent, & Pœnitentiam pro ſibi credito Clero agant, &c. Inter juniores autem illo canone Presbyteri recenſentur. Laici eos plurimùm colere tenebantur: Si quid agebant contrà, ſeverè plectebantur, Concil. Antiſiodor. c. 44 *Si quis exſecularibus inſtitutionem aut commonitionem Archipresbyteri ſui contumacia faciente audire diſtulerit, tamdiu à liminibus ſanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere diſtulerit. Inſuper & multam, quam Rex præcepto ſuo inſtituit, ſuſtineat.* Huc etiam referri poteſt c. 5. Concilii Ticin. ſub Ludovico II. Canonicos regere ſolebant Epiſcopi per Archipresbyteros, ut videre eſt regulæ Chrodogangi c. 8. Ideo forſan dixit Walfridus Strabo c. ultimo libri de rebus Eccleſiaſticis, *Sunt etiam Archipresbyteri, in Epiſcopiis Canonicorum curam gerentes.* Concilium Nannetenſe c. 11. dicit, velut ex antiqua conſuetudine, eorum eſſe ordinandos Epiſcopo præſentare. *Epiſcopus quando Ordinationem facere diſponit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feriâ quartâ ante ipſam ordinationem evocandi ſunt ad civitatem, una cum Archipresbyteris, qui eos præſentare debent.* Referunt eundem can. Ivo p. 6. c. 21. Gratian. diſt. 24. c. *Quando Epiſcopus.* Cum tanta eſſet Archipresbyteri autoritas Concilium Turon. 2. c. 7. ſeverè prohibet Epiſcopo ne eum ab officio deponat *ſive omnium ſuorum Compresbyterorum & Abbatum conſilio.*

IX. In Decretalibus Gregorii IX. titulo de officio Archipresbyteri, nonnulla alia munera illis tribuuntur, aut eadem evidentius enuntiantur: Ad officium Archipresbyteri pertinere dicitur, *ſuper omnes Presbyteros in ordine Presbyterali poſitos curam agere animarum, & aſſiduè in Eccleſia ſtare, & in Epiſcopi ſui abſentia ad vicem ejus Miſſarum ſolemnia celebrare, & Collectam dicere; diligenti cura providere miniſterium Sacerdotum Cardinalium, qui ſolemne debent agere officium, ne aliquando cedant aut ſcurrilitate torpeant. Si Epiſcopus deſuerit, providere cuncta quæ in Sacerdotum miniſterio perfici debent, fontes benedicere, infirmum oleo perungere, Pœnitentem infirmum conſulto Epiſcopo reconciliare, Pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere.* Denique non malè à recentioribus nonnullis Autoribus dicitur poſt Epiſcopum parochialis omnium Sacerdos, quantum attinet ad Sacramentorum adminiſtrationem. Ea enim officia illo titulo ei tribuuntur, quæ hanc prærogativam evidenter demonſtrant. Cui etiam conveniunt ea quæ can. 6. antiqui Concilii Regiaticini de Archipresbyterorum officio conſtituuntur. Sed eorum magna pars jam à longo tempore deſuevit, & vix olim obſervata eſt. Quidquid ſit Juriſdictiones ejuſmodi conſuetudine ampliantur aut minuuntur; tantumque poteſt quilibet, quantum conſuetudine ſibi conſervavit, aut acquiſivit: Nec conſuetudo unius aut plurium locorum præjudicium infert conſuetudini alterius loci. Qui de conſuetudine hodierna, & Doctorum neotericorum dictatis in Archipresbyterorum juriſdictionem plura ſcire avet, legat Auguſtinum Barboſam de canonicis & dignitatibus Eccleſiaſticis c. 6. deprehendet in eo quod curioſitatem expleat.

X. Denique Archipresbyteri non tantùm in civitatibus inſtituebantur, ſed etiam in oppidis, & majoribus vicis, ut colligitur ex Concilio Ravennatenſi ſub Joann. IX. ſecundæ partis c. 12. & refertur extra eodem loco, c. *ut ſingulæ.* Et multis ſeculis ante Joann. IX. Concilium Turon. II. c. 20. Archipresbyteros Vicanos commemorat. De iiſdem videtur loqui canon, *Si in plebibus, diſt.* 63. Rurales illi Archipresbyteri dicuntur etiam Decani, ut teſtatur Innocentius III. extra de offic. Archidiacon. c. *Ad hæc*: Et longè ante Innocentium idem docuerat Concilium Agath. ut refertur diſt. 50, c. 64. & à Burchardo lib. 19. c. 26. & Ivone Decreti p. 15. c. 45. Archipresbyteri dicti videntur Decani, eo quod antiquitus Diœceſes erant per Decanias diviſæ, quibus præerant Archipresbyteri, ut videre eſt in Capitul. Caroli Calvi c. 3. tom. 3. Concil. Galliæ. Iſtiuſmodi Archipresbyteris Concilium Ravennatenſe videtur tantum inſpectionem & obſervationem morum, admonitionemque tribuere, defectûſque obſervati ad Epiſcopum relationem, non autem correctionem & coercitionem, *Propter aſſiduam erga populi Dei curam ſingulis plebibus Archipresbyteros præeſſe volumus. Qui non ſolum imperiti vulgi ſollicitudinem gerant, verumetiam eorum Presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumſpectione cuſtodiant, & qua unuſquiſque induſtria divinum opus exerceat Epiſcopo ſuo renuntient. Nec obtendat Epiſcopus, non egere plebem Archipresbytero, quod ipſe eam per ſe gubernare valeat. Quia etſi valde idoneus eſt, decet tamen ut partiatur onera ſua: Et ſicut ipſe matrici præeſt; ita Presbyteri præſunt plebibus, &c. Cuncta tamen ad Epiſcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præſumant.* Hic canon integer deſumptus eſt verbum è verbo ex can. 13. Concilii Regiaticini, quod an. 850. ſcribitur celebratum. Nunc contra ordinem antiquum Archipresbyteri ſubſunt Archidiacono: Quando, quâve de cauſa hoc contigit capite ſequente referemus. Antiquus tamen mos in quibuſdam Eccleſiis perſeveravit, ut Paduæ & Taurini, ubi Archipresbyteri Archidiaconos præcedunt. Jure equidem, & merito: Archipresbyter enim dicitur ſummus Presbyter, ut interpretatur Honorius in Gemma Animæ c. 182.

CAPUT III.

De Archidiaconis.

Archidiaconorum quando primum mentio apud Latinos. Frequens eſt & Antiqua apud Græcos. Dicitur & πρωτοδιάκονος. Quæ fuerit olim, & quæ nunc Archidiaconorum juriſdictio. Quæ officia intra & extra Eccleſiam. Apud Græcos nunc & ab aliquot ſeculis nulla eſt Archidiaconis juriſdictio. Ad Chartophylacem devoluta eſt. Tria enarrantur in quibus tamen apud Græcos præfertur ſummis dignitatibus. Diaconorum ambitio Presbyteris dominandi à multis Conciliis repreſſa; ab Hieronymo quoque & Auguſtino. Ambitionis Diaconicæ occaſio. Spuria periodus Epiſtolæ aſſuta autoritatis Archidiac. in Presbyteros occaſio. Quando Epiſcopi quidam Cardinales dici cæpere. Quando cæteris Epiſcopis præferri, & qua occaſione. Quando Presbyteri Cardinales & Diaconi Epiſcopis, &c. Permutandorum titulorum quæ illis occaſio fuit. Romæ & Conſtantinopoli ab aliquot ſeculis nulli Archidiaconi. Quæ hujus rei occaſio.

I. ARchidiaconorum inſtitutio eadem ratione, & iiſdem de cauſis cœpit, quibus & Archipresbyterorum. Qui priores fuere, difficile dictu eſt. Nihil enim de hoc ex antiquis monumentis Eccleſiaſticis conjici poteſt. Archidiaconorum ut jam vulgo inſtitutorum mentio ſæpius habetur in Concilio Carthaginenſi quarto. Optatus lib. 1. Cæcilianum qui furente Diocletiani perſecutione Epiſcopus creatus eſt, Archidiaconum appellat, *Cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet*, &c. Eum Archidiaconum vocavit ex conſuetudine quæ ſuo tempore jam invaluerat, primum Diaconum appellandi Archidiaconum: Aliàs enim eum ſemper Diaconum appellat; & ita ſemper vocatur in exſcriptione actuum proconſularium juſſu Conſtantini Auguſti facta in retractatione Cauſæ Donatiſtarum de traditoribus Deificorum codicum, quos Petrus Pithœus in lucem edidit. Idem dicendum de Pontificali Damaſi cum ſcribit Cornelium & Lucium Pontifices ad Martyrium petitos Eccleſiæ bona Stephano Archidiacono tradidiſſe. S. Hieronymus in Ep. ad Euagrium dignitatis Archidiaconicæ, ut ſuo tempore ordinariæ mentionem facit: Sic Toletan. Concil. I. c. 20. Agath. c. 20. 23. Emerit. c. 10. Antiſiodor c. 6 20. 43. Bracar. I. c. 5. Iſidor. l 2. de divinis officiis c. 10. & poſt hos Latini innumeri.

II. Frequens etiam fuit hæc dignitas apud Græcos in majoribus potiſſimum Eccleſiis. Initio actionum Concil. Chalcedon. recenſetur Photinus Archidiaconus vices agens Theoctiſti Epiſcopi. Et initio action. 2. Photinus alter Archidiaconus vices agens Dorothei Neocæſarienſis Epiſcopi. Et action. 1. poſt hunc titulum, *Epheſi acta*, commemoratur Ætius Archidiaconus regiæ Conſtantinopolis, & præterea Primicerius Notariorum. Actionis ſextæ initio Porphyrius Archidiaconus ſubſignat, vices agens Uranii Emiſeni Epiſcopi. Hormiſdas Papa Epiſt. ſuam 30. ſcribit ad Theodoſium Archidiaconum CP. & Veranius apud Dardanos Epiſcopus ad Gelaſium I. per Archidiaconum, ut videre eſt tom. 1. Epiſtol. Pontificum. Sozomenus lib. 7. c. 19. hiſtoriæ varias Eccleſiarum conſuetudines enarrans, ſcribit Alexandriæ ſolum Archidiaconum legere Euangeliorum codicem, in aliis Eccleſiis Diaconum. Mentionem quoque Archidiaconi ſui facit S. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Innocentium Papam, & Innocentius Epiſt. 27. aliàs 22. Vitalis Archidiaconi Græci, qui ab Epiſcopis Macedoniæ ad ipſum literas attulerat. Probabile eſt Archidiaconum à Græcis primò vocatum eſſe πρωτοδιάκονον. Sic vocatur in Concilio adverſus S. Chryſoſtomum convocato, Juris Orientalis lib. 9. eo ſenſu quo πρωτοψάλτας, πρωτοαπόστολους, & πρωτοπαπίδας dixerunt. Utrumque uſurpatur apud S. Gregorium initio lib. 2. Epiſtolar. *Temporibus Papæ Gregorii, Conſulatus Mauricii Auguſti anno 7. depoſitus eſt Laurentius, qui primus fuerat in ordine Diaconi ſedis Apoſtolicæ, propter ſuperbiam & mala ſua quæ tacenda duximus. Et factus eſt Archidiaconus Honoratus coram omnibus Presbyteris, & Diaconibus, Notariiſque, & Subdiaconibus*, &c. Primus Diaconus eſt Archidiaconus. Ita quoque aliquando Diaconus abſolutè poſitus, eſt Archidiaconus, ut lib. 1. Epiſtol. 10. S. Gregorius inſcribit Epiſtolam Honorato Diacono Salonitano, in fine tamen eum vocat Archidiaconum.

III. Archidiaconorum varia ſunt ſub Epiſcopis officia: Ideo non abs re in tertio Capitul. Ludovici Imperatoris tom. 2. Concil. Galliæ, Miniſterii Epiſcopalis dicuntur Coadjutores. Primùm in ſacris Ordinationibus celebrandis quæ deſcribuntur in Conc. Carthag. IV. c. 5. 6. 9. quæ etiam colligi poſſunt ex libellis ritualibus Ordinationum quos edidimus. Varia quoque ſunt illius officia in reconciliatione publica Pœnitentium, quæ legere eſt in Pontificali, & in antiquo ordine Romano. Cum Epiſcopi & Pontifices Miſſas ſolemniter celebrant, ceremoniarum magna pars ad ipſos ſpectat, ut legere eſt Ordinis Romani quatuor primis capitibus, in quibus ceremoniæ antiquitus à Pontifice, & Epiſcopis obſervari ſolitæ deſcribuntur. Viduarum, Pupillorum & Peregrinorum cura illis ſicut Archipresbyteris competebat ex ſtatuto Conc. IV. Carthag. Cum Archipresbyteris quoque bona Eccleſiæ temporalia adminiſtrabant, & adminiſtrationis rationem Epiſcopo reddebant, ex Conc. Bracar. I. c. 7. Curabant cæterorum Clericorum in veſtibus & oris habitu modeſtiam; ideo jubentur à Conc. Agath. c. 20. Clericorum comam indecoram, etiam invitorum, detondere. Paroeciarum Rectores ab iis chriſma

chrisma quotannis petebant, Antisiod. c. 6. Cum in Concilio solemnis aliqua oratio erat habenda, more solito præmonebat, *Orate*, Concil. Tolet. IV. c. 4. Si quis Clericus aut Laicus ad Concil. provocabat, provocationem suam Archidiacono Metropolitano denuntiabat, ille verò Concilio, cujus opera ad Concil. causam acturus admittebatur: Ibid. Diaconos excommunicat, Concil. Chalced. act. 10. Clericos Parochiarum in Potentum domibus constitutarum curabant, & corrigebant, Aurelian. IV. c. 26

IV. Plurima Archidiaconi officia simul complectitur S. Isidorus Hispalensis Episcopus in Epist. ad Leudefredum Cordubensem Episcopum: Ideo quæ Archidiaconum spectant huc transferemus prout eam Garsias ad finem Conc. Toletani VIII. ex antiquo codice descripsit, *Archidiaconus imperat Subdiaconibus & Levitis, ad quem ista ministeria pertinent. Ordinatio vestiendi altaris à Levitis; cura incensi, & Sacrificii deferendi ad altare; cura Subdiaconorum de subinferendis ad altare in sacrificio necessariis: solicitudo, quis Levitarum Apostolum & Evangelium legat, quis preces dicat, seu responsorium in Dominicis diebus, aut solemnitatum: Solicitudo quoque Parochitanorum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam. Pro reparandis dioecesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: Ipse inquirit Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta vel res Basilicarum parochitanarum, gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias idem distribuit. Ab Archidiacono nunciatur Episcopo excessus Diaconorum. Ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario jejuniorum dies, atque solemnitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia praedicatur.* Denique omnia quæ de Diaconorum officiis dicta sunt, si magna cum solemnitate exequenda sunt, Archidiaconus exequitur.

V. Non est hic negligenda autoritas qua ante octingentos annos potiebantur, cujus mentionem facit Hincmarus in Capitulis suis quæ in fine tom. 3. Concil. Galliæ inserta sunt. Electio Decanorum ruralium ad eos potissimum spectabat, quam tamen Hincmarus eodem loco multis modis restringit. En Cap. 5. parag. 13. in quo ista commemorantur. *Si Decanus in ministerio vestro, aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit; vel aliquis eorum obierit, non inconsideratè Decanum elegite. Et si ego in propinquo sum, ad me illam electionem referte. Et si ego in longinquo sum, Decanum illum qui electus est, interim constituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, ut mea constitutione, aut confirmetur, aut immutetur.*

VI. In jure Decretalium lib. 1. Titulo 23. qui est de officio Archidiaconi, vix aliquid inseritur, quod præcedentibus non contineatur, ut de Visitatione Parœciarum singulis trienniis, de Abbatum & Abbatissarum in sede solemni collocatione: De jurisdictione in eorum Monasteria ipsis deneganda, nisi eam legitimè præscripserint; de missione Donatorum beneficiis in possessionem beneficii, & si quid aliud. Hæc autem omnia intelligenda sunt pro ratione consuetudinis legitimè præscriptæ. Ideo horum permulta jam ubique obsoleverunt; alia quibusdam tantùm in locis, ibique alii mores inducti. Itaque idem de Archidiaconorum jurisdictione nunc dicendum, quod de Archipresbyterorum diximus, Consuetudinem quæ in regione sua invaluit, esse sequendam. De hodierna consuetudine, & de ea scribentibus plura Barbosa cap. 5. de Canonicis & dignitatibus.

VII. Apud posteriores Græcos res omnino sese aliter habet. Licet enim apud eos vigeant Archidiaconi, omni tamen jurisdictione extra Sanctuarium & sacra officia spoliati sunt. Ea tota ad Chartophylacem & alios Exocatacœlos delata est. Hinc apud eos vulgatum est Archidiaconatum non esse dignitatem ἀρχοντίκιον, principatum, sed officium; cui etiam adjungunt ab ipso secundum. Antiquæ officiorum notitiæ, ἰσθέον γὰρ ὅτι ὁ ἀρχιδιάκονος, καὶ ὁ δεύτερος τῶν διακόνων, τάξεις οὐκ εἰσὶν ἀρχοντικαὶ, ἀλλὰ ὀφφίκια εἰσὶ μόνον. *Sciendum quod Archidiaconus, & secundus Diaconorum, non sunt dignitates & principatus, sed officia tantum.* Idem Joannes Episcopus Citri in responsis ad Constantinum Cabasilam Dyrrachii Archiepiscopum. Interrogaverat eum Cabasilas, cujus ordinis & gradus esset Archidiaconicum officium an præcelleret omnibus Diaconis ut Archidiaconus, & unus è numero Dignitatum Ecclesiasticarum, & an omnibus præferretur in sacrorum mysteriorum perceptione? Respondet Archidiaconicum officium non esse ἀρχοντίκιον dignitatem, nec ex ambitione Pontificali pendere, sed esse laboris multo tempore defudati compensationem. Deinde Archidiaconum omnibus Diaconis, sive sint in dignitatibus constituti, sive non, in tribus præferri, in Ecclesia, in altari, & in divinorum mysteriorum participatione. Similiter antiqua notitia, *Archidiaconus præ cæteris omnibus officiis honoratur, in templo, in sancto altari, & in sanctorum mysteriorum participatione.* In his tribus Chartophylaci, & cæteris Exocatacœlis Archidiaconi præferuntur: sed in regimine Diœcesis, cæterisque ad illud spectantibus, nullam habent autoritatem. Ideo nullum aliud illi officium assignatur quàm in Ecclesia & in altari. Antiquæ duæ notitiæ: *Magnus Archidiaconus, & secundus Diaconorum sunt officia. Archidiaconus quidem celebrante Pontifice dicit Evangelium: Si dicere noluerit, alius quem ipse miserit. Secundus Diaconorum absente ab Ecclesia Archidiacono, ipsius locum tenet.* Cætera quæ posteriores Græci Archidiaconis tribuere solent, sunt ejusdem generis.

VIII. Non mihi videtur leviter prætereundus mos hodiernus qui ab aliquot seculis invaluit, quo Archidiaconi præponuntur non modo Presbyteris, sed & Archipresbyteris. Ita in jure præcipitur extra de off. Archidiaconi c. Ad hæc, *Archipresbyteri, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus* (Archidiaconi) *jurisdictioni se noverint subjacere.* Gratianus ante Innocentium III. idem retulerat ex Sanct. Isidoro in decretum distinct. 25. *Archipresbyter verò se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, scirat obedire; & quod specialiter ad ejus ministerium pertinet, supra omnes Presbyteros in ordine positos curam agere.* Mos iste

tum insolens tandem ubique obtinuit, & in consuetudinem canonicam degeneravit, vixque Ecclesia reperitur quæ antiquum morem observet. Refert Augustinus Barbosa, ubi supra, post Alexandrum consilio 142. n. 6. ut quid longè extraordinarium, & juri canonico adversum, Archipresbyterum in Ecclesia Paduensi & Taurinensi Archidiacono præponi, cum tamen hæc observatio sit antiqui moris nondum penitus abrogati superstes monumentum.

IX. Multis seculis hanc aut similem supra Presbyteros præstantiam ambiverunt Diaconi, semperque Conciliorum & Pontificum autoritate fuerunt repressi, sed tandem hoc obtinuerunt. Cum autem consuetudo ista semel invaluit, ex ea orta est alia longè magis ab antiqua recedens, ut non modo Diaconi, verumetiam Subdiaconi, & omnis gradus Clerici, non modo Presbyteris & Archipresbyteris, sed & Episcopis & Archiepiscopis facile data levi occasione summorum Pontificum indulgentia præponantur. Inhiantes huic honori Diaconos primum coercuit & in ordinem redegit Concilium Nicæn. c. 14. Laodicæn c. 24. Concil. Carthaginense IV. c. 37. & sequentibus, Agath. c. 65. Arelat. I. c. 14. Andegau. c. 2. *Ut Diaconi Presbyteris noverint cum omni humilitate deferendum esse.* Gelasius I. Pontifex epist. IX. *Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus. Nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas, &c. Non in Presbyterio residere cum divina celebrantur, aut Ecclesiasticus quicunque habetur tractatus.*

X. Tot Ecclesiasticæ constitutiones ambitionem Diaconicam frænare non potuerunt. Lapsu temporis non modo *πρωτοκαθεδρίαν* in Presbyteros usurpavit, sed etiam jurisdictionem. Huic insolentiæ obviam iverunt Concilia, præsertim Gallicana: Parisiense sub Ludovico & Lothario c. 25. *Non solum rumore, sed etiam evidentibus factis comperimus quorundam Episcoporum Ministros; non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus Parochiæ avaritiam potius exercere, quam utilitati Ecclesiasticæ dignitatis inservire, &c.* Postquam Concilium hoc scelus detestatum est, istorum Ministrorum avaritiam coercere jubet Episcopos: *Communi consensu statuimus, ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeant; quoniam propter eorum avaritiam, & morum improbitatem multi scandalizantur, & ministerium Sacerdotale vituperatur, & in Ecclesiis à Sacerdotibus multa propter eos negliguntur*, sic & Aquis. gran. II. c. 4.

XI. Adversus eandem Archidiaconorum in Presbyteros dominationem acriter invehitur Concil. Cabillon. II. c. 15. *Dictum est quod in plerisque locis Archidiaconi super Presbyteros Parochianos quandam exerceant dominationem, & ab eis census exigant, quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet, &c.* Refertur in Decreto dist. 94. cum hoc titulo, *Archidiaconi super Presbyteros jurisdictionem non exerceant.* Diligenter Archidiaconos suos admonebat Hincmarus, Ne Parochias circumeuntes Presbyteros gravarent, neve quid tale facerent, multis constitutionibus cavebat, quas videre est tom. 3. Concil. Galliæ p. 642. 643. Hæc juxta constitutiones Apostolicas l. 8. c. 28. in quibus dicitur *Presbyter excommunicare eos quos habet infra se, si hujusmodi pœna teneantur; Diaconus verò excommunicare Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem, & Diaconissam, absente Presbytero, si hoc opus sit.* Hoc jure dicitur in Concilio Chalcedonensi act. 10. Maras Diaconus ab Archidiacono excommunicatus.

XII. Insolentia ejusmodi cujusdam Diaconi audita, exhorruit S. Hieronymus, ut ipse testatur in Epistola ad Euagrium, *Legimus*, inquit, *in Esaia satuus satua loquetur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam ut Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros quos & Episcopos, quis patiatur Mensarum & Viduarum Minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.* Multa alia in eandem sententiam congerit, quæ alibi retulimus.

XIII. In eandem sententiam non minus acriter invehitur Sanctus Augustinus, seu autor quæstionum in utrumque Testamentum, qui S. Augustino paulò antiquior fuit, *Quidam qui nomen habet Fulcidii*, inquit, quæstione 101. *duce stultitia, & civitatis Romanæ jactantia, Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare contendit: Non dicam præferre, quia stultum est, & forte incredibile videtur, ut nos non emendatores, sed calumniatores habeamur.* Istius æqualitatis absurditatem multis exemplis & rationibus Hieronymus, & Augustinus demonstrant. Conc. Tolet. IV. Patres c. 39. hanc insolentiam non minus exhorrent, *Nonnulli Diaconi in tantam erumpunt superbiam, ut sese Presbyteris anteponant; atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, Presbyteris in secundo constitutis. Ergo ut sublimiores se Presbyteros agnoscant, tam hi quàm illi in utroque choro consistant.*

XIV. Istius Diaconorum insolentiæ duas causas explicant, SS. Hieronymus & Augustinus, aut Augustino attributum opusc. S. Hieronymus causam refert in Diaconorum paucitatem, Presbyterorum verò multitudinem, *Quid paucitatem, de qua orium est supercilium in leges Ecclesia vindicat? Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.* Hieronymus & Augustinus de Diaconis Romanis potissimum agunt. Innumeri erant Romæ Presbyteri; Diaconi verò ex antiqua consuetudine tantùm septem, cum in aliis majoribus civitatibus plures essent Diaconi quàm Presbyteri. Verbi gratia actione 10. Concil. Chalcedon. Clerus Edessenus libellum supplicem offert, cui subscribunt 15. Presbyteri, Diaconi 38. Supra ex Imperatore Justiniano relatum est Clerum majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ definitum fuisse Presbyterorum 60. Diaconorum masculorum 100. fœminarum 40. &c. De cæteris Ecclesiis par ratio.

XV. S. Augustinus ejusdem insolentiæ aliam

aliam cauſam multis exaggerat: *Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe Miniſtros, non conſiderant quid illis à Deo decretum ſit, & quid debeant cuſtodire. Sed tollunt hæc de memoria aſſiduæ ſtationes domeſticæ, & officialitas, quæ per ſuggeſtiones malas ſeu bonas nunc plurimum poteſt. Aut timetur enim ne malè ſuggerant, aut emunitur ut præſtent. Hi ſunt qui faciunt eos ordinis ſui non conſiderare rationem. Dum enim per adulationem obſequuntur illis illicitè, præcipites illos faciunt, ut plus putent ſibi licere; quippe cum videant non ſic deferri Sacerdotibus, ac per hoc anteferri ſe putant.* Diaconi ſemper æſtimati ſunt velut oculi Epiſcopi, ut loquitur autor Epiſtolæ primæ Sanct. Clementi ante octingentos annos attributæ, ut & prioris quæ Euariſti nomen præfert. Hoc officium poſtea Innocentius III. extr. de officio Archidiaconi c. 7. ad Archidiaconos decreto ſuo reſtrinxit: ſed ab ipſa Archidiaconorum inſtitutione multis ante Innocentium ſeculis uſurpabatur, ut hoc capite multis canonibus demonſtratum eſt. Cum igitur tam multiplex Diœceſis adminiſtratio illis eſſet commiſſa, denuntiationiſque jus haberent, Epiſcoporum familiaritatem ſibi conciliarunt, tandemque non modo Eccleſiæ conſuetudine, ſed etiam decreto, in Presbyteros & Archipresbyteros autoritatem & juriſdictionem obtinuerunt.

XVI. Huic rationi quæ plurimùm ſemper potuit, alia acceſſit, quam operæpretium eſt explicare. Citat Gratianus diſt. 25. c. 1. Iſidori Hiſpalenſis jam commemorati Epiſtol. fere integram, cui aſſuta eſt hæc periodus, *Archipresbyter verò ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis ſicut Epiſcopi ſui ſciat obedire, & quod ſpecialiter ad ejus miniſterium pertinet, ſupra omnes Presbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſiduè in Eccleſia ſtare, & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Tota hæc periodus abeſt ab antiquiſſimo manuſcripto Bibliothecæ regiæ Madricenſis, ex quo eam exſcripſit Garcias in notis ad Concil. VIII. Toler. neque reperitur in eadem Epiſt. prout refertur à Burchardo lib. 3. c. 50. & Ivone Panormiæ lib. 3. c. 41. Qui Ivonis decretum edidit, ad ea verba ſic in margine adnotat, *Hæc non habentur in codice regio, ſuſpectaque mihi perpetuò viſa ſunt, quod Archipresbyter ſubdatur Archidiaconis, quod vetuſtum non eſſe in canonibus Conciliorum vel mediocriter verſatus nemo ignorat.* Repugnat præterea hæc periodus officio Archidiaconi ab Iſidoro paulò ante enarrato. Imperium enim illi tantùm tribuitur in cæteros Diaconos, & inferiores Clericos; de Presbyteris nulla mentio: Ubi vero Presbyteri cum Archidiaconis componuntur, commemoratur ſemper Archidiaconus, ut Presbyterorum miniſter, nunquam ut Dominus, velut legenti perſpicuum erit.

XVII. Spurium iſtud additamentum non immeritò forſan dici poteſt præpoſteræ iſtius autoritatis occaſio. Æquum enim judicatum eſt quod viri ſancti & antiqui teſtimonio confirmabatur. Refertur quoque ex Concilio Toletan. extr. de officio Archipresbyteri c. 1. Sed non magis deprehenditur in Conciliis Toletanis quàm in Iſidori Epiſtola. Deinde multis aliis canonibus Toletanis quorum aliqui jam citati ſunt, adverſantur. Qui ſuppoſuit hanc periodum, dicebat cum Oreſte in Electra Sophoclis

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν·

nec ſane falſius eſt: Tandem enim ubique fraus obtinuit, & ſecundum eam jure judicatum eſt. Alia ex Hincmaro conjici poteſt iſtius autoritatis uſurpandæ occaſio. Archidiaconalis illa dignitas Presbyteris in multis regionibus deferebatur, ut colligere eſt ex Capitulis quæ dedit Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis Comminiſtris ſuis an. 874. Archidiaconos enim è Presbyteris inſtituit, iiſque eam in Diœceſis Presbyteros autoritatem delegat. Hæc igitur juriſdictio Presbyteris qui Archidiaconi erant, conceſſa, facilè poſtea in Archidiaconos qui ſimpliciter Diaconi erant, prorogari potuit.

XVIII. Autoritas iſta quæ antiquitus præpoſtera judicabatur, ſemel acceptata & ſtabilita occaſionem dedit inſtituendæ multiplicis juriſdictionis, & dignitatis antea inuſitatæ. Originem & progreſſum iſtius moris in Eccleſia Romana qua ſpectat dignitatem, & πρωτοκαθεδρίαν, ſeu conſeſſus præceſſionem ex Onuphrii Libello de Epiſcopatibus, titulis, & Diaconiis hic exhibebimus, ex quo proportione quadam de cæteris quæ prætermittemus, judicium fieri poterit. Certum eſt, inquit Onuphrius, à prima Cardinalium origine ad Gregorii VII. aut etiam Urbani II. Pontificatum, Epiſcopos Cardinales dictos aliis non fuiſſe præpoſitos, ſed conſecrationis ordinem in conſeſſu, & quolibet congreſſu ſecutos. Non enim dicti ſunt Epiſcopi Cardinales, ut Presbyteri, aut Diaconi Cardinales, quod eſſent Epiſcoporum primi. Uſque enim ad tempora notata prorſus inauditum fuit Epiſcopum ſimplicem alia ratione quàm conſecrationis tempore alium præcedere. Quamobrem igitur dices, Epiſcopi quidam Cardinales vocabantur? Reſpondet Onuphrius, Cardinalium nomen Epiſcopis multò recentiùs attributum eſſe, quum Epiſcoporum æqualitati ab antiquitate tantopere adamatæ non conveniat, ſed lapſu temporis ſeptem Romæ vicinos Epiſcopos dictos eſſe Cardinales, eo quod Pontifici in Eccleſia Lateranenſi celebranti miniſtrarent, ut ſeptem alii Presbyteri Cardinales in aliis quatuor Eccleſiis Patriarchalibus. Hoc olim Romæ uſitatum fuiſſe commemorant antiqui Rituales; & initio Ordinis Romani, tertio ſcilicet & quarto titulo qua ratione id fieret, explicatur: Ubi etiam quidam Epiſcopi dicuntur hebdomadarii, quibus celebrante Pontifice varia munia in eodem ordine aſſignantur. Alia forſan potior fuit ratio, quod ſoli ex Epiſcopis Romanæ Provinciæ in Pontificis electione Presbyteris & Diaconis Cardinalibus aſſiderent.

XIX. Poſt Urbani II. Pontificatum Cardinales Epiſcopi cæteris Epiſcopis præferri cœperunt, aliquanto poſt Archiepiſcopis, tandem Patriarchis. Verùm uſque ad Alexandri III. Pontificatus extrema tempora, ſubactum-

que, ut ita dicam, Fridericum Ahenobarbum, hoc eſt, ad annum Chriſti 1180. iſta Cardinalium ſupra quoſlibet Epiſcopos πρωτοκαθεδρία ad Cardinales Epiſcopos tantùm pertinebat. Quod ad Presbyteros Cardinales attinet, licet cæteris Presbyteris tum præferrentur, Epiſcopis tamen habebantur multò inferiores, graduſque erat ad Epiſcopatum cardinalitia dignitas; ſolebantque ut plurimum ex Cardinalibus Presbyteris, aut etiam Diaconis eligi Epiſcopi, qui conſecrati præterito Cardinalis nomine, ut Pontificatus ſplendore extincto, Epiſcopos tantùm ſeſe inſigniebant.

XX. Eo igitur tempore cœperunt Cardinales Epiſcopi cæteris Epiſcopis præferri, ſed præceſſionis initium ab Epiſcopis ſumptum eſt, hoc eſt, Epiſcopi Cardinales cæteros Epiſcopos præcedere cœperunt, deinde Presbyteri, demum Diaconi. Nimium enim à vulgata & ubique obſervata conſuetudine abhorruiſſet, ſi quis initio Presbyter Cardinalis & Epiſcopus dictus fuiſſet. Ab Epiſcopatu igitur Cardinali incipere oportuit: Et quidem inceptum eſt caſu, non animi deliberatione. Primus iter aliis ſtravit Conradus Archiepiſcopus Moguntinus hac occaſione. In Schiſmate Friderici cum Alexandro III. Conradus ſecutus eſt Friderici partes, & ideo à Friderico pulſus eſt Archiepiſcopatu, ſed Pontifex ipſius miſertus Sabinenſem Epiſcopatum illi tradidit. Sedato Schiſmate, Conradus priſtinum Archiepiſcopatum recuperat; ſed eo recuperato non ſe Sabinenſi abdicavit, verùm utrumque retinuit, ſeque Cardinalem Sabinenſem Epiſcopum, & Moguntinum Archiepiſcopum appellavit. *Primus omnium Cardinalium*, inquit Ciaconius in Alexandro III. *duas Eccleſias ſimul obtinuit, novo, nec unquam audito exemplo.* Hinc primum mos inolevit, ut cum aliquis Epiſcopus exterus Cardinalis crearetur, non titulus, multò minus Diaconia, ſed Epiſcopatus Cardinalis illi tribueretur. Brevi tamen poſtea ipſi Epiſcopi exteri titulos ambierunt, Presbyterique & Diaconi dici non exhorruerunt, ſed vehementer ambierunt, eo quod quælibet Cardinalatus dignitas eos ſupra cæteros Epiſcopos longè efferebat.

XXI. Illuſtriſſimum iſtius conſuetudinis incipientis exemplum eſt Wilelmus Remenſis Archiepiſcopus, Theobaldi Comitis Bleſenſis, & Adelaidis ſeu Adelæ uxoris Ludovici VII. frater, Philippi Auguſti Avunculus, qui creatus eſt ab Alexandro III. an. 1179. Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ, ut refert Ciaconius. Utrumque titulum, & Archiepiſcopi, & Cardinalis aſſumebat, & utroque ab Innocentio III. decorari ſolebat, ut conſtat ex plurimis Epiſtolis quas ad eum ſcribit, quæ habentur lib. 1. Epiſt. Innocentii III. Atque etiam ex ſententia quam idem Pontifex pro legitimatione liberorum Philippi Auguſti ex filia Ducis Moraviæ ſuſceptorum pronuntiavit, quæ exſcribitur in Gallia Chriſtiana. Sed illis initiis dignitas Epiſcopalis Cardinale Presbyterali major cenſebatur. Ubique enim Innocentius Guillelmum nuncupat Remenſem Archiepiſcopum, deinde S. Sabinæ Cardinalem. Nec tantum ſemper id obſervat cum ad eum ſcribit, ſed etiam cum ad alios, ut eodem lib. *N. Archiepiſcopo Senonenſi, & Petro S. Mariæ in via lata Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato.* Et, *N. Veronenſi Epiſcopo S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali.* Ideo Rigordus Philippi Auguſti Hiſtoricus, ſæpiſſimè de Guilelmo mentionem facit, ſed cum Remenſem tantùm Archiepiſcopum vocat, præterita dignitate Cardinalitia, velut per Archiepiſcopalem claritatem obſcurata, exceptis duobus locis hiſtoriæ initio, in quibus eum Remenſem primò Archiepiſcopum, deinde Presbyterum S. Sabinæ Cardinalem. Malè eum dicit Ciaconius a Lucio tertio factum Epiſcopum Cardinalem Prænestinum. Diu enim poſt Lucii obitum S. Sabinæ tantùm vocatur Cardinalis.

XXII. Longo tempore hæc diſciplina perſeveravit, ut Cardinales, Epiſcopatus, titulos, vel Diaconias perpetuò conſervarent, ita ut qui ſemel creatus fuerat Epiſcopus Cardinalis nuſquam Epiſcopatum illum alio commutaret. Ita qui titulum Presbyteralem nactus fuerat, eum ſemper conſervabat, niſi de Presbytero conſecratus fuiſſet in Epiſcopum: Tum enim relicto titulo Epiſcopatum Cardinalem accipiebat. Idem de Diacono dicendum. Non prius Diaconiam dimittebat quàm titulo donatus fuiſſet; tum dimiſſa Diaconia Presbyter creabatur, ut titulum presbyteralem poſſidere poſſet. Eximia hæc diſciplina poſt annum Chriſti 1400. à Bonifacio IX. & Alexandro V. primùm quati cœpit. Quod etiam his verbis teſtatur Ciaconius in Alexandro V. *nullum Cardinalem novum creavit: ſed tantùm quoſdam titulos mutavit. Nam ob ſchiſma contigerat, ut plerumque duo eſſent in eodem Sacerdotio titulares. Hinc mutandorum titulorum in Romana Eccleſia uſus manavit, quod ad eam uſque diem inauditum fuerat.* Verùm quod illi neceſſitate & utilitate cogente fecerant, Poſteri pro arbitrio fecerunt. Tam magni intereſt à canonum præſcripto nunquam deflecterе!

XXIII. Præterea ad Sixtum IV. uſque, hoc eſt, poſt annum 1480. Diaconiæ tantum Diaconis, tituli tantùm Presbyteris, Epiſcopatus tantùm Epiſcopis conceſſi fuerant. Verùm Xiſtus hanc diſciplinam primus ſolvit, tituloſque Diaconis, & Diaconias Presbyteris tradidit. Poſtea longiùs ab antiquo more receſſum eſt: Diaconiæ iis nonnunquam conceſſæ ſunt, qui nulli gradui Eccleſiaſtico, ſed ſoli capillorum tonſuræ initiati erant. Hoc poſtremum neſcio an vivente Onuphrio contigerat. Conſuetum eſt equidem ab ipſis prope, Eccleſiæ incunabulis ut Presbyteri à Metropolitis & Patriarchis ad Concilium miſſi ipſorum loco ante Epiſcopos ſederent, & ſententiam dicerent, ut videre eſt in omnibus Conciliis generalibus, & in aliis. Concilium ſextum hoc extendit c. 67. ad Diaconos. Sed longè diſpar ratio, alterius vice cum principibus viris ſententiam dicere, & locum eorum delegatione repræſentare, atque id autoritate propria & naturali præſtare. Deinde longè diverſa ſunt miſceri & aggregari cum iis qui nativa autoritate pollent, & ſuffragia ſua cum eorum ſuffragiis conjungere, & ſolo ſuo ſuffragio & autoritate propria ſuperiorem ordine, abſolvere, aut condemnare. Prius jure com-

communi & luminis naturalis dictamine nititur. Posterius, privilegium est contra jus commune hoc & præterito seculo tantùm concessum, quod sola Ecclesiæ tolerantia, & benignitate exercetur.

XXIV. Contrarium tamen iis quæ modo dicimus feciſſe videtur Sanct. Gregorius. Vices enim suas non tantùm Presbyteris & Diaconis commisisse legitur, sed etiam Subdiaconis. Verbi gratia Epist. 1. lib. 1. Petrum quendam Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum in Siciliam mittit Vicarium suum, idque ait se facere ex Prædecessorum suorum consuetudine. Si quis tamen diligentius Epistolam consideret, & cum variis Gregorii Epistolis ad eundem Petrum eodem libro scriptis 9. 18. 39. 42. comparet, delegationem illam temporalia tantùm spectare animadvertet. Ubique enim res temporales illi commendat. Hujus rei causa est amplum patrimonium quod Ecclesia Romana possidebat in Sicilia, ut ex S. Gregorio & aliis demonstratur. Ad regendum illud Patrimonium procuratorem mittere solebant Pontifices. Idem dicendum de Anthemio Subdiacono ad quem sæpe simili de causa rescribit Sanct. Gregorius. Nec his contradicunt postrema verba Epistolæ primæ ad Episcopos Siciliæ, quibus semel injungit ut ad Concilium conveniant, *Quatenus quæ ad utilitatem Provinciæ, Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandam, sive ad monitionem omnium, atque correctionem eorum quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro Subdiacono sedis nostræ debeatis moderatione disponere.* Nam hìc nihil de Petri Subdiaconi præsidentia in illo Concilio; imò nihil de ipsius sessione. Præterea nihil est quod ad rerum temporalium curam non possit optimè referri. In Conciliis enim cum quotannis semel aut bis celebrabantur, res Ecclesiasticæ, non modo spirituales, sed & temporales tractabantur.

XXV. Quanquam Romæ multi sint Cardinales, Diaconi, Presbyteri, Episcopi, & inter Presbyteros Cardinales, tres sint Archipresbyteri, nullus est Archidiaconus. Imò Romæ Archidiaconi omnes sunt extincti, qui olim plures fuere. Refert Onuphrius in libello de Interpretatione vocum Eccles. obscurarum hoc factum fuisse tempore Gregorii VII. & in Archidiaconi locum Camerarium successisse, officium Curiæ Romanæ nunc longè maximum, antea inauditum: Qua occasione id contigerit, ipse non enarrat. Forsan maximus honos Cardinalibus paulò post delatus hoc obtinuit. Nam cum Archidiaconus non tantùm Diaconos præcedat, sed etiam in eos jurisdictionem habeat, Qua ratione in Diaconos Cardinales tanta dignitate pollentes jurisdictionem suam exercuisset? Id fiet probabilius si consideremus Gregorium VII. non fuisse ultimum Archidiaconum Romanum, ut scripsit Onuphrius; sed Papam factum, Joannem quendam creasse Archidiaconum, qui postea ad Clementem tertium Antipapam defecit; *post quem*, ait Ciaconius, *nullum præterea in Romana Ecclesia Archidiaconum fuisse observavi.* Idem etiam postea factum est in Ecclesia Constantinopolitana ut testatur Codinus c. 17. *Olim quidem Ecclesia habebat suum Archidiaconum, nunc verò nequaquam: Sed habet illum Clerus Imperatoris. Causa quæritur.* Eam tamen silet Codinus. Referri posset ad Chartophylacem, cujus tanta est Constantinopoli autoritas, ut nulla supersit Archidiacono. Deinde cum Chartophylax necessariò debeat esse Diaconus, cui Chartophylacis dignitas superadditur, nihil committitur contra canones, si Archidiaconi officio fungatur. Archidiaconum illum aulicum ut esset universo comitatui honoratior, eligebat Imperator ex Exocatacœlis primariis post Patriarcham Clericis, ut docet Codinus cap. 3.

CAPUT IV.

De Græcorum Chartophylace.

Chartophylax licet Diaconus sit, consuetudine & edicto Episcopis, nedum Presbyteris, Constantinopoli præit, & præsidet. Quando hoc privilegium cœpit. Cæteris Exocatacœlis tributum. Qui, & quot Exocatacœli. Olim erant Presbyteri, nunc tantùm Diaconi. Chartophylax est Vicarius Episcopi, & manus illius dextera. Exocatacœlorum varia etyma. Quid stauropegium. Chartophylacis officium, & ampliſſima jurisdictio verbis Græcorum multis describitur. Chartophylax malè vertitur Chartularius. Jurisdictionis Chartophylaceæ antiquitas. Chartophylax unde dictus. Ex variis notitiis Chartophylacis munus describitur. Quando, & qua occasione magni nomen illi datum est.

I. Quod diximus tandem usurpatum fuisse apud Latinos, ut scilicet quidam Diaconi ratione dignitatis Diaconatui conjunctæ, non modo Presbyteris, verumetiam Episcopis extra sacrum tribunal, hoc est, extra functiones ad sacrificium Missæ directè pertinentes præferrentur; id etiam apud Græcos, Episcopis licet reclamantibus, tandem Constantinopoli eodem prope tempore obtinuit. Sic Balsamon in can. 18. Nicæn. *Ut autem nonnulli ex Ecclesiasticis Diaconis in Congregationibus quæ sunt extra sacrum tribunal ante Sacerdotes sedeant, fieri videmus. Et existimo hoc fieri propter dignitates seu officia. Soli enim qui à Patriarcha officiis Ecclesiasticis digni sunt habiti, sedent ante Sacerdotes, &c. At is qui nunc est sanctissimæ Ecclesiæ Chartophylax in Congregationibus quæ sunt extra Synodum, sedet non solum ante Sacerdotes, sed etiam ante Pontifices ex constitutione inclyti Imperatoris Domini Alexii Comneni,* Refert equidem Balsamon

ſamon Epiſcopos huic privilegio fortiter ſeſe oppoſuiſſe, ut pote canonibus contrario; ſed coactos cedere Imperatoris edicto. Edictum exſcribit eodem loco, quo teſtatur Imperator nihil ſe de hac re ſtatuere, niſi quod longa conſuetudine invaluerat; *Non ferendum regiæ meæ majeſtati viſum eſt, ut res quæ tanto tempore approbata eſt, & à prioribus Patriarchis, & ab aliis Pontificibus, ſed & ab iis qui nunc ob rem non honeſtam contendunt, longiſſimi temporis ſilentio, nunc obiter aboleretur.* Tandem concludit Imperator, quod ſi hoc non ferunt ob canonum contemptum, urbe regia excedant. Fatetur Balſamon hoc fieri παραλόγως præter rationem. Sed in tractatu de Chartophylace & primo Defenſore Juris Orientalis lib. 7. ubi de hac re permulta, iſtam conſuetudinem tuetur, quæ, inquit, multa ſcandala diverſis temporibus excitavit, variéque definita fuit, donec Alexii Comneni edicto finis huic diſceptationi imponeretur. Iſtud Alexii edictum, ſive Novella integra refertur quoque lib. 2. Juris Orientalis, eſtque decima inter ipſius Novellas.

II. Hoc privilegium nondum uſurpari cœperat paulò poſt annum Chriſti ſeptingeteſimum, quando Concilium in Trullo celebratum eſt, ut manifeſtum eſt ex illius c. 7. Licet tum Diaconi quidam ratione dignitatis ſibi collatæ πρωτεκαθεδρίαν in Presbyteros ambitioſè effectarent. *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus; & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere, ſtatuimus, ut Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum, ne ſedeat*, &c. Hæc ſtatuunt Conſtantinopoli in Imperatoris palatio, ducenti & viginti ſeptem Orientis Epiſcopi.

III. Annis 170. poſt hoc Concilium nondum invaluerat hæc Chartophylacis prærogativa, ut evidenter colligitur ex Scholio Anaſtaſii Bibliothecarii quod extat act. 2. Synodi 8. atque etiam ex ipſa Synodo hoc loco. Ita notat Anaſtaſius de quodam Paulo Chartophylace, *Paulus iſte Archiepiſcopus quondam fuit à Photio conſecratus: ſed quia cum cæteris qui à Photio manus impoſitionem ſuſcepere, ſecundum ſententiam Papæ Nicolai condemnatus eſt; & quoniam is erat utilis, pro conſolatione damnationis, ab Ignatio Patriarcha Chartophylax effectus eſt. Scripſerat enim & Papa Romanus, ut alia illum, excepto Sacerdotio, quantacunque vellet, dignitate ditaret.* Ignatius ne tranſgrederetur mandatum Pontificis prohibentis ne Paulo Sacerdotium redderetur, eum Chartophylacem creavit. Nondum igitur Chartophylacis dignitas Sacerdotalem, nedum Epiſcopalem antecedebat. Idem demonſtrat tota Synodus ad Nicolaum ſcribens, & inſtantiſſimè rogans, ut, ſi fieri poſſet, cum eodem Paulo Chartophylace diſpenſet, quatenus dignitatem Epiſcopatus conſequeretur. Paulò igitur, ut vult Balſamon, ante Alexium Comnenum Epiſcopis præferri cœpit Chartophylax Conſtantinopolitanus, hoc eſt, paulò poſt Græcorum a Latinis ſchiſma vulgatum. Cum autem variæ exorirentur de hac re diſceptationes inter Epiſcopos, & Chartophylacem, tandem interceſſit Alexii Comneni Imperatoris ſententia quæ litem diremit. Harmenopulus in Epitome Canonum ſect. 2. tit 4. in Scholio ad can. 7. Trull. hanc litis compoſitionem tribuit Imperatori Michaeli, *Sciendum ſoli majoris Eccleſiæ Chartophylaci conceſſum eſſe tum ex longa conſuetudine, tum ex conſtitutione ſcripta Imperatoris Domini Michaelis, ut in conventibus extra altare ante Epiſcopos ſedeat.* Michael ille Imperator eſt Michael Ducas qui paucis annis Alexium Comnenum præceſſit, & regnare cœpit, ut nonnulli adnotant, anno Chriſti, 1071. Ab eo enim ad Michaelem Palæologum nullus eſt hujus nominis intermedius. Sed Palæologus Harmenopuli ætatem ſubſequitur: Quapropter de eo intelligi non poteſt.

IV. Quæ de Chartophylace dicta ſunt, intelligi quoque debent de cæteris Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Exocatacœlis. Exocatacœli quinque aut ſex recenſentur. Antiquitus inter eos non recenſebatur primus Defenſor, πρωτοίνδικος. Georgius Xiphilinus illum cæteris primus addidit, honoremque cæteris delatum cum eo communicavit. Notitiæ pleræque Officiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ab eo tempore deſcriptæ ſex Exocatacœlos nobis repræſentant: quanquam nonnullæ ſint quæ primo loco tertii quinarii cum ſtatuant, & leviorum cauſarum judicia tantùm ei tribuant, ut infra, cum de eo ſigillatim agemus, pluribus enarrabimus. Joannes Citri Epiſcop. ad Cabaſilam, lib. 5. Juris Orientalis, & quædam Notitiæ quas ex Bibliotheca Regia, & aliis locis exſcripſit & edidit Jacobus Goartius tam in adnotationibus ad Codinum, quàm in Euchologio Græcorum à ſe Latinè tranſlatio, idem faciunt. Codinus quoque, licet titulum Officiorum ſuperſcribat, πρώτου τετράδα, ſex tamen enumerat primos Officiales, πρωτοίνδικον primum Defenſorem cæteris 5. conjungens. Exocatacœli ſunt primi poſt Patriarcham Eccleſiæ Officiales, qui hoc ordine conſtanti recenſentur, Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Vaſorum cuſtos, Chartophylax, Præfectus Sacelli, primus Defenſor. *Hi*, inquit, *Codinus, in ſacris concionibus, ſeu conventibus, cum Patriarcha ſedent.* Quinque ſive ſex illi Exocatacœli Patriarchæ Conſtantinopolitano idem fere præſtant quod Cardinales Pontifici Romano. Nihil ad Eccleſiam quoquomodo pertinet, quod non adminiſtrent. Protonotariatus, licet eſſet primi Quinarii dignitatum prima dignitas, erat tamen ſecundum Codinum, & officialium Patriarchalium Notitias, janua & gradus ad Exocatacœlorum dignitatem aſſequendam.

V. Notat Codinus Kuropalates Exocatacœlos initio Sacerdotes fuiſſe, propriamque Eccleſiam, propriumque Clerum habuiſſe. *Quapropter*, inquit, *cum magnis & illuſtribus feſtis quilibet ſua in Eccleſia occuparetur, Patriarcha miniſtris honorationibus carebat. Quidam ex Patriarchis voluit eos eſſe tantùm Diaconos, ut ipſi ſervirent in ejuſmodi feſtis: Quod & reipſa perfecit.* Sanè à longo tempore Presbyteri non ſunt. Act. 1. Concilii ſexti Georgius quidam ſubſcribit

ſcribit Chartophylax & Diaconus. Sanè ex Novella 2. Heraclii Imperatoris colligi videtur dignitatem illam modo Presbyteris modo Diaconis fuiſſe eo tempore collatam. Novellæ verba capite ſequenti referemus. Quidquid ſit, ſive ita ſit, ſive non, certum eſt iſtos Exocatacœlos ab aliquot ſeculis, & eſſe tantùm Diaconos, & Chartophylacem Epiſcopos, nedum Presbyteros antecedere. Videtur dubitari non poſſe tres Exocatacœlos Chartophylace priores ante Epiſcopos ſediſſe, cum Chartophylacem præceſſerint. Controverſia non ita facilè cum aliis emerſit, ut cum Chartophylace, eo quod aliorum munera vix cum Epiſcoporum officiis & negotiis concurrunt. Chartophylaci enim, ut ſtatim explicabimus, creditur omnis prope Patriarchalis juriſdictio; & officio Conſtantinopoli fungitur, quali apud Latinos Officialis & Vicarius Epiſcopi: Quali etiam antiquitus Archidiaconi. Sunt enim Chartophylaces Archidiaconi: Ita Chartophylax in fine Concilii Florentini ſeſe appellat. Ideo ſæpe contingebat ut cum Epiſcopis ageret & conſideret. Nec etiam eadem prærogativa duobus poſterioribus videtur deneganda, cum ejuſdem fuerint claſſis & dignitatis. Sunt itaque ab aliquot ſeculis apud Græcos ſex Diaconi quorum dignitas Epiſcopalem ſupereminet. Initio Conc. Florent. Græci Exocatacœli poſt Patriarcham primi Papam ſalutarunt, eumque in genis ſoli cum Epiſcopis oſculati ſunt; manum verò cæteri. Præter hos eminentiam ſupra Epiſcopos in ipſis ſacrorum ſolemniis ambierunt Syncelli, ſive familiares & Domeſtici Patriarchæ, ut teſtatur Cedrenus in Romano Argyro Imperatore, *Die Pentecoſtes ſacro tumultuatum eſt, ob ſeſſionem in ſacro officio, Metropolitis non ferentibus ſuperiore loco ipſis ſedere ſyncellos.* Non refert quid tum aut in poſterum definitum fuerit. Sed hoc tentaſſe, quidquid ſit de eventu, inſigne eſt Syncellorum ambitionis argumentum.

V. De voce, *Exocatacœli*, ἐξωκαταχοιλοι viri docti variè ſentiunt: Nonnulli ita abſurdè, ut pigeat illorum ſententiam referre. Probabilius videtur dici ἐξωκαταχήλυς, ſive ἐξωκατωκίλλυς (his enim modis deprehenditur illa dictio ſcribi,) quaſi, extra Patriarchæ cellam habitantes, ut σύγκελλοι, viri autoritate præcipui qui in ejus palatio habitant. Alii ajunt Patriarchium in loco humili & depreſſo ſitum eſſe, & ideo Presbyteros, Diaconos, Monachos qui in Patriarchio, aut circa Patriarchium habitant, κατωκίλυς dictos, humiles, depreſſos: Eos verò qui extra hanc κοιλότητα, concavitatem, in locis eminentioribus habitabant, ἐξωκατωκίλυς, Exocatacœlos. Sed præſtat hic ignorantiam profiteri, quàm temerè aliquid aſſerere. Nomina rebus ſæpe caſu fortuito imponuntur. Sæpe contingit ut illo ipſo tempore quo res incipiunt novo appellari nomine, unde illis advenerit, neſciatur. Quapropter præteritis his etymis, & aliis quæ excogitari poſſunt, certum hos Exocatacœlos fuiſſe Clericos in Patriarchatu Conſtantinopolitano poſt Patriarcham omnium honoratiſſimos; quartumque ordine fuiſſe Chartophylacem, de cujus officio & autoritate hoc capite nobis eſt agendum.

VII. Breviter iſta nobis deſcribit Codinus c. 1. n. 5. *Chartophylax tabulas habet & inſtrumenta quæ jura Eccleſiaſtica continent. Judex eſt omnium cauſarum Eccleſiaſticarum: cauſis quoque matrimonialibus præeſt. Quin & in cæteris Clericorum litibus judex eſt, tanquam dextera Patriarchæ manus.* Quanquam poteſtas hæc à Codino deſcripta, ſit maxima, Balſamon qui è Chartophylace Conſtantinopolitano factus eſt Patriarcha Antiochenus, eam ampliorem deſcribit. Diſtinguit bifariam τὰ ἐκκλησιαστικὰ δικαῖα Eccleſiaſtica jura; in ea quæ variis modis ad Eccleſiam pertinent, & ea quæ ſunt ſpecialiter per canones Patriarchæ attributa. Prioris generis, inquit, adminiſtratio quatuor dignitatibus tradita eſt; poſterioris autem ſoli Chartophylaci. Qualis ſit, & in quibus verſetur prioris generis adminiſtratio; ex enumeratione iſtarum dignitatum & brevi officii uniuſcujuſque enarratione facilè conſtabit. Sic eas deſcribit Balſamon cui conſentit Codinus. Prima eſt magni Oeconomi dignitas qui prædiorum Eccleſiaſticorum curam gerit. 2. Magni Sacellarii, qui tam urbana quàm ulterius ſita Monaſteria procurat. 3. Scevophylacis, qui vaſa & Eccleſiæ ſupellectilem cuſtodit.

VIII. Demptis his officiis quæ tribus illis dignitatibus attribuuntur, cætera omnia quæ ad Patriarcham pertinebant, adminiſtrabat Chartophylax. Itaque omnis juriſdictio Patriarchalis, tam quæ reſpicit forum externum quàm quæ internum illi committitur; multis verbis hoc deſcribit Balſam. Chartophylax, inquit, Patriarchale Bulloterium pectori ſuſpenſum geſtat. Unde colligere eſt Patriarchæ fuiſſe loco illius quem nos Cancellarium vocamus, δι' ὧν τοὺς ἐλαθρόβιους ἀσφαλίζεται σὺν σφραγῖδι, καὶ χάραγμα. Τοὺς ἁμαρτωλοὺς θλίβει σὺν γραφίδι ἢ μέλανι, τοὺς κατατεταγμένους διεκδικεῖ σὺν βακτηρίᾳ, ἢ σύριγγι, ἢ τοὺς ἀξίους τῷ πνεύματι χαρισμάτων ἱεραρχῶν ἀξιοῖ· τοὺς μὲν ἐκτὸς τοῦ βήματος πληροποιῶν, τοὺς δὲ ἐντὸς πληροποιῶν· διὰ τούτου καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην σχίδον πατριαρχικὰ καταγράφει καὶ δίδωσι σταυροπήγια. *Per quod vim & perniciem inferentes propulſat cum ſigillo & gratia; peccatores convertit cum ſtylo & atramento; afflictos tuetur baculo, & ſiſtula: Et dignos per ſpiritum donis Sacerdotalibus dignatur: Illos quidem extra tribunal Clericos faciens, illos verò intra perficiens. Per illud deſcribit & dat ſtauropegia per univerſam prope terram.* Metaphoricè explicat quæ per Bulloterium conficiuntur, eo quod ſigilli impreſſione ut hæc rite fiant, opus eſt. Si quis iſta ſimpliciter, atque ut ſonant, interpretaretur, in multa rueret abſurda, atque à conſuetudine Græcorum alieniſſima. Stauropegium illis eſt jus fingendæ crucis, id eſt, ædificandæ Eccleſiæ quod ad Patriarcham in univerſo Patriarchatu pertinet, & Eccleſiam ab ordinario Epiſcopo in ſuam juriſdictionem transfert.

IX. Præterea jus habet transferendi Clericos ex alienis urbibus ad urbem regiam, multaque alia illi licent multo auguſtiora, *Dat etiam Patriarchæ Chartophylaci claves regni cœlorum, ſicut charo illi Petro & diſcipulo date ſunt à Domino. Quippe ſicut Dominus ad hunc, ita*

magnus Pontifex ad illum inquit, Quidquid solveris in terra, erit solutum in cœlis; & quidquid ligaveris in terra, ligatum erit etiam in cœlis. Et quod imprimis est novum, non solùm hic tantæ potestatis largam consecutus est gratiam, verumetiam ii qui gratiam hanc ab ipso accipiunt. Facit enim potestatem Monachis Sacerdotii munere fungentibus audiendi confessiones hominum, & peccatorum chirographa discerpendi. Temperanda sunt Balsamonis verba. Videtur dicere Chartophylaci jus esse, in foro interno, ut ajunt, peccata dissolvendi. Verùm verba illius de jurisdictione tantùm intelligenda, qua jus dat Presbyteris confessiones audiendi, & nonnullas censuras ferendi, licet sit tantùm Diaconus. Nunquam legi aut audivi usurpatum in Græcia Diaconum confessiones peccatorum ullo casu audivisse, iisque veniam dedisse; Nec Balsamonis verba hoc necessariò demonstrant. Inde tantùm necessariò colligitur, potestatem jurisdictionis apud Græcos, non secus quàm apud Latinos, aliquando à potestate ordinis separari, iisque delegari qui potestatem ordinis nullam habent.

X. *Præterea*, inquit Balsamon, *patriarchales cognitiones in literas refert, subscribit, & sigillo munit.* Istud sigillandi privilegium ita cuivis Chartophylaci convenit, inquit Joannes Episcopus Citri Juris Orientalis lib. 5. ut Episcopus præsente Chartophylace hoc munus alteri demandare non possit, ne semel quidem, nisi propter longum iter, causamque emergentem, id fieri necesse sit. Addit insuper Balsamon, *Magno tribunali præsidet, & jus cum homini cuivis dicit, cujuscunque tandem fortunæ sit ac sexus in quæstionibus Ecclesiasticis & animi delictorum emendatione; tum verò Sacerdotibus & Monachis in quavis criminali & civili causa. Quippe vel ad ipsas usque Gades jurisdictio Chartophylacis pertinet, si quis concesserit, etiam illic antiquos habitare CP. solio subjectos. Jam verò quod præsidet ipse duodecim Patriarchalibus notariis, αὐτοπήγοις ἐχόντων, quibus per se certa fides habetur, &c. Ac ratione consimili, quod Metropolitanis præsidet in electionibus Episcoporum ad vacantes Ecclesias, & in iis publicis congressibus, qui extra Patriarchale sunt tribunal. Imo etiam in festorum publicis ceremoniis atque conventibus, non solùm ipsas intra portas Ecclesiæ, verumetiam quovis in loco, &c. Quonam quæso referes, auditor prudentissime? Omnino fateberis horum omnium potestatem ei tributam, propterea quod existimetur esse os, & labia, & manus quodammodo Patriarchæ,* &c. En quanta est Constantinopoli Chartophylacis autoritas. Balsamonis Interpres χαρτοφύλακα fere semper Chartularium, interpretatur, sed χαρτηλάϊον longè aliud sonat, Ministrum scilicet Scripturarium, Commentariensem; habetque ejusmodi aliquos Chartophylax in potestate sua, ut & Oeconomus, & alii præcipui Ecclesiæ Officiales. Joannes tamen Diaconus in vita S. Gregorii l. 2. & l. 1. c. 45. per Chartularium videtur intelligere Chartophylacem, aut virum ampla & simili dignitate præditum.

XI. Ea autem non tempore Balsamonis primum inolevit; longè est antiquior. Anastasius sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, qui sedentibus Nicolao I. & Hadriano II. Pontificibus scribebat, hæc adnotat in action. 2. Concilii octavi quod Latinè vertit: *Chartophylax interpretatur Chartarum custos. Fungitur autem Chartophylax apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet insulis Ecclesiasticorum Ministrorum, & agens ecclesiastica cuncta prorsus obsequia, exceptis illis solis quæ ad Sacerdotale specialiter ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præsulum aut Clericorum à foris veniens in conspectum Patriarcha intromittitur. Nullus Ecclesiastico conventui præsentatur. Nullus Epistola Patriarcha missa recipitur, nisi forte à ceteris Patriarchis mittatur: Nullus ad præsulatum vel alterius ordinis Clericorum, sive ad Præposituram Monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet, & commendet, atque de illo ipsi Patriarchæ suggerat, & ipsi præsentet.* Hanc Chartophylacis autoritatem testatur Michael Anchialus Patriarcha l. 3. Juris Orientalis, nullum scilicet ad ordines sacros admittendum nisi ab eo prius examinatum, & de doctrina, ætate, vita & moribus testimonium ejus ferentem. Nihil Anastas. de privilegio illo quo Episcopos & Metropolitas præcedit; nondum enim illud usurpaverat.

XII. Anastasius rectè Chartophylacem ab etymo, chartarum custodem interpretatur. Nihil enim aliud sonat vox illa; & probabile est cum primum institutum est istud officium, nihil aliud in mandatis habuisse quàm vigilem actorum Ecclesiæ CP. & tabulariorum custodiam; sed progressu temporis amplificatam esse à Patriarchis illius autoritatem. Repugnat tamen Balsamon, sed frigida fultus ratione. *Nonnulli nomen Chartophylacis, ex eo derivant, quod membranas sive codices custodiat. Ante omnia tollendum quod inde nasci posset scandalum. Chartophylax non est custos secreti, & Janitor (nam Ostiariorum vetus ea professio est) sed idoneus jurium Episcopalium curator.* Ratio itta priorem non tollit. Nihil enim impedit Ostiarios illos esse sub potestate Chartophylacis, & officio suo subordinatos. Nicolaus Patriarcha qui sedebat quatuor seculis integris ante Balsamonem, idem Ostiariis munus tribuit libro 4. Juris Orientalis prope initium, cum edicto prohibet ne Ostiarii mercede accepta Patriarchalium literarum exemplaria tradant; in eodem tamen edicto dicuntur Ostiarii Jurisdictioni & correctioni Chartophylacis subesse.

XIII. Alia multa addit eodem loco, & in adnotationibus ad titulum 8. Nomocanonis Photii, quæ ad honorem & ipsius magnificum incessum & comitatum pertinent, quæque ex falso Constantinianæ donationis decreto per comparationem cum Pontifice Romano & ejus Cardinalibus deducta sunt. *Jus autem habet ex hoc edicto Chartophylax equitandi in festo Sanctorum Notariorum* (Apostolorum) *equum Patriarchalem cum albo linteamine. Oporteret autem ejus caput, utpote Patriarchalis Cardinalis tegi aurea tiara, quæ etiam in Chartophylacio reservatur.* Et Juris Orientalis l. 7. iis assentitur qui fabulantur Chartophylacem cum ejusmodi ornamentis & apparatu olim publicè incessisse. Sed mittamus Balsamonem cum purpureo suo Chartophylace hiberas nænias ut de aliis loquitur Sanct. Hieronymus libris authenticis præfe-

præferentem. πατὴρ ἐκεῖνα ἐκκλησία ἐνιέρξα, A
ἢ ἐκεῖνα σκεύη.

XIV. Variæ ſunt Officiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Notitiæ, ſed omnes magnam hanc Chartophylacis autoritatem confirmant. *Magnus Chartophylax*, inquit, Notitia una è regia Bibliotheca, *cauſarum omnium Iudex eſt, & Patriarchæ manus dextera.* Autor Turcograeciæ ex antiquo Pachymeræ codice Auguſtanæ Bibliothecæ, χαρτοφύλαξ ὁ πάσαν διέπειν διέξαγων, *Chartophylax ille eſt qui omnem cauſam adminiſtrat, & componit.* Alia Notitia, *Magnus Chartophylax cum celebrat Pontifex, juxta dona ſancta ſtat. Archidiaconi quoque provinciam agens, Ad regem & Deum accedite pronuntiat. Adeſt vero etiam litibus omnibus in ſancta Eccleſia contingentibus nomine Pontificis ſententiam daturus. Sacra inſuper regiſtra matrimoniorum penes ſe habet, quæ poſtquam in regiſtra recenſuerit, ad talis Eccleſiæ Presbyterium mittit, ut illis benedicat. Adeſt adhuc in Epiſcoporum conſecrationibus, conſecrandum Pontificem præſentaturus. Habet ſub ſe Chartularium & Epiſcoporum ſententias recenſet, eaſque ad Archiepiſcopum vel Patriarcham refert.* Alia notitia ſic ejus juriſdictionem deſcribit, *Chartophylax ſuis veſtibus indutus juxta ſacras fores ſtat, & ſancta communionis tempore dicit; Sacerdotes accedite. Offert & Patriarchæ ſuffragium Pontificibus, & Patriarchæ perſonam in omnibus judiciis ſuſtinet prolaturus ſententiam. Aſſiſtit quoque ſponſalitiis, quarum arrha in conſpectu ejus dantur, & eorum pacta deſcribit, Sacerdote deinceps nuptias ipſas benedicturo.* Chartophylacis munia & privilegia, cum Simeonis Theſſalonicenſis verbis, enarrando finiam, ὁ ὢν τὰ τ' ἱερέων διατάξεται, καὶ διατάξει τούτους, καὶ ἱερεῦσι τὰ πρὸς αἰτῶν, προσαγορεύοις ἐξαλάζει, καὶ πρὸς τὸ ἱερατεῖον προσάγει, καὶ τὰ τῶν γάμων νομίμως φερομένοις γίνεται· τὰ τῶν ἐπισκόπων ὢν ἐς τὰ τῶν κλήρων ἐξυπηρετῶν δικαιώματα· γνώμην τοῦ ἱερέως, ἐς τὰ ἀποκήματα φυλάττει· καὶ ὅλως ἡ δεξιὰ ἴσι τοῦ ἀρχιερέως. *Chartophylax qua ad Sacerdotes ſpectant, regit, & conſtituit; eos in ordinem convenientem collocat: in mores & vitam eorum inquirit; ad ordinationem præſentatos examinat, & ad conſecrationem offert; matrimonia legitimè fieri procurat. Jura Epiſcopalia & quæ ſpectant ad eorum juriſdictionem adminiſtrat. Sententiam Epiſcopi in tabulas relatam, & memorialia ipſius cuſtodit. Eſt enim totus & omnibus modis dextera Epiſcopi.*

XV. Poſteriores Græci magni nomen illi impoſuerunt. Verùm recens eſt admodum illa appellatio. Occaſionem refert Joannes Cantacuzenus hiſtoriæ libr. 2. c. 1. Andronicus Junior imperium adeptus Cytalem Chartophylacem cujus opera, & conſilio uſus fuerat, remunerare voluit. Sed ipſe ampliores honores conſtanter recuſavit. Quod cum videret Imperator, magni nomen illi indidit, quod huc uſque ſucceſſores retinuerunt.

CAPUT V.

De Oeconomis.

Inſtituendi Oeconomi cauſæ enarrantur. Bona Eccleſiaſtica olim quomodo adminiſtrata, & diviſa. E quibus perſonis eligebantur Oeconomi. Qui erant Electores. Imperatores Græci hoc jus ſibi aliquando tribuerunt. Primus Officialium Patriarchalium erat Oeconomus. Hoc nunquam Latinis Oeconomis tributum. Latinorum & Græcorum Oeconomorum varia officia deſcribuntur. Magnus Oeconomus quare apud Græcos ſic dictus. Viget adhuc apud eos hæc dignitas. Antiqua hæc dignitas quando in Eccleſia Latina deſiit. Nomen in ea non eſt extinctum. Quæ illi miniſteria jure novo tributa ſunt.

I. OEconomi officium antiquum eſſe non modo colligitur ex Conciliorum & Pontificum canonibus & decretis, ſed etiam certa conjectura. Notum eſt fundos Eccleſiaſticos antiquitus viritim non fuiſſe Clericis diviſos, ſed ad Epiſcopum, omnemque Clerum indiviſim atque in ſolidum pertinuiſſe, ea tamen lege ut Epiſcopo, Clericis, Eccleſiarum refectioni, & pauperibus, certâ quadam à canonibus definitâ proportione fructus diſtribuerentur. Concil. Romanum ſub Sylveſtro, *De reditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici ad ſui ſuſtentationem; alia Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero; tertia templorum & Eccleſiarum reparationi; quarta pauperibus, Infirmis, & Peregrinis.* S. Gregor. ad interrogata Auguſtini reſp. 1. *Mos Apoſtolicæ ſedis eſt Ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut ex omni ſtipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones; una videlicet Epiſcopo & familiæ propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem; alia Clero; tertia Pauperibus; Quarta Eccleſiis reparandis.* Similia ex antiqua conſuetudine cum multis Conciliis ſtatuerunt: Simplicius epiſt. 2. Gelaſius ep. 1. c. 29. & alii Pontifices. Viguit longiſſimo tempore mos iſte, ut ex Epiſt. 3. Gregorii II. Conciliis Toletan. 16. c. 5. Moguntino ſub Rabano c. 10 Vormatienſi c. 7. Triburienſi c. 13. Pariſienſi ſub Ludovico & Lothario lib. 1. c. 15. Nannetenſi c. 10. & aliis evidenter colligitur.

II. A prima autem Eccleſiæ fundatione quid ſimile factitatum fuiſſe ratio ipſa convincit, & antiquorum Clericorum vitæ forma, qui ex fidelium oblationibus potiſſimum ſuſtentabantur. Licet enim Clerus tum magis confideret Epiſcopo ſuo quàm poſtea, typho ſeculari creſcente; oportuit tamen rerum temporalium curam ſpecialem aliis quàm Epiſcopis committi, ne à ſpiritualibus miniſteriis avocarentur. *Non eſt æquum*, inquiebant Apoſtoli, Act. 6.

nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Ideo tum temporis, licet rerum ejusmodi cura esset modica, per Diaconos tamen agebantur, sed ex scientia & præscripto Episcopi, ut constat ex actis & canon. Apostolicis 5. & 41. & canone Gangræno 7. *Si quis vult fructus Ecclesiæ oblatos accipere, vel dare extra Ecclesiam præter Episcopi sententiam, vel ejus cui cura eorum tradita est, & non cum ejus sententia, ea velit agere, sit anathema.* Canone 8. anathema iterum dicitur danti & accipienti. Facilè etiam in suspicionem boni communis male administrati venire potest ipse Episcopus, ut clarum est ex c. 25. Ant. Concilii: Si Episcopus inquit res Ecclesiæ in proprios usus convertat, *& Ecclesiæ reditus vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum vel Diaconorum sententia administret, sed suis cognatis, vel fratribus, vel filiis præbeat facultates, ut per hæc rationes Ecclesiæ latenter lædantur, is det Synodo Provinciæ rationem. Sin autem aliàs insimuletur Episcopus, vel qui sunt cum eo Presbyteri, ea quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex quacunque alia causa Ecclesiastica, ad seipsos referre, &c. ii quoque correctionem assequantur.*

III. Cum igitur bona tam immobilia quàm quotidianæ fidelium oblationes ad omnem Clerum pertinerent, nec esset designata aliqua pars, quæ hujus vel illius esset Clerici, his bonis curandis, administrandis, & distribuendis deputatus erat è Clero aliquis quem Oeconomum canones appellant, ne si Episcopus ea solus administraret, excepisset, distribuisset, suspectus aliquando fieret rei communis malè administratæ, surreptæ, sibi vindicatæ, atque eo nomine apud Clerum & Laicos male audiret. Hæ fuerunt Oeconomi instituendi rationes, quæ illius necessitatem continuam quandiu primævus bonorum Ecclesiasticorum status viguit, planè demonstrant: Ex quibus quoque ipsius officium nullo negotio colligitur, ut etiam ex ipsius nominis etymo. Præter canones allatos, Concilium Chalcedonense c. 26. id evidenter definit, *Quoniam in nonnullis Ecclesiis, ut sæpe à nobis auditum est, Episcopi absque Oeconomo tractant res Ecclesiasticas, placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum ex proprio Clero Oeconomum habere, ut nec sine testibus sit Ecclesiæ administratio, nec ideo res ejus dissipentur, & probrum ac dedecus Sacerdoti inuratur.* Canon iste confirmatur, & neglectus innovatur in Tolet. IV. c. 48. & Hispalensi II. c. 9

IV. Cum hæc Oeconomorum instituendorum consuetudo nonnihil remitteretur, Concilium Nicænum II. c. 11. providit diligenter ne in posterum negligeretur: *Si unusquisque Metropolitanus in sua Ecclesia Oeconomum constituit, bene habet, Sin minus Constantinopolitano Episcopo propria autoritate licebit Oeconomum in sua Ecclesia præficere. Similiter & Metropolitani, si qui eis subsunt Episcopi nolunt in sua Ecclesia Oeconomos constituere. Hoc ipsum autem servari etiam in Monasteriis oportet.* Oeconomorum officium in Monasteriis etiam nunc viget, sed alio vocari nomine solent. Ii enim sunt qui vulgo Procuratores & Cellerarii nuncupantur: Utrumque Officium amplectitur Oeconomatus. Sed in Clero desiit: nec etiam mutata rerum Ecclesiæ temporalium administratione admodum necessarii sunt. Mancipes seu Conductores quos habent Canonicorum collegia, omnibus Collegii necessitatibus ex Canonicorum præcepto abundè satisfaciunt.

V. Quæri potest an Oeconomi isti semper è Clero eligerentur, & Laici esse non possent. E Clero eligi disertè præcipiunt Concilia, Chalcedonense c. 26. Tolet. IV. c. 48. & Hispal. II. c. 9. Postremum hoc multis rationibus contendit Laicum esse non posse bonorum Ecclesiasticorum Oeconomum, idque canonibus Sanctorum Patrum esse definitum. Quinam autem è Clero eligi solerent ad hoc officium, alii canones docent, Presbyteros scilicet & Diaconos. Sic canones Apostolici 4. 41. Antioch. 25. In Concilio Ephesino tom. 2. c. 29. & 30. subscribit Charisius quidam Ecclesiæ Philadelphiensis Oeconomus & Presbyter.

VI. Secundò quæri potest, quis ad hoc officium eos eligeret, an Episcopus solus, an Episcopus cum Clero. Varia fuit observatio. Justinianus Imperator, C. de Episc. & Clericis l. 42. Oeconomos creari jubet *cum judicio & diligenti discussione, scientibus ipsis quod singulis annis rationem referant sanctissimo Episcopo suæ administrationis & quacunque in re videbuntur res Ecclesiasticas minuisse vel læsisse, vel proprium quæstum quæsisse, hæc ecclesiasticis rebus restituent.* Verùm ad quem pertineat ista creatio disertè non definit; quanquam ex ipsius verbis non obscurè colligatur, ex multarum sententiarum concertatione & consensu fieri debere. Certum videtur ex canonibus Chalcedon. 26. Gangræno 8. Antioch. 25. Tolet. 48. Meld. c. 47. aut à toto Clero aut à magna parte electos esse qui isto officio fungerentur. Id etiam apertè docet Theophilus Alexandrinus in Commonitorio c. 9. *Totius Sacerdotalis ordinis sententia alius renuntietur Oeconomus, in quo Apollo quoque Episcopus consensit, ut bona Ecclesiastica, ut debent insumantur.* Postrema verba rectè explicat Balsamon, *Quid sit autem, in ea quæ oportet impendere, sequens docet canon: Viduæ, & pauperes & peregrinantes hospites omni quiete fruantur; & nemo ea quæ sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet.* Hispalense tamen Concilium II. hanc prærogativam soli Episcopo, aut ipsi præsertim, tribuere videtur, ut & loco jam citato Concilium Nicænum II. quod lapsu temporis multis locis obtinuit. Quisquis enim cæteris autoritate, & dignitate prævalet, quacunque vi & arte potest, ad ἀυθεντίαν & ἀυπξκσίαν fertur. Hinc Imperatores ut electionem Patriarchæ sibi aliquando vendicarunt, ita & Oeconomi atque Scevophylacis, ut testatur Zonaras in Isacio Comneno. *Rerum Ecclesiasticarum administrationem Ecclesia restituit, Oeconomo & Scevophylace ad ejus usque tempora ab Imperatore institutis: ille verò utrumque id munus Patriarchæ potestati subjecit amota publica autoritate.* Quidquid sit de illa observationum varietate, quæ sanè pro locis & temporibus multiplex fuit, certum est præterito Episcopo nunquam esse creatos Oeconomos

conomos, nisi forsan creationem illam aut negligeret, aut impediret, aut animi & corporis infirmitate dejectus ei attendere non posset. Tum enim ad Superiorem, aut etiam ad Episcopos cum Cleri consilio institutio devolvebatur, ut citati canones præcipiunt. Nicæn II. c. 11. Hispal. II. c. 9. Meld. c. 47. Lapsu tamen temporis usu valuit ut in hac causa Capitulum posset adversus Episcopum præscribere, ut docet Glossa, in c. Quoniam 16. q. 7.

VII. Oeconomi dignitas apud Græcos tandem eminentissima fuit. Primi omnium Patriarchalium Officialium erant quinque Exocatacœli, de quibus actum est supra: Exocatacœlorum autem primus erat magnus Oeconomus; ut videre est apud Codinum de officiis Ecclesiæ CP. Balsamonem in meditato de officiis Chartophylacis & primi Defensoris, atque etiam in plerisque officiorum Ecclesiasticorum Græcis Notitiis. Itaque post dignitates Patriarchalem & Episcopalem prima est apud Græcos Oeconomica. Nullibi apud Latinos, quod ego quidem legerim, aut fando audiverim, ad tantam dignitatem evecti sunt Oeconomi. Capitular. l. 2. c. 29. commemorantur Archioeconomi, sed nulla illis sedes aut præcessio designatur.

VIII. Iam ostensum est è Clero Oeconomum eligi necessum fuisse: è quo ordine Cleri eligerentur, non satis explicant Patres. Rationes tamen quibus probant è Clero esse eligendos, videntur etiam probare hunc dignitatem solis Diaconis aut Presbyteris esse deferendam. Codinus c. 9. de officiis Ecclesiæ CP. refert olim Exocatacœlos, quorum primus erat magnus Oeconomus, Presbyteros fuisse, Paroecias & proprium Clerum habuisse: Cumque ideo in festis solemnibus eorum quilibet in propria Ecclesia occuparetur, Patriarcha quidam dolens ea de causa se Ministris honoratioribus diebus solemnibus privari, eos Diaconos effecit, ut sibi quando vellet, ministrarent. Ab eo tempore ad usque urbem à Barbaris triumphatam hæ dignitates in Diaconorum potestate permanserunt. Presbyteros olim has dignitates obtinuisse quod ad Oeconomicam attinet, docet Anastatius in historia sua ad an. Zenonis septimum. Scribit enim Joannem Tabennesiotem ex Presbytero & Oeconomo Ecclesiæ Alexandrinæ consecratum fuisse Episcopum Alexandrinum. Et in Heracleona Imperatore, Paulum ex Presbytero & Oeconomo Constantinopolitano creatum fuisse Patriarcham CP.

IX. Præcipua Oeconomi autoritas, ut nominis etymon arguit, versabatur circa fidelium oblationes Ecclesiæ factas, & bona ejus temporalia, velut ex omnibus prope Antiquorum testimoniis jam allegatis tam Græcis quàm Latinis, demonstratur, quibus hæc addimus, ut evidentius Lectori innotescant Oeconomi munia & autoritas. Sanct. Isidorus in Epistola ad Leudefredum omnia prope ejus ministeria recenset. *Ad Oeconomum*, inquit, *pertinet reparatio Basilicarum, atque constructio. Actiones Ecclesiæ in judiciis, vel in proferendo, vel in respondendo; tributi quoque acceptio, & rationes eorum quæ inferuntur: Cura agrorum, & cultura vinearum, causæ possessionum, & servitialium; stipendia Clericorum, Viduarum, & Devotarum pauperum: Dispensatio Vestimenti, & victus Domesticorum Clericorum, servitialium quoque & Artificum. Quæ omnia cum jussu & arbitrio sui Episcopi ab eo complentur.* Quæ ait de actionibus Ecclesiæ judiciis confirmatur Cod. de Episc. & Clericis l. 33. §. 2. & 4. Vult enim Imperator si Sacerdotes in causis propriis conveniantur, Oeconomum pro iis fidejubere: Si vero causæ sint Ecclesiasticæ, Oeconomum ipsum conveniri.

X. Statuunt etiam Imperatores Carolus & Ludovicus Capitul. l. 2. c. 29. Oeconomos præstare debere omnia damna quæ Ecclesia tulerit ex injusta alienatione, & eos insuper ab officio deponendos; eo quod ab alienatione bonorum Ecclesiasticorum Episcopos prohibere debuerunt. Jubet Concilium Pontigonense quod refertur tom. 3. Concilior. Galliæ p. 442. Ut bona Ecclesiæ & Episcopi defuncti Oeconomo tradantur, ne à Clericis & Laicis diripiantur. Ita Concilium Vormatiense c. 76. *Redditus Ecclesiæ viduatæ penes Oeconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.* Innocentius II. innovavit & confirmavit canonem Chalcedonensem, ut refertur 12. q. 2. c. 47. *Quod in sacro Chalcedonensi Concilio constitutum est, irrefragabiliter conservari præcipimus: ut videlicet decedentium bona Episcoporum à nullo omnino hominum diripiantur; sed ad opes Ecclesiæ & successoris sui, in libera Oeconomi, & Clericorum permaneant potestate.* Eadem mens erat Concilii Regiensis c. 5. Valentini in Hispania c. 2. & Trullani c. 35. licet Oecon. specialis in iis non fiat mentio.

XI. Balsamon illius munus brevissimè describit in meditato de primo Defensore, *Qui possessionum Ecclesiasticarum curam gerit.* Ita Hincmar. in Epist. ad Clerum Tornac. *Oeconomum, id est, Ecclesiasticarum facultatum dispensatorem.* Codin. de off. Eccles. CP. *Qui omnes Ecclesiæ possessiones, omnesque redditus, & pensiones ex iis provenientes in sua potestate habet, eaque Patriarcha, & Ecclesia dispensat.* Symeon Thessal. de Oeconomi officiis, *Ordinatur Oeconomus, ut possessionum, proventuum, & unicuique datorum curam habeat. Oportet enim illum de bis boni publici, & rectè rerum Ecclesiasticarum ordinis causa, esse solicitum. Testatur hoc Sanct. Stephani, & caterorum Diaconorum administratio, qui non tantùm vacaverunt Doctrinæ, & prædicationi, sed etiam necessitatibus, & mensis fratrum.*

XII. Græcæ Officialium Ecclesiasticorum Notitiæ nonnulla tribuunt Oeconomis in Missis solemnibus & intra Sanctuarium ministeria, quorum nulla est apud Latinos memoria: Quædam præterea non contemnenda privilegia quæ præcedentibus non continentur. Notitia una ejusmodi à R. Patre Jacobo Goartio edita in Euchologio suo Græco-latino ita describit magni Oeconomi officium: *Magnus Oeconomus tunica sua ornatus à dextro altaris latere stat, & Pontifice celebrante sanctum flabellum tenet. Ad eum spectat habere notitiam censuum, expensarum, & ratiociniorum in Episcopatu,*

patu, eaque recipere, & conservare. Cura ideo cujuscunque possessionis illi demandata est, & subservientem illi habet Chartularium, & quoscunque Episcopatui obvenientes fructus in scripta refert, & his singulis annis rationem dat Pontifici. Adest etiam & in judiciis. Offert quoque Sacerdotem consecrandum. Gubernat etiam Episcopatum post Episcopi obitum usque ad Successoris adventum. In Electione suffragium primus habet. Et tandem debitas partes ex annuis Episcopatus bonis unicuique fratrum suorum ex aequo dividit.

XIII. Alia notitia ab eodem evulgata illud officium describens nonnulla praecedentibus addit, quae alicujus momenti videntur, *Magnus possessionum administrator debet esse Diaconus. Cum autem celebrat Pontifex, indutus tunica sua & stola, stat ex una parte sanctae mensae sacrum flabellum manu sua tenens. Offert quoque Clericum ordinandum Pontifici. Omnem quoque agrum, & Ecclesiae possessionem disquirit, censui, expensae, ratiocinii de omni re quam Episcopatus possidet, recensit; habet sub se Chartularium quo cum ista describit. Quater in anno de omnibus ad Pontificem rationem refert. Viduatae Episcopo Ecclesiae ipse curam habet, & omnia ejus bona usque ad alterius adventum administrat. Adest quoque ad dexteram Pontificis in judiciis ferendis.*

XIV. Dictus est autem magnus Oeconomus, eo quod plures essent Oeconomi, & omnibus praesideret aut antestaret. In magnis enim Ecclesiis plures eandem administrationem exercebant, quorum primarius dicebatur ὁ μέγας, vel ὁ πρῶτος, magnus, vel primus, ut ab inferioribus distingueretur. Hujus rei argumentum est Heraclii Augusti Nov. 2. in jure Orient. in qua prohibetur ne novae ejusdem generis dignitates creentur, donec Syncellorum numerus ad duos redactus sit; Cancellariorum ad duodecim, Defensorum ad decem, Scevophylacum, qui Presbyteri sint, ad quatuor, qui Diaconi ad sex, qui Lectores ad duos; praecipiturque ut hic numerus in posterum retineatur, nec ullus ei adjiciatur. Idem de caeteris majoribus Ecclesiarum Officialibus dicendum, licet in ista Novella non commemorentur. Ita Codinus, & Ecclesiasticorum officiorum notitiae. *Secundarius ex Diaconis, primus est inter communes Diaconos*, Protopapas, primus inter Presbyteros, qui iis praesidet; Protopsaltes, Praefectus Psaltis, & cantoribus; Primicerius Lectorum; Protonotarius, primus Notariorum, iis Praefectus.

XV. Perseverat adhuc apud Graecos haec dignitas quantum sub tyrannide Turcorum pati potest miserrimus illius Ecclesiae status. Verùm ab annis quingentis in Ecclesia Latina prope extincta est. Vigebat adhuc in Gallia, atque idem par est de caeteris Provinciis conjicere, cum Fulbertus esset Episcopus Carnutensis: Scribit enim Epist. 83. ad Ecclesiae Aurelianensis Oeconomum, qui ejus sententiam de quaestione difficili percontatus fuerat; Et Epistola 86. ad Robertum Regem, illi significat mandata sua *per R. sanctae crucis Oeconomum* accepisse. Sub finem ejusdem seculi Urbanus II. Oeconomatus ut dignitatis adhuc in Ecclesia vigentis mentionem facit, caeterisque majoribus adnumerat, 1. q. 3. C. *Salvator.* Nec centum annis post Fulbertuum extincta erat illa dignitas, ut constat ex Innocentii II. decreto in Concil. Lateranensi II. quod paulo ante retulimus.

XVI. Sed tandem mutato rerum Ecclesiasticarum temporali regimine, stata illa dignitas, aut in omnibus Occidentis Provinciis, aut in plerisque extincta est. Oeconomi tamen nomen, & illius umbrae perseverarunt. In Decretalibus Gregorii IX. unde jus canonicum in Ecclesiam Latinam ab annis quadringentis potissimum emanavit, Oeconomus dicitur Procurator ad certum tempus, aut designatam aliquam causam, ab Episcopo, quadam peculiari Ecclesia, aut Monasterio constitutus. Extr. de Juram. Calumniae C. Imperatorum. Conceditur Monachis si jurare nolint, *ut in suo Monasterio Oeconomum statuant, qui pro eis petere, & excipere, atque juramentum de calumnia, cum necesse fuerit, valeat exhibere.* Glossa ibidem, *Idem est Oeconomus quod Syndicus, sive Procurator, vel Actor, in causa Universitatis, sive Collegii.* De Officio Jud. Ordin. C. Cum vos. Quando Pastorum in Ecclesiis institutiones longo tempore, quaqunque de causa, contingit differri, vult Pontifex ut *appellatione remota ponantur Oeconomi qui debeant fructus percipere*, &c. Glossa in hunc locum, *Quando Patroni non concordant de praesentanda persona, vel malum praesentant, tunc debet Episcopus statim ponere Oeconomum, qui conservet bona Ecclesiae.* De Capellis Monachorum, C. Dilectus, exemplum habes Oeconomi qui pro Ecclesia sua litigat. Glossa dicit illum qui in textu dicitur Oeconomus, fuisse Ecclesiae suae procuratorem.

XVII. Autor Glossae in C. Salvator, 1. q. 3. ad nomen, Praepositum, scribit consuetudinem sui temporis, ut opinor, spectans, *Praepositum & Oeconomum nomina esse diversa, sed idem significare, sicut Primas & Patriarcha in dist.* 99. *c.* 1. Videtur Glossa respicere ad Canonicorum Praepositos, quibus erat olim bonorum temporalium ad Canonicos pertinentium cura demandata. Haec dignitas in quibusdam Ecclesiis, ut in Carnutensi, & Sanct. Martini Turonensis huc usque viget; sed licet opimis redditibus dotata sit, omni tamen prorsus onere liberata est. Ideo cum Praepositurae illae sint opimae admodum, sed otiosissimae, & desidiosissimae, ab omnibus affectari plurimùm & ambiri solent. De Electione. C. Avaritiae, in Sexto, prohibetur Electo ad quamcumque dignitatem, ne Ecclesiae administrationem in spiritualibus vel temporalibus capessat, *sub Oeconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore, per se vel per alium*, &c. donec confirmata fuerit ejus Electio. Ecclesiis vacantibus solent creari Oeconomi, quorum officium Electo confirmato finitur. Lege de hac re Concilium Tridentin. sess. 24. de reformat. c. 16. Toto illo capite varia de Oeconomorum institutione praecepta tradit: Sat erit prima capitis verba referre. *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel*

vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.

CAPUT VI.

De Defensoribus Ecclesiarum.

Defensores non fuerunt ante Christianos Imperatores. Eorum creandorum causa & occasio demonstrantur. Defensores cur civitatibus & pagis creabantur. Istius officii duratio & eorum munera explicantur. Cum Cleri consensu eligendi erant. Defensorum Ecclesiasticorum officia. Leviores causas judicabant, graviores ad Episcopum remittebant. Quis primus eos ad primum officialium Græcorum ordinem evexit. Eorum functiones e variis Græcorum Notitiis eruuntur: Antiquitus ad alia extensas. Sanct. Gregorius auctoritatem tantùm temporalem illis deferebat. Varios Defensores variis Patrimoniis destinabat. Creationis formula editur. Qualis & quanta potestas illi tributa. Exempla institutionis Defensori à S. Gregorio datæ. Clerici potissimum eligebantur in Defensores. Sic semper S. Gregorius. Aliquando tamen electi Laici.

I. QUarto & postremo loco nobis est de Ecclesiarum Defensoribus agendum, de quibus octo præcipuè capita nobis occurrunt explicanda. Primum quæ fuerit hujus dignitatis Ecclesiasticæ instituendæ causa & origo. II. De origine & munere Defensorum civilium. III. Circa quæ versabatur Defensoris Ecclesiæ munus, & jurisdictio. IV. An necessariò Clerici fuerint. V. Quosdam initio Laicos fuisse. VI. Cui Clericorum ordini hæc dignitas deferebatur. VII. Illis Jurisdictionem spiritualem concessam non fuisse. VIII. Quinam Romæ dicebantur Defensores Regionarii. Hæc ordine prosequemur.

II. Defensores Ecclesiarum ante Romanum orbem à Christo domitum in Ecclesiis fuisse, nullis, ut opinor, documentis demonstratur; nec etiam recta ratio permittere videtur, ut eos tum fuisse conjici possit. Defensores enim potissimum instituti sunt, ut pro Ecclesiæ, personarumque ecclesiasticarum defensione, earum privilegiis, immunitatibus, & prærogativis tuendis apud Principes, & summos Magistratus intercederent. Contingit enim semper in omni Republica quantumlibet bene constituta, ut nonnulla violenter contra leges à potentibus, & pervicacibus hominibus perpetrentur, quæ Magistratus ordinarii autoritate non facilè vindicantur, sed ad ea corrigenda, & restinguenda, opus sit supremam Principis potestatem invocare. Hoc in Ecclesia Christiana contingere sæpissimè deprehensum est. Cum enim armis autoritatem suam non tueatur, & lata in rebelles Excommunicatione, nihil amplius habeat, quod in eos agat, accidit sæpenumerò ut contemptis, susque deque habitis ecclesiasticis censuris, pervicaces & seditiosi homines in Ecclesiam, ecclesiasticasque personas ferocius insurgant, universumque Catholicum cœtum tumultibus impleant. Deinde propter multas Ecclesiæ cum imperio necessitudines, uniusque cum altero connexionem atque individuam societatem, fieri aliter non potest quin nonnunquam unum cum altero conflictetur. Suscipit insuper Ecclesia ex antiquissimo usu, & singulari Dei providentia, Pauperum, Orphanorum, Viduarum, aliarumque miserabilium personarum curam & protectionem. Verùm cum Ecclesia inermis sit, ac consequenter injuriis exposita, à Magistratibus Urbicis & Provincialibus, necnon à multis privatis personis vexari, turbari, opprimi contingebat, & inde afflictorum protectionem quam susceperat, inutilem esse, cum ipsa sese tueri, sibique sufficere non posset. Quapropter Ecclesiis Defensores dari oportuit, eosque autoritate seculari armari, ut Ecclesiam, personasque illius fidei commendatas, vel autoritate sua tuerentur; vel, saltem ut Procuratores, causas earum civiles & criminales apud Imperatores, eorumque judices & legatos prosequerentur. Hæc est Defensorum Ecclesiasticorum causa & origo: Ex qua constat officium istud à Christianis Imperatoribus initium duxisse; & ante eos apud Christianos rem & nomen inusitata fuisse. Quæ dicta sunt, Antiquorum testimoniis probare & illustrare operæpretium.

III. Concilium Milevit. c. 16 sic decernit, *Placuit etiam ut petatur à gloriosissimis Imperatoribus, ut jubeant Judicibus dari petitos sibi defensores Scholasticos, qui in actu sint, vel in officio Defensionum causarum Ecclesiasticarum more Sacerdotum Provinciæ, ut iidemipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum callide decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi Judicum Secretaria.* Hic canon repetitur in Conc. Afric. c. 64. additurque initio quæ Defensorum Institutionem non parum illustrant. *Placuit etiam utpetant ex nomine Provinciarum omnium, legati perrecturi Vincentius & Fortunatianus a glorissimis Imperatoribus, ut dent facultatem Defensores constituendi Scholasticos qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum Provinciæ*, &c. ut supra. Eadem verba leguntur in eodem Concilio Græcè reddito, c. 97. in postrema Conciliorum editione Colonienſi, & apud Balsam. c. 100. Ex quibus evidenter colligitur Defensores istos ab Episcopis summè desideratos propter necessitates à nobis enarratas, & ab Imperatoribus, petitos & iisdem de causis esse concessos.

IV. Alia

IV. Alia inſuper ratio c. 9 Concilii Carthag. A V. reſertur. *Ab Imperatoribus, univerſis viſum eſt poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia; ut Defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.* Itaque pauperum cauſas Epiſcoporum nomine Defenſores agebant. Hoc autem non eſt tantùm de pauperibus intelligendum, ſed ex æquo de Viduis & Orphanis quorum curam Eccleſia non ſecus ac Pauperum ſuſcipiebat. Can. Carth. conſentit S. Gregor. l. 4. Ep. 25. aliiſque multis in locis. Ait enim Vincomalem Defenſorem ſe conſtituere, *ut quidquid pro Pauperum commodis tibi à nobis injunctum fuerit, incorruptè & vivaciter exequaris, uſurus hoc privilegio quod in te habita deliberatione contulimus, ut omnibus quæ tibi à nobis fuerint injuncta complendis, operam tuam fidelis exhibeas, &c.*

V. Hæc fuit Defenſorum inſtituendorum prima, ut opinor, cauſa, ſive occaſio; Verùm illis inſtitutis ad alia multa prorogata eſt eorum autoritas, quam nunc breviter ex antiquis monumentis deſcribemus. Sed antequam hoc aggrediamur, operæpretium mihi videtur de civitatum Defenſoribus aliquid dicere. Inſtar enim Defenſorum civilium, atque eaſdem ob cauſas Eccleſiaſtici mihi videntur inſtituti, quod ex dicendis Lector intelliget. Ut Roma habebat Senatum, Conſules & Tribunos plebis; ſic & multæ urbes ſub illius imperio habebant pro Senatu Curiam, pro Conſulibus Duumviros, pro Tribunis Defenſores plebis, qui nonnunquam in jure Defenſores locorum, Patroni, & Defenſores Ruſticorum dicuntur, l. 3. 4. Cod. de Defenſor. Civitatum l. 1. Cod. de off. Jurid. Alex. Horum munus erat quinquennale l. 4. Cod. de Defenſor. Civit. Sed poſtea Novell. 15. biennio definitum eſt. De cauſis civilibus ad certam uſque ſummam cognoſcebant; leviora quoque crimina judicabant, ſed graviora ad Præſidem remittere tenebantur. Plura legenda ſunt eadem Novella 15. & Cod. de Defenſoribus civitatum, & nonnullis aliis titulis in quibus obiter de iis fit mentio. Sed ad propoſitum noſtrum iſta non D faciunt: Inſtitutionis occaſionem tantùm referemus.

VI. Illa ex ipſorum munere potiſſimum petenda eſt. L. 4. Cod. eodem de Defenſoribus civit. Sic eorum munus deſcribunt Imperatores, *Ut in primis parentis vicem plebi exhibeas, deſcriptionibus ruſticos, Urbanoſque, non patiaris affligi: Officialium inſolentia, & Judicum procacitati, ſalva reverentia pudoris, occurras: Ingrediendi cum volet ad Judicem liberam habeas facultatem; ſuperexigendi damna vel ſpolia plus petentium ab his quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quicquam ultra delegationem ſolitam ab his exigi quos certum eſt niſi tali remedio non poſſe reparari.* Lex ſequens paucis verbis idem exprimit, *Plebem vel Decuriones ab omni improborum inſolentia & temeritate tueantur, ut id tantum quod eſſe dicuntur, eſſe non deſinant.* Et l. 6. *Non ſinant crimina impunita cœleſcere, removeant patrocinia quæ favorem Reis, & auxilium ſceleroſis impertiendo, maturari ſcelera fecerunt.* Cauſæ ſimiles Epiſcopos ad Defenſores Eccleſiarum petendos & conſtituendos primùm impulerunt, ut enarratum eſt. Lege autem cautum erat ne alii quàm Chriſtiani hoc officio fungerentur; ideo ne fraus fieret Epiſcoporum & Clericorum conſenſus in eorum creatione erat neceſſarius. L. 8. Cod. eodem, & in §. Inferiores Authent. eodem.

VII. Quemadmodum Defenſoribus civilibus juriſdictionem aliquam concedebant Imperatores: Judicabant enim cauſas pecuniarias inter ruſticos, & pauperes, vileſque civitatis perſonas, aliorumque civium, ad quinquaginta uſque Aureos; Leviora quoque crimina audiebant, & puniebant. Ita quoque Epiſcopi nec non Concilia Defenſoribus Eccleſiarum juriſdictionem non contemnendam detulerunt. Nunc nobis inquirendum circa quæ verſabatur, quod tertio loco nobis propoſuimus. Plures erant Conſtantinopoli Defenſores; ideo qui cæteris eminebat πρωτοίνδιξ & dicebatur, *Primus Defenſor.* Antiquæ quædam Notitiæ illius juriſdictionem angu- B ſtis limitibus definiunt. ὁ πρωτοίνδιξ κρίνει μετὰ δώδεκα ἐνδίκων μικρὰς ἀναφορὰς τὰς εἰσερχομένας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· αἰναφέρει δὲ ταύτας τῷ ἀρχιερεῖ. *Primus Defenſor cum duodecim aliis Defenſoribus leves cauſas ad Eccleſiam delatas judicat, eaque ad Epiſcopum refert.* Alia Notitia, ὁ πρωτοίνδιξ κρίνει ἐν προσώπῳ τοῦ ἀρχιερέως· κρίνει δὲ ἀναφορὰς μικρὰς μετὰ τῶν δύο ἐνδίκων, τὰς εἰσερχομένας εἰς ἀπορρητον. *Primus Defenſor Index eſt vice Epiſcopi; & cum duobus aliis Defenſoribus lites parvi momenti judicat, quæ ad Epiſcopatum deferuntur.* Rem antiquitus ita ſe habuiſſe, ut teſtantur iſtæ notitiæ, autor eſt Joannes Citri Epiſcopus lib. 5. Juris Orientalis. *Primi*, inquit, *Defenſores officium, cum antea eſſet inter inferiora, poſt in eminentiorum ordinem ſtatutum eſt à beatæ memoriæ Patriarcha Conſtantinopolitano Georgio Xiphilino. Hanc autem actionem ſubſecuta eſt præclara ſententia ſancti Metropolitani Theſſalonicæ Euſtathii, id laudans & extollens, ut juſtè, & extra reprehenſionem factum.* Xiphilinus autem ille Patriarcha vivebat circa annum Chriſti 1194. Ab eo tempore primis Officialibus æquatus eſt, ipſiuſque autoritas ſupremis par facta. Antea, ut illæ Notitiæ nos docent, tertii quinarii Officialium primus tantùm erat. Iſtud Defenſorum officium, prout notitiæ explicant, ab antiquo fine propter quem inſtituti ſunt, degeneraſſe videtur, aut obſcurè, & generatim nimis illud explicant. De generis hujus variationis cauſa potuit eſſe quam Joannes Cypri eodem loco notat, Epiſcoporum ſcilicet voluntas à qua pendent ejuſmodi officia. *Inde*, inquit, *nec officiorum conditio in ſua firmitate manſit, ſed juxta Epiſcoporum placitum immutata eſt. Confuſio autem ipſa in eorum multis vigorem tandem legis obtinuit.*

VIII. Quidquid ſit, aut Defenſorum munus in nonnullis Provinciis immutatum fuit, aut antiquæ quædam Notitiæ ſeſe non ſatis explicaverunt. Poſtquam tamen inter officia primæ claſſis collocatum fuit, ita illud à Græcis definitum eſt, ut primæ inſtitutionis radii quidam illuxerint. Codinus Defenſoris primi officium ita deſcribit, εἰς τὸ ἀνταμβά-

νεως τοὺς αἰχμαλώτους, & κειμὲν τῶν ἐγκλημα- A
τικῶν ὑποθέσεων, Institutus est *ad adjuvandum & protegendum captivos, atque ut sit Index causarum criminalium.* Vaga est Codini descriptio. Non definit enim inter quos criminales illæ causæ vertantur, an utraque pars disceptans Ecclesiastica esse debeat, an una tantùm: An disceptantes Clerici sint ordinis inferioris, an etiam Presbyteri & Episcopi. Defensores quidam Constantinopolitani jurisdictionem suam in præjudicium Chartophylacis ad quoslibet Presbyteros & Diaconos prorogare conati sunt, argumentoque Libri cujusdam, cui nomen erat *Defensoris officium* abutebantur, in quo legebatur, *Si quis Presbyterorum & Diaconorum cum aliquo litem habuerit, eum qui accu-* B *satur, oportet tertium citare juxta indicatum modum, & non parentem condemnare.* Verùm contra ejusmodi Defensores peculiari opusculo disputans Balsamon, hæc verba ex ipso textu & nonnullis evidentibus argumentis quæ in jure Orientali pag. 455. legi possunt, restringit ad eos quos Presbyteri aut Diaconi ad Defensorum tribunal arcessunt, χάριν ἐλευθερο-βοῦντων, ἢ δουλαγωγουμένων, ut libertatem inclamantes protegant, aut in servitutem abreptos defendant. Hoc solum actionis genus primo Defensori Constantinopolitano, & qui sub eo sunt Defensoribus competere asserit, commentario in can. 78. Carthag. Itaque causæ illæ criminales à Codino memoratæ ad afflictas C ejusmodi personas ex Balsamonis mente referendæ videntur. Sic & Zonaras in can. 3. Chalcedon. dicit Ecclesiam certorum hominum patrocinium suscipere, *Tales sunt*, inquit, *qui Dynastarum metu, per quos injustè vexantur, ad Ecclesiam confugiunt; quive, licet aliquid forte offenderint, suppetias sibi nihilominus ab Ecclesia ferri postulant; tales qui cum liberi sint, servitutem servire coguntur; caterique hujusmodi, di ἄς ἰκέσιοι γίνον) propter quos sublevandos Defensores creantur.* Ad hæc Zonaræ verba videtur Blast. respexisse, c. 33. τοῦ E elementi. *οἱ ἢ βοηθείας δεόμενοι, ἤτοι ἀρ' ἧσιν, οἱ ἢ ἐκκλησίᾳ πρόσφυγὲς ἐπιρείας δυναστῶν ἐκτρεπόμενοι, ἢ οἱ περὶ τὰ πλαίσιον τες, ἢ εἰς δουλείαν ἑλκόμενοι,* D *καὶ ζητοῦντες ἐπικουρίαν, di ἃς καὶ ἱκέσιοι γίνον). Illi autem opus habent auxilio Ecclesiæ qui ad eam confugerunt, ut potentum violentiam vitarent. Vel qui prius aliquid deliquerunt; vel in servitutem abducti auxilium implorant, propter quos tuendos Defensores instituti sunt.*

IX. Eandem limitationem videtur etiam Codinus intellexisse. Paragrapho enim superiore agens de Chartophylace, ejus cognitioni omnes causas Ecclesiasticas, etiam matrimoniales, attribuit. Solæ igitur causæ ejusmodi miserabilium personarum, quæ per analogiam quandam Ecclesiasticæ dici possunt, ad Defensores Constantinopolitanos pertinebant. Balsamon tamen eodem loco juris Orientalis, E paulò latiùs quàm libertatis conservandæ aut recuperandæ causa, Defensorum jurisdictionem diffundit: Eam enim ad omnes extendit qui ad Ecclesiam confugiunt, quibus opitulari debet quando & quomodo jubent leges. Quo sensu Turcograeciæ autor non malè πρωτοίκδικον interpretatur pag. 218. qui confugientes ad Ecclesiam recipit. Antiqua quoque Notitia è Bibliotheca regia, ὁ πρωτοίκδικος τοὺς πρόσφυγας ἀναδεχόμενος, & κείμενον τὰς ἐκκλησιαστικὰς ὑποθέσεις. *Primus Defensor suscipit transfugas, & quæstiones Ecclesiasticas judicat.* Alia Notitia perspicuè magis illa declarat, ὁ πρωτοίκδικος ἐχει τὴν οἰκονομίαν τῶν ἰκδίκων, & τὰ ἀναλαμβάνειν τῶν ζητούντων τὴν ἐκκλησιαστικὴν βοήθειαν χάριν ἐλευθερίας, & τῶν λοιπῶν πρόσφυγων, ἐπὶ ἀντιποιήσει, & ἰκέτικῶν λόγω τῶν ὑπηρετούντων αὐτούς. *Primus Defensor habet sub regimine suo cæteros Defensores, auxiliaturque eis qui libertatis tuendæ causa protectionem Ecclesiæ implorant, & ad eam confugientes suscipit, atque ab affligentibus eos & vexantibus defendit.* Servorum libertatis causa ad Ecclesiam confugientium exemplum, & Alexii Comneni Imperatoris hac de re illis faventis legitur Juris Orientalis lib. 2. Novella illius Imperatoris 11. Hinc patet quousque apud Græcos prorogata fuerit ista jurisdictio.

X. Defensorum jurisdictionem olim ad alia se extendisse, etiam apud Græcos, ex canone 23. Chalcedon. colligitur. Edicit enim adversus nonnullos Clericos & Monachos, qui sine Episcopi sui mandato Constantinopoli otiosi commorabantur, *ut ii prius à sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Defensore admoneantur ut imperialis urbe excedant. Si autem in isdem negotiis impudenter perseverent, ut per eundem Defensorem ejiciantur, & in propria loca revertantur.* L. 33. §. 2. *Cod. de Episcopis & Clericis.* Quum Clerici in propriis actibus & contractibus lite pulsantur, Defensores Ecclesiarum ad quas pertinent, præbere tenentur in fidejussores. Et § 4. Oeconomus Ecclesiæ pro rebus Ecclesiasticis conventus, Defensoris Ecclesiæ fidei committendus est. L. 42. §. 10. Ecclesiæ Defensor inquirere potest in Clericos quoscunque, qui cum Liturgia celebratur, officio suo, & præsertim psalmodiæ, non vacant.

XI. Sanct. Gregorius sæpissimè de istis Defensoribus in Epistolis scribit, magnamque illis autoritatem tribuit. Sed præterita autoritate quam jure communi domi, id est, in Ecclesiis propriis fruebantur, de ea tantùm verba facere solet, quam ipse & Prædecessores ipsius extra Romam illis delegare solebant. Mos erat antiquitus Romanorum Pontificum varios Defensores cum ampla potestate in exteras Provincias mittere, qui Patrimonia ibidem Ecclesiæ Romanæ subjecta regerent. Velut videre est lib. 7. Indict. 11. Epist. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 23. 39. lib. 2. ep. 21. & aliis pluribus quorum nonnullas alia de causa infra referemus. Istorum Defensorum in Patrimoniis Ecclesiæ Romanæ instituendorum formula ex Epist. Greg. 17. ad Rom. quem Defensorem instituebat, facilè colligitur, *Propositi nostri cura nos admonet Ecclesiasticas utilitates strennis agendas mandare personis, & ideo quia te Romanum Defensorem fidelem solicitumque esse probavimus extitisse, patrimonium sanctæ Romanæ cui Deo miserante deservimus, Ecclesiæ, in partibus Syracusanis, Catinensibus, Agrigentinis, vel Milensibus constitutum, à præsenti secunda Indictione gubernationi tuæ pervidimus committendum. Unde necesse est te illic indifferenter accedere, ut*

divini conſideratione judicii, noſtræ quoque admonitionis memoria, te efficaciter ac fideliter ſtudeas exhibere, ut nullius neglectus vel fraudis, quod abſit, inventaris ſuſtinere periculum. Magis autem id agas, quatenus de fide & induſtria tua divina poſſis gratia commendari. Ad familiam vero ejuſdem Patrimonii ſecundum morem præcepta direximus, ut nihil ſit quod te, ad peragenda ea quæ tibi injuncta ſunt, in aliquo valeat impedire. Eadem formula confirmatur ex nonnullis aliis epiſtolis, ut ex 34. lib. 9. Indict. 4. & 46. l. 10. Indict. 5. quæ adverſus eos ſcriptæ ſunt qui ſine ejuſmodi Epiſtola nomen Defenſoris ſibi arrogabant, quos ideo jubet graviter puniri.

XII. Qualis autem quantáve fuerit poteſtas Defenſoribus tribui ſolita, Epiſtola ſequente ad colonos Patrimonii Syracuſani de more ſcripta, evidenter explicat S. Gregorius, quam ideo hic inſerimus.

Gregorius colonis Patrimonii Syracuſani. Cognoſcatis volo, quia ad ſollicitudinem vos Defenſoris noſtri diſpoſitio noſtra pertinere conſtituit. Et ideo præcipimus ut ea quæ vobis peragenda pro utilitatibus Eccleſiaſticis previderit, & injunxerit, ſine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus poteſtatem ut eos qui inobedientes, vel attentaverint contumaces exiſtere, diſtricta ultione corripiat. Pariterque illi demandavimus, ut mancipia quæ foris latitant, vel à quoquam aliquis fines invaſi ſunt, ſollicitudinis ſuæ inſtantia jure Eccleſiaſtico revocare non differat. Hinc unicuique in promptu colligere eſt autoritatem hac charta conceſſam fuiſſe tantùm œconomicam, & circa res Eccleſiæ, colonoſque ejus, & mancipia exercitam: cujus rei exempla nonnulla in Epiſtolis Sanct. Gregorii proſtant, ut lib. 10. Epiſt. 27. 46. & lib. 11. Epiſt. 62. in quibus legere eſt ejuſmodi abſolutæ juriſdictionis in dictas perſonas exercitium, ita ut etiam in exilium relegare Defenſori concedatur. S. Gregorius præterea literas ſcribit ad Magnates Patrimonio vicinos, ut Defenſori ſuo gratiam apud eos conciliet, qua fretus illud facilius regere poſſit, ut conſpicere eſt in tribus literis eam quæ ad colonos Eccleſiæ miſſa eſt, ſequentibus.

XIII. Verùm quando res erat Defenſori cum aliis quàm cum perſonis Eccleſiæ Romanæ obnoxiis, cum hominibus ſcilicet liberis, longè aliter à Sanct. Gregorio inſtruebatur, ita tamen ut autoritatis ſpiritualis nihil mihi videatur conceſſum. Operæpretium eſt viri ſancti inſtructionem huc referre. Ita ſcribit Fantino Defenſori l. 10. Ep. 4. Quæſtio erat de quodam fundo ſeu maſſa eccleſiaſtica quam ſibi Eccleſia Panormitana contra Victorem quendam Epiſcopum vendicabat, *Ideo experientia tua reverendiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Victorem ſervato honore commoneat, ut aut pacificè cauſam ipſam ſine dilatione ſtudeat terminare, aut certè ſi utilius ſibi eſſe crediderit, eam judicio definiri, omni mora ceſſante, vice ſua perſonam legaliter inſtituat, qua de eadem maſſa apud glorioſiſſimum filium noſtrum Dominum Venantium Patricium, & experientiam tuam, deleat ſubire judicium, ut cauſa ipſa poſſit cognita veritate diſtingui; aut certè alios ſibi, ſi partes voluerint, te imminente eligant Cognitores: Et quidquid A mediis ſacro-ſanctis Evangeliis ab eis fuerit ſtatutum, ita lege ſervata, tua volumus ad effectum executione perduci, ut nihil inter partes remaneat, unde poſthac recidivo poſſint litigio fatigari.* Autoritatem dat Pontifex Defenſori ſuo non tam judicandi cum Venantio in hac cauſa, quàm arbitrandi; cùm litigantibus integrum eſſet Judices alios eligere. Quidquid ſit cauſæ cardo circa rem temporalem tantum verſatur.

XIV. Epiſtola ejuſdem libri 47. quæſtio agitur de recuperando Eccleſiæ ſervo quem ſibi vendicabat Saluſtius vir clariſſimus. Monet Defenſorem ut Electorum Judicum ſententia terminetur; ipſe verò quod definitum fuerit, diligenter exequatur. Libro vero 9. Indict. 4. ep. 35. 36. Conquerebatur Fauſtus quidam, homo liber, partem poſſeſſionis ſuæ ab Epiſcopo Syracuſano vi eſſe ereptam. Scribit Defenſori Gregorius hoc illi ſi cognitum fuerit, provideat, ut apud Judices electos cauſa agatur. Libro quoque 11. Epiſt. 59. Conquerente Matrona quadam aliquid à Vitale Defenſore ſibi & Monaſterio injuſtè ablatum, jubet Pontifex ut electorum Judicum ſententiam ſubeat. Agitur ſemper de re temporali, daturque illis poteſtas Judicum eligendorum, aut etiam judicio cum eis aſſidendi. His exemplis & teſtimoniis, qualis, quantàve fuerit poteſtas Defenſoribus tribui ſolita conſtare videtur.

XV. Diſpiciendum quarto loco eſt, an Defenſores illi Clerici fuerint, an Laici, an verò ex utroque genere eligerentur. Balſamon in opuſculo de Chartophylace & primo Defenſore, contendit Defenſores antiquitus tantùm Laicos fuiſſe, atque hoc eſſe manifeſtum ex can. Carthagin. 75. apud Zonaram 81. & Balſam. 78. *De Defenſoribus Eccleſiarum qui ab Imperatore peti debent, viſum eſt univerſi petendos ab Imperatoribus propter afflictionem pauperum*, &c. Idem rurſus probat ex Novella 15 cujus verba refert, *Defenſores ex Incolis cujuſlibet urbis per vices eligi, licet illuſtres aliqui ſint, & clariſſimi, atque hoc duntaxat biennio defenſionis munus ſuſtinere.* Repetit ſed pluribus verbis hoc idem teſtimonium ex eadem Novella commentans can. 78. Carthaginenſis collectionis. Sed ad rem non facit Novella illa cum loquatur de Urbium Defenſoribus, qui Magiſtratus erant inſtar Tribunorum Romanorum civitatibus dati, ut jam explicatum eſt. Ideo nihil mirum ſi Laici erant ejuſmodi Defenſores.

XVI. Dico igitur ex antiquis monumentis conſtare iſtos Eccleſiarum Defenſores potiſſimum fuiſſe Clericos. Dicit enim Synodus Chalced. *Si Oeconomum aut Defenſorem aut Paramonarium promoveat Epiſcopus*, &c. Sed Oeconomus erat Clericus, ergo & Defenſor. Deinde dignitatem illam conferebat Epiſcopus: Probabiliſſimum eſt igitur nulli alii quàm Clerico illam contuliſſe. Præterea ejuſdem Conc. can. 23. autoritatem dat Defenſori Conſtantinopolitano urbe ejiciendi Clericos & Monachos in ea ſine Epiſcopi mandato diverſantes, eoſque domum repetere cogendi. Sanè non videntur Patres Laico homini

pote-

potestatem istam in Clericos & Monachos concessuri. Hoc confirmat ejusdem Concilii actio 1. in qua sæpius refertur Joannes quidam Presbyter & Defensor; & infra videbimus quendam Romanum Defensorem Sacerdotali dignitate insignitum. Solebat enim Gregorius Defensores & Rectores Patrimoniorum Ecclesiæ Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos constituere, ut legere est in ejus vita apud Joannem Diaconum lib. 1. c. 53. Imo & Episcopos, ut ipse testatur, lib. 10. Epistol. 46.

XVII. Id potissimum confirmatur Sanct. Gregorii testimoniis qui sæpissimè ad ejusmodi Defensores scribit, vel eos suis Epistolis instituit. Lib. 4. Indict. 13. Ep. 25. *Ecclesiastica utilitatis intuitu, id nostro fecit arbitrio, ut si nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuisti Clericus alterius civitatis, aut in nullo tibi canonum obviant instituta, officium Ecclesiæ Defensorum accipias.* Illa conditio, *nec fuisti Clericus alterius civitatis*, docet Defensores oportere esse Clericos, sed illius Ecclesiæ cujus sunt Defensores. Eadem iisdem verbis leguntur lib. 9. Indict. 4. Epist. 33. Præterea lib. 7. Ep. 17. concedit Gregorius Defensoribus ut in quolibet Clericorum conventu, absente Pontifice, sedeant. Sæpe etiam causas Ecclesiasticas, aut saltem quæ ad bona Ecclesiastica pertinebant, dijudicabant, jubente sic Pontifice, atque etiam aliis Episcopis: Quod certè aliis quàm Clericis permissum non fuisset, ut videre est lib. 7. Indict. 1. epist. 10. & lib. 8. ep. 26.

XVIII. Hoc evidenter confirmat Joannes Diaconus lib. 2. vitæ Sanct. Gregorii c. 11. Laicos enim omnes ab omnibus domesticis muneribus removit, nedum ab Ecclesiasticis: *Cæterum prudentissimus Rector Gregorius remotis à suo cubiculo secularibus, Clericos sibi prudentissimos Consiliarios, familiaresque delegit; inter quos Petrum Diaconum coætaneum suum, cum quo postea disputans quatuor Dialogorum libros composuit, Æmilianum quoque Notarium, qui quadraginta homilias Evangelii cum sociis suis excepit. Paterium aque Notarium qui ab eo secundicerius fallus, ex libris ipsius aliqua utilissima defloravit, & Joannem Defensorem, qui ejus jussu in Hispanias cognitor destinatus Januarium Episcopum civitatis Malacitanæ ab Episcopis suis Compatriotis depositum sedi propriæ restituit, & depositores ejus cum eo qui in locum ejus obrepserat, pari sententia condemnavit.* Non modo igitur Defensores, sed etiam Notarii à S. Gregorio creati, Clerici erant. Idem Joannes c. 15. sic scribit, *Nemo Laicorum quodlibet Palatii ministerium, vel Ecclesiasticum Patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici viri subibant; nimirum Laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli Procerum sub obtentu religionis primò tonsurare cæperunt.* De ejusmodi hominibus loquitur S. Gregorius l. 10. epist. 46. quos Tonsuratores vocat, (Legendum potius tonsuratos,) qui autoritate propria Defensorum nomen assumebant. Istos homines qui plures erant in Sicilia, jubet Romanum Siciliæ Defensorem examinare, atque ad se referre, ut si qui ad id munus idonei sunt, eos literis suis erect.

XIX. Quibusdam tamen in locis Defensores Ecclesiarum ex Laicis creabantur, ut apertè nos docet Zosimus Pontifex in fine Epistolæ primæ, *Sanè ut etiam Defensores Ecclesiæ qui ex Laicis sunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.* Observatio illa est, ut gradus sive ordines inferiores suscipiant, antequam superioribus insigniantur. Hoc Zozimi Decretum inseritur Ordini Romano, & plerisque antiquis Ritualibus manuscriptis, initio ritus Ordinationis veluti admonitio Ordinandis facienda. Unde manifestum videtur non infrequenter olim Defensores è Laicis eligi solitos. Defensores igitur Ecclesiæ nonnunquam è Laicis eligebantur, quod ne fieret amplius, exemplo suo docuit S. Gregorius, ut ex Joanne Diacono didicimus; Imo & præcepto. Sic enim scribit l. 7. Epist. 66. *De cætero cavendum à fraternitate vestra est, ne secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus cujuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio Clericis, in quibus si quid reperiri poterit pravitatis ut in subditis emendare quod illicitè gestum fuerit, valeatis; quos videlicet apud vos habitus sui officium magis commendet quàm excuset.* Optima sanè ratio: Prohibet Sanctus ne Laicis patrimonia Ecclesiastica commendentur; eo quod Laicis iniquæ dispensationis pœna ab Episcopo infligi non possit.

XX. Laici quoque erant ii quos commemorant canones Carthaginenses supra citati. Neque tantum Laici erant, sed etiam in tribunalibus secularibus Advocati, & causarum Patroni, ut ex canonum verbis evidenter constat; talesque præ cæteris videntur optasse sibi Patres Africani, *ut iidem ipsi*, inquiunt, *qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum callidè decipientibus vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi Judicum secretaria.* Alios tamen Ecclesiarum Defensores, vel simul cum istis fuisse, vel saltem antequam isti in Africa constituti fuissent, ex ipsis canonibus colligitur. Petunt enim ejusmodi Defensores Laicos, ut more Sacerdotum Provinciæ causas Ecclesiasticas procurent, & possint insuper, necessitate exigente, Judicum Basilicas & Secretaria penetrare. Collectio Græca apud Balsamonem c. 100. expressius, *ut tanquam Provinciæ Sacerdotes, iidem Ecclesiarum defensione susceptâ*, &c.

CAP. VII.

Defensores olim apud Græcos erant Presbyteri, nunc Diaconi. Apud Latinos inferioribus ordinibus potissimum tributi. Monachis olim concessa hæc dignitas. Autoritas illis delata non erat in res spirituales, neque in Presbyteros, multo minus Episcopos. Pontifices multa commiserunt Defensoribus Patrimoniorum Ecclesiæ Romanæ commoditatis causa, quæ ad Defensoris officium non pertinebant: Quod aliis Episcopis ob autoritatis defectum non licuit. Hujus commissionis multa exempla referuntur. Delegatio quæ Defensoris autoritatem excedebat, Defensori Presbytero committebatur.

I. SExto nobis propositum fuit definire cui Clericorum gradui hæc dignitas deferri antiquitus solebat. Constat ex Concilio Chalcedonensi dignitatem illam tum temporis apud Græcos Presbyteris conferri solitam. Refert præterea Codinus antiquitus Presbyteros & Parœcos ea donatos, sed quendam Patriarcham hanc dignitatem cum quibusdam aliis ad Diaconos transtuliſſe, ut ipsi possent cum majori splendore sibi ministrare sacra facienti. Ab eò tempore in hunc usque diem hæc dignitas apud Græcos Diaconis semper confertur. Joannes tamen Citri Episcopus scribit quatuor Defensorum officium Presbyteris maximè convenire. Probabile tamen existimo hanc dignitatem in Ecclesia Romana potissimum Diaconis & Subdiaconis atque etiam Acoluthis fuisse concessam, eo quod præcipuum Defensorum munus quod in miserabilium personarum protectione consistit ad Diaconorum & Subdiaconorum officium & institutionem proximè spectat. S. Gregorius de Defensoribus sæpissimè scribit, vix tamen, si unum aut alterum locum excipias, aliter eos quàm Defensoris nomine vocat. Ideo sicut ex illius scriptis evidenter demonstratur illos esse Clericos; ita difficile ex iis demonstratur ad quem præcisè Clericorum ordinem pertinuerint.

II. Gelasius l. c. 2. Epist. 9. ad Lucaniæ Episcopos, non modo Monachos istius dignitatis compotes esse scribit; verumetiam innuit inferioribus ordinibus esse concedendam. *Si quis etiam de religioso proposito, & disciplinis Monasterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat, in primis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur: Si nullo gravi facinore probatur infectus, &c. Ut si his omnibus quæ sunt prædicta, fulciatur, continuò Lector, vel Notarius, aut certè Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus, &c.* Videtur ex Gelasii sententia Monachus Clericatum susceperus Defensoris dignitate, ut ordine aliquo inferiori donandus, & insigniendus. Quidquid sit ex Gelasii verbis colligitur insignem illam dignitatem suo tempore inferioribus Clericis nonnunquam delatam fuisse. Pelagius tamen Pontifex non judicabat dignitatem istam Monachis convenire. Ideo Antoniam Patriciam quæ ægrè ferebat Monachum quendam cui favebat, Defensoris dignitatem non esse assecutum, consolatur, quod ea Monachum à proposito suo avocet, nec possit quæ Deo promisit, adimplere. Quod ut probet, præcipua Defensoris officia ante oculos Antoniæ exponit, & Monachorum professioni opponit. *Illic enim quies, oratio, labor manuum: At hic, Causarum cognitio, conventiones, actus, publica litigia, & quæcunque vel ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit.* Hoc referunt Ivo p. 7. c. 23. Gratianus 12. q. 1. C. *De Præsentium.* Sed aliud est actionem aliquam alteri præferre, aliud improbare, aliud condemnare & prohibere. Quidquid sit, ex desiderio istius Monachi, & Antoniæ Patriciæ favore, evidenter colligitur Monachis dignitatem istam aliquando fuisse collatam.

III. Idem demonstrat ritus antiquus de officio Missæ, initio ordinis Romani editus. Explicantur minutim ceremoniæ, cum Missam solemniter celebrat Pontifex, observari solitæ. Sæpius commemorantur Defensores, Defensores Regionarii, Primicerius Defensorum, semperque locus illis in ea sacra pompa inter inferiores Clericos assignatur: Col. 11. *Diebus itaque solemnibus, sicuti est Pascha, primò omnes Acolythi regionis tertiæ, & Defensores omnium regionum, &c. præcedunt Pontificem pedestres ad stationem.* Et Col. 15. *Primicerius, & Secundicerius, & Primicerius Defensorum cum omnibus Regionariis, & Notariis ascendunt ad altare, & stant in ordine suo.* Ex dictis duo manifesta videntur: Prius dignitatem illam ex consuetudine Romana Clericis tantùm collatam fuisse; Posterius, Clericis tantùm inferioribus, aut illis maximè.

IV. Autoritas autem illis in Occidente demandata, tantùm erat temporalis, in res Ecclesiæ, non in personas, præsertim illustres. Si quid ejusmodi illis delegabatur, præjudiciale tantum erat, & ad sententiam de causa spirituali præparatorium. Hoc ex variis Sanct. Gregorii Epistolis qui solus in Occidente de Defensoribus istis multa scripsit, potissimum colligitur. Epistolam ipsius 32. lib. 9. integram referimus, quia brevis est, & quæstionem clarissimè explicat. Sic scribit Romano Defensori Siciliæ, *Pervenit ad nos quod si quis contra Clericos quoslibet causam habeat, despectis eorum Episcopis eosdem Clericos in tuo facias judicio exhiberi. Quod si ita est, quia valde constat esse incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus; ut hoc deinceps facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo Judices deputentur. Aut si forte ad Arbitros eundum est, partes ad eligendum Judicem ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò vel Clericus, vel Laicus contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certe*

certe te admonente sibi Judices eligant, Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud per nos agitur, nisi ut per nos per quos Ecclesiasticus debuit ordo custodiri, confundatur? Item nuntiatum est nobis quia quosdam Clericos qui à reverendissimo fratre Ioanne Episcopo exigente culpa in Pœnitentiam missi sunt, nescienti illo tua illos exinde autoritate ejeceris. Quod si verum est, rem te omnino inhonestam, & non leviter increpandam fecisse cognoscas. Eosdem Clericos Episcopo suo sine mora restitue, & hoc de cætero cave committere; Quia si neglexeris, nostros te noveris non mediocriter motus incurrere.

V. Certum videtur ex hoc loco & aliis Epistolis hunc Romanum qui tanta in Episcopos invito Gregorio audebat, Presbyterum fuisse. Qua enim fronte Diaconus hoc ausus fuisset in aliena Diœcesi adversus Episcopum? Sed hoc vehementer improbat Sanct. Gregorius, nec ullam jurisdictionem spiritualem Defensori suo tribuit. Permittit quidem ut interponat se, id est, intercedat apud litigantes, amicabiliter, & gratiosè lites eorum componit, quod cuique viro pio & prudenti licet. Ejusdem quoque lib. Ep. 7. ad eundem Romanum scribit ut adjuvet Theclam quandam Neapoli Abbatissam, ut causa quæ diu dilata fuerat, tandem judicetur. Sed nihil de jurisdictione Defensoris. Ita quoque Epist. 35. 36. ejusdem libri, jubet in actione spoliationis ut Defensor curet spoliatum redintegrari: Deinde ut per electos Judices causa definiatur, quod supra est cum nonnullis aliis relatum.

VI. Epistola ejusdem libri 74. habet aliquid quod in hac causa, adnotatione speciali dignum videtur. Sic inter cætera scribit Bonifacio Corsicæ Defensori, *Quia verò multi illic pauperes opprimi ac pati præjudicium perhibentur, experientia tua sollicitudinem gerat, & graveri eos contra justitiam non permittat; sed ita studeat, ut nec agentes contra rationem impediri; nec hi contra quos agitur, injustè valeant dispendium sustinere.* Hoc est Defensorum proprium & genuinum officium. *Præterea pervenit ad nos quod quidam Clericorum te illic posito à Laicis teneantur. Quod si ita est, tua hoc culpa noverit reputari; quia hoc fieri, si homo esses, non debuit. Et ideo de cætero sollicitudinem te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas. Sed si quis contra aliquem Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat. Qui si forte suspectus fuerit, executor vel ab ipso, aut si & hoc aliter refugerit, à tua est experientia deputandus, qui pariter sibi mutuo consensu judices compellat eligere à quibus quidquid fuerit definitum, ita vel tua vel Episcopi sollicitudine, servata lege, modis omnibus compleatur, ut non sit unde se possint litigiis fatigare.* Ista confirmantur & illustrantur, præsertim qua respiciunt Iudicum electionem, & ad standum judicato compulsionem, iis quæ scribit idem Sanctus eodem libro Epist. 85. & 107. & lib. 8. Epist. 28. necnon etiam Epist. 11.

VII. Ex quibus iterum patet Defensores illos, Protectorum, Patronorum, Executorum munus obiisse, non Iudicum, nisi forte, ut jam dictum est, Arbitri eligerentur: collaborabant tamen cum Episcopis ad judicati executionem. Cum enim nomine Pontificis & Ecclesiæ Romanæ, cujus patrimonium regebant, negotiarentur, eorum gratia, favor, & autoritas apud Provinciarum Præsides, sive quoscunque Judices electos magna semper fuit. Ideo licet causarum spiritualium supra Episcopos Judices non essent qua Defensores, magna tamen erat eorum potentia in illis Patrimoniis ad Episcopos & Presbyteros commendante Pontifice coercendos & in ordinem cogendos. Quomodo autem compellerent non explicatur. Coactione juridicia per sese id non potuerunt: fuissent enim Iudices, quod textus illis denegat. Aliis igitur rationibus id præstabant Defensores, quæ multæ esse potuerunt, sive ratione administrationis suæ, sive favoris demonstrandi, iis qui obsequebantur, sive coactionis juridicæ à Iudicibus Laicis hac in causa implorandæ, sive delationis causæ, aut appellationis ad Metropolitam, aut etiam ad Pontificem, sive id aljis rationibus factum fuerit, quas causarum aut personarum circumstantiæ, aut occasiones è reipsa emergentes, suggerere possunt.

VIII. Eodem modo intelligenda nonnulla alia testimonia in quibus executio sententiæ Pontificiæ Defensoribus illis commendatur; ut Epist. 53. lib. 11. Indict. VI. in qua Vitali Defensori Caralitano commendat executionem Excommunicationis quam adversus nonnullos Ianuarii Malacitani Episcopi Consiliarios tulerat. Executor enim sententiæ latæ, & litis definitæ constituitur, non litis definiendæ judex, aut sententiæ ferendæ Arbiter. Idem aliorum quorundam testimoniorum judicium. Sanè Pontifices Defensoribus quos in diversas regiones mittebant ad patrimonia Ecclesiæ regenda, multa commoditatis causa committebant quæ ad Defensoris officium non pertinebant, ut sumptibus parcerent, quos alias personas delegando facere oportuisset; vel alias ob causas quæ ex temporum & rerum circumstantiis oriri potuerunt. Imprudenter igitur quis Defensores aliarum Ecclesiarum autoritate Defensorum Ecclesiæ Romanæ metiretur.

IX. Præterea videtur mihi admodum probabile, Defensores illos Executores, atque etiam alios Clericos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros, de quibus Gregorius (nonnunquam enim licet Defensores non essent, Patrimonii Ecclesiæ Romanæ cura, & ejusmodi executiones illis demandabantur, ut ex variis S. Gregorii Epistolis colligi potest) esse similes iis de quibus verba facit Concilium Africanum can. 105. in Epistola ad Cælestinum Papam, Zonaras quoque & Balsamon in fine collectionis Græcæ canonum Carthaginensium. Solebant Pontifices in Africam mittere Clericos qui sententias à se latas executioni mandarent. Hæc autoritas Patribus Africanis gravis nimium videbatur, deque ea ibidem conqueruntur. Sed quidquid sit de eorum querelis, idem præstabant Defensores illi, & Patrimoniorum Rectores nomine Pontificis, quod Executores illi Clerici, ad executionem alicujus sententiæ, specialiter

ab antiquis illis Pontificibus in Africam delegati. Quapropter iſtis Defenſoribus Romanis multa tribuuntur propter ſummam Pontificis Romani autoritatem quæ aliarum Diœceſium Defenſoribus nullo modo convenire poſſunt. Verbi gratia quod injungit Romano Defenſori Siciliæ lib. 8. Ep. 11. ut ſcilicet Baſilium Epiſcopum qui cauſis ſecularibus & prætoriis nimium vacare accuſabatur, *ita ad revertendum diſtricta executione compellat, quatenus ei, te illic inſiſtente, quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat.* Similiter ejuſdem lib. Epiſt. 1. eidem Romano præcipit, ut Lucilium Epiſcopum moneat, ut Eccleſiæ ſuæ reſtituat, quod eripuerat. Quod ſi facere noluerit, unà cum Joanne Epiſcopo Syracuſano ſedens rei veritatem inquirat; ut palam, ſi convictus fuerit, reddat quod clam abſtulit. Huc etiam referri poteſt quod Sabino Subdiacono Regionario præcipitur eodem lib. epiſt. 5. ut diligentiſſimè inquirat de immanibus quibuſdam vitiis quorum accuſabatur Siſinnius Regitanæ civitatis Presbyter, *Et ſi qua indicia*, inquit Pontifex, *apprehendere hujus rei poteris, eum in cuſtodia diſtricta, quousque nobis renunties, ut qualiter immaniſſimum facinus diſcuti debeat ac puniri deliberare poſſimus.* Subdiacono committitur tanti criminis inquiſitio; ſed tamen & diſcuſſionem libellorum, & judicium, ſententiæque pronuntiationem ſibi reſervat Pontifex.

X. Ulterius videtur progreſſus Pontifex Epiſt. 61. lib. 11. autoritatem enim ſententiæ pronuntiandæ Defenſori ſuo defert. Verum iſta rariſſimè contingunt. Sic ad eum ſcribit, *Sed & Clerum ejus* (Exhilarati Epiſcopi) *admonere te volumus ut humilitatem illi ac obedientiam quam Dominus mandat, exhibeat, ne in aliquo illi ſuperbus præſumat exiſtere. Quod ſi quis eorum, id eſt, Laicus, ſive Clericus, admonitionem tuam neglexerit, ex hac noſtra autoritate, canonica correctione inobedientiæ culpam, aut tu ſicut providerit, corrige, aut nobis renuntiare feſtina, ut diſponere valeamus qualiter diſciplinæ frænum extra ſuum eos pergere non permittat, quos ad exceſſum aculeus prava mentis irritat.* Quod correctionis genus, & in quos Clericos illi permiſſum ſit; non explicatur. Sed hæc hypotheſis eſt peculiaris: Agitur enim de Epiſcopo propter delicta à Sanct. Gregorio graviter caſtigato, quem Pœnitentia completa in Diœceſim remiſerat. Patrimonium illud erat aut intra Diœceſim, aut Diœceſi vicinum, cui Fantinus præerat ut Defenſor. Jubet illum Sanct. Gregorius iſtius Epiſcopi actiones obſervare, *atque eum frequenter admonere, quatenus ſe ad impendendum Clericis ſuis charitatem benignum & ſi res exegerit ad corrigendas culpas debeat ſe exercere ſollicitum.* Quia vero probabiliter timeri poterat, ne Clerus ſuus illi eſſet inobediens, ea verba immediatè ſubjicit, quæ ſuperius relata ſunt. Dubium eſſe non poteſt Pontificem aliquando data occaſione nonnulla propter ſummam ipſius poteſtatem per Defenſores quos in Provinciis præſto habebat, egiſſe, quæ ordinariam Defenſorum poteſtatem longè excedebant.

XI. Aliud occurrit lib. 11. Epiſt. 54. Joanni Defenſori darur autoritas Monaſterium Capricanæ Inſulæ viſitandi, *Et quæ reſecatione digna repererit, ſicut canonicus ordo deſiderat, congrua ultione corrigere.* Verum poterat iſtud Monaſterium exemptum eſſe ab ordinaria Epiſcopi poteſtate: Imò admodum probabile eſt, cum tota Epiſtola nullam Epiſcopi mentionem faciat. Cum igitur Joannem illum Defenſorem in Hiſpaniam propter cauſam Januarii Epiſcopi mitteret, Viſitationem iſtius Monaſterii, quod erat, ut dicitur, inſulæ Majoricæ vicinum, illi committit. Sed Joannes iſte licet Defenſor eſſet Romanus, non tamen ut Defenſor hoc fecit, ſicut nec ut Defenſor in Hiſpaniam ad Januarii cauſam judicandam delegatus eſt. Quid enim impedit Defenſorem Presbyterum in varias Provincias pro quibuſlibet arduis negotiis Pontificis eſſe legatum? Huic legationi non magis repugnat eſſe Defenſorem, quàm Archipresbyterum, aut Cardinalem Presbyterum.

XII. Alterius generis legitur lib. 7. indict. 2. Ep. 39. Relatum fuerat Gregorio multos Siciliæ Epiſcopos prætextu ſolatii in una domo cum mulieribus converſari. Ea de cauſa ſic Romano Defenſori ſcribit, *Si quis Epiſcoporum quos commiſſi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compeſcat, & de cætero eos illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quos ſacrorum canonum cenſura permittit.* Duo notanda ſunt in iſtis verbis: Prius, licet ſcandalum iſtud Epiſcopi potiſſimum Laicis præberent; attamen Defenſori in mulieres tantùm data eſt poteſtas: Poſterius, quod iſta poteſtas circumſcripta eſt patrimonii Eccleſiaſtici finibus. Unde conſequitur quod jam demonſtratum, juriſdictionem Defenſorum temporalem tantùm fuiſſe, atque extra fines patrimonii quod adminiſtrabant, ſe non extendiſſe. Eodem ſenſu accipi debent quæ dicuntur Epiſt. 59. ejuſdem libri, de re ſcilicet in patrimonio perpetrata.

XIII. Videntur aliquando Defenſores cum Epiſcopis in pœna inferenda conjungi; ſed tamen quidquid eſt juriſdictionis Epiſcopis eſt deferendum, ut apparet manifeſtè comparando Epiſtolam 10. lib. 7. Indict. 1. cum antecedente. Ita lib. 8. Indict. 3. ſi comparetur Epiſt. 26. cum antecedente evidens fiet Subdiacono Campaniæ patrimonium adminiſtranti nihil aliud eſſe delegatum, quàm ut inquiſitioni ab Epiſcopo de Clerico ſuo faciendæ aſſideret; quia apud Gregorium conqueſtus fuerat teſtes adverſum ſe productos leviſſimè examinatos. Idem præterea colligitur ex eo quod liberum illis facit Maurentium Laicum virum clariſſimum ſibi adjungere.

XIV. Peculiare omnino eſt, atque ordinariam Defenſorum autoritatem excedit, quod de Joanne Defenſore legitur lib. 11. Indict. 6. Epiſt. 55. Hic enim ſpeciali delegatione quæ Defenſoris munus non ſpectat, quæque ampliſſimè continetur Epiſt. 52. Judex à Pontifice conſtituitur, ut de depoſitione Januarii Epiſcopi Malachitani ſententiam ferat; ſi juſta, eam confirmet; ſi injuſta, eum ſedi ſuæ reſtituat, puniat verò eum qui intruſus eſt, &

& qui intruſerunt. Ideo Joannes illefic cauſa cognita extraordinariè pronuntiat. *Dum juſſione beatiſſimi atque Apoſtolici Domini mei Papæ Gregorii, ego Ioannes Defenſor inter Ianuarium Epiſcopum Malachitanæ civitatis, atque inter illos & illos Epiſcopos Cognitor reſediſſem, &c. Unde ſolicitè relegens quæ acta ſunt, & veritatem diligenti inveſtigatione perquirens, nullam in antedicto Ianuario culpam, quæ exilio vel depoſitione digna eſſet puniri, ſed magis illum ejectum de Eccleſiæ violenter inveni. Et quanquam ejuſmodi temeritatem legum cenſura diſtrictiſſimè feriat;* B *Ego tamen legis vigorem Sacerdotali moderatione temperans, mediis ſacro-ſanctis Euangeliis quibus præſentibus ab initio, in hoc cognitor reſedi judicio, ea quæ contra eum ſtatuta ſunt, licet jure non teneant, nec alicujus ſint momenti, injuſta tamen & infirma eſſe pronuntio, atque illos & illos memoratos Epiſcopos, &c. condemnans in Monaſterio recipiendos ad agendum in tempus pœnitentiam ſtatuo, atque decerno*, &c. Notandum Ioannem illum Defenſorem fuiſſe Presbyterum, ut ipſe teſtatur his verbis, *Ego tamen legis vigorem Sacerdotali moderatione temperans*, &c. Evidens eſt ex ſententiæ tenore, atque ex Commiſſione quæ legitur Epiſt. 52. hanc C cognitionem in Epiſcopos extra ordinem Defenſori delegatam eſſe, illi tamen Defenſori qui Presbyteratu inſignis erat, ut Eccleſiæ conſuetudo ferebat, atque decernit Sardicenſe Concilium. Ex æquo enim eligere potuit Pontifex Presbyterum Defenſorem, Presbyterum Cardinalem, aut Archipresbyterum, aut alium quemvis Presbyterum.

CAPUT VIII.

Quis Pontifex primus Defenſores regionarios inſtituit. Quamdiu viguerunt. Defenſoribus ſucceſſerunt Eccleſiarum Advocati. Quando cæperunt illi Advocati eligi aut dari. Varii autores de iis mentionem faciunt, & eorum officia deſcribunt. Graphiones eodem munere aliquando functi. Prohibetur Advocatis ne novas Angarias ab Eccleſiis exigant. Qui olim dicebantur in Eccleſiis Vicedomini. Quando in Eccleſiis primum inſtituti. Varii autores eos & eorum officia commemorant. Quando deſierunt illi Advocati & Vicedomini.

I. POſtremum quod nobis inquirendum propoſuimus, ſpectat Defenſores dictos Romæ Regionarios. Primus eos inſtituit Sanct. Gregorius I. ut ipſe teſtatur lib. 7. Epiſt. Indict. I. Epiſt. 17. *Quia Defenſorum officium in cauſis Eccleſiæ, & obſequiis noſcitur laborare Pontificum, hac eos conceſſa proſpeximus recompenſationis prærogativa gaudere: conſtituentes ut ſicut in ſchola Notariorum atque Subdiaconorum per indultam longè retro Pontificum largitatem ſunt regionarii conſtituti; ita quoque in Defenſoribus ſeptem qui oſtenſa ſua experientiæ utilitate placuerint, honore regionario decorentur.* Septem creat Defenſores, binis ſcilicet quibuſque urbis regionibus Defenſorem unum, ſicut antea binis quibuſque regionibus unus erat Subdiaconus, & unus Notarius attributus. Concedit præterea ibidem ut abſente Pontifice ſedeant in conventu Clericorum, & eum qui Defenſorum primicerius erit, licet in aliam Provinciam mittatur, primas ſemper retineat.

II. Diu Romæ viguit hæc Gregorii conſtitutio: Anaſtaſius enim in vita Conſtantini Papæ refert Joannem quendam primum Defenſorem eum Conſtantinopolim proficiſcentem eſſe comitatum. Hoc autem contigit poſt annum Chriſti 708. Aliquanto poſt Gregorius III. celebrata Romæ Synodo, illius decreta ad Leonem Iſaurum per Conſtantinum Defenſorem mittit: Et paulo poſt adhortatorias litteras ad eundem per Petrum alium Defenſorem. In Adriani primi vita quidam Gregorius Defenſor regionarius homicidii accuſatur, referturque Adrianus Anaſtaſium primum Defenſorem cum Pardo Abbate Sanct. Sabæ ad Deſiderium Longobardorum Regem ut urbes quas Pipinus Rex Francorum Apoſtolicæ ſedi jamdudum dederat, reciperent. Diu poſt hæc ordo Romanus col. 12. 14. 15. 16. 18. 20. 21. commemorat Defenſores Regionarios, Primum Defenſorum, Primicerium Defenſorum Miſſis à Pontificibus ſolemniter celebratis aſſidentes & miniſtrantes.

III. Conſtitit & viguit Romæ, pleriſque aliis in locis Defenſorum dignitas à nato Chriſto ad ſeculum uſque undecimum. Poſt D eam ætatem vix unquam, ut opinor, reperietur illius memoria. In aliis Occidentis Regionibus magna juriſdictionis eorum pars ad Laicos nobiles & potentes devoluta eſt, qui Epiſcopatuum & Monaſteriorum vulgo dicti ſunt Advocati, hoc eſt, Defenſores, Protectores, ut gloſſa nomen hoc interpretatur, in c. *Si quis Presbyterorum de rebus Eccleſiæ non alien.* Sic ante Gloſſam illud nomen Urbanus II. in Epiſt. Paſchalis I. Prædeceſſoris ſui per Advocatum interpretatus fuerat, 1. q. 3. *C. Salvator.* Lapſu temporis facta eſt dignitas illa quibuſdam potentibus familiis hæreditaria, atque ideo in illis Epiſcopatibus & Monaſteriis jure Advocationis iſtius gaudebant certis E prærogativis & privilegiis, quæ inter eos definita erant & ſtata. Cœperunt autem ejuſmodi Advocati aſſumi, aut etiam dari ſiniente ſeculo poſt Chriſtum natum octavo, & ineunte nono. Illorum temporum atque etiam ſequentium autores non infrequenter eos commemorant. Concilium Moguntiacum an. 813. celebratum c. 50. *Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino præcipimus, Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos, ſive Defenſores bonos habere*, &c. Capitular. l. 3. c. 11. *De Advocatis, Vicedominis & Centenariis ut tollantur & tales eligantur, quales & ſciant & velint, juſte*

juste causas discernere & terminare. Et lib. 7. c. 303. edicitur ut *Executores, vel Advocati, seu Defensores quotiens necessitas ingruerit, à principe postulentur.*

V. Carolus magnus Augiensi Abbatiæ in Germania, Advocatum & Defensorem dedit Adelbertum cognatum suum; *Qui Advocatus & omnes sui successores, quale,* inquit, *servitium in prædicta villa Ulma ab Augensi Abbate, ejusdemque Ministris deinceps percepturi, vel qualem justitiam ipsis Abbatibus sint facturi, breviter hic determinavimus, &c. Quod si præsens Advocatus, vel quisquam suorum Successorum hæc nostra statuta transgrediatur, sine judicio, & absque spe recuperationis, jubemus ut Advocatia* B *statim privetur.* Constitutionis istius chartam integram refert Nauclerus ad ann. Christi 809. Imperante Ludovico Caroli magni filio Monasterium Hirsaugiense fundatum est. Otgarius Moguntinus Archiepiscopus dedit illi Advocatum Comitem Erlafridum *sub ea conditione,* inquit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, *ut mortuo Patre, filius in Advocatione non succedat, nisi fuerit ad eam per Abbatem & Monachos assumptus.* Refert insuper Trithemius in eodem Chronico Adelbertem Comitem multis bonis Hirsaugiense Monasterium ditasse, & concessisse ut Abbas & Monachi ex suis Posteris Advocatum eligere possent: Qui si C Monachis gravis esset, alium undecunque ipsi sufficere possent. Henrici Regis diploma, quo hæc omnia & alia pleraque confirmantur, datum anno 1075. refert eodem loco: Et paulo post aliud diploma Urbani II. quo Godfridus Adelberti filius Advocatus sive protector istius Monasterii instituitur. Mulierum Monasteriis Advocati similiter constituebantur, & potiori ratione quàm virorum. Quo enim debiliores sunt, & injuriis magis expositæ, eo pluribus Defensoribus egent. Nam *Defensores Ecclesiarum adversus potentias Secularium vel Divitum ab Imperatore sunt poscendi,* ut dicitur Capitul. l. 5. c. 31. Istius consue- D tudinis quod ad Mulieres attinet, disertè meminerunt eadem Capitularia lib. 3. c. 62.

V. Inter Hincmari opera Parisiis an. 1615. edita, Dialogus est de statu Ecclesiæ in quo scribitur, *Sancta Ecclesia, &c. per sanctos Sacerdotes eligit sibi in singulis Ecclesiis, Vicedominos, Advocatos, Defensores, &c.* Flodoard. Ecclesiæ Remensis l. 2. c. 19. mentionem facit cujusdam Radulphi Vicedomini & Advocati Remensis Ecclesiæ, cujus opera Ebboni Archiepiscopo mancipia nonnulla restituta sunt. Idem fecisse dixerat cap. 18. Vultarium Archiepiscopum per Ecclesiæ Advocatos, atque E etiam procurasse ut Ecclesiæ bonos Advocatos & Vicedominos haberent. Advocatos ejusmodi Ordo Romanus col. 12. vocat Advocatores, & in Ceremoniis Pontificem cum Plebis Proceribus sequuntur. Eorundem Advocatorum mentionem facit autor quidam in historia translationis corporis S. Sebastiani, apud Quercetanum, in vita Henrici primi Francorum Regis; Et alium ibidem in gestis Ludovici VII. ad an. 1177. & 1179. Bethuniæ Advocatum commemorat.

VI. Eodem sensu usurpabat hanc vocem A S. Bernardus Epist. 139. ad Lotharium Imperatorem: *Est Advocatus Ecclesiæ arcere ab Ecclesia infestatione Schismaticorum rabiem.* Et Epist. 224. de Ludovico VII. Francorum Rege scribens, *Rex & Advocatus Ecclesiæ, adversus Ecclesiæ Amatorem & Defensorem demùm sociatur.* Ita quoque supra ex usu sui temporis Defensores interpretabantur Urbanus II. 1. q. 3. C. *Salvator,* & Gloss. in C. 6. *de rebus Eccles. non alienandis.* Paulo post Urbanum Godefridus Dux Lotharingiæ, & Comes Lovanii terras Abbatiæ donans, *Advocatus vero loci erit quicunque Lovaniæ Comes fuerit. Qui Advocatum alium nullum pro se substituet, nec de Advocatia illa aliud beneficium exiget.* Chartam donationis integram refert Molanus lib. 2. de Canonicis c. 46. dataque est an. 1125. Alius Godofredus capta Jerosolyma se Dominici sepulchri Advocatum insigniebat. Carolus magnus in privilegio Monachis Utenburchensibus concesso, cujus partem refert Molanus, concedit ut *eligant suis competentibus locis Advocatos & Defensores, si opus habeant.* Eosdem Defensores dictos etiam aliquando Graphiones licet rarissimè, colligitur ex c. 2. l. 5. Capitularium ex Synodo an. 742. *Decrevimus ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua Parochia sollicitudinem habeat, adjuvante Graphione qui Defensor est Ecclesiæ, ut populus Dei paganus non faciat.* Graphiones autem erant quidam Francorum proceres. Anastasius in vita Adriani I. verba faciens de profectione Caroli magni ad Urbem, *Abstollens secum diversos Episcopos, Abbates etiam & Judices, Duces nempe & Graphiones, Romam per Thusciæ partes properavit.* Idque paulo post eodem ordine repetit. In legibus Ribuariorum tit. 55. Judex fiscalis explicatur: Sed melius Comes, altera post Ducem dignitas: Ita etiam nunc Comites suos Germani appellant.

VII. Extra *C. Præterea de jur. Patron.* ejusmodi Ecclesiarum Advocatis prohibetur sub gravissimis Censuris ne aliquid novum ab Ecclesiis exigant *præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos.* Solebant enim propter jus defensionis & patronatus varias Angarias, Fodrum, Albergarias, Regium, & similia ab Ecclesiis, velut à propriis Rusticis, ut inquit canon, extorquere. Eadem prohibitio facta est à Gregorio X. In Concilio generali Lugdunensi, quæ refertur C. Generali, de Electione in Sexto, qua Excommunicationi ipso facto subjacere declarat eos *qui Regalia, custodiam, sive Guardiam, Advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantur,* &c. Nonnunquam in jure Advocatus ejusmodi pro patrono, & Advocatia pro patronatu sumuntur, ut extra, de jure Patron. C. *Quia Clerici,* & C. *Cum autem.* Revera enim magna erat inter utramque dignitatem affinitas: Omnisque beneficii Patronus, erat etiam illius Advocatus, licet istius propositionis non esset Universalis reciprocatio

VIII. Vicedomini quorum mentio fit in quibusdam testimoniis citatis, longe sunt Advocatis ejusmodi in Ecclesia Dei antiquiores.

Ii erant Clerici, & familiæ Episcopalis Rectores, Episcopumque in multis ministeriis domesticis sublevabant. S. Gregorius l. 9. Epist. 66. *Volumus ut Paschasius frater noster, & Vicedominum filii ordinet, & Majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel casus qua eveniunt, idoneus & paratus existere.* Et Epist. 11. lib. 1. *Diaconum Anatolium quem ad vos dirigi postulastis, hoc nos facere non posse, causa magis modus quam rigoris austeritas facit. Vicedominum enim eum constituimus, cujus arbitrio Episcopium commissimus dispensandum.* Anastasius in Vigilio Pontifice scribit eum, Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum suum cum Valentino Episcopo Romam missse ad custodiendum Patriarchium Lateranense & gubernandum Clerum. Hinc Lateranensis Patriarchii pars in qua Vicedominus Romanus habitabat, Vicedominium vocabatur, ut videre est apud Anastasium in vita Stephani III. seu quarti. Eodem in loco mentio fit cujusdam Theodori Episcopi qui Pontificis dicitur Vicedominus: Alterius item in Papa Constantino qui erat Diaconus.

IX. Ex dictis manifestum est Vicedominos cum primum instituti sunt, è præcipuis Clericis electos esse, & Episcopi bona familiamque rexisse, velut peculiares domus Episcopalis Oeconomos. Hac de causa non malè Honorius dixit lib. 1. de ritu Missæ, c. 182. *Vicedominum esse, qui vicem Episcopi agit.* Ut & Glossa in C. *Volumus* distinct. 89. Vicedominum exponit, *Oeconomum rerum Episcopalium.* Eadem ratio Vicedominorum qui in Monasteriis constituebantur; ut luce clarius conspicere est in Æginardi Abbatis qui tempore Caroli magni vivebat, Epistolis 23. & 37. Eorum præterea mentionem facit Epist. 12. & 18. Ideo forsan dicuntur in 3. Capitulari Ludovici pii tom 2. Concil. Galliæ, non secus ac Archipresbyteri & Archidiaconi, ministerii Episcopalis coadjutores; atque etiam in Ordine Romano col. 11. in pompa solemni processus Pontificii cum Vestiario, Nomenclatore, & Sacellario post equum Pontificis primi equitare. Tanta autem erat ejus autoritas ut ibidem col. 15. Notarium habere dicatur. Tales erant ii de quibus Concilium Remense sub Leone III. c. 24. *Præpositi & Vicedomini, secundum Regulas vel canones constituantur.* Idem videtur judicandum de iis quos commemorat Flodoardus lib. 1. c. 17. & lib. 2. cap. 13. aliisque locis Historiæ Remensis; Ut & de iis quos Dialogus de statu Ecclesiæ jam citatus. Imò colligitur ex capite *Consulere*, extra de Simonia; hanc dignitatem, saltem multis in locis; tempore Gregorii IX. fuisse Ecclesiasticam, neque vendi sine Simonia potuisse. Lib. 2. Capitul. c. 28 Abbatissæ dicuntur Vicedominos habere: quales illi fuerint, non mihi liquet, nisi forsan cum aliis comparatione facta.

X. Tandem Ecclesiastica illa dignitas in secularem prorsus degeneravit, nihilque antiqui ministerii præter nomen retinuit. Ea gaudent adhuc in multis locis, viri, & mulieres quædam potentes, velut à parentibus jure hæreditatis accepta, quibus unde ad ipsos eorumque parentes pervenerit, sollicitare in mentem nunquam venit. Si quid olim honorificum aut utile erat illi conjunctum, ambabus manibus amplexi sunt, & constrinxerunt: Si quid vile & onerosum ambobus pedibus fugerunt: Diu autem est cum cœpit degener ille usus. Juo enim Epist. 38. meminit Vicedominæ, *Sicut dicet vobis domna Hildesendis Vicedomina.* Certum est autem Laicam mulierem quantumvis nobilem Ecclesiasticæ dignitatis non esse capacem. Sed Advocatis non licuit esse tam beatis. Ejusmodi enim Advocatia prorsus, ut opinor, extincta est, aut summorum Principum potestati tandem coaluit. Nisi forsan quis istis Advocatis comparare velit Conservatores quos ab annis quadringentis dare solent summi Pontifices, de quibus multa *C. Statuimus*, *C. Quia Pontificali*, & *cap. finali, de officio Judicis delegati in Sexto*, quorum vagam autoritatem Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. de reformatione coercuit, & repressit. Hæc de antiquis Ecclesiarum Advocatis & Vicedominis, occasione Defensorum præter primigenium nostrum scopum breviter & ἀδιεξεδίκως addita, Lectori sufficiant.

Exercitationum jam satis. Liber ipse monet manum è tabula subducere, & operi coronidem imponere. Fruatur Lector labore nostro, si quid illius palato sapit: sin minus aliquid utile conantem scribere patienter ferat. Si Exercitationibus nostris illi videmur aliquando nobis ipsis velut Amantes, somnia fingere, somniis condonet propter veritatem aliis in locis lucentem. Recordetur neminem Mortalium omnibus horis sapere, felicem qui minus desipit. Desipientiæ & erroris remedium quod omnibus Catholicis præsto semper est, lubentissimi amplectimur, Romanæ scilicet Ecclesiæ censuram, cui omnia dicta, scripta, & facta nostra humillimè subjicimus

INDEX

RERUM ET VERBORUM NOTABILIUM.

Ubi poſt litteram p. occurrit num 3. tertia pars Libri ſignificatur & numerus ſequens notat tertiæ partis paginas, litera ſ. ſectionem.

A.

Abbatis promotio. pagin. 78. 84. 96.

Acolythi Ordinatio. p. 212. 220. 231. 237. 245. 254. 259. 272.

Acolythatus materiæ & formæ & applicantium multiplex varietas. p. 3 p. 192 193. & ſ. 8. & 9

Acolythorum apud Græcos nulla mentio. p. 3 96. ſ. 12.

Ἀδελφάτον confratria, annua penſio ex ea ſolvebantur. p. 192. n. 85

Adoratio omnis & ſacra proſtratio, quid ſignificat. p. 118.

Qui dicti ſunt Advocati Eccleſiarum, quod eorum officium, quando cœperunt. p. 3. 251 252. ſ. 5. 6. 7. quando eſſe deſierunt. ſ. 7. Monaſteriis mulierum dati. ſ. 4. Multa horum exempla. ibid. ſ. 4. 5. 6

Ægyptus urbibus abundantiſſima ab uno Epiſcopo regi non potuit, ejus diviſio. p. 3. 126. 127 128 ſ. 13. 14. 15. S. Athanaſius ab urbe Epiſcopi neceſſitatem colligit. ibid. ſ. 16

Æthiopia nonnunquam dicitur India. p. 367

Æthiopes cum eorum Rege Rom. Eccleſiæ reconciliati ſunt ſub Clemente VII. & Paulo IV. præſat. in ritum Jacob, p. 404

Alexandrina Eccleſia nunquam tulit ut per ſolos Presbyteros Patriarchatus ſine Epiſcopis regeretur & ipſe per Presbyteros aliquando conſecraretur. p. 3. 123. & 124. ſ. 1. & 2

Ἀναβάθρα, quid, & illius uſus. p. 194. n. 104

Angelorum ordines ſecundum Syros. p. 3. 320. & 324.

Novem Ordines Sacerdotii reſpondent novem Ordinibus Angelorum. p. 336. 337. 341

Seraphim Angelorum infimi apud Maronitas, Angeli vigiles medii. p. 341

Angelorum Hierarchias & Choros aliter diſtingunt Maronitæ quàm S. Dionyſius. Adnot. 22. in Syr. Ordin.

Ordines Angelorum dicunt Neſtoriani eſſe Sacerdotio inferiores. p. 381

Hierarchia Angelorum Vigilum Neſtorianis celebris ut Maronitis. p. 383

Antidorum ἐυλογία, ἀντίδωρον, καθάγλασιν. Quomodo diſtribuitur. A jejunis comeditur, Illius figura. p. 196. Typus eſt virginalis corporis Deiparæ. ibid. n. 116. Quamobrem ad Miſſæ finem diſtribuitur. ibid.

Ἀντιμήνσια, Panni quidam conſecrati ejuſdem Privilegii cum altaribus noſtris portatilibus p. 206. n. 163.

Apoſtoli & 72. Diſcipuli ante multiplicatum Euangelium ſoli munere Epiſcopali fungebantur. p. 3. 38. 39. 40

Quis uſus Aquilæ figuratæ, & fluviorum in Ordinatione Epiſcopi. p. 189. 190. n. 67

Archidiaconi Maronitici ordinatio. 332

Archidiaconorum quando primùm mentio. p. 3. p. 220. ſ. 1. 2

Archidiaconi creatio. 94

Archidiaconus initio dictus Græcis primus Diaconus. p. 3. p. 227. ſ. 2

de Archidiaconis. p. 3. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. ſ. 1. 2. & ſeq.

Archidiaconi apud Græcos extra Sanctuarium omni authoritate ſpoliati ſunt. Hinc apud eos vulgatum Archidiaconatum non eſſe dignitatem. p. 3. p. 228. ſ. 7

Archidiaconi Epiſcoporum Coadjutores dicti, varia eorum officia enarrantur. p. 3. p. 227. & ſeq.

Ab aliquot ſeculis Archidiaconi præſunt Presbyteris & Archipresbyteris: fruſtra huic inſolentiæ ſeſe oppoſuerunt Concilia. Cauſa hujus moris. p. 3. p. 312. ſ. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Iſtius inſolentiæ Archidiaconorum cauſa additamentum ſpurium canoni factum. ibid. ſ. 16. 17

A quo tempore Romæ nullus eſt Archidiaconus p. 315. ſ. 25. Conſtantinopoli quoque nullus Archidiaconus. ibid.

Archiepiſcopatus dignitas recentioribus Græcis dignitas Metropolitica inferior. quando cœpit, & qua occaſione. p. 206. n. 154

Ubi primùm Archipresbyterorum fit mentio. p. 3. p. 215. f. 2
De Archipresbyteris p. 215. 216. 217. 218. f. 1. 2. 3
Episcopus consecrans Archipresbyt. instillat in faciem ejus, p. 338
Qua occasione creati Archipresb. p. 3. p. 275. f. 3
Protopresbyteri creatio, p. 215
Græci Archipresbyteros vocant tantùm Protopresbyteros. p. 3. p. 216. f. 4
Archpresbyteri Latinis dicuntur qui Presbyteris in variis Parœciis præsunt. p. 3. p. 216. f. 5
Quæ fuerit olim Archipresbyt. jurisdictio. p. 3. p. 217. f. 8. Quæ hodierna. ibid. p. 218.
Archipresbyteri Vicani olim ut nunc instituti p. 3. p. 218. f. 10
Armenos nonnulli dicunt esse Nestorianos, alii Eutychianos. p. 2. p. 367
de Auxilio Formoso coætaneo & ejus scriptis ineditis p. 3. p. 67. 68.
Auxilius, Exterus, Francus, Presbyter, a Formoso Papa Ordinatus, a R. Patre Vigniero acceptus codex. p. 282. 283
Magni fecit auxilium Cardinalis Baronius. p. 242
Auxilius non erat Italus. p. 2. & 307
Auxilii liber primus Baronio incognitus. p. 242
Auxilius credidit Liberium Papam Hæreticum fuisse. p. 290
Auxilius nonnulla habet à veritate evidenter aliena, quæ notantur, p. 284
Baptismum per vim datum Auxilius censet valere. p. 294. 295. 309
Distinguendum dicit Auxilius inter sedem Pontificalem, & in ea Præsidentem, illi semper obediendum, non autem huic, p. 302
Auxilius vult expectari Concilium generale ut definiatur causa de ordinat. Formosi. p. 293

B.

BAptismalis Fons dicitur sinus propitians, & uterus Virginalis. Adnot. 93. in Syr. Ordin.
Quæ sit Blasphemia in Spiritum sanctum. p. 288.
Distributiones menstruæ redituum Ecclesiasticorum qua proportione fiunt apud Græcos. 207. 208. n. 167. apud Latinos in 4. partes fiebant, &c. vide 208
Bonosiaci aliquando vocati Photiniani. p. 3. p. 78. sect. 8
Βυλλωτήριον, Archetypum. Βύλλα, Ectypum. p. 199. n. 125. quadruplicis materiæ. patriarchæ sigillum, illius figura.
Βυτίσις, Immersor ejus officium. p. 207

C.

CAlogeri Monachi. 189. quare sic dicti. ibid. antiquum hoc Epithetum. ibid.
Quando, & qua Occasione S. R. E. Cardinales titulos mutare cœperunt. p. 3. p. 222. 223. f. 22
quando Diaconiæ Cardinales Presbyteris datæ sunt, & tituli Presbyterales Diaconis. p. 3. p. 222. f. 23.
quando & qua occasione Episcopi Cardinales aliis præponi cœperunt, p. 3. p. 221. f. 18. 19. 20
Episcopi qui erant Cardinales Presbyteri cum primùm Presbyteratus Cardinalis jungi cœpit Episcopatui, dignitatem Episcopalem præferebant Presbyterali. p. 3. p. 222. f. 21
Principium & causa hodie distincta. Antiqui Patres Latini patrem Filii causam ut Græci dixerunt, p. 195. n. 113
quid χίλιοι χιλιαρχίαι, χιλιάρχου. 205.
Cellarii promotio, 95.
quid χαλκάξιοι, μαζηλοὶ, p. 185. n. 40. 41
de Charactere variæ Scholasticorum sententiæ referuntur, cum Autoribus. Multi eorum sentiunt à Patribus testimonium non habere. Ejus disertam mentionem non faciunt recentiores Patres, nedum antiquiores. Sed post modum duo Concilia generalia rem dubiam definierunt, p. 3. p. 25. f. 1. & seq.
Sacerdotium Characterem imprimit, principium fidei, p. 3. p. 102. f. 1
Characteris virtutem ab Ecclesia suspendi posse, ita ut si velit agere, nihil producat. p. 3. p. 107. f. 10. 11. 12.
Doctores Canonistæ celebres asserunt Papam leges novas ferre posse, quarum contemptus impediet Sacramenta Characterem imprimere. p. 3. 56. f. 12. 13. 14
Carthophylacis officium, ministeria, autoritas, p. 3. p. 225. f. 7. 8. & seq. Chartophylacis officia ex variis Notitiis, & Symeone Thessalonic. enarrantur, p. 227. f. 14. 15. Qua occasione illi datum magni nomen. Ibid. f. 15. Est veluti Officialis & Vicarius Episcopi. ibid. f. 4
Inquiritur quando Chartophylax qui est tantùm Diaconus, sedere cœpit, frustra renitentibus Episcopis ante Episcopos, p. 3. p. 223. 224
de Græcorum Chartophylace, p. 224. 225. 226. 227. f. 12. & seq.
quid esse in Canone vel ex Canone, p. 3. p. 197. 198. sect. 4. & 5
Canones antiquitus difficillimè solvebantur, p. 3. 86. 87. f. 18
Κανονάρχης, & Protopsaltes distinguuntur, utriusque officium, p. 191. n. 76
Nestoriani & Eutychiani summum suum Pontificem vocant Catholicum. 368. antiquitas istius Epitheti. ibid.
Hymnus Cherubicus quid, & quando in Missa Græcorum decantari solet. p. 174. n. 5
Joannes Darensis Etymon Cherubim perperam tradit. Adnot. 22. in Syr. Ordin.
χειροτονία, quid apud Græcos, quid Ordo apud Latinos significent, p. 3. 10. 11. 12. f. 1. 2. 3. 4. 5
Dictio χειροτονία vix in novo Testamento occurrit, in Ritualibus perpetua, p. 11. f. 3. 4. Ea non est usus Dionysius, ut necaliis vocabulis vulgaribus, p. 11. f. 4.
Quæ fuerit Chorepiscopos instituendi occasio, p. 3. p. 42. f. 9
In Oriente Chorepiscopi peculiari ritu Ordinabantur, non ita in Occidente, p. 3. 47. f. 16
Quid sit proprie Chorepiscopatus, p. 3. p. 54. 55. f. 6
Chorepiscopi in Africa nulli commemorantur, in Gallia & Germania ab annis nongentis frequentes, p. 43. & seq.
Ab uno Episcopo, & eo cui subjectus est Canones jubent Chorepiscopum Ordinari, p. 44. 45. f. 3
de Chorepiscoporum nomine, origine, institutione, & progressu tam in Oriente quam in Occidente, p. 3. p. 40. f. 2. seq.
De Chorepiscopali potestate, p. 3. p. 55. 56. f. 8. 9 10. 11
Chorepiscoporum officia & munia latè descri-

buntur, p. 3. 42. 43 & ſeq.
Epiſtolæ S. Damaſi de Chorepiſcopis ſpuriæ, una quoque Leoni tributa. p. 3. p. 41. 42. f. 5 6.
Epiſcopi aliquando ſed raro Chorepiſcopi vices agunt, p. 52. f. 6. & 7.
Chorepiſcopi aliquando ſub nomine Epiſcopi intelliguntur, p. 55. f. 7.
Epiſcopi depoſiti aut ab hæreſi converſi Chorepiſcopatu aliquando miſericorditer donantur, p. 3. p 46. 47. f. 12. & 13.
Chorepiſcopi de quibus tam ſæpè Canones & antiqua Eccleſiæ monumenta loquuntur, non fuere Epiſcopi, p. 3. p. 4. 5. f. 1.
Balſamonis gloſſa, de Chorepiſcoporum Presbyteros & Diaconos Ordinandi poteſtate, ineptiæ redarguitur, p. 3. 53 Canon Ancyr. ambiguus examinatur & emendatur, p. 53. f. 9. De Chorepiſcoporum Ordinandi poteſtate antiquorum teſtimonia, p. 53. f. 1. & 2. Sancti Chryſoſtomi, & Hieronymi contra Chorepiſcopos dicta explicantur. p. 54. f. 5. 6.
Variæ cauſæ ob quas Chorepiſcopi, contra Pontificum, & Conciliorum de iis delendis decreta, conſervati ſunt. p. 3. p. 53. & 54.
quando & qua occaſione Chorepiſcopi defierunt in Oriente, & Occidente. Quinam ipſis in Occidente, qui in Oriente ſucceſſerunt. In Patriarchatu Alexandrino Epiſcopos Chorepiſcopi extinxerunt, p. 3. p. 56. 57. f. 1. 2. 3. 4
Antiqui Autores & Canones Chorepiſcopis autoritatem Presbyteros & Diaconos Ordinandi delegarunt, modo id agerent conſentiente loci Epiſcopo, p. 3. p. 48. & 54. f. 1. 2.
quid καθαίρεσιν, p. 183. n. 25.
χειροθεσιαν, χειροβεσιαν, quid ſignificent, p. 184
Accuſatus Chryſoſtomus quod extra altare ordinaret Presbyteros & Diaconos. p. 3. p. 184. f. 11
Tria Clericorum genera, p. 3. p. 207. f. 4
qua ratione antiquitus recepti ſunt Clerici tam apud Græcos in Catholica Ordinati, ſed ad hæreticos transfugæ, cum reſipiſcentes ad Eccleſiam revertebantur, &c. Annis 350. nullum exemplum eos cum Ordinibus ſuis receptos. p. 87. 88. 89. 90. 91. f. 1. 2. & ſeq. reſpondetur exemplis in contrarium. Ibid. f. 3. 4.
Clerici antiquitus radi prohibebantur, p. 3. 207 208. f. 6. 7
quæ fuerat olim vera communio Eccleſiaſtica & unde dicta, p. 129. 130. f. 22
Concha genus calicis Judæis & Latinis. Adnot. 78. in Syr. Ordin.
Paſtophoria ſeu Capellæ dicuntur Conchæ. Adnot. 78. in Syr. Ordin.
Κοιμώμενοι. quid? 188. n. 53
quis color ὑπερόριοι Græcis recentioribus. p. 201. n. 142
Conſtitutiones Clementis nomine vulgatæ, ſunt diſciplina eccleſiaſtica Orientalis Eccleſiæ, ante Conſtantinum primum. p. 17. f. 5
Conſtitutiones S. Clementis, ſaltem Concilium Nicænum & S. Athanaſium videntur antecedere, p. 17. f. 1
Κρηπὶς, crepido Sanctuarii. quid & quo loco. p. 180.
Cruces in capite geſtare, σταυροφόροι qui? p. 192. n. 81. dignitatis inſigne. ibid.
Ordo cuſtodiæ martyrum. p. 158. 189
כומרא Syris Pontificem notat. Judæis malè audit. Adnot. Syra 41.

D.

Variis argumentis docetur ex ipſius libris Joannem Darenſem Syrum eſſe autorem recentiorem. Adnot. 22. in Syr. Ordin.
